

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA.

LIBRARY

THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA.

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

AD MENTEM

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

PIO IX. PONTIFICI M.

DICATA.

AUCTORE

CANONICO PETRO SCAVINI NOVARIENSI

ECCLESIÆ CATHEDRALIS PRÆPOSITO.

EDITIO TERTIA HISPANA

JUXTA SEPTIMAM AB AUCTORE PROMULGATAM, QUÆ EST OMNIUM ABSOLUTISSIMA.

Cum notis italice in hispanum translatis, quoad tractatum sextum juri civili Hispaniæ, vel canonico, vel doctrinæ S. Alphonsi M. de Liguorio de novo accommodatum, cum add. definitionum, privilegiorum militarium atque tractatus Bullæ S. Cruciatæ.

Á

Josepho Morgádes et Gili Pbro.

IN SACRA THEOLOGIA DOCTORE ET SACRORUM CANONUM IN SEMINARIO TRIDENTINO BARCINONENSI PROFESSORE.

TOMUS PRIMUS.

ALMA COLLEGE LIBRARY SAN FRANCISCO, CAL.
ST. IGNATIUS COLLEGE LIBRARY Alma, California
Property of CLgA Please return to Graduate Theological Union Library
ALMA COLLEGE LIBRARY SAN FRANCISCO, CAL.
ST. IGNATIUS COLLEGE LIBRARY Alma, California T 2035
ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California 239.02 Sc 92

DE ORDINARII LICENTIA.

BARCINONE.

APUD JACOBUM SUBIRANA, IN PLATEA DIVI JACOBI.

MDCCCLIX.

Barcinone: Ex typis Vincentii Magriñá, in via dicta del Arco de San Silvestre, 4. 1859.

EPISTOLA REGNANTIS PONTIFICIS MAXIMI

AD AUCTOREM.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dilectus Filius Religiosus Vir Joannes Carolus Magni *Minister Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium Nobis tuo nomine obtulit Opus latine a te conscriptum, tribusque Voluminibus in lucem semel atque iterum editum, cui titulus* Theologia Moralis Universa in usum Clericorum Diœcesis Novariensis. *Quod quidem Opus benevolo, libentique animo excepimus, tibique vehementer gratulamur, quod in hisce Theologicis Institutionibus conficiendis nihil antiquius habueris, quam salutares* **Sanctissimi ac Doctissimi Viri Alphonsi Mariæ de Ligorio** *doctrinas magis magisque propagare, iisque Ecclesiasticæ præsertim Juventutis animos imbuere. Itaque susceptum a te consilium summopere commendamus, teque in Domino hortamur, ut pro eo quo polles ingenio atque doctrina, sacras disciplinas ad fidelium utilitatem, et ædificationem alacriori usque studio excolere, atque illustrare pergas.*

Jam vero dum pro munere gratias agimus, eniais tuis votis libenter annuimus, tibique veniam facimus, ut tertiam ejusdem tui Operis editionem Nobis dedicare possis. Ex quo vel facile intelliges, qua te præcipua benevolentia prosequamur, cujus etiam pi-

gnus esse volumus Apostolicam Benedictionem quam toto cordis affectu tibi, Dilecte Fili, amanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
Die 7 Aprilis. Anno 1847
Pontificatus Nostri Anno Primo

PIUS PP. IX.

Dilecto Filio
PETRO SCAVINI *Canonico Præposito*
Ecclesiæ Cathedralis Novariensis.
Novariam.

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

RESTITUTORI FELICIUM SÆCULORUM.

PETRUS SCAVINUS.

Duodecimus annus est, Pater Sanctissime, ex quo Institutiones exaravi Theologiæ Moralis universæ, ut epheborum commodis consulerem, qui apud sacra Novariensis Diœceseos Seminaria in spem christiani nominis adolescunt. Quo in opere conscribendo eo præsertim spectabam, ut auream doctrinam Alphonsi De Ligorio, planiori quo fieri posset ratione concinnatam, sacrorum alumnis proponerem. Hic enim media via insistens, a severiori tetricaque disciplina, quæ mortales a pietate deterret, non secus atque a laxiore, quæ Religionis fundamenta convellit, mihi sapientissime recedere visus est. Quemadmodum vero Vir doctissimus, veterum hæreticorum erroribus refutatis, scripta sua ad leges atque instituta Ecclesiæ Romanæ diligentissime exegit; ita ego ipsius vestigiis ingressus, pravas illorum opiniones refellendo, qui post Ligorii tempora christianam sapientiam pervertere conati sunt, singula Romanorum Pontificum in hanc rem decreta, et Sacrorum Consiliorum responsa subtexui, quæ ad praxim potissimum pertinerent.

Cæterum, quum exemplaria hujusce operis, jam semel atque iterum typis evulgati, nunc penitus desiderarentur, tertiam hanc editionem adornandam suscepi. Et quo gratior legentibus accideret, doctrinarum perversitatem pro opportunitate etiam notavi, quæ nostræ ætatis mores præsertim inficiunt, quasque in celeberrima Encyclica Tua Qui pluribus *ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos* tam paterno animo, tantaque sententiarum altitudine lamentaris.

Sed omnium maxime hanc editionem commendat amplissimum Nomen Tuum, quo ipsam decorari, pro singulari Tua humanitate passus es, Pater Sanctissime. Quo immortali beneficio ita sum affectus, ut plura omnino videar consecutus, quam homini fas esset optare; præsertim quum non minus præclare mecum actum esse videam, quam cum Ligorio ipso, quem in lucubratione mea ducem sum secutus. Si enim Vir Ille sanctissimus Benedictum XIV nactus est, cujus nomen libro suo inscriberet, is mihi Pontifex contigit, qui ita principatum est auspicatus, ut universi orbis terrarum, nedum christianæ reipublicæ, admirationem sibi conciliaret.

Hic mihi liceat, Pater Sanctissime, felicissimum illum diem memorare, quo Pontifex Maximus, omnibus plaudentibus, renunciatus, bonum omen dedisti populo Romano. Siquidem Tu nomen a Pietate mutuatus, in hominum memoriam revocasti et ingentia molimina, quæ Pium VI olim illustraverant, et invictam inter tot calamitates mansuetudinem, qua Pius VII memoria nostra enituerat. Quumque non parvam Tui expectationem concitasses, incredibile prorsus memoratu est, quanta gloria illam sustineas et tuearis. Quod quidem testantur civiles motus oblivione deleti, sumptus præcisi, publicus census auctus, leges religioni, optimis disciplinis, agrorum cultui et commerciis fovendis opportunæ, viri excellentis ingenii et spectatæ virtutis ad publica munera admoti, aut in provincias legati ad regni necessitates inspiciendas, atque alia complura, ex quibus patet apertissime, Te decem jam menses sic regnare, ut Romana gens imperio Tuo recreata, jam supra cæteras caput extollere et nova quasi luce in omnium oculis nitescere videatur. Quæ omnia tam commode cecidérunt, ut si antea dubitatum fuisset, utrum Pontifices casu, an Deo afflante crearentur, id profecto nunc desiisset dubitari.

Verum hic finis jam sit. Neque enim minus mihi videndum quid modestia Tua pati possit, quam quid meritis Tuis debeatur. Quapropter testatus, me nihil magis cupere, quam facta dictaque mea Tibi probari, Deum immortalem precor, ut omnia consilia Tua sic velit fortunare, ut catholici nominis amplitudo virtutibus Tuis aucta in dies propagetur.

Dabam Novariæ in Insubribus, v Cal. Majas.
Anno post Christum M. DCCC. XLVII.

AUCTORIS PRÆLOQUIUM.

Mirari ne velis, Lector benevole, si inter tot ac ferme sine numero libros, quos ubique ætate nostra videre est de rebus moralibus pertractantes, novam hanc meam tuis sub oculis exhiberi, et publicam subire lucem conspicias *Theologiam Moralem universam*. Nam præterquamquod, Augustino docente, *utile est plures a pluribus fieri* (libros) *diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic* (1); non habes hic aliam, nisi Theologiam omnibus notissimam et unanimi jam fere Doctorum plausu in Catholica Ecclesia exceptam et commendatam, Theologiam, inquam, S. Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis SS. Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agatæ Gothorum, de quo *illud imprimis notatu dignum est,* ut verbis utar sanctæ memoriæ Pontificis Gregorii XVI, *quod licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen Opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum est* (2).

En tota nunc studii ac laboris mei ratio : cum nempe comperissem Opus Ligorianum tot laudibus ubique gentium efferri, utpotequod tam difficilem et simul tam ab omnibus exoptatam inter opiniones nimis rigidas et nimis benignas mediam indicet viam : imo, ipso Pontificio Oraculo probante, in eo *nil censura dignum* fuisse repertum (3), adeo ut *opiniones quas in sua Theologia Morali profitetur B. Alphonsus, sequi tuto possimus ac profiteri* (4); illud cito mihi in votis fuit, ut Clericorum nostrorum Theologiæ Moralis studio proludentium usui posset facile accommodari, et præ manibus ad pensum quotidianum ipsis exhiberi. Sed quid? annorum complurium experientia, et virorum præstantium auctoritas aperte me docuit id feliciter obtineri non posse, si iisdem Auctoris Nostri textus, qualis est, traderetur ; tum ob nimiam rerum copiam ; tum ob methodi ac ordinis in iis evolvendis desiderium. Adde tam ingentem illum citationum quasi cumulum, qui si Theologo jam in scientia versato gratus esse solet ac utilis, non item tyroni. Adde tot illas opinionum diversitates fusiori calamo exaratas, quas facillime juvenes fastidiunt. Adde tandem defectum definitionum complurium, divisionum, dogmatum et scholasticorum principiorum, quæ licet apud omnes in confesso sint ; nondum tamen studiosæ juventuti innotescunt.

Neque magis ad rem facere videntur *Compendia* illa, quæ ex toto suo Ope-

(1) L. I *de Trinit.* c. 2. (2) Bulla Canonizz. § 7.

(3) Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis confirmato a Pio VII 18 maji 1805.

(4) Ita Sacræ Pœnitentiariæ responsum confirmatum a Gregorio XVI, julii 1831. — V. Gousset, jampridem Vicarius Generalis, nunc Archiep. Cardin., *Giustificazione della Teologia Morale del B. Alfonso M. de Liguori.* Monza, Tip. Corbetta, 1833.

re Auctor ipse confecit (1), vel ab aliis confecta sunt (2); idem enim in iis plus minusve occurrit desiderium, ut legenti patebit. Hoc ipsum jampridem judicium tulerant et votum expresserant eximii Romani Censores Theologi, P. Michaël Dominicus Zecchinelli S. J.; et P. Joachim Ventura Theatinus Juris Pub. Eccl. Professor. Primus ille post datas Theologiæ Ligorianæ promeritas laudes, affirmat *optandum..., ut res tam ampla et multiplex in eam doctrinæ formam redigeretur, quæ junioribus præsertim Clericis ad rem moralem tenendam aptior esset; et cujus usus instruendis maxime ad excipiendas fidelium Confessiones Sacerdotibus facilior fieret et expeditior.* Alter vero sic habet: *optandum procul dubio erat, ut Moralis Doctrina B. Alphonsi Mariæ de Ligorio, pro qua singulare illud extat et plane gravissimum Sanctissimæ Apostolicæ Sedis suffragium, quod nempe in ea* nihil censura dignum *inveniretur, ad usum Ecclesiasticæ juventutis rei moralis potissimum studiosæ in commodiorem formam redigeretur* (3). Quapropter si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum ; aut si qua exercitatio in rebus scholasticis, in quibus me non inficior mediocriter esse versatum ; id omne a me in tantum opus esse conferendum existimavi. Et lubenti sane animo collocatum est, ita ut, ipso sancto Alphonso e cœlis certe opitulante, suum jam finem attigerit.

Vides ergo, amice Lector, tum opus ipsum, tum ejus finem et metam, tum denique auctoris mentem et scopum. Singulorum hic tibi Tractatuum exhibetur more stricte scholastico distributio : datæ suo loco scholasticæ definitiones ac divisiones : singulæ materies ad sedem propriam revocatæ : constitutæ ac suis argumentis firmatæ dogmaticæ theses : varii præcipui nominis Auctores in unaquaque materia graviori laudati. In singulis tamen scrupulose semper exhibita ipsius Sancti Alphonsi doctrina, inspecto tum fusiori *Opere Theologiæ Moralis,* tum etiam aliis ejusdem *Opusculis Moralibus* præcitatis, in quibus (ut Auctor ipse fatetur in præfatione) alia habentur adjecta, alia vero clarius explanata.

Opportuna sic etiam occasio facta est Decisiones S. Apostolicæ Sedis recentiores tradendi : ipsas Leges Civiles ubicumque opus fuerit in medium proferendi : demum Constitutiones Synodales Novarienses (4), suis locis adno-

(1) 1 *Istruzione e pratica per li Confessori.* — 2 *Homo Apostolicus.* — 3 *Il Confessore per la gente di campagna.* — 4 *Pratica del Confessore.* — 5 *Praxis Confessarii.*

(2) Nobis innotescunt : — 1 *Excerpta ex libro cui titulus , Homo instructus in sua vocatione ad audiendas Confessiones , auctore S. Alphonso M. De Liguorio , seu sensa ejusdem.* Vesuntione, et Novariæ. — 2 Galani , *B. Alphonsi Theologia Moralis in compendium redacta.* Bassani, 1821. — 3 *Compendium Theologiæ Moralis S. Alphonsi , sive Medulla* Hermanni Busembaum , Iriæ 1840. — 4 Neyraguet , *Compendium Theologiæ Moralis s. Alphonsi M. De Liguorio complectens tum Operis Moralis , tum Operis cui tit. Homo Apost. substantiam , solamque Auctoris doctrinam* etc. Lugduni 1841. — 5 Panzuti , *Theologia Moralis S. Alphonsi in Institutiones redacta ad usum studiosæ juventutis....* Neapoli , *tertio edita* 1840. — 6 Gousset, *Theologie Morale à l' usage des Cures et des Confesseurs.* Paris , 1845. — 7 Moullet , *Compendium Theol. Moralis ,* Prati 1846 — 8 *Lexicon Theologiæ Moralis ex Operibus S. Alphonsi M. De Liguorio ,* Vercellis, 1846. — 9 Gury , *Compendium Theologiæ Moralis.* — 10 Grassi , *Universa Theologia Moralis juxta doctrinam S. Alphonsi De Liguorio ,* Æsii 1852.

(3) *V.* in citato Opere *Blasii Panzuti ,* hæc Romanorum Censorum vota.

(4) Quas quidem sapientes Constitutiones a felicis memoriæ Eminentissimo Cardinali Morozzo Novariensi Episcopo editas et nostris et alienis putamus posse congruere. Et revera plurimi ha-

tandi. Uno verbo id unum curavit tenuitas mea, ut Studiosis Juvenibus, qui mihi semper cordi fuerunt, nihil deesset ad eorum instructionem atque profectum. Huic desiderio non omnino me defuisse (1), opusque meum haud ingrate fuisse exceptum, vel ex eo patet, ni fallor, quod brevissimo tempore sex editionum exemplaria omnia elapsa sint, licet plurima; quin tamen interea cessent expostulari quotidie (2).

Novam idcirco editionem libenter aggredior bonam in spem elatus fore, ut hanc quoque, quæ nova quasi veste induta in medium prodit, benigne sint excepturi Christianæ Ethices amatores. Etenim non solum in ea habentur alia clarius explicata, alia in melius reformata: maculæ quæ irrepserant abstersæ, menda quæ effugerant castigata; sed plura inveniuntur de novo disputata, notæ plurimæ ad praxim maxime spectantia adjectæ, demum novæ leges, nova decreta, ac præcipue monita præclarissima, quæ Immortalis ac Feliciter Regnans Pontifex suis Encyclicis dabat, locis propriis diligenter exhibita. Quod quidem in cæteris quoque editionibus me facturum polliceor quoad Deus dederit; sacer est enim mihi Magni Pii hortatus, ut nempe pergam quo cæpi animo atque labore.

Aliud accedit: cum nempe compererim Opus hoc meum in finitimas etiam Ditiones fuisse diffusum, ea de causa non abs re esse duxi, si ad singulos quos proferre opus erit articulos Codicis Albertini *maxime Civilis,* fiat simul (ubi res tulerit) collatio respondentium articulorum etiam Codicis Civilis Generalis Austriaci, Galliæ, Siciliarum, Parmæ, Status Ecclesiastici, Mutinæ atque Hetruriæ. Dixi *maxime civilis;* quando enim res postulaverit, Codicis etiam tum *Pœnalis* tum *Commercii* tum *Procedurœ,* ut dicunt, ratio habebitur.

Sed præfari plura quid prodest? Lubenti ergo animo accipe, benevole Lector, qualecumque opus hoc meum, quod comitati tuæ commendo. Sed potissimum omnia et singula in eo contenta Supremo Sanctæ Apostolicæ Sedis Judicio humillime et ex præcordiis submitto, probans quæ Ipsa probaverit, et ab Ipsa reprobata condemnans.

bentur etiam apud exteras Diœceses, nec caro cum laude citari solent. — *V.* Abrate, *Lo spirito del Parroco.* Roma 1840.

(1) Plura etiam vulgata sunt sapientum judicia, qui Opus hoc laudibus exornare non dubitarunt. — *V.* Il Cattolico, *Giornale Rel. Lett.* Lugano, vol. XXV, p. 21; XXVI, p. 105. — L'amico Cattolico, *Gior. Rel.* Milano, vol. XI, p. 297. — Courrier des Alpes, *Journal de la Savoie* et *des États Sardes*, 19 févr. 1846, n. 22. — Ami de la Religion, Paris vol. CXXXI, pag. 797, 31 décembre 1846. — *Annali delle Scienze Religiose*, vol. V, fascisc. 13. Roma 1847. — *Civiltà Cattolica*, vol. VI, pag. 580, 1851. — *L' université Catholique, recueil religieux* ecc., an. 1855, n. 118. Paris. — L' *Armonia, anno* 1856, 23 agost. n. 195, Torino.

Accedit quod, cum obtulissem unum Operis hujus Exemplar tunc Regnanti Pontifici Gregorio XVI, Is mihi scribere dignatus est sub die 9 maji 1846, se illud *lubentissimo animo excepisse, meque vehementer in Domino commendare, quod in Ecclesiasticæ juventutis utilitate procuranda studuerim.* Sed omnium vicit expectationem singularis humanitas Regnantis Pontificis Maximi Pii IX, qui non solum scopum et laborem meum *summopere commendavit;* sed mihi veniam fecit, ut tertiam hujus Operis editionem suo Amplissimo Nomine decorare potuerim.

(2) Præter editiones, quæ in Belgio, in Gallia, in regno Siciliæ, in Hetruria, et alibi excusæ fuerunt.

MONITUM EDITORIS.

In duobus editionibus præcedentibus ajebamus:

Præter generalem difficultatem quæ per totum Scavini opus serpit, suprimendi scilicet ea quæ juxta jus civile Sardiniæ sunt, alia accedit in sexto tractatu in quo auctor omnibus fere quæsitis per jus tantum civile respondet.

Cum hujusmodi jus in Hispania nullius sit roboris, hunc perutilem imo et necessarium relinquere, ut jacebat, nobis congruum minime visum est, sed his quæsitis vel juxta jus hispanum respondere vel responsionem juxta jus canonicum et Romanum, quod ipsa ratio scripta apellatur, apponere. Primum maximas continet difficultates, quarum non minima est quod in Hispania proprie loquendo non adest Codex civilis generalis, sed adsunt quamplures Provinciarum codices particulares. In nostra Cathalaunia v. g. ut videre est apud Dou tom. 1, p. 76 jus constituitur 1.°, ab omnibus dispositionibus posterioribus decreto, cui nomen Nova Planta; 2.°, ab hoc decreto per Philippum quintum dato Cathalauniæ, anno 1716; 3.°, a Principatus constitutionibus cum suis usibus atque moribus; 4.°, a jure canonico; 5.°, a jure communi civili aut Romano; 6.°, a variorum auctorum doctrina. Unde si secundum jus generale hispanum respondere deberemus, etiam codices ac mores provinciales, privilegia aliaque subnectere, quod prorsus difficile ac hujus operis alienum esse judicavimus.

Censuimus ergo secundum modum sequi, item adjungere doctrinam S. Ligorii, Benedicti XIV, Bouvier, Gury, etc., prout nobis opportunum videatur et rei natura expostulet, tum ob universalitatem, tum ob auctoritatem ipsius in Confessario; imo aliquando ipsam dispositionem civilem in medium afferemus.

In hujusmodi laboris confectione hæc præ oculis habuimus; nec novas quæstiones introducere, nec quas auctor juxta Sardiniæ jus civile tantum pertractat, secundum regulas stabilitas haud pertractare. Denique Scholia nostra ut ab Scavini scriptis discernantur, his signis (**) (*) circunscripta distinguentur, in fine, cujus auctoris et loci sit responsum, annotantes.

Sollicitudo quam Auctor impendit ne opus suum dispositionibus civilibus careat, quæ magis theologo morali convenire possunt, hoc beneficium protendens ditionibus omnibus, ad quas facillime pervenire poterat, nobis animos adjecit nuper appositam viam prosequendi in præsenti editione. Quapropter, improbum laborem aggredientes promulgandi hanc novam et integram tanti operis editionem, juxta postremam ab Auctore publicatam, eamdem insequemur methodum, adnotationes circa jus Hispaniæ iterum apponemus, plurimas ab Auctore additas italice in hispanum transferemus, et in omnibus dignam esse gratia et æstimatione, quæ duabus præcendentibus est tributa, toto zelo curabimus.

QUÆSTIO PROLEGOMENA

AC

TOTIUS OPERIS PARTITIO.

Q. 1. *Quid est Theologia Moralis?*

R. Theologia Moralis, si ipsum per se vocabulum inspiciamus, est illa Theologiæ pars, quæ circa mores versatur (1): quemadmodum enim ea, quæ disputat circa Fidei dogmata, *Theologia Dogmatica* appellatur, et qui illi vacant, *Dogmatici;* ita hæc quæ hominum mores considerat, *Theologia Moralis,* et qui illi dant operam, *Moralistæ* vocantur. Ipsa vero moralis Theologia ratione rei definiri potest: *illa disciplinæ Theologicæ pars, quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordinem ad vitam æternam.*

Dicitur 1: *quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit.* Quibus verbis habetur objectum Theologiæ nostræ, tum *materiale,* circa quod nempe ipsa versatur, et sunt actiones humanæ in se spectatæ; tum *formale,* nempe ratio sub qua ipsum materiale objectum attingit, et est ipsarum actionum dirigibilitas ad honestatem. Dirigit autem mediis tutissimis ac sibi propriis, quæ sunt:—1 *Scriptura,* in ea enim Dei verbum continetur falli ac fallere nescium;—2 *Sancti Ecclesiæ Patres,* qui nobis dati sunt *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi* (2);—3 *Decreta summorum Pontificum,* qui sunt *totius Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patres, atque Doctores* (3);—4 *Concilia,* quorum auctoritas patet ex illis Domini verbis: *ubi sunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum* (4);—5 *traditio constans et firma,* cum error stabilitatem nesciat (5);—6 *jus tum canonicum tum civile;* cum ideo lata fuerint, ut essent

(1) Notum est præter generales Theologiæ divisiones tum in naturalem et supernaturalem, tum in dogmaticam seu speculativam, et moralem seu practicam; tum in positivam et scholasticam; tum in polemicam seu disceptatricem, alias speciales adsignari ad accuratioribus tractatoribus, habita ratione objecti specialis, quod suscipitur investigandum. Sic distinguitur Theologia *mystica, ascetica, exegetica, patristica, casuistica, symbolica, liturgica, synodica, homilitica, catechetica, historica:* prout vel dona mysteriosa et supernaturalia; vel perfectionis exercitium et media edocet; vel Scripturæ sensum investigat; vel ex scriptis Patrum argumenta eruit; vel Casuistarum rationem sequitur; vel symbola aut liturgiam, aut concilia evolvit; vel de homilia, aut catechesi, aut historia tractat.— *V.* Muzzarelli, *Buon uso della logica,* Opusc. IV: *teologia.*

V. Bouvier, *Institutiones Theol.* ad prolegomena, ubi historiam quoque totius Theologiæ pressius enarrat.— Perrone, *Prælectiones Theologiæ...* in compendium ab eodem redactæ: V. 1: historiæ Theologiæ cum philosophia comparatæ synopsis.

(2) Ephes. 4. (3) Concilium Gener. Florentinum. (4) Matth. 18.

(5) Huc revocatur sacra Liturgia, quæ traditionis et Ecclesiæ fidei testis est: *V.* Knoll, *Institutiones theologiæ theoreticæ* v. 1: introductio.— Bouix, *De Jure liturgico.*

totidem morum atque judiciorum regulæ;—7 *auctoritas Theologorum;* nam in quacumque arte peritis credendum est;—8 demum *ratio,* tam prout a natura nobis indita est, et dicitur *naturalis* (1); quam prout est principiis Theologicis imbuta, et dicitur *Theologica.* Utriusque vero magna auctoritas est, si debito modo sumatur; cum ipsius rei viscera quodammodo scrutetur (2). Hæc sunt loca Moralis Theologiæ: ne tamen in iis interpretandis occurrat abusus, tyrones nostros mittimus ad eruditissimum P. Zachariam S. J. in sua *Dissertatione Prolegomena* (3).—Quæ media cum illis quidem convenire videntur, quibus cæteræ Theologiæ partes utuntur; re tamen discrepant, cum aliæ credenda, nostra vero quæ sunt agenda, respiciat (4).

Dicitur 2: *in ordinem ad vitam æternam;* hæc enim omnium rerum consummatio est. Unde si finis *proximus* disciplinæ nostræ est honestas in mores inducenda; finis *ultimus* erit ipsa consecutio felicitatis æternæ. Qui enim *se per bona opera exercet,* dicente S. Gregorio, *restat ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat; et nequaquam se a vitiis pro hujus mundi honestate contineat* (5).

Q. 2. *Quomodo universa Moralis Theologia dividitur?*

R. Cum tota Theologia Moralis versetur circa actus humanos, cumque in omni actu humano considerandæ se nobis offerant: *causæ,* quæ ipsum efficiunt et constituunt: *regulæ,* quæ ipsum dirigunt: demum *motiva,* quæ ad ipsum movent atque alliciunt; idcirco divisio hæc divisionem suppeditat totius nostræ Theologiæ Moralis.

Primo a *causis* incipiendo, quæ actum humanum vere constituunt in suo esse tum physico tum morali, nobis occurrunt *intellectus* et *voluntas,* ad quam accedit *libertas* et *moralitas.*—Et en prima Disputatio, quam tamen cum aliis inscribimus: *De actibus humanis.*

Secundo progrediendo ad *regulas,* quæ humanum actum moderantur, illæ nobis suppeditant Disputationem *De Conscientia* tamquam regula prima humanorum actuum directrice. Sicque habetur 1us Tractatus: *De Actibus humanis ac de Conscientia.*—Regula proxima et interna ad remotam et externam cito nos ducit, quæ *lex* est; ideoque sequitur 2us Tractatus: *De legibus,* cui quidem disputationi sponte quasi sua accedit altera: *De præceptis Ecclesiæ,* quibus speciatim Christianorum mores informantur.—Jam vero tam a conscientiæ dictamine, quam a legibus peculiaria quædam officia oriri videmus, quibus Christianus in quolibet statu obstringitur. Ex quo prodit 3us Tractatus: *De obligationibus particularibus.*

Tertio ad *motiva* pervenientes, quæ actum humanum provocant et alli-

(1) Hac utitur singulari modo D. Thomas. V. *Commentarius apologeticus de usu philosophiæ in Theologicis D. Thomæ Operibus* Fr. D. Th. Valfredi Genuæ 1777.

(2) *V.* Amico Cattolico, *Giornale Religioso.* Milano, tom. XI, Art. *Dell' uso della ragione in materia di Religione.*— Bergier, *Dizionario* V. Ragione.— Riccardi, *Andiamo alla fede colla ragione.*— *Annali Relig.* Ser. 2, vol. IX.

(3) Extat sub initio Theologiæ S. Alphonsi, Edit. Taurinensi, typ. Marietti, qui aliam nunc Editionem confecit, quæ est omnium accuratior continens quidquid Sanctus in cæteris addidit, reformavit, vel explicavit (*Edit. Stereotyp.*, 2 tomus).

(4) *V.* Zacharia laudatus.— Stapf, *Theologia Moralis in Compendium redacta,* ed. sexta, Œniponti, tom I, *Indoles Theologiæ Moralis.*

(5) Hom. 13 in Evangel.

ciunt, agendum est primo de iis motivis, quæ actum provocant ad malum, et sunt vitia et peccata. Sicque erit 4us Tractatus: *De peccatis*, cui adjungetur Disputatio de pœnis, quibus quædam peccata graviora ab Ecclesia puniri solent, nempe *de Censuris*. Secundo agendum est de iis, quæ actum humanum provocant ad bonum.

Sed cum bonum duplicis sit ordinis: naturalis et supernaturalis, tractandum prius de iis, quæ provocant ad bonum in *ordine naturali:* et sunt virtutes morales, præsertim Religio ac Justitia. Erit igitur 5us Tractatus: *De Virtute Religionis;* et 6us *De Virtute Justitiæ,* cui addimus 7m, *De Restitutione*, quæ ex ipsius justitiæ violatione oritur. Ne quid autem desiderandum remaneat, brevem ibi adstruemus Appendicem, *De Justitiæ Filiabus, ac cæteris Virtutibus Cardinalibus.* Inquirendo autem motiva, quæ actum alliciunt ad bonum in *ordine supernaturali*, occurrunt virtutes Theologicæ ac Sacramenta. Erit ergo 8us Tractatus: *De Virtutibus Theologicis;* et Tractatibus 9°, 10°, 11° et 12°, materiam omnem *de Sacramentis* tum *in genere*, tum *in specie* complectemur. Atque sic tandem, Deo opitulante, Theologiæ Nostræ dabimus finem.

Q. 3. *Quanta est Moralis theologiæ necessitas, et quæ præcipuæ ejus dotes in studioso?*

R. Non omnes Ecclesiasticos oportet esse magnos oratores, præclaros doctores, eruditos historicos; omnes tamen morali Theologia valde instructi esse debent, cum hæc ars Ecclesiasticorum omnium sit: secus quomodo poterunt rite Sacramenta ministrare, et salutis scientiam edocere? hinc doctus Mabillonius: *moralis Theologiæ studium præ aliis excollendum... huic quamdiu vivitur, omnino danda erit opera* (1). —In studioso autem, ne inaniter laboret, requiritur præcipue *rectus finis,* nempe ut quærat quæ sunt Dei, non quæ sua sunt: *vehemens studii amor*, hic enim est vehiculum scientiarum omnium; *frequens oratio ad Deum*, a quo omnis scientia est. Hinc S. Nilus ajebat: *si es theologus, vere orabis; si vere oraveris, theologus vere eris* (2).

MONITUM PRIMUM.

Ne quis inter Tyrones nostros animo perturbetur ad quasdam voces scholasticas quæ sæpius occurrent, juverit sub initio una vice pro omnibus animadvertere, quod sicuti in Philosophia, in Jurisprudentia, in Medicina, cæterisque scientiis omnibus, ita et in Theologia quædam fuere jampridem inducta breviora vocabula, quæ ex tacita quadam Auctorum conventione vim habent significandi, et communi eorum consensu adhibita sunt ad evitandas longiores verborum circumlocutiones: *thecnica* (id est *propria alicujus scientiæ vel artis*) a Græcis appellantur. Cum porro eorum usus in Scholis sit antiquissimus, cum scriptorum et doctorum omnium auctoritate innitantur, cum denique ubi semel fuerint bene percepta, in proprium finem mirifice inserviant; injustus profecto esset et irrationalis quicumque vellet eadem rejicere et aspernari. Ita igitur habenda sunt, ut valeant erosorum

(1) *De studiis monas.* p. III, c. 2. (2) *V.* Riccardi, *Pratica, de' buoni studi.*

nummorum instar, nempe explicari debent ubi sit opus; rejici tamen non debent umquam.

Novitatum amatores in *Thecnologia Scholastica* audiant celeberrimum Canum (l. 2, de Loc. Theol.): *Scholæ propria verba peculiaresque loquendi formas submovere non audeo; nam etsi disputare cupio ornatius, quam solent nostri; at non debeo tamen labores duos afferre theologis, unum in rerum, alterum in verborum intelligentia.* — Vid. E. Avogadro, *Saggio intorno al socialismo* ecc. vol. II, Torino tip. Speirani 1854.

Thecnicorum vocabulorum vim explicant passim AA. — Sic quoad vocabula maxime liturgica V. Macri. *Notizia dei vocaboli ecclesiastici.* — Quoad nomina in Theologicis disputationibus a veteribus, et præcipue a D. Thoma consecrata, V. Zama Mellini, *Lessico peripatetico.* Item *Lexicon philosophiæ peripateticæ* auctore Nuntio Signoriello. Neapoli 1855. — Quoad verborum significationem in re canonica atque civili V. Vicat, *Vocabolarium juris utriusque.* — Quoad voces a græca lingua mutuatas V. Marco Aurelio Marchi, *Dizionario Tecnico-Etimologico-Filologico.*—Quoad proverbia quæ sunt in usu, V. *Adagia quæcumque, Pauli Manutii studio* etc.; labor a Tridentinis Patribus Manutio mandatus. Hic etiam non parum inservit tum Opus, *Bergier, Dizionario enciclopedico della Teologia, della Storia della Chiesa* ecc. ecc.: tum Opus, *Lucii Ferrari, Prompta Bibliotheca canonica, juridica, moralis,* etc. quod studio RR. PP. Montis Cassini a mendis expurgatum, atque additionibus adauctum nuper impressum est; tum opus, *Dizionario delle origini, invenzioni, scoperte* ecc. Milano, Livorno.

MONITUM SECUNDUM.

Adnotationes quæ magis ad ornatum pertinent, atque casus singulares respiciunt, et hodiernam maxime praxim, in fine cujuslibet Tractatus sub totidem alphabeti litteris ponimus, ut ita Doctrina nostra majori gaudeat unitate et sub uno veluti obtutu facilius tota conspiciatur. Quod si plures citamus Auctores, id non est ad vanam ostentationem, sed ut purissimos fontes indicemus iis, qui cupiunt materiam aliquam undequaque excutere, ac pensitare.

TRACTATUS PRIMUS

DE

ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA.

DISPUTATIO PRIMA

DE ACTIBUS HUMANIS.

Q. 1. *Quid est actus generatim et quotuplex?*

R. Ad 1: actus generatim acceptus nihil est aliud, quam *animi motus*. Homo nempe vi quadam motrice sibi propria aliquos efficit motus tum internos et in se ipso, tum externos et in corpore, quorum principium est semper ejusdem anima. Hinc D. Augustinus actum charitatis vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum* (1).

R. Ad 2: actus qui ab homine fiunt, triplicis generis distinguuntur, inspecto triplici modo, quo fieri possunt. — Alii videlicet fiunt ab homine mere naturaliter, quatenus nempe est animal simpliciter, uti est respiratio. Et isti dicuntur *actus mere naturales*, seu *organici;* suntque homini cum belluis communes: unde per se nullo modo ad mores pertinent. — Alii fiunt quidem ab homine, quatenus est animal rationale, non tamen ab eo fiunt agente modo rationali, id est per intellectum et voluntatem, ut est actus, quo quis sine ulla mentis advertentia ridet, loquitur, vel frontem sibi palpat (2). Et isti dicuntur *actus hominis*, *actus indeliberati*, vel etiam *actus* aut *motus primo-primi:* qui pariter nihil referunt ad mores. — Alii denique fiunt ab homine agente ut homo est, seu prout a brutis distinguitur, cum debita nempe advertentia mentis et voluntatis deliberatione. Quia vero isti soli actus libere et determinate producuntur et soli capaces sunt bonitatis vel malitiæ, ac digni præmio vel pœna, idcirco ii soli *a Theologis in Schola*, duce Angelico Præceptore, nuncupantur *actus humani;* ad rem enim habet: *actionum, quæ ab homine aguntur, illæ solæ proprie dicuntur* humanæ, *quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ*

(1) L. 3, *de Doct. Christ.* cap. 10.

(2) Huc spectant actus illorum, qui rationis usu vel exercitio carent, ut pueri, dormientes, deliri. Item actus illorum, qui subito iræ impetu trahuntur, non advertendo.

actiones proprie vocantur humanæ, *quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones proprie* humanæ *dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem* hominis actiones, *sed non proprie* humanæ; *cum non sint hominis in quantum est homo* (1).

Diximus *a Theologis in Schola:* nam actus humanus, si philosophice ac generatim spectetur, definiri potest: *actus ab homine procedens ex intellectus cognitione, et voluntatis motu.* Ponimus *voluntatis motu,* ut indicemus actum humanum in genere haberi, quocumque modo voluntas moveatur, etiamsi necessario. Hoc sensu et actus visionis beatificæ et actus quo quis suam in genere beatitudinem prosequitur, licet necessarii, sunt actus humani; cum oriantur ab illis facultatibus, quibus homo a belluis distinguitur, id est prælucente intellectu, et appetente voluntate.

Verum cum hic a nobis non considerentur humanæ actiones, nisi prout legi directivæ subjectæ sunt, atque ad mores pertinent; ideo merito uti tales eas tantum habemus, quæ a voluntatis consilio ac deliberatione procedunt, sive a libero nostro arbitrio, quod quidem fundamentum est imputabilitatis. Hinc illud D. Thomæ: *ibi incipit genus moris ubi primo dominium voluntatis invenitur* (2); et iterum: *idem sunt actus humani et morales* (3). Et sub hoc respectu, ait Antoine, *sunt quasi synonimæ voces* humani, morales, liberi. Ex quo patet ad actum humanum tria requiri, intellectum, voluntatem et libertatem.

Q. 2. *Quotuplex est actus humanus proprie dictus?*

R. Actus humanus proprie dictus dividitur: — 1 *in interiorem* qui nullo signo externo patescit, et in *exteriorem* qui aliquo modo panditur etiam exterius (4); — 2 in *bonum* et *meritorium*, in *malum* et *demeritorium*. Bonus et meritorius consonat cum recta ratione et lege. Malus et demeritorius ab iisdem discordat.

Actus bonus et meritorius duplex enumeratur: *naturalis* et *supernaturalis*. — Primus est qui poni potest solis etiam naturæ viribus, et ideo aliquod præmium temporale mereri: uti est in ipsis infidelibus amor parentum, miserorum commiseratio etc. Hinc *benefecit Deus obstetricibus* Ægyptiacis, quæ naturali misericordia motæ conservabant mares Hebræorum contra iniquum regis præceptum (5). — Alter totus innititur auxilio divinæ gratiæ, et præmium meretur supernaturale, uti sunt actus fidei, spei et charitatis theologicæ.

Iterum actus bonus meritorius duplex distinguitur, *meritorius* nempe *de*

(1) 1, 2, q. 1, a. 1. (2) In 2, D. 24, q. 3. a. 2. (3) 1, 2, q. 2, a. 6.

(4) «Llámanse actos *internos* mientras quedan dentro de nosotros mismos: tales son nuestros pensamientos, nuestros deseos, nuestros sentimientos, antes de manifestarlos por medio de la palabra ó por otra cualquiera señal. Los actos *esternos* son los que salen fuera, como nuestros discursos, nuestros pasos, y en general todo aquello en que el cuerpo toma parte en nuestras acciones. Esta distincion es muy importante para el canonista, puesto que los actos puramente internos, por criminales que sean, no están sujetos á las penas eclesiásticas. *De internis non judicat Ecclesia.*» Ita Gousset, *Teologia Morale per uso de' parrochi e confessori*, Vol. 1, n. 2.

(5) Exodi 1.

condigno, cui merces debetur ex justitia; et *meritorius de congruo*, cui non debetur merces, nisi ex quadam decentia. Sic v. g. militi strenue bellanti stipendium debitum est de condigno; aliquod vero præmium, nonnisi de congruo.

Q. 3. *Quænam et quot sunt principia actuum humanorum?*

R. Principia actuum humanorum dicuntur ea veluti elementa, ex quibus actus ipsi conflantur, et in natura sua constituuntur. Jam vero in quolibet actu humano tria consideranda se se nobis exhibent, nempe *causæ*, *regulæ*, atque *motiva*. Patet idcirco tria esse actuum humanorum principia: 1 *efficientia*, et sunt intellectus (1) et voluntas, quibus necessario conjunguntur libertas uti fundamentum, et moralitas uti effectus; 2 *dirigentia*, et sunt conscientia et lex; 3 *allicientia*, et sunt vitia atque virtutes.

CAPUT PRIMUM

DE VOLUNTATE EJUSQUE ACTIBUS ET IMPEDIMENTIS.

Q. 1. *Quid est voluntas?*

R. Voluntas definiri potest: *illa animi nostri facultas, quæ propositum ab intellectu bonum sectatur, vel malum aversatur.* Ut perspicue hæc definitio intelligi possit, sciendum est duplicem in homine esse facultatem, unam nempe *cognoscentem*, alteram *appetentem*. Facultas cognoscens appellatur *mens* vel *intellectus*, et ejus officium est res, ut in se sunt, percipere atque cognoscere. Facultas vero appetens dicitur *voluntas*, et officium ejus est exhibitum sibi a mente seu ab intellectu bonum appetere, et malum aversari. — Clarius res explicabitur si dicatur: unus idemque hominis animus, prout rem nude et simpliciter percipit, *intellectus* nomine designatur; prout in eam tamquam sibi bonam inclinat, vel ab ea tamquam sibi mala refugit, dicitur *voluntas*. Cum vero nihil appeti possit aut amari uti bonum, nihil abominari aut odio haberi uti malum, nisi idem prius sit cognitum, quia ex vulgari adagio *voluntas non fertur in incognitum*, et *ignoti nulla cupido;* idcirco in voluntatis definitione fit mentio intellectus, tamquam illius facultatis, quæ bonum vel malum voluntati ipsi proponit *(A)* (2).

Duplex autem distinguitur actus voluntatis: unus qui perficitur a voluntate ipsa absque adminiculo alterius facultatis, ut est odium, amor, volitiones et nolitiones pure internæ, et dicitur actus *elicitus* seu *immediatus*. Alter qui procedit quidem a voluntate, sed complementum non habet, nisi per ministerium facultatis alterius, dependenter tamen ab ipsa voluntate, ut est meditatio, ambulatio, et dicitur actus *imperatus* seu *mediatus;* quia nempe perficitur quidem a voluntate, sed, mediante alia facultate sive in-

(1) De intellectu disputant philosophi.

(2) Diligentissime cavendum est, ne duæ hominis facultates, intellectus nempe atque voluntas simul una confundantur; sunt enim omnino diversæ et essentialiter a se invicem discriminatæ: «Hegel identificó la voluntad humana con el entendimiento, y de este modo destruyó la libertad, el mérito y el demérito en las acciones humanas. V. *Saggio intorno al Socialismo, ed alle dottrine e tendenze socialistiche.* Torino 1851.

teriori, uti sunt intellectus, phantasia, memoria, sive exteriori, uti sunt membra corporis, atque sensuum organa: sic meditatio provenit a potentia interiori, id est intellectu; deambulatio vero a potentia exteriori, id est a potentia motrice corporis *(B)*.

Q. 2. *Quid est voluntarium?*

R. Quilibet motus voluntatis in rem aliquam per intellectum præcognitam, voluntarii nomine designatur. Sed Theologis communiter cum Angelico illa semper arrisit voluntarii definitio, quam tradidit Aristoteles: *voluntarium est id, quod procedit a principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio* (1). Dicitur 1 *a principio intrinseco*, idest ab intellectu et voluntate; hæc enim sunt principia interiora hominis agentis; 2 *cognoscente singula in quibus est actio*, nempe objectum, finem et circumstantias, quæ actionem comitantur; nam voluntas non fertur in incognitum. Hinc si quæ actionis circumstantia ab agente prorsus ignoretur, actio relate ad circumstantiam illam non erit voluntaria, hoc ipso quia non cognita. Sic si quis percutiat hominem ignorans eum esse Sacerdotem, reus quidem erit injustitiæ, non sacrilegii, quia sacram illam Sacerdotis qualitatem in homine percusso ignorabat.

Ex hac definitione patet voluntarium differre a naturali, spontaneo et volito; — 1 a *naturali*, quia licet naturale sit a principio intrinseco; est tamen sine prævia cognitione. Sic naturalis est sanguinis circuitio; — 2 a *spontaneo*, quia spontaneum est quidem a principio intrinseco et cum aliqua cognitione finis; sed materiali, imperfecta, et sine advertentia ad media illa, quibus finis ipse obtinetur. Sic ebrio spontanea est vini potatio, cujus finis ipsi aliquatenus quidem innotescit, non tamen uti talis; cum cæco quodam impetu tendat in vinum (2); — 3 a *volito* denique, quia volitum est voluntatis objectum, quod tamen a nullo omnino voluntatis ipsius influxu procedit. Sic v. g. pluvia est volita ab agricola, nec tamen dici potest eidem voluntaria; cum ea non sit in illius potestate.

Q. 3. *Quotuplex est voluntarium?*

R. Sex modis præcipue distinguitur voluntarium:

1. Aliud est *voluntarium necessarium;* et aliud *voluntarium liberum*, seu *contingens*. — Primum est illud, quod sic a voluntate proficiscitur, ut positis omnibus ad agendum præponendis, non possit non agere. Sic beati in cœlo Deum necessario diligunt: sic homo in terris necessario prosequitur felicitatem. — Secundum vero est illud, quod sic procedit a voluntate, ut positis etiam ad agendum præponendis, adhuc tamen possit non agere, si ita ei libuerit. Sic adolescens post parata omnia ad ludendum paranda, potest adhuc a ludo se abstinere, si velit (3).

(1) L. 3, *Ethic.* — Et S. Thomas, l. 2, q. 6, a. 1 et seqq.

(2) Ad tuendum dogma catholicum de hominis libertate contra Lutheranorum, Calvinistarum et Jansenistarum errores, attente et diligentissime retinere oportet differentiam, quæ est *spontaneitatem* inter et *libertatem;* neque putandum sermonem hic esse de verbis, cum ex adverso quæstio sit de re et doctrina momenti gravissimi.

(3) Ratio voluntarii perfectius reperitur in actibus necessariis, quam in liberis; quo enim fortior est amor, eo major propensio est. Unde S. Thomas q. 22, de verit. 2, a. 5 ait: *non pertinet ad impotentiam voluntatis, si naturali inclinatione de necessitate in aliquid feratur, sed ad ejus virtu-*

2. Aliud est *voluntarium perfectum*, et aliud est *voluntarium imperfectum*. — Voluntarium perfectum est illud, quod procedit a voluntate cum perfecta cognitione, qua rationes boni et mali innotescant: sive quod fit ex plena cognitione rei. Uti si quis perfecte sciens et volens carnes manducet die vetito. — Voluntarium imperfectum est illud, quod a voluntate procedit cum cognitione imperfecta, qua nempe clare non innotescant boni et mali rationes ad usum libertatis perfectum, sed imperfecte tantummodo. Tales sunt actiones hominis non perfecte vigilis, sed semidormientis.

3. Aliud est voluntarium *actuale* (seu *formale et explicitum*); aliud *virtuale et implicitum*; aliud *habituale*; aliud *interpretativum*. — Voluntarium actuale est illud, in quod immediate ac directe voluntas hic et nunc fertur. Sic voluntaria actualiter mihi est, v. g. hæc mea responsio ad quæsitum propositum. — Virtuale et implicitum est actus voluntatis jam quidem præteritus, qui tamen in aliqua re, quæ humano modo fiat, moraliter perseverare censetur tamquam in suo effectu (1). Sic. v. g. in viatore, qui *cupit optatam cursu contingere metam*, passus singuli quos movet ad illam, sunt ipsi virtualiter et implicite voluntarii, etiamsi ad singulos non attendat, imo iter agens de rebus omnino diversis cogitet. Ratio est, quia passus illi proficiscuntur a voluntatis actu, quo viator ab initio voluit iter ad metam illam suscipere. — Habituale est actus voluntatis præteritus, qui tamen non perseverat in aliquo sui effectu, qui fiat humano modo. Sic Principi etiam dormienti voluntaria hoc sensu est pugna, quam vigilans militibus indixit, si mandatum non retractaverit. — Demum interpretativum est, ut ita dicam, quasi inclusus et delitescens consensus: sive est actus voluntatis, qui nec est, nec fuit, sed esset utique si haberetur aliqua cognitio, quæ hic et nunc deest. Sic si ego quid tollam de facultatibus amici mei animo restituendi, probe sciens, si ipse adesset, certe mihi commodaturum quod sumo, hæc acceptio esset amico meo voluntaria interpretative (2).

4. Aliud est *voluntarium simpliciter*, aliud vero est *voluntarium secundum quid*. — Voluntarium simpliciter, quod dicitur etiam *plenum*, procedit a plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia. Sic v. g. actu simpliciter voluntario adolescens ad animi sui solatium vult ludum; cum possit etiam aliud solatii genus sibi eligere, v. g. deambulationem. — Voluntarium secundum quid, seu non plenum provenit quidem a voluntatis consensu, sed conjunctam semper habet aliquam ipsius voluntatis repugnantiam. Sic v. g. actu voluntario secundum quid nauta, urgente periculo naufragii, projicit merces suas in mare: actus iste ex una parte est voluntarius, quia nauta ita se gerit ad salvandam vitam; sed ex alia parte repugnantiam aliquam includit, quia si posset, merces servaret sibi libenter.

5. Aliud est *voluntarium expressum*, aliud *tacitum*; aliud *directum* seu *positivum*, aliud *indirectum* seu *negativum*. — Expressum est quod distincte

tem; sicut grave tanto est virtuosius, quanto majori necessitate deorsum fertur; pertineret autem ad ejus infirmitatem, si ab alio cogeretur... Necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis. Voluntarium tamen in Scholis regulariter sumitur pro libero.

(1) Voluntarium actuale dicitur *voluntarium in actu signato*; voluntarium vero virtuale *voluntarium in actu exercito*. *V.* Basæus, *Florum Theologiæ practicæ Compend.*

(2) Ex quo patet, voluntarium interpretativum non esse veri nominis voluntarium.

declaratur: ut si quis interrogetur an velit, et respondeat *volo;* tacitum est quod ex facto aliquo, vel ex facti omissione colligitur: ut si rogem te, ut meum munus accipias, et ipse taceas: tuum silentium pro tacita assensione habetur (1). — Directum est a voluntate aliquid vere agente; indirectum est a voluntate simpliciter permittente. Vel clarius cum Gousset: «El voluntario es *directo*, cuando el acto es voluntario en sí mismo; cuando la voluntad se conduce directamente, sin mediacion á un tal acto: por ejemplo; el homicidio en un hombre, que queriendo la muerte de su enemigo, se la ha dado por su propia mano ó le ha hecho matar. El voluntario es *indirecto* cuando el acto no es voluntario sino en su causa, y tiene lugar cada vez que se prevé que ha de resultar tal ó cual efecto del acto, que el hombre se propone hacer ó de un paso que se da voluntariamente. Este efecto por haber sido previsto se hace voluntario indirectamente en el que obra ó en el que deja de obrar, si estaba obligado á ello. Así por ejemplo las blasfemias, las injurias proferidas en estado de embriaguez, son voluntarias indirectamente en el que se ha embriagado voluntariamente y sin sorpresa, previendo, de una manera mas ó menos distinta, que cuando está embriagado está sujeto á blasfemar ó dejarse llevar de la ira.»

Q. 4. *Quid requiritur, ut actio vel omissio sit voluntaria?*

R. Ut actio vel omissio sit voluntaria, sufficit ut aliquo modo a voluntate profluat: idest sufficit, ut aliquid sit voluntati propositum, ac illud voluntas velit vel respuat. Hinc deducitur ad omissionem vel actionem voluntariam præcise sumptam non requiri, ut res præcepta sit, præceptum enim actus voluntarios dirigit, non efficit: v. g. occurrente mihi auditione Missæ feriali die, si eam omittam ut studio vacem, vel audiam, illius omissio vel auditio voluntaria mihi est, quin tamen sit præcepta vel prohibita.

Quid vero (quæres) *requiritur, ut actio vel omissio sit etiam culpabilis?* Ut actio vel omissio sit non solum voluntaria, sed etiam culpabilis, requiritur: — 1 ut quis agere potuerit vel ab actione se abstinere: *quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* (2) — 2 ut debuerit agere vel se abstinere ab actione; nullum enim peccatum est, quod non sit contra legem aliquam, juxta illud: *ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (3). Sic in supra allato exemplo, si Missam libere omittam festo die, ejus omissio est etiam culpabilis; cum sit contra præceptum. Sicut est culpabilis mea actio, si festo die sine legitima causa operibus servilibus vacem, cum id ecclesiastica lege vetitum sit.

Q. 5. *Quid requiritur, ut effectus ex actione vel omissione proveniens sit voluntarius?*

R. Ut sit nobis voluntarius effectus alicujus actionis satis est, ut sit vel in se intentus, vel ut cognoscatur ex propria actione directe procedere; ubi

(1) Hinc regula juris in 6, n. 43: *qui tacet, consentire videtur.* Hoc tamen intelligendum de iis, in quibus dissentire tenemur; secus valet alia regula: *is qui tacet, non fatetur.* «El silencio, por ejemplo, que se observa oyendo maldiciones y blasfemias, no siempre debe tomarse como una señal de aprobacion: muchas veces en tales circunstancias se calla por prudencia ó para evitar un mal mayor.» Gousset.

(2) S. Augustinus, l. 3, *de lib. arb.*, c. 18, n. 50. (3) Rom. 4.

enim quis vult causam, censetur etiam velle effectum, quem ex ea causa scit esse secuturum, licet eum non intendat. Sic qui longum et asperum iter pedibus aggreditur, est ei voluntaria defatigatio, etsi eam haud intenderit; cum hæc sit naturalis illius itineris effectus.

Ut vero sit voluntarius effectus omissionis requiritur insuper, ut sit obligatio illum impediendi, prout communius docent cum Billuart (1); quia nulla adsignari potest ratio, cur in voluntatem tamquam in causam refundatur effectus omissionis sine tali obligatione; cum simplex negatio in actionem non influat. — Hinc Deo voluntaria non sunt peccata hominis; quia licet possit, non tamen tenetur ea impedire. Et quamvis omissio illa sit voluntaria, non inde tamen est voluntarius ille omissionis effectus; cum nulla sit inter utrumque necessaria connexio. Neque enim peccata a voluntate Dei proveniunt, ut a principio intrinseco; sed ab hominum perversitate. — Hinc dum ego v. g. omitto separare duos rixantes, occisio inde secuta neque a mea voluntate neque a mea omissione causatur, sed a gladio occisoris. — Item quando nauta omittit gubernare navim, neque ejus voluntas, neque ejus omissio submergit navim, sed tempestas. Ut ergo talis effectus refundatur in voluntatem ut in causam, et dicatur interpretative voluntarius, debet adsignari aliquid, quo fit, ut pertineat aliquo modo ad voluntatem: at aliud adsignari non potest, nisi præceptum effectum illum impediendi; ergo sine tali præcepto non erit nobis voluntarius effectus ex omissione nostra proveniens.

Quid (quæres) *requiritur, ut actus ex actione, vel omissione proveniens sit etiam culpabilis in causa, seu voluntarius moraliter?*

Ut actus ex actione vel omissione proveniens sit non tantum voluntarius, sed etiam culpabilis, tria hæc requiruntur:

1. Ut agens teneatur causam illam auferre vel omittere; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (2). Nemo autem tenetur causam auferre, cum illius ponendæ jus habet repositum in necessitate vel utilitate, quia *prosequenti jus suum non imputatur effectus prater intentionem secutus.* Sic nulla culpa est in illo, qui dum ob propriam et aliorum utilitatem studet materiis sexti Decalogi præcepti, turpes quasdam patitur sui corporis perturbationes, dummodo illas voluntate sua aversetur, neque prudens adsit periculum eas approbandi; istis enim in casibus potius habetur passio, quam actio.

2. Ut agens talem effectum impedire possit; *quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* (3) neque *ad impossibilia datur obligatio.*

(1) Excipe, nisi forte omissio ordinetur per modum medii ad hunc effectum; quia tunc manifestum est, quod talis effectus esset directe intentus et volitus: consequenter directe et positive voluntarius: ut si quis eo fine, ut patiatur frigus, mortificationis causa, omittat accedere ad ignem; frigus est ipsi positive voluntarium, quia per se intentum et volitum.

Uno verbo, hic non agitur de omissione directe voluntaria, quando nempe actu omittens vult actu positive omittere. Sed de omissione indirecte voluntaria, quando scilicet aliquis advertens ponit actum incompossibilem cum actu qui omittitur: esset si quis v. g. audiat Missam mox esse celebrandam et possit eam audire (sed non teneatur), eligit tamen manere domi vel ludere; et absque eo, quod dicat *volo omittere Missam.* Billuart. Hæc tamen argumentatio aliis non placet, et contendunt obligationem impediendi requiri tantum ad faciendos effectus omissionis culpabiles; non vero simpliciter voluntarios, qui satis enascuntur ex voluntate simpliciter permittente.

(2) Rom. 4. (3) S. Augustinus, L. 3 *de lib. arb.*, c. 18, n. 50.

3 Ut qui ponit vel omittit causam, advertat saltem in confuso talem effectum ex causa illa secuturum esse; quia *nil volitum, quin aliquo modo sit præcognitum* (1). Nempe requiritur ex Angelico, ut eventus sequens sit *præcogitatus* (2), sive *prævisus et intentus,* ut ipse se explicat (3); tunc vero ait Sylvius, effectus censetur intentus non solum quando ex proposito intenditur, sed etiam quando sic prævidetur secuturus, ut potuerit ac debuerit impediri; tunc enim est indirecte voluntarius. Hinc si non imputatur Noëmo ebrietas, quia vehementissimam vini vim haud sciebat, ideoque nec poterat illam advertere; imputatur tamen Davidi scandalum ex ejus peccato profectum; fuit enim ab eo indirecte volitum, cum utique sciret omnium oculos in regem esse conjectos.—In foro tamen externo, cum animus inspici a judice non possit, res tota resolvitur ex communiter contingentibus; quæ enim communiter contingunt, prævisa censentur. Hinc ex lege civili proprietarius alicujus animalis tenetur absolute de damnis ab illo illatis; cum enim animalia cæco ductu ferantur, quisque scire debet ipsis esse continuo invigilandum (4).

Q. 6. *Quænam sunt voluntarii impedimenta?*

R. Ea omnia, quæ voluntatis motus vel impediunt vel minuunt vel quomodocumque lædunt, dicuntur voluntarii impedimenta, quatenus voluntatis actibus adversantur; eaque involuntarium constituunt. Porro involuntarium *proprie loquendo* definitur: *id, quod est aliquo modo contra inclinationem voluntatis.* Sic v. g. homini in carcere detento involuntaria est pœna illa, qua sua libertate privatur.

Diximus *proprie loquendo;* nam aliqui hoc nomen late accipientes confundunt involuntarium cum *non voluntario:* quæ duo, si stricte loqui velimus, omnino differunt inter se. Quia *non voluntarium* est id, quod voluntas simpliciter non vult, licet propriæ inclinationi non repugnet: sic v. g. nolumus solem in cœlo cursum suum suspendere. *Involuntarium* autem includit aliquam veram repugnantiam ipsimet voluntati: sic v. g. nolumus in carcerem trahi.—Illud vocant *involuntarium negativum,* istud *involuntarium positivum;* et hoc quidem duplex est, aliud nempe est tale *simpliciter,* uti Scholæ loquuntur, et aliud *secundum quid.*

Involuntarium simpliciter est illud, *quod voluntati totaliter opponitur sive actuali sive interpretativæ.* Sic v. g. mors, quæ homini infertur, est eidem involuntaria simpliciter, quia ejus voluntati totaliter adversatur: actuali quidem, si invitus et pro viribus reluctans occidatur: interpretativæ vero, si dormiens vita privetur.

Involuntarium vero secundum quid illud est, *quod repugnat quidem voluntati sub quodam respectu, dependenter nempe ab aliqua circumstantia: sed non repugnat totaliter.* Sic. v. g. viator, qui metu mortis dat latroni crumenam ponit actum involuntarium secundum quid; veliet enim secundum se pecuniam servare, sed sub alio respectu, et attenta alia circumstantia, vitæ nempe sibi suæ servandæ, magis et efficaciter vult crumena illa privari. Sic mar-

(1) *V.* S. Alphonsus, *Opus Mor.*, l. 5, *Tract. præambulus*, n. x.
(2) 1, 2, q. 23, a. 1. (3) Q. 73, a. 8.
(4) Ley 24, tit. 15, part. 7.ª Vide etiam art. a 474 ad 484 Cod. pœn. N. E.

tyres veram violentiam passi non sunt ; quia si absolute voluissent, tormenta effugere potuissent jactura fidei. Illa tamen cruenta mors fuit illis *involuntaria secundum quid ;* quia erat, natura repugnante, a principio extrinseco, ac contra rationalem voluntatem.

Q. 7. *Quot sunt involuntarii causæ?*

R. Involuntarii quatuor sunt causæ præcipuæ, quarum duæ propensioni voluntatis opponuntur, et sunt *violentia* et *metus :* duæ opponuntur intellectus cognitioni, nempe *ignorantia* et *concupiscentia.*

ARTICULUS I—De violentia et metu.

Q. 1. *Quid est violentia?*

R. Violentia, seu vis et coactio (1) definitur: *id quod est a principio extrinseco, repugnante omnino eo, qui vim patitur.* Ex quo patet ad violentiam duo requiri:—1 ut ea sit *a principio extrinseco,* quia nemo proprie dici potest sibi ipsi violentiam inferre;—2 ut patiens repugnet *pro viribus,* id est omni conatu. Diximus *omni conatu ;* nam si quis *secundum passionem* se habeat, scilicet cum voluntate patiendi ab alio, non conferret quidem ad violentiam agendo, sed conferret *volendo pati,* uti ait Angelicus (2), unde tunc non potest dici vera violentia, aut nonnisi imperfecta.

Q. 2. *An voluntas quoad actus suos violentiam pati possit?*

R. Vel agitur de actibus imperatis, vel de elicitis tantum:

Si de imperatis, clare patet voluntatem posse violentiam pati seu posse impediri in suo exercitio: sane actus imperati sive interni sive externi a voluntate ipsa exercentur ministerio alterius potentiæ, quæ quidem aliquando esse potest contra voluntatis inclinationem. Esset v. g. si voluntas imperaret intellectui ut aliquid speciale consideret, sed intellectus aliis sit distractus: vel si imperaret motum pedibus, qui tamen catenis obstricti moveri nequeant.

Si vero agitur de actibus elicitis, tunc dicimus voluntatem non posse violentiam pati; nam si voluntas in actibus elicitis violentiam pati posset, idem simul esset et non esset, quod est impossibile. Voluntas nempe vellet simul et nollet: *vellet* quidem hoc ipso quia actum ponit, *nollet* autem quia ipsa sibi volenti repugnaret; nam violentia contra voluntatem in actibus elicitis non potest provenire, nisi ab ipsa voluntate (3). Hinc D. Anselmus ait: *invitus nemo potest velle; quia non potest velle nolens velle* (4). Et Seneca ipse gentilis ajebat: *corpora obnoxia sunt dominis, mens sui juris est* (5) *(C).*

Q. 3. *An violentia tollat voluntarium?*

R. Violentia *proprie dicta* tollit utique omne voluntarium in ea, quæ ponitur, actione; quando enim patientis voluntas resistit agenti extrinseco pro

(1) Stricte loquendo, *involuntarium coactum*, ac *violentum* in hoc differunt, quod *primum* dicitur de solo agente rationali; *secundum* de solis rebus animatis sive ratione præditis, sive non; *tertium* vero dicitur etiam de rebus inanimatis, imo magis proprie de ipsis tantummodo.

(2) 1, 2, q. 6, a. 5.

(3) Quod si aliquando videatur voluntas a tentatione cogi ad peccatum, hoc non est vera violentia; sed illecebra est et incitamentum, nam voluntas semper est quæ peccat.

(4) *De lib. arb.* c. 6. (5) V. *De consolat.* c. XI.

viribus, et potentia tam interna quam externa, tunc opus agentis extrinseci nullo modo volitum est a patiente; ac proinde eidem est involuntarium simpliciter et absolute, et nullimode imputabile.—Hinc D. Augustinus excusat a peccato fœminas illas, quæ, Roma a Ghotis capta, vim barbare passæ sunt, quia pro totis viribus repugnaverant (1). Hinc etiam excusatur mulier illa; cognomento Bona, quæ a marito ad idolis sacrificandum per vim trahebatur, aliis tenentibus ejus manus: *non ego feci*, merito clamabat, *vos fecistis* (2).

Diximus *proprie dicta;* si enim violentia non sit secundum se tota, non tollit sed minuit dumtaxat voluntarium. Nam ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in parte aliqua ratio voluntarii; et secundum majorem vel minorem resistentiam, actio erit magis vel minus voluntaria et culpabilis (3).

Q. 4. *Quid est metus, et quotuplex?*

R. Ad 1: Metus, seu timor, definiri potest: *mentis trepidatio ex repræsentatione mali vel futuri vel impendentis.* A quibusdam autem brevius definitur: *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Metus differt a vi seu violentia, quod hæc sit semper et solummodo a principio extrinseco; ille vero proveniat tam a principio intrinseco, qualis est v. g. metus mortis proveniens ex morbo; quam a principio extrinseco, qualis est v. g. metus naufragii, metus inferni et pœnarum. Item in eo differt, quod vis corpori, metus animo inferatur.

R. Ad 2: Quadrupliciter potest metus considerari juxta illud:

Causa, modusque ineunt, tempus, natura timorem.

1. Nempe ratione causæ, a qua incutitur: quæ causa vel est *naturalis intrinseca,* v. g. infirmitas; vel *naturalis extrinseca*, v. g. naufragium; vel *supernaturalis*, v. g. terribile Dei judicium; vel *libera*, v. g. homo minitans; vel demum *necessaria*, v. g. cœlum tonans.

2. Ratione modi, quo incutitur: et tunc metus est vel *justus* vel *injustus*, prout juste vel injuste incutitur.

3. Ratione temporis, quo incutitur: et alius est metus *antecedens*, qui movet ad agendum, ita ut actio dicatur posita ex metu; alius concomitans, ita ut actio dicatur posita cum metu. Quæ duo sunt omnino diversa; nam metus *antecedens* habetur, cum ipse dat causam actioni. Sic v. g. viator, qui in grassatione dat latroni crumenam, agit metu antecedenti; quia timet mortem, et hoc timore pro morte vitanda movetur ad crumenam tradendam. Metus autem *concomitans* habetur, quando non ipse quidem dat causam actioni, sed eam tantummodo comitatur. Sic in allato exemplo latro, qui crumena viatorem expoliat, agit metu concomitanti; nam etiam hic timet, ne scilicet deprehendatur; non tamen ab hoc timore, bene vero a divitiarum cupiditate ad furandum movetur.

4. Ratione suæ naturæ: et metus vel est gravis, vel levis. *Levis* (qui et vanus dicitur) est ille, quo timetur malum leve; vel etiam grave, sed ex le-

(1) L. 1, *de Civ. Dei*, c. 16: (2) S. Cyprianus, *Epist.* 18.

(3) Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta, continua et externa illatæ coactioni scilicet ubi ex una parte inutilis foret, et ex alia parte non indicat consensum, neque est de necessitate ad scandalum vel religionis injuriam avertendam. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis propriis pedibus ambularent.

vi causa, aut quod facile averti possit, aut quod rationabiliter non immineat: ut si sereno cœlo timeas fulmen. *Gravis* autem (qui probabilis etiam dicitur et cadens in virum constantem) est ille, quo malum grave reformidatur ex causa valde gravi et probabili. Hujusmodi est metus mortis, exilii, diuturni carceris, mutilationis membrorum, servitutis, verberum enormium, amissionis bonorum ingentium, etc. (1).—Cum vero malum quod reformidatur, possit esse grave vel absólute et in se, vel respective ad personam timentem, ita et metus ex ejus mali repræsentatione productus potest esse gravis vel absolute vel respective. *Absolute* quidem, si malum sit absolute grave, ut carcer, bonorum privatio, mors et similia, quibus etiam viri fortes solent vehementissime commoveri. *Respective* autem, si malum sit tantum respective grave, quo nempe non movetur quidem vir fortis; movetur tamen meticulosus, uti est puer, senex, aut fœmina.

Huc revocatur *metus reverentialis*, timor nempe, quo quis veretur resistere ei, cui subjicitur. Hic erit gravis vel levis, habita ratione personæ reverendæ ac personæ reverentis (2). Quamquam bene observat Pontius, quod hic metus sine apprehensione alterius mali, non tam est metus, quam simplex reverentia, quæ non inducit metum alicujus mali, sed tantum quamdam erubescentiam (3).

Q. 5. *An metus tollat, vel minuat voluntarium?*

R. Si metus levis sit, nulli dubium est quod nec tollit nec minuit voluntarium. Hinc illud juris: *vani timoris justa excusatio non est* (4). Sane metus levis nec intellectus cognitionem nec voluntatis electionem lædit; parum enim pro nihilo reputatur.

Imo neque per metum gravem voluntarium absolute tollitur, si casum particularem excipias, quo ita sit gravis, ut mentem e suo statu dejiciat; quia non tollitur neque intellectus cognitio, neque voluntatis propensio, quamvis hæc minuatur. Hinc D. Bonaventura ajebat: *coacta voluntas, voluntas est.* Hoc patet exemplo mercatoris projicientis merces in mare, quod profecto non ageret, si ea sibi absque vitæ periculo servare posset; in illis tamen circumstantiis id voluntate facit. Unde Augustinus: *si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere dicitur, si facit, voluntate facit* (5). Hinc colligitur, civiles contractus, qui ex metu fiunt licet gravi, de jure naturæ validos esse utpote simpliciter voluntarios; quamvis ob injuriam illatam merito rescindi possint (6).

(1) Notandum diligenter est, ad metum gravem requiri præter gravitatem mali, quod timetur, hæc tria:—1 ut prudenter; sive ex gravi motivo malum imminere credatur: nam si ab eo immineat, qui aut nequeat ant non soleat malum inferre, hujus apprehensio, utpote inanis, gravem metum minime efficiet;—2 ut malum impendens nequeat tam facile averti: non enim adeo timemus, quod facile cavere possumus;—3 ut malum illi immineat qui timore turbatur, aut iis qui vinculo vel necessitudinis arctissimo, vel propinquitatis ad quartum gradum conjunguntur cum eo, qui metum patitur; nam quod nostris fit, nobis fieri censemus.

(2) Ultra proprium patrem, Episcopum atque magistratum, dicit Sanchez cum aliis, dari etiam metum reverentialem respectu soceri, avi, tutoris, et matris, si tamen sit austera et minas exequi soleat; et etiam fratris majoris aut patrui, si cum eis habitetur, et alimenta ab eis præbeantur.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. 3, n. 717; *et* l. 6, n. 1056.— *Homo Apostolicus*, Tract. III, n. 16.

(4) Reg. 184, ff. de reg. jur. (5) *De sp. et litt.* c. 31.

(6) Sed nota, solum quæ fiunt ex metu naturali, esse voluntaria tantum *secundum quid*, ut

Q. 6. *An metus gravis excuset a culpa?*

R. Distinguendo: vel quæ metu gravi fiunt, intrinsece et per se mala non sunt, ut esset manducatio carnis; vel sunt per se et intrinsece mala, uti esset apostasia a fide.

Si 1, *ordinarie loquendo*, a tota culpa metus gravis excusat; quia lex quælibet positiva obligare non solet cum gravi incommodo, juxta communem ac receptam sententiam.—Diximus *ordinarie loquendo;* quia si quis metu gravi compelleretur ad legem aliquam positivam violandam in contemptum legitimæ potestatis aut Religionis, vel cum gravi scandalo publico, gravis metus tunc non excusaret a culpa transgressionis; plus enim refert Religionem et potestatem legitimam non contemni, et scandalum omitti, quam evitari damnum privati. Unde ad rem Apostolus: *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* (1).

Si 2, certum est, metum utcumque gravem (dummodo talis non sit ut usum adimat rationis) numquam excusare a tota culpa; hæc enim cum includant intrinsecam et essentialem malitiam, si fiant voluntarie, numquam culpa carere possunt. Exemplum est in Christiano illo, qui metu mortis fidem Christi negaret, de quo ad rem D. Bernardus: *cogebatur christianus negare Christum et quidem dolens, non tamen nisi volens* (2). Cum vero metus hujusmodi voluntarium valde lædat, idcirco licet totam culpam non tollat, minuit tamen; et in jure Canonico dicitur *culpam extenuare* (3). Attamen *ordinarie loquendo* culpa non ita minuitur, ut ex mortali fiat venialis; quia per se loquendo metus gravis talem adhuc relinquit cognitionem eorum, quæ fiunt, ut sufficiat ad peccatum mortale.

Dixi *ordinarie loquendo;* quia si metus ille tantam in aliquo produceret mentis perturbationem, ut eam dumtaxat relinqueret cognitionem, quæ in semidormientibus invenitur, tunc peccátum ex mortali fieret veniale, defectu nempe sufficientis deliberationis.

ARTICULUS II—De ignorantia et concupiscentia.

Q. 1. *Quid est ignorantia et quotuplex?*

R. Ad 1: Ignorantia generatim sumpta, ait Billuart, est carentia scientiæ in subjecto capaci; sive ut ait D. Thomas, *ignorantia importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire* (4): seu quorum quis fuisset capax pro tali tempore et statu, uti si adultus ignoret ea, quæ noscere potuisset (5). — Differt ignorantia tum a *nes-*

patet mercatoris exemplo; non autem quæ fiunt ex metu supernaturali, v. g. gehennæ et terribilium judiciorum Dei, quæ quidem sunt *voluntaria simpliciter*. Qui enim ex hoc metu operatur, potest cum perfecta voluntatis inclinatione a peccato abstinere, et divina mandata observare; quia hæc divinæ legis observantia est bona tum per se, tum abstrahendo ab illa gehennæ et terribilium Dei judiciorum consideratione. Ex adverso vero projectio mercium in mare est quidem hic et nunc bonum mercatoris, qui alioquin naufragium esset passurus; sed in se malum est illi.

(1) 1 Corinth. 8. (2) *De grat. et lib. arbit.* c. 12. (3) *C. Sacris* 5. *de his quæ vi.*

(4) 1, 2, q. 76, a. 2.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. 5, n. xxvi. In moralibus autem error et ignorantia promiscue usurpantur.

cientia, quæ indicat simplicem negationem scientiæ; tum ab *errore*, qui est positiva probatio falsi; tum ab *inadvertentia*, quæ est carentia actualis cognitionis; tum ab *inconsideratione*, quæ est privatio debitæ inspectionis; tum demum ab *oblivione*, quæ est privatio recordationis rei alias jam notæ.

R. Ad 2: Multiplex est ignorantia:

1. Ex parte objecti alia *est juris*, alia *facti*.—Ignorantia *juris* in eo locum habet, qui nescit a lege divina vel humana quidpiam præcipi aut prohiberi. Sic qui perfecte quidem noscit hodie esse diem veneris, et cibum sibi oblatum esse carnem, sed ignorat carnis esum tali die esse prohibitum, laborat ignorantia juris. — Ignorantia *facti* est in eo, qui legem quidem compertam habet, sed nescit hoc factum legi esse contrarium. Sic qui novit quidem legem carnis esum vetantem die veneris, sed nescit cibum in mensa sibi appositum esse carnem, iste versatur in ignorantia facti.

2. Ex parte voluntatis alia est *antecedens*, alia *consequens*, alia *concomitans*. — *Antecedens* ea est, quæ assensum voluntatis antecedit, neque ullo modo volita est; causa tamen est volendi id, quod quis non vellet, si sciret. Uti si quis interficiat hominem putans esse feram, non interfecturus, si sciret esse hominem. — *Consequens* est illa, quæ a libera voluntate procedit, ac directe vel indirecte volita est. Uti si quis ideo omittat consilium petere, ne forte audiat illicitum esse id, quod ipse vult perpatrare. — *Concomitans* vero est illa, qua quis ignorat quod agit, sed adhuc ageret, licet non ignoraret. Talis est illius ignorantia, qui v. g. percutit Titium putans esse Cajum, adhuc tamen percussurus, si sciret illum esse Titium.

3. Ex parte intellectus alia est *invincibilis*, alia *vincibilis*. — *Invincibilis* illa est, quæ communi adhibita diligentia vinci non potest, cum nulla cogitatio nec erroris dubium veniat in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur, vel cum actionis causam ponit; ac proinde independens est a voluntatis consensu. — *Vincibilis* vero ea est, quæ, morali ac communi adhibita diligentia, debet et potest vinci ab operante, vel quia errorem jam advertit, vel saltem dubitat de errore, advertitque simul ad obligationem illum vincendi, sed negligit illum vincere.

4. Ipsa ignorantia vincibilis subdividitur in *affectatam*, *crassam* et *pure vincibilem*. — *Affectata* ea est, quam quis dato studio vult: ut si velit apposite ignorare legis præcepta, vel ut excusationem habeat peccati commissi, vel ne a peccato committendo retrahatur, juxta illud: *noluit intelligere, ut bene ageret* (1). Hæc ignorantia est in illis, qui data opera neque conciones neque catecheses adeunt, ne a malo proposito deterreantur. — *Crassa* est in eo, qui licet ignorantiam studiose non quærat, nullam tamen diligentiam adhibet in veritate indaganda: hæc dicitur etiam *supina*, quia crassi et pingues et qui supini jacent, desides esse solent. — Denique *pure vincibilis* dicitur, cum quis adhibet aliquam diligentiam in veritate indaganda, sed valde modicam, inspecta rei gravitate (2).

Q. 2 *Utrum ignorantia tollat, vel minuat voluntarium?*

R. Discurrendo per præcipuas ignorantiæ species. Igitur:

1. *Ignorantia antecedens* tollit omnino voluntarium; cum sit a voluntatis

(1) Psal. 35. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. 1. nn. 3, 26 et 168.

consensu omnino independens : imo contra totalem inclinationem voluntatis.

2. *Ignorantia concomitans* non causat neque voluntarium neque involuntarium ; quia neque inducit ad volendum, neque ad non volendum ; sed per accidens se habet ad opus quod agitur, nihilque in illud influit.

3. *Ignorantia consequens,* si pure vincibilis (quod valet cum proportione etiam de crassa) non tollit quidem voluntarium, quia est saltem indirecte volita in sua causa, idest in negligentia discendi; sed illud minuit, quia minuit aliquantulum intellectus cognitionem. Si vero sit affectata, non minuit voluntarium, imo est indicium voluntarii valde intensi, sub quo respectu et peccatum auget : *Cum ergo aliquis directe vult ignorare,* ait Angelicus, *ut a peccato per scientiam non retrahatur, talis ignorantia non excusat peccatum nec in toto nec in parte, sed magis auget; ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit ad hoc, quod libere peccato adhæreat* (1).

Q. 3 *Quid est concupiscentia?*

R. Concupiscentia communiter definitur : *motus appetitus sensitivi*, seu motus, qui operatur non tantum in anima; sed etiam in aliqua sensibili corporis parte, saltem in corde, illud nempe intensius movens ad bonum reale vel apparens, aut ab eo quod repræsentatur uti malum, intensius retrahens. Hoc ut plenius intelligatur, sciendum est, sæpe nos in corpore nostro quasdam commotiones pati, quæ ad aliquid nos vehementer impellunt et excitant : hæ porro *passiones* dicuntur, quæ absit, ut in se malæ sint; sunt enim ab auctore naturæ, et esse possunt incitamenta virtutum : sic v. g. miles desiderio veræ gloriæ excitatus fortius dimicat. — Quia tamen in præsenti naturæ corruptæ statu plerumque homines ultra limites, intra quos stat virtus, abripiunt; ideo passiones vulgari sensu uti malæ motiones habentur, quas quidem Theologi sub nomine *concupiscentiæ*, seu *fomitis peccati* designant. Unde nomine concupiscentiæ hic intelligimus quemdam motum appetitus sensitivi adversus spiritum rebellantis, qui tendit in bonum delectabile : et hoc sensu ab Angelico definitur concupiscentia (2) : *pronitas ad inordinate appetendum* (3) *(D).*

Concupiscentia duplex est : altera *antecedens*, quæ omnem voluntatis actum antevertit, et in eumdem influit : sic v. g. viso inimico, statim excitatur appetitus vindictæ. *Consequens* altera, quæ ex præcedenti voluntatis actu consequitur : uti si quis libros obscœnos legeret ad libidinem excitandam.— Utraque autem vel gravis est vel gravissima : illa rationis usum turbat aliquantisper ; hæc eumdem penitus extinguit.

Q. 4 *An concupiscentia tollat, vel minuat voluntarium?*

R. Si agitur de concupiscentia gravissima, patet per eam voluntarium tolli omnino et extingui ; cum enim hæc auferat ipsum rationis usum, nullum potest amplius superesse voluntarium. — Si autem agitur de concupiscentia gravi, distinguendum est : vel hæc gravis concupiscentia est *antecedens,* vel est *consequens.*

(1) Q. 3, *de malo.*, a. 7. (2) *De malo*, q. 4, a. 2. *V.* Liguori, *Op Mor.* l. 5, n. XXIII.

(3) « La concupiscencia en general es un deseo ardiente, un movimiento interior, una inclinacion que atrae mas ó menos vivamente hácia á un objeto sensible y agradable á la naturaleza.» Gousset.

1. Si sit antecedens, *ordinarie loquendo* voluntarium sub aliquo respectu auget, sub alio vero minuit. Auget ratione objecti, quod voluntatem inflammat, efficitque, ut in objectum illud majori cum inclinatione feratur. Minuit autem ratione circumstantiarum; quia minuit cognitionem eorum, in quibus est actio; et impedit quominus mens rapta ab objecto illo delectabili, in quod tendit, perpendere valeat turpitudinem actus, offensam Dei, salutis perniciem, etc. — Diximus *ordinarie loquendo;* quia fieri quandoque potest, ut qui agit ea concupiscentia, agat cum aliqua repugnantia. Sic v. g. ageret avarus libidinosus, qui ad seducendam mulierem deberet ingentem summam profundere: hæc tamen repugnantia non oriretur a concupiscentia ipsa, sed ex alia circumstantia, nempe illius hominis tenacitate.

2. Si vero sit consequens, ea aliquantulum quidem minuit voluntarium ex parte cognitionis, quia agentem excæcat; sed illud auget ex parte propensionis, quia agentem facit in actionem suam magis propensum. Cum autem prædicta voluntarii imminutio ex parte cognitionis oriatur a voluntate ipsius agentis; hinc concupiscentia consequens proprie non minuit, sed magis auget peccatum. Ideo Angelicus: *passio consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat* (1).

Q. 5. *An liceat se negative habere circa motus indeliberatos concupiscentiæ, neque illis positive resistendo, neque illis consentiendo?*

R. Certum est motus indeliberatos concupiscentiæ non esse imputabiles; cum nullus eis accedat voluntatis consensus. Hinc *Tridentinum* docet, concupiscentiam non posse nocere non consentientibus, imo coronatum iri qui legitime certaverit (2). Quia tamen illi actus ad peccatum inducunt et cor subvertunt, ideo recta ratio vult, ut illis positive resistatur, saltem per aliquem simplicem displicentiæ actum. Excipe nisi quis ex positiva resistentia didicerit eos fieri majores; tunc melius est, ut se ad alia convertat.

Sed (quæres) *graviterne, an leviter peccat qui positive non resistit, sed negative se habet ad motum appetitus sensitivi circa objectum sub mortali prohibitum, quando ex positiva resistentia non timet illum fieri majorem?* Certum est, esse mortale motum illum permittere, si inde timeatur periculum consensus; nam eadem obligatione, qua quis tenetur vitare peccatum, tenetur etiam vitare periculum peccandi. Hoc autem periculum judicabitur adesse, tum ex qualitatibus pœnitentis, si v. g. sit tenuis virtutis, qui jam alias consenserit; tum ex materia delectationis, si multum sit periculosa in se, ut communiter censetur, si superveniat delectatio venerea.

Hoc tamen consentiendi periculo præcluso, vera sententia docet cum Angelico, non esse mortale, sed veniale tantum, motibus illicitis positive non resistere. Ait enim: peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione; quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate, quæ cum non consentit positive, non committit mortale (3). Committitur tamen veniale, in quantum homo cavere debet,

(1) 1, 2, q. 77, a. 6. (2) Sess. v, c. 5. (3) 2, 2, q. 74, a. 4.

ne appetitus malus turbet vel leviter, atque trahat post se voluntatem (1).

Quod de concupiscentia dictum est, valet etiam de *habitu*, qui est *quædam agendi facilitas, ac promptitudo iteratis actibus comparata.* Hac qui tenentur, absit ut a peccatis excusentur: imo potius gravius peccant, quia propensius in malum feruntur. Hinc monet Bouvier: *discant juvenes libidines suas coërcere; experientia enim constat, eas in teneris annis non ægre refrenari: tunc facilis et jucunda est perseverantia. Qui vero liberius eis indulgent, graves sibi imponunt catenas, quas postea difficile solvent.*

CAPUT SECUNDUM

DE LIBERTATE.

Q. 1. *Quid est libertas?*

R. Libertas in genere est *immunitas a servitute et subjectione:* unde totuplex libertas, quotuplex servitus. Triplex autem præcipue adsignari solet: *triplex nobis* (ait S. Bernardus) *proposita est libertas: a necessitate, a peccato, a miseria. Primam contulit nobis Deus in conditione naturæ; in secundam restauramur a gratia; tertia nobis reservatur in patria* (2). Agendo autem de actibus humanis, duplicem libertatem distinguunt Moralistæ unam *a coactione*, alteram *a necessitate.* Prima est immunitas ab omni violentia seu ab omni principio extrinseco ad aliquid determinante contra voluntatis propensionem; sive est libertas qua quis sponte et libenter agit, etsi agat ex necessitate suæ naturæ: talis est libertas qua Deus seipsum diligit, qua beatus Deum amat, qua homo prosequitur bonum generatim (3). Secunda est immunitas ab omni principio seu causa sive exteriori sive interiori necessario determinante ad unum, licet ea determinatio sit juxta voluntatis inclinationem (4); sive est libertas qua voluntas non solum sponte ac libenter agit, sed etiam cum tali suorum actuum dominio, ut possit æque non agere seu eligere vel non eligere: et hæc sola est, quæ proprie libertatis nomen sibi vindicat et liberum arbitrium nuncupatur (5). Definitur autem: *vis electiva, seu facultas eligendi vel non eligendi pro libitu.*

Eligere autem duos saltem terminos comparationis exigit, alioquin optio seu facultas eligendi non haberetur, qui enim determinatus ad unum est, non habet objectum, in quod electio cadat. Termini autem comparationis, circa quos voluntas se exercere valet, multiplices sunt, voluntas enim vel unum eligit e duobus contradictoriis quidem, sed non pugnantibus inter se, uti sunt amor et non amor: et dicitur *libertas contradictionis*, et etiam *exercitii*, quia per eam homo potest actum exercere, aut non. Vel ad unum

(1) V. Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 6. (2) *De Grat. et lib. Arbitrio.*

(3) *Coactio* enim est vis externa contra voluntatis inclinationem illata: uti si quis nolens detrudatur in carcerem. Unde libertas a coactione importat dumtaxat immunitatem a tali vi, et dicitur etiam *spontaneitas.*

(4) *Necessitas* hic est ineluctabilis determinatio ad unum juxta inclinationem voluntatis orta ex naturali instinctu. Unde libertas a necessitate importat immunitatem ab hac quoque determinatione, quæ est juxta voluntatis inclinationem, et dicitur etiam *electionis*, *indifferentiæ* et *arbitrii.*

(5) D. Thomas, 2, d. 24, q. 1, a. 1 ad 2.

per electionem se determinat ex duobus omnino contrariis, et pugnantibus inter se, uti sunt amor et odium: et dicitur *libertas contrarietatis.* Vel denique se determinat per electionem ad unum ex pluribus specie diversis, uti sunt oratio, studium, ludus: et dicitur *libertas specificationis* vel *disparitatis.*

Q. 2. *Utrum potentia peccandi sit de ratione liberi arbitrii?*

R. Potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii, imo est liberi arbitrii imperfectio. Sane quod suam habet originem a sola debilitate cognitionis et amoris, illud est liberi arbitrii imperfectio; atqui talis est potentia peccandi. Cur enim peccamus? nisi quia Deum nec perspicue et perfecte cognoscimus, nec diligimus quantum diligere debemus. Hinc in cœlo, ubi Deum videbimus *facie ad faciem,* cessabit peccandi facultas, nec tamen cessabit liberum arbitrium. *Quid erit liberius,* inquit D. Augustinus, *libero arbitrio, quando non poterit servire peccato* (1)? Et S. Anselmus ait: *Si posse peccare esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent, quod est absurdum* (2). Merito ergo Apostolus: *ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* (3).

Quoties igitur libertas describitur potens ad bonum ac malum; non illius essentia proprie attingitur, quæ solum sistit *in vi eligendi;* sed consideratur prout nunc est in hominibus viatoribus *(E).*

ARTICULUS I — DE LIBERI ARBITRII ESSENTIA ET EXISTENTIA.

Q. 1. *In quonam veræ libertatis seu liberi arbitrii essentia sita est?*

R. Bucerus, Bajus, Jansenius, aliique post *Tridentinum* hæretici docuerunt ad liberi arbitrii essentiam requiri immunitatem *a coactione,* non vero *a necessitate.* Sed hoc falsum omnino; essentia enim veræ libertatis est reponenda in facultate eligendi vel non eligendi, sive in immunitate ab omni necessitate.

Prob. 1 *ex PP.:* S. Gregorius Nazianzenus ait: *arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet* (4). Et S. Damascenus: *arbitraria ac nobis libera sunt, quæ in utramque partem æque contingere possunt, veluti moveri et non moveri, appetere et non appetere* (5).

2. *Ex definitionibus summorum Pontificum:* S. Pius V, et Gregorius XIII diris devoverunt has Baji propositiones: — 1.ª est: *quod voluntate fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit;* — 2.ª est: *sola violentia repugnat libertati hominis naturali* (6).

3. *Ex Tridentino: si quis,* ait, *liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit* (7). Atqui liberum arbitrium, sublata potentia agendi et non agendi, res esset de solo titulo, imo titulus sine re.

4. *Ex Theologorum auctoritate:* instar omnium sit ille Theologiæ Catho-

(1) *De Corrept. et Grat.* c. 11.
(2) *De lib. Arb.* c. 1. *De libertate Angelorum;* vid. Gazzaniga, ubi *de Libertate Christi.*
(3) Cor. 3. (4) In *Apolog.* (5) L. II, Ort. fidei, c. 26. (6) Nn. 39 et 66.
(7) Sess. 6, c. 5.

licæ sol fulgidissimus S. Thomas, qui scribit: *dominium autem quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causæ exterius agentis* (1).

5. *Ex ratione:* liberum arbitrium, ipsa docente ratione, est vis electiva, id est potentia se se determinandi ad unum per electionem; atqui potentia hæc omnem excludit necessitatem intrinsecam antecedentem, *eligi* enim proprie non dicitur, nisi quod potest tam fieri quam non fieri, tam poni quam omitti. Adde: liberum arbitrium et voluntarium stricte differunt; sed non differunt nisi, quod liberum superaddat voluntario immunitatem ab omni necessitate simplici.

Q. 2. *An admittenda sit in homine etiam post Adæ peccatum libertas a necessitate seu liberum arbitrium* ?

R. Etsi quilibet homo suo in animo invictissima gerat argumenta veræ libertatis, quam *cantant et in montibus pastores, et in theatris poëtæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis et in orbe terrarum genus humanum* (2); non defuere tamen qui in eam de medio tollendam icto quasi fœdere conjuraverint. Tales fuere: — 1 Stoici, qui ferream necessitatem admittebant; — 2 Manichæi, qui homines ad bonum aut ad malum a principio summe bono, vel summe malo impelli docuerunt; — 3 Astrologi sic dicti *judiciarii*, qui in diversos siderum influxus humanas refundebant actiones; — 4 Lutherani et Calvinistæ, qui pronuntiare non erubescunt hominem ad bonum per Dei gratiam, ad malum autem per concupiscentiam protrudi vi quadam ineluctabili; — 5 omnes ferme hodiernæ incredulitatis magistri, uti Collinius, Hobbesius, Helvetius, Spinosa, aliique; — 6 et maxime Jansenistæ, qui Jansenii magistri vestigiis inhærentes docent per Adami peccatum liberum arbitrium extinctum fuisse; ideoque in præsenti statu naturæ lapsæ homini inesse solam libertatem a coactione.

Sed cum in Lutheranis et Calvinistis errorem hunc jam proscripsisset *Tridentinum*, quid Janseniani versipelles semper et falsi? Ut fucum facerent et simpliciores deciperent, verba adhibuerunt apparenter catholica, sed in se prorsus hæretica. Concedunt nimirum, dari adhuc in hoc statu naturæ lapsæ liberum arbitrium; sed simul volunt eo nomine indicari solam libertatem *a coactione* vel *a necessitate invariabili*. Nempe concedunt libertatem variare quidem, quatenus modo ad bonum, modo ad malum inclinat; sed eorum mens est, hominem aut ad unum aut ad aliud insuperabiliter inclinari (3). Contendunt autem hanc libertatem in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum sufficere. Quæ omnia eo semper natura sua tendunt, ut liberum arbitrium omnino tollant, atque omnibus vitiis latam viam aperiant *(F)*. Sit ergo:

(1) L. I, con. Gent., c. 68. (2) S. Augustinus, *De duab. Animab.*, c. 11.

(3) Quare in eorum sententia quidquid a nobis fit sive bonum sive malum, illud est ex *necessitate intrinseca, antecedente, insuperabili;* quia gratiæ divinæ delectatio major seu intensior movet *insuperabiliter* voluntatem ad bonum, antecedenter ab omni ejus libero actu; delectatio vero major concupiscentiæ movet *insuperabiliter* voluntatem ad malum.

Propositio I.

De fide est, in præsenti statu naturæ lapsæ, hominem habere libertatem a qualibet necessitate intrinseca, antecedente, etiam voluntaria et variabili ad sensum Jansenistarum.

Prob. 1. *Ex Scripturis:* in *Deuteronomio* sic Moyses Dei nomine Israëlitas, utique in statu naturæ lapsæ constitutos, alloquitur: *testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem: elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus* (1). Jam vero si Israëlitæ caruissent libertate ab omni necessitate etiam voluntaria et variabili, ad sensum Jansenistarum, exhortatio illa fuisset nugatoria ac ridicula; cum vita vel mors non ab eorum electione, sed vel a gratia vel a concupiscentia semper esset repetenda. Et Josue ad Judæos conversus ait: *si malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet* (2).

2. *Ex Patribus:* S. Augustinus scribit: *quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere* (3)? Et sanctus Athanasius inquit: *anima libera est et sui arbitrii; potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari* (4).

3. *Ex auctoritate Ss. Pontificum;* enim vero S. Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII, Innocentius X toto semper pectore adversus Jansenii et Jansenistarum doctrinas pugnavere Bullis et Constitutionibus Apostolicis, uti erudite probat Canonicus Mozzi (5).

4. *Ex Tridentino: si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit* (6). Iterum: *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere... anathema sit* (7).

5. *Ex ratione ipsa.* Sane si homo lapsus careret libertate, de qua dicimus:—1 homo teneretur ad impossibile: teneretur nempe observare præcepta divina, quæ tamen necessario frangeret, quoties ea non servaret, utpote a majori concupiscentia victus insuperabiliter;—2 homines scelesti justam haberent excusationem suorum criminum, videlicet in necessitate antecedenti peccandi. Viri autem probi frustra conatum adhiberent ad virtutem colendam, nec magis laude digni forent, quam improbi: siquidem utrique facerent quod non possent non facere;—3 tandem homo in statu naturæ lapsæ non amplius mereretur et demereretur, cum sine libertate ab omni necessitate intrinseca antecedenti dari nequeat neque meritum neque demeritum (8).

(1) Deut. 30. (2) Jos. 24. (3) L. I ad Bonif. c. 2.

(4) *Orat. contra Idola.*

(5) Compendio storico cronológico dei più importanti giudizi portati dalla S. Sede Apostolica sopra il *Bajanismo*, *Giansenismo e Quesnellismo.*

(6) Sess. 6, c. 5. (7) Ibid. can. 3.

(8) Hic plura solent opponi tum ex Patribus, tum ex *Scriptura:* quæ omnia facillime solvuntur, si hoc maxime advertatur:

Propositio II.

De fide est ad merendum vel demerendum, in statu naturæ lapsæ, non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate.

Prob. 1. *Ex Scripturis:* ex *Ecclesiastico* solus ille meretur gloriam et mercedem æternam, *qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit* (1). Sic ex Apostolo ille solus meritum consequitur et laude dignus est, qui *non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, judicavit in corde suo servare virginem suam* (2).

2. *Ex Ss. Patribus:* S. Hieronymus ait: *ubi necessitas est, nec corona est* (3). Sed audiendus S. Augustinus, quem tanto obsequio se prosequi affectant Jansenistæ: *dicere animas et esse malas et nihil peccare, plenum est dementiæ. Dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est: et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum eorum tenere non possumus* (4). Hoc testimonium decretorium est contra Jansenistas; cum indicet distinctionem libertatis a necessitate et libertatis a coactione, atque expresse teneat *magnum esse deliramentum* in eo, qui asserit animum nostrum peccare *sine voluntate*, id est *sine libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi*. Quod certe dicendum esset, si ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas ab omni necessitate. — Augustini sententiam fidelissime sectatur Angelicus sic dicens: *quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur... Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus* (5).

3. *Ex communi hominum consensu:* cur enim quidquid bene vel male agunt amentes et furiosi, nullo modo iisdem tribuitur laudi vel culpæ, licet sponte et voluntarie agant? profecto quia constans est et universalis omnium gentium non excæcatarum consensus, homines ideo tantum esse laude aut vituperatione, præmio aut pœna dignos, quia in iis quæ agunt, immunes sunt ab omni necessitate. Hinc merito uti hæreticam Innocentius X

Nempe Patres a toto contextu sunt dijudicandi; cum enim eorum temporibus exorta nondum esset hæc quæstio, non ita rigorose sunt locuti. Hinc aliquando *voluntarium* ac *spontaneum* pro *libero* sumunt; item *necessitatem* cum *vi* et *coactione* confundunt.

Scriptura vero, quando videtur hominibus electionem denegare, vel loquitur de motu indeliberato, ut Rom. 7: *non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Vel loquitur de voluntate efficaci, ut Matth. 7: *non potest arbor bona malos fructus facere;* nempe homo habens voluntatem efficacem, quamdiu illam habet, non potest malum agere. Vel tantum vult innuere, hominem propriis viribus nihil posse in ordine salutis; quo sensu iterum Rom. 9: *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* — *V.* Billuart. — It. Bergier, *Dizionario*, V. Libero arbitrio.

(1) Cap. 31. (2) I Cor. 7. (3) L. II contra Jovin. (4) L. *De duab. Animab.* c. 2.
(5) Quæs. 6, *de malo*, a. 1.

damnavit thesim contrariam a Jansenio inventam : *ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione* — Insuper S. Pius M., Gregorius XIII et Urbanus VIII unanimiter proscripserunt alteram Baji propositionem, nempe : *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit* (1).

Sed (dices) *si ita est, in quonam ergo liberum hominis arbitrium per Adæ peccatum dicitur læsum, et viribus attenuatum?*

Dicitur læsum et viribus attenuatum non solum, quia per Adæ peccatum voluntas hominis expoliata fuit dono justitiæ originalis et speciali illa providentia, quæ sic regebat hominem, ut sua in potestate teneret omnes corporis et animi motus ; sed maxime quia propter ignorantiam, propter vitiatum corporis temperamentum, et effrenatam concupiscentiam indesinenter ad malum impellentem, voluntas nostra bonum honestum ita fastidit, ut nihil salutare velle et agere possit sine auxilio gratiæ potentioris ea, qua indiguerit Adam in statu innocentiæ. Imo sine gratia homo lapsus ne potest quidem actus honestos mere naturales arduos exercere, quos tamen cum ordinario Dei concursu actuali elicere potuisset in statu innocentiæ. Hinc ad rem D. Augustinus (2) : *libertas periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit* (3).

ARTICULUS II — De libertatis subjecto, objecto, impedimento.

Q. 1. *Quodnam est subjectum et objectum libertatis?*

R. Ad 1 : subjectum libertatis aliud est *immediatum*, et est facultas illa, quæ dicitur libera ; aliud *mediatum* seu *denominationis*, et est natura seu suppositum, cui libertas convenit. Hoc posito dicimus : libertatis subjectum immediatum est sola voluntas : quia libertas est vis electiva, eligere autem solius est voluntatis. — Subjectum vero mediatum est omnis et sola natura intellectualis ; nam omnis et sola natura intellectualis cognoscit finem et media, uti media ad finem conducentia ; et ipsa sola potest unum præ alio eligere.

Etiam animalia bruta (inquit Angelicus) quædam agunt judicio, sed non libero ; quia non ratiocinatione, sed ex naturali instinctu hoc judicant. Sed

(1) Non absolute requiritur ad merendum vel demerendum libertas *contrarietatis* : adhuc enim vera libertas a necessitate habetur in eo, qui actum potest ponere aut non ponere, vel unum eligere ex duobus specie diversis : ideoque sufficit libertas *contradictionis*, et *specificationis*. Ita Sancti qui fuerunt in gratia confirmati, vere liberi erant ac merebantur, quamvis essent impeccabiles, et malum agere non possent. (2) Ad Bonif. contra Pelag.

(3) Nempe, ut proprie loquamur cum doctissimo Perrone (*Prælect. Theol. Compendium*, vol. I), dum homo per peccatum excidit e statu originalis justitiæ, nihil amissit ex essentialibus naturæ suæ, sed solum dona eidem naturæ gratuito ex pura Dei liberalitate superaddita : seu, quod idem est, si statum peccati excipias, homo nunc nascitur prout a Deo constitui poterat sine gratia, sine immortalitate, sine immunitate a concupiscentiæ lucta. En mens *Tridentini concilii* dum definit : *si quis non confitetur.... totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit* (sess 5. Decret. *de pec. orig.*). Idest læsus fuit homo per lapsum tum in supernaturalibus, tum in naturalibus gratuitis, non vero in naturalibus essentialibus et naturæ humanæ propriis. Hinc patet ignorantiam, concupiscentiam aliaque incommoda, quibus urgemur, non alio sensu vocari posse læsiones seu vulnera naturæ, quam habito respectu ad statum primævum protoparentum, minime vero absolute et in se.

homo agit judicio, et judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione qualibet rationis : ideoque agit libero judicio, potens in diversa ferri (1).

R. Ad 2 : objectum libertatis dicimus illud omne, circa quod humanæ voluntatis libertas potest exerceri. Jam vero finis ultimus ut talis consideratus, seu bonum in communi, non potest esse objectum et exercitium humanæ libertatis : felices enim omnes esse volumus non ex electione, sed ex naturæ ipsius impulsu.—Illud ergo constituemus in omnibus bonis particularibus sive veris sive apparentibus ; bona enim particularia sive vera sive apparentia nobis exhibentur cum admixtione alicujus mali sive veri sive apparentis, aut saltem uti finita, defectibilia et insufficientia. Ea itaque possunt a nobis eligi vel non eligi, retineri vel respui : et sub hoc sensu dicuntur constituere objectum et exercitium libertatis humanæ (2).

Q. 2. *Quodnam est libertatis impedimentum?*

R. Quod adversatur libero, dicitur libertatis impedimentum. Hoc autem est *necessarium*, quod generice definitur : *ad unum determinatio*. Quæ quidem determinatio seu necessitas multiplex est :

1. Alia est *physica,* alia *moralis*.—Illa est, cui nullimode potest resisti.—Hæc cui resisti potest absolute, sed difficulter.

2. Alia est *exercitii*, alia *contrarietatis*.—Illa determinat ad actum, quin potestatem relinquat ab eo abstinendi. Hac necessitate se ipse amat Deus ; neque enim potest abstinere ab amore sui.—Hæc vero determinat ad unam actus speciem sine potestate ad oppositum : hac necessitate Christus ferebatur in bonum, ita ut non posset agere malum.

3. Alia est *antecedens,* alia *consequens*.—Antecedens (seu absoluta) est quæ antecedit usum rationis ac voluntatis : ut contingit in motibus primoprimis.—Consequens (seu hypothetica) est, quæ sequitur liberum voluntatis consensum ac determinationem : sic necesse est velle studere, cum quis se determinavit ad studendum.

4. Tandem alia est *coactionis*, et hæc idem est ac violentia, quæ oritur a principio extrinseco, et est determinatio ad aliquid contra propriam inclinationem, ut cum quis nolens in carcerem truditur.—Alia est *inclinationis* seu *naturalis,* quæ nempe sita est in quadam determinatione, seu propensione voluntati insita ab ipsa natura : uti est necessitas beatitudinis (3). Hac necessitate beati Deum diligunt.

CAPUT TERTIUM

DE MORALITATE EJUSQUE FONTIBUS.

Q. 1. *Quid est actuum humanorum moralitas?*

R. Omnes cum D. Thoma Theologi in quolibet actu humano duplicem quasi naturam sive *esse* distinguunt, nempe *physicum* et *morale*. Actus hu-

(1) *V.* Tullius, L. I *De Offic.*, c. 4.—Et Bossuet, *Traité de la Connaissance de Dieu et de soi-même.*

(2) *V.* S. Thomas 1, 2, q. 10, a. 2.

(3) Ex his patet, violentiam, metum atque concupiscentiam (de quibus dictum est supra) esse totidem libertatis impedimenta, licet non eodem modo, ac ratione.

manus spectatus secundum suum *esse physicum* sive in genere naturæ est actus, qui a libera hominis voluntate proficiscitur. Actus vero humanus secundum suum *esse morale* sive in genere moris, est ipse actus prout congruit vel repugnat regulis morum; ideoque actuum humanorum moralitas in genere est *eorum convenientia cum regulis morum, vel ab iisdem discrepantia.* Hinc tritum illud: *actionem humanam fieri vel moraliter bonam, si cum morum regulis congruit; vel moraliter malam, si ab iisdem discordat.*

Q. 2. *Quænam sunt regulæ morum, et in quo constituendæ?*

R. Conveniunt Auctores, quod morum regulæ debeant esse rectæ, certæ et obligatoriæ. *Rectæ*, secus non essent laudandæ nec tenendæ. *Certæ* quoad praxim, alioquin homo se committeret errandi periculo. *Obligatoriæ,* ut valeant homines obstringere. — Sed in quonam præcise constituendæ sint, non omnes conveniunt: nos, ommissis obscuris quibusdam scholarum loquendi formulis, cum Continuatore Tournely aliisque communiter dicimus, morum regulas esse constituendas *in recta ratione,* ita ut bonitas moralis actus humani sita sit in conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione; malitia autem consistat in ejus discrepantia seu difformitate a recta ratione (1). *Rectum factum nullo modo esse potest* (inquiebat S. Augustinus), *quod non a recta ratione proficiscitur* (2).

Cum autem recta ratio duplex distinguatur, una increata quæ in mente divina existit, et lex æterna dicitur, altera creata quæ est lumen a Deo creaturæ rationali impressum, seu ipsa legis æternæ cognitio; ideo nil mirum, si vulgo etiam duæ adsignentur morum regulæ, nempe ratio humana tamquam regula proxima, et lex æterna tamquam regula remota, juxta illud D. Thomæ (3): *regula voluntatis humanæ est duplex: una propinqua et homogenia, scilicet ipsa ratio humana; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei* (4). Utramque regulam probant *Scripturæ;* de ista legitur: *beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (5). De illa habetur: *in omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ; hoc est enim conservatio mandatorum* (6). Hinc collige:

1. Morum regulam non constitui a libertate, licet et ipsa concurrere debeat; quia liber concipitur actus, antequam sit moralis; — 2 neque ipsam pariter esse collocandam in solo utili ac delectabili; si enim quod placet, illud semper prosequi et amplecti liceret, omnia passim pessundarentur, propria cupiditas modum non haberet, et quanto quis esset audacior, tanto esset honestior, quod rectæ rationi repugnat. Consentientes habemus philosophos morales, uti sunt Genuensis (7), Muratori (8), Galuppi (9), Olivieri (10), Cardella (11), Liberatore (12).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, *Tract. præamb.* n. 34. (2) *De util. creden.* c. 12. (3) 1, 2, q. 71, a. 6.

(4) Ex quo patet, rationem creatam hanc regulam constituere non quidem per se, sed prout substat legi æternæ. Hinc Angelicus 1, 2, q. 19, a. 4, ait: *quod ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina, unde in Ps.* 4 *dicitur:* multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; *quasi diceret, lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est a vultu tuo derivatum.*

(5) *Ps.* 118. (6) Eccli 31. (7) *De principiis legis naturæ.* (8) *Philos. moral.* c. 23.

(9) *Filosof. morale,* ecc. (10) *Filosof. morale.* (11) *Trattato d' Etica.* (12) *Elem. di Filos.*

Q. 3. *Quot sunt moralitatis species?*

R. Duæ solent moralitatis species ab omnibus indicari: *bonitas* nempe et *malitia*. Bonitas consistit in ipsa conformitate actionis humanæ cum morum regulis; malitia in ejusdem conformitatis defectu.

Disputant utrum etiam tertia species sit admittenda, nempe *indifferentia*, seu illud esse, quod ex se et natura sua non habet, quod sit vel bonum vel malum moraliter; ideoque quod sit conforme vel difforme cum morum regulis. — Alii cum Alasia affirmant; hi enim sumunt indifferentiam incomplete seu in abstracto et in se, non autem in individuo: quo sensu actus bene potest dici indifferens secundum speciem; quia ex specie sua non habet ut sit bonus vel malus, sed capax alterutrius, uti est deambulatio. — Alii negant cum Gonet; nam, inquiunt, omnis species moralitatis necessario terminari debet in aliquo individuo: at res quælibet in individuo spectata, si cum deliberatione fit, debet necessario congruere vel opponi morum regulis: si congruit, bona est; si non congruit, mala; non est ergo tertia species admittenda.

Sub duplici autem respectu considerari potest bonitas vel malitia moralis, *objective* et *subjective*. — Objective spectata est ipsa actionis conformitas vel discrepantia in se, et in ipso objecto considerata independenter ab agentis voluntate: hæc dicitur bonitas, vel malitia materialis. — Subjective vero accepta ea est, quæ in ipsa voluntate agentis consideratur, et libere ab eo volita est: atque bonitas, vel malitia formalis solet in scholis appellari.

Q. 4. *Quid sunt fontes moralitatis?*

R. Fontes moralitatis dicuntur ea omnia, quorum vi actus humanus evadit moraliter bonus, vel malus. — Tres solent enumerari, *objectum* nempe, *finis* et *circumstantiæ:* nam ex his tribus habet actus, ut sit bonus vel malus, melior vel pejor.

ARTICULUS I — De morali actionis objecto et fine.

Q. 1. *Quodnam est morale actionis objectum?*

R. Morale actionis objectum est id, circa quod immediate versatur actus moralis: quare *objecti* nomine non intelligimus illud omne quod voluntati exhibetur in ordine ad mores; tunc enim complecteretur et finem et circumstantias. Sed sumitur stricte pro omni re ac persona, quæ primo et per se attingitur ab actu: sic v. g. res aliena est objectum furti; persona humana est objectum homicidii (1). Porro certum est actum humanum ab objecto

(1) Animadvertendum est, tale objectum non accipi *physice*, et secundum naturalem suam entitatem, sub quo respectu semper est bonum *bonitate naturæ*, ut ajunt, *et entis*, et potest dare speciem tam actui bono, quam malo: sic v. g. pecunia potest esse objectum materiale tam furti, quam restitutionis; tam avaritiæ, quam eleemosynæ. Sed considerari *moraliter*, quatenus convenit cum recta ratione et morum regulis, vel ab iisdem discordat: si convenit intrinsece et ex natura sua, uti amor Dei, erit immutabiliter bonum; si extrinsece tantum et vi legis positivæ, uti jejunium, poterit esse aliquando bonum, aliquando malum, ex fine nempe et circumstantiis. Hinc alii volentes strictiori loquendi formula uti, dicunt, actum humanum desumere suam moralitatem non ab ipso objecto, sed a modo tendendi in illud sive rationi consono sive dissono. Et hoc modo explicant odium Dei quod habet objectum optimum, et tamen est moraliter pessimum; quia vo-

suam moralitatem sumere, et quidem primariam. Ita Angelicus, aliique communiter.

1. *Actus humanus sumit suam moralitatem ab objecto.* Sane actio ab eo sumit suam moralitatem, a quo habet, ut sit bona aut mala; atqui ab objecto habet actio, ut bona sit vel mala. Unde legimus de peccatoribus: *facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt* (1). Et D. Augustinus: *talis quisque est, qualis est ejus dilectio: terram diligis? terra es; Deum diligis? quid dicam? quasi Deus es* (2).

2. *Sumit moralitatem primariam.* Illa moralitas primaria dici debet, quæ actui ante aliam quamcumque convenit, et quæ etiamsi aliæ mutentur, semper tamen eadem ipsa remanet; atqui moralitas ab objecto sumpta ante aliam quamcumque actui convenit, cum actus sine ea concipi non possit, bene vero sine aliis: et aliæ mutari possint, ista vero numquam mutetur. Sic furtum, quod quis in ecclesia committit ad se inebriandum, primario concipitur malum ratione objecti, quatenus nempe est ablatio rei alienæ, invito rationabiliter domino: quæ quidem injustitia furto inhæret, etiam mutato fine, qui est ebrietas, et circumstantia, scilicet loci sacri.

Q. 2. *Quidnam requiritur, ut actus humanus bonitatem vel malitiam ab objecto desumat?*

R. Ut actus humanus sumat bonitatem ab objecto, non sufficit, quod ista bonitas sit cognita; sed requiritur insuper, ut directe et explicite sit volita. Quare? *quia*, inquit Angelicus, *ad hoc, ut sit voluntas bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni, hoc est quod velit bonum, et propter bonum* (3). Hinc qui jejunat, ut parcat sumptibus, nihil apud Deum meretur, quia bonum non intendit prout bonum est; nam bonum nonnisi ex integra causa. Cæterum necesse non est, ut operans *in actu signato*, ut ajunt, seu *reflexe* bonitatem actus intendat, v. g. ut dicat secum: *volo id agere quia bonum est;* hoc enim esset onus importabile. Sed sufficit, ut eam intendat *in actu exercito*, nempe ut velit actum, qua ratione bonus est: uti v. g. si in eleemosyna intendat sublevare pauperem; jam vult bonum sub ratione boni.

Ut autem actus humanus malitiam desumat ab objecto, sufficit, ut ista sit cognita ac volita implicite et indirecte; agit enim contra rectam rationem quicumque aliquid appetit, cum quo percipit conjunctam esse malitiam, licet hæc secundum se ipsi non placeat. Nec refert, quod, agendo de bonitate actus, ipsa bonitas directe appetenda sit: disparitas in eo est, quod bonitas moralis sive honestas est appetibilis secundum se, et ideo secundum se seu directe appetenda est: malitia vero exigit non solum quovis tempore ac loco, et a quavis persona fugi; sed etiam quovis modo, ac ideo etiam indirecte et implicite: secus non omni modo vitaretur. Hinc qui se inebriat, licet non velit directe privationem rationis et ipsam ebrietatis malitiam, sed solam intendat delectationem quam percipit ex potu, turpiter tamen agit et peccat.

Q. 3. *Quid est finis?*

luntas fertur in Deum omni amore prosequendum modo rationi maxime dissono, scilicet odio habendo (ita Continuator Tournely.)

(1) Oseæ 9. (2) Tract. 2 in Joann. (3) 1, 2, q. 19, a. 7.

R. Finis definiri solet: *illud, cujus gratia aliquid fit.* Hinc finis in agente dicitur etiam ejusdem intentio.—Trifaria est finis divisio: 1 in finem operis, et finem operantis; 2 in finem primarium, et finem secundarium; 3 in finem intermedium, et finem ultimum (1).

Finis operis est ille, ad quem opus ex natura sua, et independenter ab arbitrio et voluntate operantis dirigitur: qui inde dicitur finis proprius et intrinsecus. Sic levamen pauperis est finis eleemosynæ.—*Finis operantis* est ille, qui ab ipsius operantis arbitrio eligitur et intenditur, et dicitur finis extrinsecus, qui in re morali maxime attenditur. Sic finis medici medicinam suppeditantis potest esse vel ægroti sanitas, vel pecuniæ aut gloriæ consecutio.

Finis primarius dicitur ille, qui influit in actum uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret.—*Secundarius* dicitur ille, qui allicit tantum ad agendum, quin tamen sit actionis causa efficiens (2).

Finis vero *ultimus* est ille, ad quem omnia referuntur. Est porro felicitas, in quam homo necessario fertur.— *Finis* demum *intermedius* est qui ad alium refertur, et in quo ultimo non quiescimus (3).

Certum est autem hominem libere agentem aliquem semper finem sibi proponere, ideoque semper agere debere propter finem aliquem. Nam agere libere est aliquid eligere; eligere vero est aliquid sibi proponere: hoc autem quid est aliud, quam agere propter finem? Finis autem duo refert: *causam* quæ impellit ad operandum; ac *terminum,* quia, obtendo fine, agens quiescit. Est porro finis ultimus in executione, licet sit primus in intentione; quia ut finis obtineatur, debent certo præire media (4).

Q. 4. *An actus humanus bonitatem et malitiam sumat a fine?*

R. Affirmative: actus humanus bonitatem et malitiam sumit a fine; inquit enim Scriptura: *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* (5). Oculi autem nomine *intentionem* seu *finem* designari, sic aperte tradit S. Augustinus: *oculum hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus: quæ si munda fuerit et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint: quæ omnia opera totum corpus appellavit* (6). Idem adducens exemplum Catilinæ, qui uti Apostoli, frigus, sitim, famem ferebat, ait: *unde*

(1) Finis solet etiam dividi in finem *cujus gratia*, et in finem *cui*: prior est res, cui obtinendæ agens dat operam: secundus est persona seu objectum, cui appetitur *finis gratia.* Sic in medico sanitas est finis *cujus gratia*, ægrotus est finis *cui.*

Item in finem *qui*, et finem *quo*: ille est quem consequi intendimus; iste est ipsius finis possessio. Sic Deus est finis *qui* hominis; visio beatifica finis *quo* seu formalis. Hæc divisio non est in duos fines, sed in duas res unum finem integrantes.

(2) Sic Canonicus interessendo choro primario intendit cultum, secundario stipendium.

(3) Sic media, quibus studet avarus ad augendam suam pecuniam, in qua collocat suam beatitudinem seu ultimum finem, dici possunt totidem *fines intermedii.* Ubi notamus hos fines plures esse posse, non tamen dari plures fines ulti mos totales. Sane finis ultimus est, ad quem omnia referuntur; at si duo essent isti fines, non omnia dici possent ad ipsos referri, neque super omnia appeti et amari; quia amor esset divisus inter duos. Huc facit illud Matth. 6: *Nemo potest duobus dominis servire.*

(4) S. Thomas, 1, 2, q. 1, a. 2. (5) Matth. 6. (6) L. II *de Serm. Domini.*

ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo, quem diversissimum sequebatur (1)?

Finis autem efficit actum humanum:—1 ex indifferenti bonum vel malum, uti patet v. g. in deambulatione, quæ bona vel mala intentione suscipitur;—2 ex bono meliorem, uti patet v. g. in eo, qui eleemosynam erogat, ut gratiam obtineat juste, caste, et temperate vivendi;—3 ex bono malum, uti patet v. g. in eo, qui dat puellæ eleemosynam ad eam seducendam;—4 ex malo pejorem, uti patet v. g. in eo, qui furatur ad se inebriandum;—5 denique ex malo bonum quoad operantem, uti patet v. g. in eo, qui facit actum materialiter malum, sed fine bono.

Quid (quæres) *dicendum si objectum sit bonum, sed malus finis: aut viceversa bonus sit finis, sed objectum malum?*

R. Ad 1: si finis est malus, totus actus malus erit, juxta illud: *si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Qui enim malo fine agit, vult bonum, sed sub ratione mali; ideo prout est volitum ab ipso, malum est (2), nam *bonum ex integro.* Sane ratio improbat, ut eligatur bonum ob finem malum: hinc Deo displicuerunt dona Caini licet pinguia, quia a malo fine provenientia.

R. Ad 2: si actus est objective atque in se malus, non potest fieri bonus ob bonum finem; tum quia *bonum ex integra causa*, ut ait Dionysius, vel quis alius (3); tum quia eos damnat Apostolus, qui dicunt: *faciamus mala, ut veniant bona* (4). Hinc D. Thomas: *non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum* (5). Neque obstat illud: *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (6); quia non potest esse oculus simplex, nisi intentio fuerit recta; nec recta intentio, nisi bonus finis bene intendatur; nec bene intendi, nisi per media bona. Idem dicendum de illo Augustini: *bonum opus intentio facit* (7), et de aliis similibus. — Non tamen negandum, bonum finem minuere malitiam actus mali; qui enim sic agit, minori affectu fertur in peccatum, et plerumque ignorantia aliqua iste laborat.

Q. 5. *An in eodem actu possit esse duplex bonitas vel malitia?*

R. Affirmative: in eodem actu potest esse duplex bonitas vel malitia; potest enim idem actus congruere vel pugnare cum sua regula duplici ex capite. Quo in casu duplex habebitur bonitas vel malitia, ob exercitium videlicet aut violationem duarum virtutum distinctarum. Hinc qui furatur rem sacram, peccat et contra justitiam, quæ vult ut nemo lædatur; et contra religionem, quæ vult ut res sacræ non distrahantur. Hinc qui jejunat ex præcepto, magis meretur, quam qui id facit ex sola devotione; quia ille duarum virtutum intuitu movetur ad bene agendum, obedientiæ et temperantiæ. Ita Angelicus (8).

Ex his etiam infertur pro praxi: — 1 quod Confessarius pœnitentem, qui se accusat v. g. de furto, debet interrogare circa finem ab ipso intentum; nam si hoc furto intenderit pecuniam sibi comparare ad se inebriandum,

(1) *De moribus Manich.* l. II, c. 13, n. 28.
(2) S. Thomas, 1, 2, q. 19, a. 7. (3) *De divinis nominibus.* (4) Rom. 3.
(5) *De malo* q. 2. (6) Matth. 6. (7) In Ps. 31. (8) *Cont. gent.* c. 138.

nova esset in eo malitia. Ita si detraxerit proximo, quærat an fortasse hac ratione intenderit impedire eum a lucro vel aliqua dignitate consequenda; — 2 quod valde præstat, ut bonum faciens plures sibi proponat fines, quoad res ipsa dederit, v. g. si eleemosynam tribuat, intendat fratrem sublevare, Deum colere, pro peccatis satisfacere, etc. ita ut multiplicatis bonis intentionibus multiplicentur et merita.

Q. 6. *Quid si actus habeat duplicem finem, unum nempe bonum, alterum vero malum?*

R. Si actus habet duplicem finem, unum bonum, alterum vero malum, videndum est, utrum finis malus sit secundarius, an primarius, nempe utrum hæc circumstantia mali finis superveniat actioni jam bonæ; an vero hæc circumstantia antecedenter se habeat, et influat in totum operis corpus, ipsum causando.

Si 1, bonitas actionis imminuitur quidem aliquantisper, sed non tollitur substantialiter; quia finis malus se habet tantum concomitanter; quin in ipsam actionis substantiam influat: ut est quædam vanagloria in eo qui opus bonum exercet. Si secus esset, ait Billuart, vix ullus vel in ipsis Sanctis reperiretur actus bonus, cum tam facile opus quodlibet bonum circumstantia aliqua leviter mala infici contingat.

Si 2, actus erit totaliter malus, quia tunc ideo actus ille eligitur, ut sit instrumentum ad malum, quod recta ratio improbat. *Cum aliquis*, ad rem Angelicus, *vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab eo omni quod in eo est, malitiam habeat* (1). Hoc sensu ait Apostolus: *modicum fermentum totam massam corrumpit* (2). Erit autem actus malus leviter vel graviter pro levitate vel gravitate finis; cum ipse sit regulariter tota ratio malitiæ (3).

ARTICULUS II — De circumstantiis.

Q. 1. *Quid est circumstantia?*

R. Circumstantia sic dicta quasi *actum circumstans*, definiri potest: *accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tum physico tum morali*. Duo requiruntur ad circumstantiam: — 1 ut non tribuat actui primam essentiam, quia ipsa est aliquid entitati actus extrinsecum, ita ut sine illa et concipi et subsistere possit. Talis est in furto circumstantia loci sacri; — 2 ut aliquam moralitatem in actum referat. Sic v. g. sicuti in furtum refert, quod in loco sacro patratum fuerit; ita nihil interest, quod manu dextera vel læva illud commissum sit.

Quod autem actus humanus sumat bonitatem et malitiam a circumstantiis, patet: — 1 ex *Evangelio:* mulier laudatur quæ duas tantum monetulas missit in gazophylacium; imo divitibus ipsis plus offerentibus fuit a Christo prælata ob circumstantias tam illius paupertatis, quam boni desiderii amplius tribuendi (4); — 2 ex *Tridentino*, quod definivit jure divino in Confessio-

(1) In 2, d. 38, q. 1, a. 4 ad 4. (2) I Cor. 5.

(3) *V.* Contenson, *Theol. cordis*, ubi hac de re eleganter pro more suo. It. Liguori, *Opus Morale*, l. V, Tract. præamb. n. 38. (4) Marc. 12.

ne declarandas esse circumstantias peccati speciem mutantes (1): quod frustra præceptum esset, si circumstantia malitiam actui non tribueret;—3 ex ratione, quæ dictat ex circumstantiis revera actum sæpius evadere pejorem, ut si quis percuteret proprium patrem, ageret non solum contra justitiam, sed etiam contra pietatem.

Q. 2. *Quomodo circumstantiæ distinguuntur?*

R. Circumstantiæ sunt triplicis generis. Aliæ mutant speciem: aliæ non mutant, sed dumtaxat novam addunt speciem: aliæ denique bonitatem vel malitiam augent, vel minuunt intra eamdem speciem.

1. Circumstantiæ, quæ *mutant speciem*, illæ sunt, quæ actum humanum vel ex una specie trahunt ad aliam, v. g. ex indifferenti eum reddunt bonum vel malum: sic deambulatio, quæ fit ob corporis sanitatem, transit in actum bonum ex indifferentia, quam habet ex natura sua. Vel primam speciem ita præfocant, ut impediant quominus se prodere valeat: sic eleemosyna data primario ob vanagloriam mala est, et ita mala, ut bonitas ex objecto omnino evanescat.

2. Circumstantiæ, quæ *addunt speciem*, sunt illæ, quæ bonitati vel malitiæ objectivæ novam bonitatem vel malitiam addunt. Sic v. g. bonitati eleemosynæ, si hæc fiat ad obtinendam a Deo gratiam juste et pie vivendi, talis intentionis circumstantia addit novam bonitatem. Sic item malitiæ furti, quod committitur in loco sacro, illa circumstantia loci addit novam malitiam.

3. Circumstantiæ, quæ tantummodo *bonitatem* vel *malitiam augent*, aut *minuunt intra eamdem speciem*, sunt illæ, quæ bonitatem ipsam, vel malitiam actus humani faciunt tantum majorem aut minorem. Sic major vel minor pecuniæ quantitas in eleemosyna facit majorem vel minorem eleemosynæ bonitatem: item major vel minor pecuniæ quantitas furto sublata facit majorem vel minorem furti malitiam. Istæ dicuntur etiam circumstantiæ *aggravantes* vel *attenuantes*.

Id autem duplici modo contingere potest: graviter, seu ut ajunt, *notabiliter;* et leviter, seu *non notabiliter*. Circumstantia notabiliter augens in materia quantitatis, seu quæ sita est in numero, pondere et mensura tunc censetur, quando seorsim sumpta et disjuncta ab ipso actu sufficit ad constituendum peccatum mortale: v. g. si supponamus libellas tres in furto constituere materiam gravem, in furto libellarum sex erit circumstantia graviter augens quantitatem trium libellarum.—In aliis vero materiis censetur adesse circumstantia nobiliter augens quando excedit modum ordinarium peccandi: v. g. si quis per mensem, vel per annum integrum perseveret in odio; vel si quis totam noctem transigeret peccando cum muliere; vel inimicum occideret ipsum membratim concidendo.—Si horum nihil occurrat, circumstantia censetur leviter augens: ut si quis furaretur quatuor libellas; vel si post gravem rixam aliquantulum temporis permanserit in odio (2).

(1) Sess. 14, c. 5.

(2) Cæterum hic diligenter advertendum est, quod circumstantia quæ peccatum transfert de veniali in mortale, licet speciem *moralem* non mutet, mutat tamen speciem *theologicam*, ut vocant, et *demeritoriam*. Sic v. g. furtum libellæ unius *specie morali* non differt a furto libellarum mille; nam utrumque virtuti justitiæ eadem ratione opponitur. Sed differt *specie theologica*, quatenus furtum leve non meretur gratiæ et gloriæ privationem, ut furtum grave.

Q. 3. *Quot numerantur circumstantiæ?*

R. Septem numerantur circumstantiæ notissimo illo Tullii versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando (1)?

Quis indicat qualitatem et conditionem personæ operantis: v. g. ecclesiastici ne an laici, liberi ne an conjugati? *Quid* designat quantitatem, et qualitatem objecti: v. g. utrum res ablata sit sacra necne, gravis ne an levis? *Ubi* denotat qualitatem loci, in quo peccatum commissum est: v. g. an in templo Dei, an extra? *Quibus auxiliis* denotat media, et instrumenta operandi: v. g. an ope dæmonis aut maleficii amorem quis impurum inspiraverit? *Cur* exprimit finem extrinsecum operantis: v. g. utrum quis ad sacram Synaxim accedat pietatis, an vanagloriæ causa? *Quomodo* indicat modum actionis accidentalem: v. g. intensene, an remisse, an cum plena an semiplena advertentia? *Quando* denotat tam qualitatem temporis accidentalem: v. g. an frequentaverit popinas die festo? quam temporis ejusdem durationem: v. g. an odium et detractio longo tempore perduraverit?

Notandum autem, quod actus humanus potest esse alio melior vel pejor intra eamdem speciem: et quidem *essentialiter, intensive* et *extensive*. Melior est vel pejor essentialiter, id est ex fine, si ex perfectiori vel pejori motivo fiat. Intensive, id est ex circumstantiis, si fiat cum majori conatu, ardore ac vehementia. Extensive, nempe ex parte objecti, si ad complura objecta bona vel mala se extendat; si quis alicui uno actu plura desideret bona vel mala.

Q. 4. *An actus externus addat bonitatem vel malitiam actui interno?*

R. Affirmant Scotistæ, quia externe operari bonum vel malum est certe aliquid majus, quam illud tantum concupiscere (2). Attamen Thomistæ cum communiori negant docentes, actum externum *per se* nullam addere actui interno bonitatem, vel malitiam moralem (3). Constat ex *Scripturis*, ubi voluntas efficax pro facto reputatur; ait enim Deus Abrahamo: *quia non pepercisti filio tuo* (4), et tamen pepercit. Ratio autem est, quia actus externus nullam habet imputabilitatem propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni, quamvis sit illius veluti consummatio. Unde in solatium piorum, qui desideriis bonis flagrant, quin ea implere possint, ait D. Thomas: *tantum meretur qui habet voluntatem perfectam aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud* (5). Diximus *per se*, quia per accidens actus ex-

(1) Alii inter circumstantias numerant etiam *quoties*; non tamen ad rem per se loquendo, ut observat Alasia; nam hoc adverbium nihil novi actui superaddit, sed indicat dumtaxat multiplicationem ejusdem actus æqualiter contingentem.

Dixi *per se loquendo*; quia per accidens multiplicatio potest esse circumstantia, quatenus inducit majorem inclinationem, et intensionem ad actum. De circumstantiis vid. Suarez. *De pœnitentia*, Disp. 22, sect. 6.

(2) *V.* Liguori *Opus. Mor.* l. V. Tract. præamb. n. 40.

(3) Hic minime agitur de iis actibus, quibus ex divina institutione quædam gratia particularis alligata est, uti sunt v. g. Sacramenta quæ gratiam producunt *ex opere operato*, uti Scholæ loquuntur. Certum enim est, non æqualem gratiam recipere cum qui se Sacramentis reficere desiderat, quam qui reapse reficitur; cum gratia Sacramentorum sit a Christo promissa actu eadem suscipientibus.

(4) Gen. 22.

(5) In 2 *d.* 40, q. 1, a. 3. Attamen docet idem S. Doctor ex bono actu exteriori provenire aliquod

ternus bonitatem vel malitiam sæpius addit actui interno; atque ita in praxi Thomistæ consonant cum Scotistis. Sic Angelicus postquam dixisset, actum externum nullam actui interno bonitatem vel malitiam tribuere, excepit: *nisi contingat ipsam voluntatem* (per actum exteriorem) *secundum se fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis* (1). Porro regulariter ita evenit: et sane quoties contingit actum externum esse causam et occasionem, ob quam actus internus pejor evadat, vel quia actus ipse internus multiplicatur, donec per exteriorem obtineat executionem suam; vel quia majorem habet durationem, cum statim actus exterior perfici nequeat?

Præterea nonne per actum exteriorem magis hebetantur sensus et proniores fiunt ad malum potentiæ ipsæ exteriores? scandala interdum nascuntur? contrahuntur censuræ? oritur obligatio restituendi? Ideo quia regulariter aliquid ex his accidit, bene ait Habert, eum qui externe operatur peccatum, majus malum committere, quam qui illud tantum concupiscit. —Adde: actus externus est interioris complementum, et ex toto unus exurgit actus moralis, ideoque semper est in confessione aperiendus. Merito ergo hæc propositio ab Alexandro VII damnata est sub n. 25: *qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Q. 5. *An extent actus humani indifferentes* (2)?

R. 1: Certum de fide est, non omnes actus humanos esse indifferentes in se secundum suam speciem, seu objectum; cum quidam sint de se boni, uti v. g. actus Fidei, Spei et Charitatis: quidam de se mali, uti v. g. fornicatio, odium Dei. Ratio, quia sunt quædam objecta de se rationi consona, et quædam dissona.

R. 2: Etsi non de fide, attamen certum est, dari actus quosdam in specie et in abstracto prorsus indifferentes; actus enim humanus consideratus in sua tantum specie et in abstracto, est ejusdem naturæ, cujus est objectum. Atqui varia dantur objecta, quæ ex se et intrinsece neque bona sunt neque mala, sed plane indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut sunt ambulare, flores colligere, etc. Ergo dantur etiam actus humani indifferentes in specie. Huc facit illud D. Hieronymi: *bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare* (3).

R. 3: Tota quæstio est, an dentur aut dari possint actus indifferentes in individuo agente cum deliberatione. —Affirmant Scotistæ sic argumentantes: actus, qui nec bonitatem nec malitiam contrahunt ex objecto, fine et

præmium, non quidem essentiale sed accidentale. Sic Martyres qui facto pro Christo passi sunt, habent præmium accidentale seu, quamdam veluti *aureolam*, super illos, qui martyrium quidem exoptarunt, sed revera non potuerunt eodem coronari, licet æquali amoris fervore in Christo mortui sint. De aureola C. Ferraris, *Bibliotheca*, etc. V. martyrium. — Liguori, *Dissertazioni teologico-morali*, diss. 9, § 7.

(1) 1, 2, q. 20, a. 4.

(2) Actus humanus potest considerari vel in propria tantum specie, uti loquuntur Sholastici, et in abstracto; vel in individuo et in concreto. In specie et in abstracto est actus consideratus in ordine ad solum objectum, ad quod extenditur, uti deambulatio in se, abstrahendo a quolibet deambulationis fine, et a circumstantiis quibuscumque. In individuo et in concreto est actus consideratus non solum in ordine ad objectum, sed etiam ad agentis finem et circumstantias.— V. Liguori, *H. Ap.* Tr. 3, n. 21.

(3) Epist. 8.

circumstantiis, sunt indifferentes in individuo; atqui dantur hujusmodi actus: ut esset v. g. ambulare, spuere, ad ignem accedere. Nulla sane est obligatio hæc ponendi, nec qui ea ponit, intendit finem positive honestum; ergo istæ actiones in individuo ipso sunt omnino indifferentes quoad mores.

Verum probabilius docent Thomistæ cum Bellarmino, Suarez, Valentia, etc. nullos omnino dari actus humanos indifferentes in individuo, scilicet *quoad bonitatem vel malitiam moralem in ordine naturali. Omne verbum otiosum,* ait Christus, *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (1): est autem *otiosum verbum* (interprete Gregorio M.) *quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret* (2). Omnis ergo hominum sermo, qui non habeat talem necessitatem vel intentionem, habet insitum vitium; ergo nulla vel minima res in individuo indifferens esse potest. Et Angelicus sic nervose argumentatur: *oportet, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse vel malum* (3).

Diximus *quoad bonitatem vel malitiam in ordine naturali;* nam quoad meritum vel demeritum in ordine ad vitam æternam, utique dantur actus indifferentes in individuo. Sic actus fidei et spei, quibus impii divina gratia excitati tendunt ad justitiam, nec merentur salutem æternam, quia impii gratia sanctificante sunt destituti; nec digni sunt morte, quia illi actus sunt dona Dei ac Spiritus Sancti impulsus, non quidem habitantis, sed moventis (4). Hinc in Concilio Constantiensi hoc sensu damnata fuit hæc Joannis Hus propositio: *nulla sunt opera indifferentia, sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quod sunt virtuosa vel vitiosa.*

Q. 6. *An omnes actiones humanæ ad Deum sint referendæ* (5)?

R. *Si agatur de relatione naturali,* commune est atque tenendum omnes actus deliberatos ad Deum esse referendos; Deus enim est ultimus hominis finis et ut talis super omnia diligendus: porro hæc intelligi nequeunt absque debita operum nostrorum in Deum relatione. *Virtualiter omnia referre in Deum cadit sub præcepto charitatis, quum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum finem ultimum*: ita Angelicus (6). Sed facilis est hæc naturalis relatio actionum ad Deum; etenim eo ipso quod quis a pravo fine abstinet, non obstante naturæ in malum proclivitate, actum suum ad Deum tamquam principium omnis recti ordinis implicite referre censetur. Unde propter Deum

(1) Matth. 12 (2) L. VIII. *Moral.* cap. 17. (3) 1, 2, q. 18, a. 9.

(4) *V. Tridentinum*, sess. 6, c. 6; et sess. 14, c. 4. — Quamquam nonnisi improprie tales actus indifferentes dicuntur; cum non tantum deliberate fiant, sed etiam ad aliquod consequendum nos moveant.

(5) *V.* Gomet, Clypeus Theol. *de Grat.*, disp. 1, a. 3. — Gury, *De Act.* c. 3, a. 2.

(6) Q. 2, de charit. a. 2, ad 3.

agere facile possumus, quin semper de Deo cogitemus. Sic operarius nonne tota die operatur mercedis amore, licet tota die nequeat de ipsa cogitare? Sic nonne peregrinus qui iter agit patriam suam versus, semper dicitur ad patriam suam tendere, licet non semper de ea cogitet? Quare tametsi aliquis accedens ad mensam non cogitet actu de vitæ conservatione, sed solum de fame sedanda, non ideo peccare dicendus est; qui enim vult famem explere, saltem virtualiter et implicite id vult propter ipsam conservationem, sicque cibum non appetit inordinate (1).

Si vero agatur de relatione supernaturali, seu ex motivo fidei apprehensa, disputant: sed videtur affirmandum dari præceptum omnes humanas actiones ad Deum supernaturali relatione referendi non quidem actualiter, quod est impossibile, nam in hac vita *non est possibile,* ut dicit D. Thomas, *quod de Deo semper cogitetur* (2); sed virtualiter, idest vi intentionis prius elicitæ: et ideo valde congruit, ut sæpius in die, saltem mane, generaliter Deo offerantur omnes actus nostri, ut ita omnis actus etiam indifferens in specie fiat bonus et virtuosus in individuo. Audiatur Gousset: «Esta cuestion no está decidida; pero la afirmativa es bastante fundada por lo que mira á los cristianos. Segun el Apóstol debemos hacerlo todo para la mayor gloria de Dios: *omnia in gloriam Dei facite* (3). Ahora bien, parece que un cristiano no puede obrar para la gloria de Dios, sino obra en nombre de Jesucristo y en union con él, conforme á este otro precepto del mismo Apóstol: *omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi* (4)..... Esta obligacion no es demasiado rigurosa para el cristiano: no causa mayor fatiga obrar de un modo conforme á su último fin, que es un fin sobrenatural, que el referir las acciones propias á un fin puramente natural: *parece al contrario casi imposible que un cristiano haga una obra buena, sin que tomen parte en ella los motivos que sugiere la fe* (5).»

DISPUTATIO SECUNDA

DE CONSCIENTIA.

CAPUT PRIMUM

DE CONSCIENTIÆ NATURA ET OBLIGATIONE.

Q. 1. *Quid est conscientia?*

R. Conscientia, si nominis etymologia spectetur, idem sonat ac *cordis scientia,* quasi nempe sit scientia earum rerum, quæ in animo nostro sitæ sunt: ita D. Bernardus.—Vel ex S. Antonino sic dicitur a *conclusione* et *scientia,* quasi idem sit ac *concludens scientia.*—Vel demum sic dicitur, quia impor-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.,* l. V. Tract. præamb. nn. 41 et seqq. (2) Q. unic. *de charit.* q. 11.
(3) I Cor. 10. (4) Coloss. 3. (5) Bergier, *Dizionario.* V. *Atti umani.*

tat ordinem scientiæ ad aliquid, ita ut idem sit ac *cum alio scientia*, ut juxta magis propriam significationem docet Angelicus, qui proinde conscientiam definit *applicationem scientiæ ad opus aliquod particulare* (1).

Sed moraliter spectata conscientia communiter definitur: *judicium rationis practicum dictans ex principiis morum generalibus, quid in particulari hic et nunc agendum ut honestum et bonum; quid vero fugiendum ut inhonestum et malum.*—Brevius autem sic definiri potest conscientia: *actus intellectus, dictans quid hic et nunc amplectendum sit, aut fugiendum.* Dicitur *actus*, non potentia vel habitus; cum conscientia sit applicatio scientiæ ad ea, quæ agimus. Dicitur *actus intellectus*, nam conscientia est judicium de agendis, quod pertinet ad intellectum. Dicitur *dictans quid*, etc.: unde patet conscientiam, ut est regula actuum humanorum, versari præcipue circa actus futuros, licet aliquando versetur etiam circa præteritos, judicando utrum illi ponendi essent uti boni et honesti, an fugiendi ut inhonesti et mali. In primo casu illos approbat et laude coronat, uti contingit in justis et beatis, qui cum Apostolo jure merito dicere possunt: *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (2). In secundo vero casu eos redargüit atque vituperat, uti contingit in peccatoribus et in damnatis in inferno, ubi *vermis eorum*, dicente *Scriptura* (3), *non moritur* (4).

Ex hac conscientiæ definitione patet etiam discrimen inter *conscientiam* atque *synderesim*.—Synderesis (sic dicta a verbo græco Συντηρεω, quod idem sonat ac *conservare*) est *judicium habituale speculativum* principiorum generalium, v. g. *peccatum esse vitandum, virtutem esse diligendam*, etc. Conscientia vero est *judicium actuale practicum*, quo principium generale applicatur actioni peculiari, v. g. *non debeo condiscipulum meum hac injuria lacessere: debeo hac in re superioribus meis tamquam Deo ipsi obtemperare*, etc. (5) *(H)*.

Q. 2. *An conscientia habeat vim obligandi, et undenam?*

R. Ad 1. Certum est conscientiam habere vim obligandi quammaximam: ratio est quia agere contra conscientiam præcipientem aliquid faciendum vel omittendum, semper includit voluntatem peccandi; cum hoc nihil sit aliud, quam agere id, quod prohibitum judicamus. Hinc Angelicus: *secundum hoc enim ligare conscientia dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit* (6). Sane si res ita non esset, eccur voluisset Deus quemlibet hominum conscientia esse præditum? eccur jussisset mortales singulos veracem, incorruptum et inexorabilem hunc *nocte dieque suum gestare in pectore testem*? Conscientiæ vim sentiebant et aperte fatebantur ipsi gentiles: *magna vis est conscientiæ, Judices,* (inquiebat Tullius pro Milone in Senatu), *et magna in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, et pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint.*

(1) 1, p. q. 79; a. 13; et q. 17 *de verit.* a. 2. (2) II Cor. 1. (3) Marc. 9.

(4) Remorsus conscientiæ inter præcipua Dei beneficia numerari debent; etenim pœnam atque vindictam præseferunt, ast vere paternam, et qua nulla datur salubrior; ostendunt nimirum hominem quidem a Deo, sed Deum nondum discessisse ab homine.

(5) «Qui tum rationem practicam, tum moralem sensum sedulo excolit, ac ejusdem dictamen prompto animo exequi consuevit, illum sibi habitum comparat, quem *conscientiositatem* dicimus.» Stapf, *Theol.* § 77. (6) Q. 17 *de verit.* a. 4.

R. Ad 2. Hujus autem obligationis radicem sic explanat D. Bonaventura: *conscientia est sicut præco Dei et nuntius ; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulgat edictum regis : et hinc est, quod conscientia habet virtutem ligandi* (1). Et Chrysostomus ait (2) : *hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, et a Deo cervicibus nostris impositum (I).*—E contrario autem nullus est actus moralis sine conscientia ; nam repugnat, ut actio alicui ad bonum vel ad malum imputetur, si nullimode de ea sibi sit conscius : at *conscire sibi* conscientia est *(J).*

Q. 3. *An plus obliget conscientia, quam superioris præceptum?*

R. Affirmative : plus obligat conscientia, quam superioris præceptum. *Conscientia*, ait Angelicus, *non ligat, nisi vi præcepti divini...; comparare igitur ligamen conscientiæ ad ligamen, quod est ex præcepto prælati, non est aliud quam comparare ligamen præcepti divini ad ligamen præcepti prælati. Unde cum præceptum divinum obliget contra præceptum prælati, et magis obliget quam præceptum prælati, conscientiæ ligamen erit majus, quam ligamen præcepti prælati* (3). Hinc in *Scriptura* dicitur : *obedire oportet Deo magis quam hominibus* (4). Et D. Petrus ad Judæorum principes iniqua eidem præcipientes ajebat : *si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate* (5).

CAPUT SECUNDUM

DE CONSCIENTIÆ DIVISIONE.

Conscientia potest considerari : 1 ratione temporis, quo judicium illud practicum exercetur ; 2 ratione objecti, circa quod idem versatur ; 3 ratione obligationis legis, quam respicit ; 4 ratione assensus in ipso agente.

Ratione temporis, vel istud actionem præcedit vel eam subsequitur : si 1, dicitur *conscientia antecedens*, et refertur ad actus futuros ; si 2, dicitur *conscientia consequens*, et refertur ad actus præteritos. — Ipsa conscientia consequens vel accusans est et remordens, vel excusans est et tranquilla : illa *remorsus*, ista *testimonium bonæ conscientiæ* nuncupatur.

Ratione obligationis, conscientia est *præcipiens, prohibens, consulens, permittens.* Cum iste duplex respectus nullam gravem exhibeat controversiam, agemus tantum de conscientia ratione objecti et assensus. — Porro ratione objecti conscientia alia est *vera*, alia *erronea*, seu *falsa*, alia *perplexa;* ratione assensus alia est *scrupulosa* et *laxa*, alia *certa* et *dubia*, alia *probabilis* et *improbabilis.*

ARTICULUS I — DE CONSCIENTIA VERA, FALSA ATQUE PERPLEXA.

Q. 1. *Quid est conscientia vera?*

R. Conscientia vera ea est, *quæ ex veris principiis recte concludit aliquid*

(1) In 2, *d.* 39, a. 1, q. 3. (2) Hom. ad pop. Anth.
(3) Q. 17 *de verit.* a. 5. (4) Act. 5. (5) Act. 4.

esse licitum vel illicitum, quod revera tale sit. Hanc sequi tenemur; nam ipsa Deum nobis repræsentat vere præcipientem vel vetantem aliquid; ergo qui conscientiæ veræ obedire recusat, recusat obedire ipsimet Deo. Hinc Apostolus ajebat: *omne autem quod non est ex fide, peccatum est* (1). Et Innocentius III addit: *quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam* (2).

Conscientia autem vera, *stricte loquendo,* non eadem est ac conscientia recta, quamvis nonnumquam promiscue usurpentur; nam *verum* dicitur juxta quod est, *rectum* autem juxta quod apprehenditur. Nempe *verum* est illud, quod revera in se tale est; *rectum* vero est illud, quod fit juxta prudentiæ regulas. Unde conscientia recta prædicari potest etiam de eo, qui laborat conscientia falsa invincibiliter; nam iste prudenter operatur, cum operetur ex intima persuasione insuperabili. Et ideo ejus conscientia est recta: «ut liquet, inquiunt Salmanticenses, exemplo Jacob accedentis ad Liam, «qui tunc sibi hunc discursum vel formaliter vel virtualiter efformavit: *li-*«*citum est accedere ad propriam uxorem; sed hæc est mea uxor, ut prudenter* «*judicare debeo; ergo mihi licitum est nunc ad eam accedere* (3).»

Q. 2. *Quid et quotuplex est conscientia erronea?*

R. Conscientia erronea (seu falsa) ea est, *quæ dictat tamquam verum et licitum, quod tamen in se et falsum est et illicitum.*

Duplex distinguitur conscientia erronea: *invincibilis* et *vincibilis.* Invincibilis ea est, quæ moraliter vinci non potest; cum nulla cogitatio neque dubium erroris ne in confuso quidem veniat in mentem operantis, dum ponit actionem vel ejus causam. — Vincibilis vero ea est, quam operans potest quidem et debet vincere, quia errorem jam advertit vel saltem de eo dubitat, atque simul advertit ad obligationem illam vincendi; attamen vincere negligit. Hæc autem subdividitur pro ratione ignorantiæ, a qua oritur, in *affectatam*, in *crassam* sive *supinam*, et in *pure vincibilem.*

Q. 3. *An peccet qui sequitur conscientiam erroneam?*

R. Vel conscientia est erronea vincibiliter, vel invincibiliter:

Si, 1 qui agit, semper peccat, sive juxta sive contra conscientiam operetur; nam si agit *juxta*, cum eam deponere possit et debeat, temere operatur, eam non deponendo; si vero agit *contra*, eligit quod judicat esse malum, et hoc profecto peccatum est. Verum gravius ordinarie peccat qui agit *contra*, quia magis explicitum demonstrat affectum suum ad peccatum; quam ille, qui *secundum* illam operatur: cum iste agat ex ignorantia, quæ minuit peccatum. Exemplum esset, ajunt Salmanticenses, in illo qui vincibiliter credit sibi mentiendum esse ad tuendam vitam proximi. — Aliquando tamen gravius peccat qui *secundum* illam operatur, ut si conscientia vincibilis ei dictet, quod debeat furari ad elargiendam eleemosynam. — Aliquando vero æqualiter peccat sive agat *juxta* sive *contra*, uti esset si quis erronee judicaret, sibi dari præceptum obligans ex justitia ad furandum, ut creditori faciat satis. Ratio istorum est, quod gravitas violationis sumitur ex gravitate præcepti, quod violari creditur.

Si 2, conscientia sic errans sequenda est; nam licet illa actio, quam dictat

(1) Rom. 14. (2) C. *Litteras* de rest. spol. (3) Tract. 20 *de princip. Moral.* c. 3, pun. 2.

conscientia, recta non sit in se, est tamen recta juxta conscientiam agentis: ita ut quotiescumque conscientia ei suggerit sic agendum, teneatur juxta illam operari, et peccat contra agendo; nam *quod non est ex fide, peccatum est* (1). Nempe quod non est ex intima persuasione quod sit licitum, peccatum est, ut interpretantur communiter Patres apud Estium (2), et patet ex contextu. — Imo sic operans probabilius acquirit sibi meritum, uti recte docent Cuniliati, Sanchez et alii communissime (3). Ut enim aliquis actus dicatur non solum bonus (saltem inadæquate), sed etiam meritorius, sufficit ut per rationis et prudentiæ dictamen bene dirigatur; atqui actus operantis juxta conscientiam invincibiliter errantem bene dirigitur juxta dictamen rationis et prudentiæ, ut patet. Ergo non solum erit bonus, sed etiam meritorius: non quidem in se ipso, et ratione naturæ suæ, cum hæc semper remaneat qualis est in se mala; sed ratione personæ agentis bona animi fide.

Sic subditus, qui ex recta intentione prælato suo obtemperat, meritorie operatur ex D. Bernardo, quamvis materialiter erret contra legem: *nec plane*, ait, *condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas* (4). In hanc sententiam consentit ipse Angelicus (5): *actus*, inquit, *humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur; et non secundum materiale objectum actus* (6).

Q. 4. *Quodnam peccatum est agere contra conscientiam errantem?*

R. Peccatum illius, qui contra conscientiam errantem operatur, habet eamdem speciem et gravitatem, quam quis putat suæ actioni vel omissioni inhærere, quia iste vult interpretative talem malitiam ac gravitatem, qualem in objecto apprehendit. *Actus*, inquit Angelicus, *judicantur secundum voluntatem agentium* (7); et D. Bernardus: *tantum malum, quantum crediderit.* Sic qui falso existimat tali die esse obligationem jejunii et non jejunat, peccat mortaliter contra legem jejunii. Unde patet in praxi teneri pœnitentem in confessione aperire, si egerit contra conscientiam erroneam.

Agens tamen contra conscientiam vincibiliter erroneam non incurrit pœnas latas contra transgressores illius legis, contra quam ex errore putat se

(1) Rom. 14.

(2) Chrysostomus, Theophilactus, Patres Concilii Lateranensis IV, c. 41, etc.

(3) Hic tres habemus sententias principales. *Prima* docet nullum meritum oriri ex actione illa utpote in se ipsa mala; neque error etiam invincibilis in agente valet mutare naturam rei. — *Secunda* tenet ex tali actione utique meritum oriri, cum ea sit bona operanti, qui quantum in se est, agit juxta morum regulas. — *Tertia* autem, in quam consentimus, docet operantem mereri, non quidem ratione objecti, quod est malum; sed ratione finis, qui est bonus. Nempe qui hac ignorantia laborat, duo efformat quasi judicia: unum generale, quo vult bonum; alterum particulare, quo scilicet ponit hoc medium ad bonum illud obtinendum. Primum porro judicium est meritorium, non vero secundum. Sic in eo qui invincibiliter credit sibi esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, duo habentur judicia, unum universale et antecedens, quo vult salvare vitam proximi, et hoc bonum est et meritorium, cum procedat a charitate et verum sit: alterum particulare, determinatum et subsequens, quo putat sibi esse mentiendum, ad proximum salvandum, et hoc in se meritorium non est, cum in se malum sit, quamvis excusetur per ignorantiam invincibilem. — Alasia. (4) *De præcept. et dict.* c. 12 et 17. (5) Quodl. 3, a. 27.

(6) Quæ autem opponuntur testimonia, sunt intelligenda de bono absoluto, et simpliciter sumpto; non autem de bono respective et per accidens, prout a conscientia invincibiliter apprehensum est. — Liguori, *Opus Mor.* l. 1, n. 6. (7) Lectio 2 in c. 14., Epist. ad Rom.

agere; quia pœnæ infliguntur transgressoribus legis veræ, non putativæ: sic v. g. qui percutit laicum putans illum esse clericum, non incurrit excommunicationem. Aliunde pœnæ respiciunt actum formalem externum, et stricte accipiendæ sunt.

Q. 5. *Quid agere debet laborans conscientia vincibiliter errante?*

R. 1: Qui laborat conscientia vincibiliter errante, debet eam deponere non temere, sed prudenter. *Temere* eam deponunt qui ejus judicium contemnunt, ut liberius peccent; qui Doctores quærunt loquentes *sibi placentia* (1); qui ratiunculis quibuscumque, modo libertati faveant, cito acquiescunt. *Prudenter* autem eam deponunt qui Deum orant, ut det illis *intellectum ad scrutandam legem suam* (2); qui sincero veritatis detegendæ studio consilium petunt a prudentibus et piis. Non tamen necesse est, ut multi consulantur Doctores, sed sufficit ut unus vel alter interrogetur, ratione materiæ gravitatis. Imo regulariter sufficit pro illitteratis et maxime pro scrupulosis judicium sui confessarii, vel superioris.

R. 2: Si conscientia erronea hic et nunc deponi non possit, et adsit agendi necessitas, tunc habita intentione sese instruendi suo tempore, erit illa pars seligenda, *in qua minus mali appareat.* Sic ulteriori culpæ non imputabitur, sed error ex vincibili fiet invincibilis; cum actu deponi nequeat, et ejus causa fuerit retractata. Si tamen proximo illatum sit damnum, debet resarciri; nam subsequens retractatio culpæ per actum contritionis non facit, ut primitus libere ac peccaminose posita non fuerit causa efficax damni; neque ut damnum non sit ex ea secutum. Damnum enim non tam est considerandum tempore quo fit, quam tempore quo ponitur efficax ejus causa: unde sola contritio non sufficit ad illud avertendum, sed de facto impediendum est, efficacitatem causæ auferendo, vel resarciendum.

Diximus: *in qua minus mali appareat;* nam si agens elegerit id quod sibi majus malum videtur, peccat juxta excessum mali apprehensi; cum libere hunc excessum is eligat.

Conscientiam autem sui pœnitentis invincibiliter errantem judicare poterit confessarius: — 1 si res ignorata non sit circa prima principia moralia, vel circa conclusiones iis proxime connexas; hæc enim a natura ipsa in omnium cordibus insculpta sunt: hinc si quis fateatur, se in anteacta vita inhonesta perpetrasse, sed illa non habuisse uti peccata, ne facile ei credas; —2 si non sit circa obligationes proprii status: alioquin esset ignorantia culpabilis in causa: hinc docet S. Thomas non excusari judicem qui in sententia ferenda errat, propterea quod leges ignorat, quas didicisse tenebatur ratione sui officii (3); — 3 si pœnitens satis diligens sit et accuratus in iis adimplendis, quæ ab aliis hominibus ejusdem conditionis peragi solent; vel si advertens, se per ignorantiam violasse præceptum, doleat atque tristetur: per hæc enim recte præsumitur illius bona fides. Quæ si desint, merito judicabitur pœnitens errare vincibiliter.

Q. 6. *Quid est conscientia perplexa?*

R. Conscientia perplexa dicitur ea, *qua quis putat se peccare tam si hanc, quam si illam contradictionis partem elegerit.* Talis conscientia esset v. g. in

(1) Is. 38. (2) Psalm. 118. (3) Opusc. *de consc.* q. 17, a. 5.

illo, qui assistens infirmo, putat se peccaturum esse tam si infirmum deserat, ut Missæ intersit, quam si ex adverso Missam omittat, ut in cura infirmi domi moretur. — Qui laborat conscientia perplexa, si potest actionem suam sine gravi suo damno suspendere, tenetur illam suspendere, quousque peritos consuluerit; nam quisque vitare debet illud, quo putat Deum offendi. Si vero actionem suam suspendere non potest, tenetur minus malum eligere; alioquin peccat in excessu, quia in eo liber est.

Quid (inquies) *si laborans conscientia perplexa nesciat discernere quodnam sit minus malum?* In hoc casu quamlibet partem eligat, non peccat; quia est quidem liber physice ratione actus, liber tamen non est moraliter ratione peccati: neque sane peccatum esse potest *in eo, quod nullo modo caveri potest* (1).

ARTICULUS II — De conscientia scrupulosa et laxa.

Q. 1. *Quid scrupulus, ac conscientia scrupulosa?*

R. A S. Antonino scrupulus (2) definitur: *vacillatio quædam consurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus et incertis.* Conscientia ergo scrupulosa ea erit, *quæ levibus fundamentis innixa formidat*, seu potius *judicat esse peccatum quod non est, vel esse peccatum grave quod tantum est leve.* Ex his patet, quis sit homo vere scrupulosus; errant enim toto cœlo qui scrupulosum vocant christianum illum, qui salutis suæ sollicitus et filiali in Deum suum amore perductus, scrutatur *omnia opera sua* (3), ne forte in aliquo Deum ipsum offendat: iste non scrupulosus, sed timoratus appellandus est (4).

Complurima mala atque incommoda scrupuli causant: — 1 animi pacem extinguunt; — 2 mentem excruciant; — 3 hominem ineptum faciunt ad pietatis officia; — 4 sensum Divinæ bonitatis imminuunt; — 5 nonnumquam gravibus vulneribus animam sauciant, quando videlicet tot anxietatibus victus scrupulosus efformat conscientiam gravis peccati, et operatur; — 6 in graves etiam corporis morbos, in amentiam, aut in desperationem aliquando scrupulosum adducunt. Huc faciunt hi versus:

Pace caret, mentem excruciat, fit ineptus et æger,
Æterno exosus, peccans, spe nudus et amens.

Q. 2. *Quænam sunt signa, et characteres conscientiæ scrupulosæ?*

R. Characteres et signa scrupulosi hæc præcipua sunt: — 1 si quis putet se peccare in eo, in quo pii homines nullum omnino peccatum inveniunt;—

(1) S. Augustinus, L. III, *de lib. Arb.* c. 18, n. 50.

(2) Sic dictus a parvis lapillis, latine *scrupis*, qui viatorum quandoque se pedibus ingerunt et fastidium generant valde molestum. (3) Job 9.

(4) « Conscientia tenera ac timorata cum scrupulis confundi non debet, prout hominibus profanis usitatum est, qui eos quos magna conscientiæ religione duci, et ab ipsis etiam, ut ita dicam, peccatillis abhorrere conspiciunt, mox ut scrupulosos rident. » Ita *Ambrosius Stapf*, § 78. — Et § 196 increpat profanum vulgus, quod hominem pium rideat, ideo quia aliqua scrupulositate laborat: « etiamsi tenerrimus flos iste hinc inde spinis scrupulorum sepiatur, scrupuli equidem materiam commiserationis præbent, sed flos ipse admirationem meretur. »

2 si confessario vel alteri viro pio et docto asserenti nullum ibi esse peccatum, aut non credat, aut magno semper concutiatur timore, eos aliosque sine fine interrogans; — 3 si excutiendæ conscientiæ non faciat finem, et minutissima explicet, et confessiones diligenter actas ex toto vel ex parte repetat; — 4 si preces suas maxima cum animi anxietate et semper trepidans de peccato recitet, easque continuo de novo ordiatur; — 5 si signis ridiculis, gestibus, aliisque similibus utatur ad tentationes pellendas: v. g. oculos subito claudere, contrahere supercilia, annuere vel renuere capite, secum mussitare: *nolo; recede, diabole.* Hinc versus:

Errat, non credit, timet, excutit, anxius orat;
Ridiculis gestit signis, simillimus illi est,
Lambere qui turpes prohibet sua prandia muscas.

Q. 3. *Quænam scrupulorum causæ?*

R. Nomine causæ non intelligitur impellens ineluctabiliter, sed moralis et occasionalis; nemo enim ad agendum proprie adstringitur. Porro causæ istæ aliæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ.

Scrupulorum causæ intrinsecæ sunt:—1 naturalis corporis constitutio admodum disposita ad suspiciones et timores, uti est indoles melancholica; — 2 infirma capitis valetudo præsertim in mulieribus; — 3 ignorantia, qua quis Dei et Ecclesiæ præcepta non bene percipit; — 4 superbia occulta, qua quis nimis proprio fidit judicio; — 5 nimia abstinentia, et vigiliæ immoderatæ, quibus, capite debilitato, facile conturbatur animus. Hinc versus:

Indolis et capitis status, mens turgida, inersque;
Si nimis abstineas, si vigiles nimium.

Extrinsecæ vero scrupulorum causæ sunt: — 1 Deus, qui scrupulos permittit *in justis,* ut sic purgati magis proficiant; *in tepidis,* ut christianæ pietatis officia ferventius obeant; *in pœnitentibus,* ut præteritorum peccatorum pœnam luant. A Deo scrupuli esse censentur, si iis exagitati meliores evadant; — 2 dæmon qui, *Deo permittente, movere potest melancholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest vel turbari ad timorem inordinatum* (1). Scrupuli a dæmone provenire existimantur, si scrupulosus ad teporem adduci, a virtute retrahi, et præcipue ad desperationem inclinari se sentiat; — 3 societas scrupulosorum, præsertim si horum consiliis scrupulosi regantur et frequenter de rebus spiritualibus cum iis confabulentur: quibus enim sociamur, hos imitamur facillime; — 4 lectio librorum, qui nimis rigidi sunt, *statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere* (2); sensim enim sine sensu iis assentimur opinionibus, quibus studemus. Hinc versus:

Sunt Deus et dæmon, socii, volumina lecta.

Q. 4. *Quibus mediis uti debet scrupulosus ad scrupulos pellendos?*

R. Præcipua media ad scrupulos pellendos

Sunt Deus et Sancti, scrupulis sua pharmaca, Rector.

(1) S. Antoninus, 1 p., t. 3, c. 10. (2) S. Ambrosius, *in Ps.* 118.

1. Nempe instanter ac confidenter se Deo commendare, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (1); —2 protectorem invocare aliquem Sanctum, qui in vita scrupulis fuerit agitatus, ut fuit inter cæteros S. Ignatius primis suæ conversionis annis; *similitudo* enim *miseriæ* homines magis movet (2); — 3 scrupulorum causas destruere, ut illorum prâvus effectus cesset. Superbus ergo suæ prudentiæ non innitatur; pertinax frangat suum judicium; rudis instruatur; otiosus operetur, timidus Dei bonitatem meditetur, melancholicus solatium capiat, etc.; —4 proprii directoris judicio se totum committere; nam scriptum est: *vir obediens loquetur victoriam* (3). Imo hoc unicum dici potest scrupulorum remedium, quod summopere commendant S. Bernardus, S. Antoninus, S. Franciscus Salesius, S. Philippus Nerius, S. Theresia, beatus Dionysius carthusianus, Ven. pater Avila, S. Alphonsus noster, aliique sine numero. Sane cum scrupulosorum ratio plane impotens sit, aliud non restat, nisi ut illi per rationem alienam gubernentur. In hoc nullum temperamentum admittatur.

Q. 5. *Quomodo se gerere debet confessarius cum scrupuloso?*

R. Ante omnia oportet, ut confessarius cum scrupulosis

Sit patiens, sit discretus, prudensque, brevisque.

1 Patiens ac charitate plenus, cum scrupulosorum cura longa sit et ardua, ac miserrima eorum conditio; — 2 discretus, adeo ut rite cognoscat quænam sit in pœnitente scrupulorum origo: et an sit scrupulosus in omnibus, an in uno tantum, ut malis congruenter mederi valeat; — 3 prudens, in regulis videlicet præscribendis, quæ quidem generales sint oportet; regulis enim particularibus scrupulosi fere numquam se valent accommodare, quia eas sibi applicare nequeunt. Imo semper dubitant, utrum casus fuerit satis bene explicatus atque perceptus, utrum regula sibi præscripta casui illi sit bene accommodata; — 4 brevis et dictatorius in suis responsis: et omnia quoad potest, prompte definiat, ac firmiter; secus pœnitens auctoritate ipsius confessarii in sua anxietate confirmaretur (4).

Speciatim confessarius advertat, ut plurimum scrupulos circa tria versari: —1 quod malæ cuicumque cogitationi, quæ menti obversatur (v. g. contra fidem, castitatem, charitatem) præbeatur assensus; —2 quod confessiones præteritæ nullæ fuerint, aut etiam sacrilegæ vel ob defectum integritatis, vel ob doloris imperfectionem; — 3 quod in omni actione peccatum vel peccati periculum videatur inesse. Jam vero:

(1) II Cor. 1. (2) S. Augustinus, serm. 9, ex 40 noviss. (3) Prov. 24.

(4) Scrupulositas in Confessario valde noxia est; quod enim quis sit scrupulosus cum se ipso, *infirmitas* est: quod sit cum aliis scrupulosus, *contagio* est: cum id esse non possit sine ministerii irrisione, ac desperatione pœnitentium. Caveat ergo toto cœlo Confessarius a scrupulis, si velit utiliter muneris sui partes exercere: unde *si* illi proveniant ex ignorantia, studiis vacet; *si* ex nimia subtilitate, ne plus sapiat quam necesse est, sciens se non mathematicum agere, sed moralistam; *si* vero ex quadam, ut ita dicam, pervicacia, qua vult ut omnes idipsum sentiant quod ipse, sciat unumquemque suum donum habere, et alium quidem *sic*, alium vero *sic*, et ideo quærat quod justum est, non quod suum est.

Ita liber a S. Alphonso, ac Benedicto XIV laudatus, *Istruzione per i novelli Confessori, Opera di un Missionario divisa in due parti.*

1. Si confessarius viderit suum pœnitentem ex iis esse, qui timent se *malæ cogitationi* præbuisse consensum, eidem imperet ut timores hujusmodi omnino despiciat, eumque doceat non pravas cogitationes, sed pravos consensus esse peccata. Illam semper habeat præ oculis regulam a Doctoribus sapientissime traditam, nempe eos qui sunt timoratæ conscientiæ, judicandos esse ab omni culpa immunes, nisi certo sciant, se peccato gravi consensisse: *nam*, ut ait P. Alvarez, *impossibile est peccatum intrare in animam, quæ vehementer ab illo abhorreat, quin ab ipsa clare et cito percipiatur.* Quare sæpe etiam expediet scrupulosis imponere, ut a confessione hujusmodi cogitationum se penitus abstineant, nisi ita certo sciant in illas consensisse, ut illico queant jurare (1).

2. Si agatur de pœnitente, qui de *præteritis confessionibus* anxius est, si generalem jam alias confessionem expleverit, aut per aliquod notabile tempus ad Pœnitentiam diligenter et pie accedere consueverit, huic imponat, ut non amplius de culpis præteritis cogitet, neque ullum amplius de iis verbum faciat, nisi jurare possit se certo peccata illa mortalia perpetrasse, et illa numquam in confessione deposuisse. Quod si post Confessionem rite peractam redeat, tunc confessarius inauditum dimittat ei præcipiens, ut accedat ad Communionem (2).

3. Si sit sermo de scrupulosis, qui in omni actione *se peccare formidant*, iis Confessarius imponat, ut libere agant et scrupulos despiciant: imo contra eos operentur, quoties evidens peccatum non appareat; quia, generatim loquendo, isti ob rationem ex nimio illo timore perturbatam, putant esse peccatum, ubi non est (3). Unde oportet iis præceptum injungere, ut scrupulos vincant, ne inutiles tam sibi quam aliis evadant: atque ut postea de talibus actionibus se minime in Confessione accusent. Qua in re animadvertendum est, quod etiamsi contingere possit, ut aliquando errent materialiter sic agendo, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiæ, quam Confessario præstant; quia non homini tunc obediunt, sed Deo dicenti: *qui vos audit, me audit; et qui vos spernit me spernit* (4).

Neque refert, quod ipse cum actuali timore peccandi operetur; nam ex vera sententia scrupulosus ita agens minime peccat. Quia conscientia scrupu-

(1) Addat argumentum valde urgens: quod nempe in gravi Theologorum sententia scrupulosi non tenentur ad integritatem materialem confessionis cum gravi damno, ut esset, si ea semper confiteri deberent, quæ menti occurrunt. Ita communiter.

(2) Ita se gessit S. Bernardus, qui sacerdoti cuidam præ scrupulis a Missæ celebratione se abstinere volenti, dixisse fertur: *vade et in fide mea celebres*, et liberatus fuit. Neque dicas: utinam qui ita loquitur, esset alter Bernardus! *quisquis ita dicis*, ait S. Antoninus ex Gersone, *erras; non enim commisisti te in manibus hominis, quia litteratus, quia pius; sed quia tibi est præpositus.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 12.

Scrupulosus, et timoratus de præteritis Confessionibus anxius sic interrogandus: 1 cælestine de proposito peccatum grave? 2 proponebasne peccata iterare? Si negative respondeat, valida judicanda confessio. *Gury.*

(3) Hac in re *V.* 1 S. Alphonsi Opuscula, *Quiete per le anime scrupulose nell'ubbidire al loro Direttore. Consigli di sollievo e confidenza per un' anima desolata.* — 2 Quadrupani, *Documenti* ecc. — 3 p. Michele, *Nuovo combattimento spirituale.* — 4 Pinamonti, *Il Direttore*, c. 8. — 5 Segneri, *Il penitente istruito*, c. ult. — 6 *L'anima desolata confortata* ecc. — 7 *L'anima timorosa istruita e confortata.* — 8 Lombez, *Dell'allegreza dell'anima cristiana*; it. *Della pace interiore.* (4) Luc. 10.

losa, seu dictamen mentis ex scrupulis ortum, non potest auferre assensum de actionis honestate prius efformatum ex Confessarii judicio, vel alio modo: *scrupuli enim,* ait Concina, *sunt quædam animi nubeculæ, quæ obscurare aliquantulum possunt judicium intellectus, nullo tamen modo illud præfocare valent* (1).

Q. 6. *Quid conscientia laxa, quæ causæ, effectus et remedia?*

R. Ad 1: Conscientia laxa est, *qua quis ex motivis levissimis judicat esse licitum quod est illicitum, vel esse malum leve quod est grave.* Huc revocatur tum conscientia *pharisaica,* quæ magna parvi et parva magni facit (dicta a conscientia Pharisæorum culicem scrupulose excolantium, sed camelum deglutientium) (2); tum conscientia *cauteriata,* quæ judicat bonum malum, et malum bonum sine remorsu (3).

R. Ad 2: conscientiæ laxæ causæ sunt:—1 vita mollis, quæ enervat;—2 neglectus orationis, qui nos omnino dejicit;—3 nimia temporalium sollicitudo, quæ nos terrenos facit;—4 peccandi consuetudo, quæ tollit peccati horrorem;—5 familiaritas cum hominibus vitio deditis, quibus assuescimus;—6 luxuria, quæ impedit, quominus christianus ad spiritualia tendat. Hinc versus:

Mollities, missæque preces, nimis anxia mundi
Cura, frequens lapsus, sociique, cupidinis arcus.

R. Ad 3: effectus laxitatis sunt:—1 cæca animi tranquillitas post peccatum;—2 insensibilitas ad pia monita;—3 irrisio piarum exercitationum;—4 *impœnitens cor thesaurizans sibi iram in die iræ* (4). Hæc in laxitatis amatore videre est: hinc versus:

Cæcutiens, durum, pia spernens, neque dolens cor.

R. Ad 4: Præcipua sunt laxitatis remedia:—1 dierum aliquot secessus, quo animus Deo et sibi vacet, dicente *Scriptura: ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus* (5);—2 frequens et humilis oratio cum novissimorum meditatione, juxta illud: *memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (6);—3 quotidiana conscientiæ discussio quoad omnia, quæ per diem acta sunt, secundum illud: *redite prævaricatores ad cor* (7);—4 optimorum librorum lectio; nam in lectione nos alloquitur Deus, sicuti nos in oratione alloquimur Deum;—5 promptum confugium post peccatum ad Pœnitentiæ Sacramentum, ne animæ vulnus incrudescat;—6 malorum fuga et conversatio cum bonis; nam *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficitur* (8). Hinc ad rem sequentes versus:

Secessus, preæ, examen, pia lectio, crebra
Sit confessio, sit fuga, sint hæc pharmaca laxo.

(1) Ait etiam Stapf. § 78: « contra conscientiam agere absolute nulli hominum licet; verum persuasio scrupulosorum non est dictamen conscientiæ, sed merus tumultus phantasiæ, per quem vox rationis supprimitur, ut audiri nequeat. »

(2) Matth. 23. (3) I Tim. 2. — Cauterium est a græco *caiô*, *ardere.* (4) Rom. 3.

(5) Os. 2. *V.* Liguori, epist. *Sull'utilità degli esercizi in solitudine:* it. *Meditazione per otto giorni.* — Belleccio, *Exercitia S. Ignatii:* hæc elegantissime italice donavit P. Bresciani e S. J. — Cattaneo, Maffei, Petitidier, Diertins etc. *Exercitia.*

(6) Eccli. 7. (7) Is. 46. (8) Prov. 13.

ARTICULUS III — De conscientia certa et dubia.

Q. 1. *Quid est conscientia certa?*

R. Conscientia certa ea est, *qua quis prudenter et absque rationabili errandi formidine judicat, aliquid in particulari esse bonum vel malum, licitum vel illicitum.* Seu exactius: *est prudens ac firmum judicium congruentiæ, vel disconvenientiæ cum morum regulis de actu, quem ponere hic et nunc, vel prætermittere meditamur.* Ex quo patet discrimen inter conscientiam *veram* et *certam;* veritas enim respicit objectum, ita ut tale in se revera sit, quale judicatum fuerit: certitudo autem respicit subjectum, quatenus quis prudenter judicat rem illam ita esse, licet forsan in se talis non sit (1).

Q. 2. *Quotuplex a Theologis distinguitur certitudo moralis?*

R. Duplex distinguitur certitudo moralis: directa et reflexa. *Directa* oritur ex principiis propriis et intrinsecis rem ipsam afficientibus. Sic v. g. judex hac certitudine innititur, quando condemnat reum, eo quod processus causæ subministret certissima criminis argumenta. *Reflexa* e contrario petitur a principiis generalibus rem ipsam afficientibus tantum extrinsece, ex quibus tamen recte arguitur licitum esse in praxi illud, quod in se et directe non potest demonstrari licitum. Sic judex ex rationibus intrinsecis causam immediate afficientibus dubius est, an Titius sit absolvendus, an vero condemnandus; sed ex illo principio reflexo atque generali: *in dubio favendum est reo,* concludit Titium esse absolvendum (2).

Sed (dices) *principium reflexum non potest facere plusquam principium directum; atqui in hypothesi principium directum non parit certitudinem moralem; ergo neque reflexum.*

Distinguo majorem: principium reflexum non potest facere plusquam principium directum, si sermo sit de veritate opinionis, *concedo;* si sermo sit de ejusdem usu, *nego.* Oportet nempe attente distinguere veritatem opinionis ab usu ejusdem; aliud enim est quærere, utrum hæc opinio vera sit objective, an non: et aliud est quærere, utrum liceat hac opinione uti in praxi, licet sit dubia? Jam vero quando disputatur de ipsa opinionis veritate, certe apparet, non posse majorem effectum producere principium reflexum, quam principium directum. Sed res ita non est, quando disputatur de opinionis ejusdem usu; tunc enim potest contingere, ut principium directum opinionem relinquat in statu dubii quoad veritatem objectivam, id est in se, et principium reflexum eam constituat in statu certitudinis quoad honestatem subjectivam, id est in subjecto agente. Uti patet in milite, qui dubius est de justitia belli quod gerit, et concludit sibi fas esse nihilominus pugnare in bello ipso, innixus videlicet illo principio utique reflexo: *in dubio possidet præceptum superioris; ideo illi obediendum est.*

(1) Hinc est, quod conscientia potest esse certa, quin tamen sit vera, uti est conscientia invincibiliter errans: certa videlicet *subjective;* non tamen vera *objective.*

(2) Ista principia dicuntur *reflexa*, eo quod a proprio, immediato et directo eorum objecto ad aliud per ratiocinationem quasi *flectantur*, ut per ea possit recte definiri pro praxi proposita controversia.

Sed (inquies) *ex hoc sequeretur absurdum, quod nempe de eodem objecto haberi posset dubium simul et certitudo. Nego* sequelam ; dubium enim et certitudo in hoc casu non sunt de eodem objecto. Videlicet dubium respicit *veritatem* opinionis in se, certitudo respicit *honestatem* actionis in illo, qui tali utitur opinione. Sic nonne posset miles esse dubius, an bellum sit injustum, et simul esse certus moraliter, quod licitum sibi sit illud inire ex principio reflexo jam declarato, quod constituit certitudinem honestatis moralis?

Q. 3. *Quid est conscientia dubia?*

R. *Conscientia dubia est suspensio judicii circa bonitatem vel malitiam alicujus actus in particulari.* Id nempe evenit, quando conscientia assensum suum suspendit pro utraque parte dubii, et remanet anceps et hæsitans circa actionis suæ moralitatem. Cum porro conscientia sit judicium rationis practicum, et hic non habeatur nisi judicii suspensio, patet, conscientiam dubiam non esse conscientiam veri nominis, sed improprie tantum et usu Scholarum acceptam (1).

Q. 4. *Quotuplex dividitur dubium?*

R. Dubium dividitur:

1. In positivum et negativum.—*Positivum* est quando pro utraque parte stant rationes æquales, aut ferme æquales.—*Negativum* est cum ex neutra parte suppetunt rationes, vel non suppetunt nisi admodum leves. Sicut statera stat in suspenso sive in æquilibrio tam si nulla, quam si æqualia in utraque lance pondera ponantur (2) : a pari homo dubius hæret in sua inquisitione, tam si nullas habeat hinc inde rationes, quam si habeat æquales pro duplici contraria opinione.

2. In dubium juris, et dubium facti.—*Dubium juris*, est quando dubitatur vel de lege, vel de ejus obligatione, vel de legitima legislatoris potestate: v. g. an jejunium tali die revera in lege præceptum sit? an lex jejunii in tali casu obliget, necne? an legislator possit in tali casu jejunium præscribere?—*Dubium facti* est quando dubitatur circa aliquod factum, v. g. an medicina quam sumpturus sum, sit salutaris an venefica, an qui latet in sylva, sit homo an fera?

3. Ipsum dubium juris dividitur in speculativum, et in practicum.—*Speculativum* est quando dubitatur de bonitate vel malitia actionis in se, abstrahendo a præsentibus circumstantiis: v. g. an pingere die festo sit opus servile, necne? an tale bellum sit justum, an vero injustum?—*Practicum* est quando dubitatur, an actio singularis cum circumstantiis suis et in ordine ad finem agentis sit licita, an illicita? v. g. an liceat mihi in his circumstantiis constituto facere opus servile die festo? an liceat mihi servo hac in re domino meo præcipienti obtemperare? Quare inter utrumque dubium intercedit discrimen, quod intercedit sane latissimum inter verum et licitum. Dubium nempe *speculativum* licet in obliquo et secundario seu consequenter respiciat etiam licitum; in recto tamen et principaliter respicit verum. Du-

(1) Unde aliis sic placet conscientiam dubiam definire, ut sit : *status animi, qui sibi conscius est, se non habere sufficientes rationes, ut certo judicet sibique persuadeat, se cognoscere moralitatem specialis actus, de quo quæritur.*

(2) Hæc similitudo est S. Basilii, *Ep.* CCIV (*edit. Maur.*) *ad Neocæsarienses.*

bium vero *practicum* respicit directe, immediate et primario ipsum licitum (1).

Pro duplici hac dubii specie etiam ipsa conscientia dubia potest, imo debet cum S. Alphonso dupliciter dividi, nempe in conscientiam *dubiam speculative*, et in conscientiam *dubiam practice*.

Q. 5. *Utrum, stante dubio speculativo, possit haberi moralis certitudo de honestate actionis?*

R. Affirmative: stante dubio speculativo, potest haberi moralis certitudo de honestate actionis. Dubium enim speculativum non excludit practicam hanc moralem certitudinem; nam aliæ sunt rationes, quibus judicamus *de rei veritate*, sive de dubietate alicujus opinionis, v. g. an bellum quod geritur, sit justum necne? et aliæ sunt rationes quibus judicamus *de honestate actionis*, v. g. an in bello prædicto liceat subditis, sic imperante Principe, præliari?

Res clarius patebit exemplo judicis, qui ex rationibus intrinsecis et directis dubius est, num Titius v. g. sit reus, an non? attamen ex illo principio reflexo ac generali, nempe *in dubio favendum esse reo*, Titium absolvit. Judex videlicet laborat quidem dubio speculativo, quia spectatis rationibus intrinsecis, dubius hæret, an reus sit absolvendus necne; sed tali dubio non obstante, efformat sibi conscientiam moraliter certam de honestate suæ actionis in reo absolvendo, illud amplexus principium: *in dubio favendum est reo*. Ex his patet quomodo actio, cujus honestas speculative et absolute dubia est, possit in praxi et relate ad operantem evadere moraliter certa, et practice tuta.

Q. 6. *An, stante dubio practico de honestate actionis, liceat agere?*

R. Stante dubio practico de honestate actionis, nefas est agere, sed prius dubium deponi debet (2); nam *Scriptura* aperte dicit: *omne autem quod non est ex fide, peccatum est* (3), sive quod non est ex intima persuasione, quod sit licitum, peccatum est. Atqui illud, quod fit in dubio practico de honestate actionis, nequit conjungi cum intima persuasione, quod sit licitum.

Accedit, quod ille qui se exponit periculo peccandi, jam peccat, dicente *Ecclesiastico: qui amat periculum, in illo peribit* (4); atqui agens in dubio practico de honestate actionis se exponit periculo peccandi; ergo jam peccat. —Peccat autem peccato ejusdem speciei, cujus est peccatum de quo dubitatur. Hinc qui dubitat actionem suam esse furtum, furto peccat; cum talis se committat illius discrimini.

(1) Oportet, ut tyrones nostri bene penitusque percipiant prædictam differentiam inter dubium speculativum et dubium practicum, si multos velint in quæstionibus de conscientia dubia errores præcavere. Audiant itaque auctorem libri cui titulus: *Dottrine di S. Alfonso difese*, ecc. Monza 1850, pag. 58, ediz. terza: «Duda especulativa es la que nos tiene indecisos sobre una cuestion, considerada absolutamente en sí misma, como seria, por ejemplo, en la siguiente: *¿hay una injusticia en percibir lucro del dinero?* pero si quedando la duda sobre la misma cuestion, me hago esta otra pregunta: mientras queda incierta la cuestion, y entre tanto que la autoridad legítima me quite la duda, *¿puedo yo lícitamente exigir el lucro?* esta es la duda práctica, la cual no versa, como en el primer caso, sobre la naturaleza de la cosa considerada en sí misma, sino en órden á mi actual operacion en el estado presente.»

(2) Si tamen dubium nequeat deponi et aliunde agendum sit, tunc vide supra ubi de *conscientia perplexa*. (3) Rom. 14. (4) Cap. 3.

Sed quid (dices) *si quis apprehendat quidem id quod agit esse peccâtum, sed non advertat mortalene sit, an veniale?* Si homo sit timoratæ conscientiæ, qui neque in confuso advertat ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, nec objectum sit ex se mortale, probabilius non peccat nisi venialiter ; ex his enim merito infertur non apprehendi peccatum uti mortale. Mortale tamen erit, si secus esset ; *quia,* uti ait S. Antoninus ex S. Thoma, *periculo se exponit mortalis* qui operatur in eo dubio (1).

Q. 7. *Quomodo practice dubitans de honestate suæ actionis se gerere debet, ut conscientiam practice certam sibi valeat efformare?*

R. Si dubium est inane, illud despiciendo deponat ; nulla enim obligatio inducitur sine rationabili fundamento. Si e contrario dubium grave est, tunc si dubitans sit rudis, consulat peritos ; cum ex se sibi non valeat conscientiam certam efformare : si vero excultus sit, rem examinet ad dubium vincendum ; quod si perduret, illud deponat inquirendo principium aliquod reflexum de honestate actionis, et juxta illud operetur. Si tamen non valeat hic et nunc illud sibi efformare judicium, neque habeat a quibus consilium petat, et velit agere, eam debet partem eligere, quæ ab omni periculo peccati removet, alioquin peccaret in eo quod se committeret discrimini (2).

Q. 8. *Quænam sunt principia, quibus innixa conscientia evadere potest practice certa de actionis suæ honestate aut malitia?*

R. Principium primum et cæterorum principalissimum, cui innixa conscientia evadere potest practice certa de actione, est quod *lex dubia non potest inducere obligationem certam.* Ad rem ait Benedictus XIV : *no deben imponerse obligaciones ciertas, cuando no hay una ley clara que las imponga* (3). Ex hoc autem enascitur aliud principium, quod nempe *in dubio melior est conditio possidentis.* Hinc in dubio morali videndum est, utrum possideat lex, an vero libertas hominis? Nos dicimus aliquando possidere legem, aliquando hominis libertatem : et sic quando possidet lex, semper pro ea standum erit ; quando autem possidet libertas, stari poterit etiam pro libertate, maxime si charitas et prudentia suggesserit. Ita ut qui hoc in casu adhuc voluerit legem implere, laudandus sit ; si vero egerit contra, non sit damnandus uti reus peccati.

Porro ad dignoscendum pro qua parte in dubio morali stet possessio, videndum erit pro qua stet præsumptio (4). Præsumptio autem stat semper pro

(1) 2 p., t. 3, c. 10.

(2) Hæc resolutio præ oculis semper habenda est in omnibus materiis dubiis, de quibus erit in totius Operis nostri decursu. Et mirum sane, quod nonnulli nos imprudentiæ accusent, quasi mens nostra sit, omne dubium illico contemnendum esse, et nullo præmisso examine, ac quasi occlusis oculis, nos tunc tuto posse, quod favet libertati, sequi. Hoc quidem imprudentissimum esset : at quis umquam docuit tale ?

Nos semper loquimur de dubio, quod tale permanet, etiam post adhibitam pro rei gravitate diligentiam ad illud resolvendum, tum illud intimius rimando, tum utriusque partis argumenta sedulo pensitando, vel doctos pro temporis opportunitate consulendo. Eu casus, quo quis valet aliquo principio reflexo practicam conscientiam efformare de honestate suæ actionis, dubium vincendo. Quod una vice pro omnibus dictum esse volumus.

(3) *Notificazione* XIII.— Vide etiam dicenda de *Legibus*, ubi de *obligatione.*

(4) Præsumptio est suppositio quæ fit, vel fieri debet, suadente causa ; seu est judicium de aliquo particulari ignoto per aliud generale notum, ac ordinarie contingens : ideo præsumptio di-

ea parte, quæ non tenetur per se ipsam factum probare, sed onus probandi transfert in partem alteram; *factum* nempe *non præsumitur nisi probetur:* quod est *tertium principium* nobis traditum ab ipsa lege *de probationibus;* idcirco in dubio factum numquam præsumitur, sed semper probandum est. Quod si factum ipsum sit certum, v. g. si matrimonium certe initum sit, et solum dubitetur, utrum rite initum fuerit an non, tunc aliud recurrit principium, quod *quarto loco* adsignari potest hisce verbis contentum: *in dubio omne factum præsumitur recte factum,* sive *præsumitur factum quod de jure faciendum erat,* videlicet tunc *standum est pro valore actus* (1).

Sed (dices) *principia, ex quibus regula desumitur circa honestatem actionis, debent esse moraliter certa, ut certa conclusio deducatur; atqui talia non sunt dicta principia, cum plures ea negent.*

R. Dicta principia certa sunt in se, et ab omnibus admittuntur, ac leguntur passim in utr oque jure; discrepantia est tantum in illorum applicatione: porro nos utpote generalia, ea ad omnia applicare merito non dubitamus.— Neque ullam sufficientem causam adducere possunt adversarii, cur ea ad particularia velint restringere, ut patet discurrendo de singulis: quod satis est ut tuti esse possimus. Neque enim in contingentibus certitudo physica requiritur, sed sufficit moralis; alioquin rigorismus induceretur.

Adde neque probabilioristarum principia inconcussa in se esse ineluctabiliter et ex omni parte; quantumcumque enim certi simus nos bene agere, tamen evenire potest, ut in se, re cognita, aliter sit agendum; nam res subjective certa potest esse objective falsa. Sic v. g. si tu dubitas, an voveris Deo aliquid, puta calicem, in sententia probabilioristarum teneris de voto; sed quid si jam reddito voto, certo cognoscas te revera non vovisse? nonne laborasses falso supposito? nonne reddidisses quod non debueras? Unde patet nulla esse reflexa principia, quæ radicitus quæstionem solvant atque in se; attamen liberant a formali peccato, quatenus nempe tum probabilistæ tum probabilioristæ illorum principiorum usu efformant practicum judicium de honestate actionis.

citur nasci *ex communiter contingentibus.* Hoc ipsa natura dictat: sic cum homo sit natura sua bonus, ideo omnis homo in dubio bonus præsumitur; ac tunc tantum uti malus habetur, quando id clare dignoscitur: quo in casu cessat suppositum, et prædicatur verum: inde natum est axioma: *præsumptio cedit veritati.*

(1) Clarius patebit doctrina hæc, si ad praxim reducatur exemplis:

1. Titius v. g. incolit domum et ideo præsumitur habere jus in illam, et eam possidere; sed quid? insurgit Sempronius, qui ipsum vult exturbare. Cujusnam erit onus probandi? profecto Sempronii, et sufficit Titio, si dicat se fuisse atque adhuc esse dominum domus illius: est in possessione.

2. Dubitatur v. g. an lex condita sit, necne? ex primo principio, cum *lex dubia nequeat parere obligationem certam,* clare deducitur nos non teneri legem illam implere.— Si vero dubitetur, an lex jam certe condita et promulgata, fuerit abrogata, necne? tunc tenebimur legem implere; quia tunc lex possidet ex altero principio: *in dubio melior est conditio possidentis.*

3. Dubitatur v. g. an lex sit justa an injusta? lex ista vim suam habet ob quartum principium, quod nempe *in dubio præsumatur factum quod de jure faciendum erat;* Legislator enim de jure tenebatur condere legem justam; tenendum ergo Legislatorem egisse quod ab eo de jure agendum erat.

4. Dubitatur v. g. an adjejunium teneatur adolescens, de quo incertum est, an expleverit annum

ARTICULUS IV — De conscientia probabili et improbabili (1).

Cum conscientia probabilis tota fundetur in opinione probabili, de hac idcirco dicendum est.

Q. 1. *Quid est probabilitas, et quotuplex?*

R. Cum Antoine; *probabilitas est motivum grave, sed absolute fallibile, reddens opinionem verisimilem.* Quadruplex autem est probabilitas; alia intrinseca, et alia extrinseca; alia facti, et alia juris. — *Intrinseca* est quæ innititur rationum momentis desumptis ab ipsa natura rerum, de quibus agitur. *Extrinseca* est quæ, prætermissis rationibus intrinsecis, tota fundatur in auctoritate Doctorum. — *Probabilitas facti* est quæ versatur circa rei veritatem sive substantiam: uti cum quæritur, an Baptismus collatus cum lixivio sit validus, an nullus? — *Probabilitas* demum *juris* est quæ versatur circa honestatem actionis, v. g. an liceat Baptismum ministrare cum lixivio?

Q. 2. *Quid est opinio?*

R. Opinio *proprie et stricte* accepta est nihil aliud quam *actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius* (2): id est cum timore, ne altera pars sit vera, et ea in quam fertur, sit falsa. Sic v. g. dux militiæ pendens incertus inter duos modos aggrediendi hostem, perpensis omnibus circumstantiis, unum eligit, cum formidine tamen, ne modus electus sit falsus, et alter non electus sit verus. Ex quo patet, talem assensum intellectus nostri esse imperfectum; nequit enim intellectus noster perfecte assentiri illi parti, quam formidat esse falsam.

Diximus *proprie et stricte;* nam sæpe occurrit hoc nomen et penes Ss. Patres et veteres Scholasticos acceptum late et improprie, ad significandum videlicet levem quamcumque credulitatem et propensionem apparentem, nullisque sat gravibus argumentis innixam. Ex hoc autem patet quomodo opinio differat a dubio, errore et scientia: — 1 differt a dubio, quia dubium est suspensio assensus cujuslibet in quamcumque partem; — 2 ab errore tum *materiali*, quia iste est id, quod est vere falsum; tum *formali*, quia iste est assensus mentis scienter approbantis verum pro falso, vel falsum pro vero; — 3 a scientia: nam opinio semper conjungitur cum formidine oppositi;

ætatis suæ 21? item dubitatur de sene, an pervenerit ad annum 60, quo completo in multorum sententia a jejunii lege liberatur? Ex allatis principiis patet responsio: nempe adolescentem non teneri ad jejunium, quia tunc possidet ejusdem libertas, ex adverso teneri senem, quia possidet præceptum jejunii. — Idem dicendum v. g. de eo, qui est in sabbato, et dubitat utrum pervenerit hora mediæ noctis an non? iste non potest manducare carnem, quia adhuc possidet præceptum abstinentiæ. E contrario autem si quis de hora mediæ noctis serio dubitet in feria quinta, tunc poterit carnem manducare, quia adhuc possidet ipsius libertas.

Alia exempla vid. apud S. Alphonsum, *Opus Mor.* l. II, nn. 27 et 95.

(1) *Probabile* juxta vim nominis est id, quod probari potest. Olim sumebatur pro eo, quod erat unice certum: hoc sensu Nazianzenus doctrinam de necessitate Fidei in J. C. probabilem dixit (*Orat.* 22). In sacra *Scriptura* probabile sumitur pro eo, quod est adprobatione dignum, juxta illud II Tim. 2: *sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo.* Nunc Theologorum usu *probabile* dicitur quod absolute certum non est, gravibus tamen innititur fundamentis. — *V.* Bergier, *Dizionario*, V. Probabile.

(2) S. Thomas, 1 p., q. 79, a. 9.

scientia vero formidinem istam prorsus excludit, ita ut adhærere scientiæ sit sequi certum; adhærere autem opinioni sit sequi tantum probabile. Audiatur Angelicus: *assentit intellectus alicui dupliciter: uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto...; alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam. Et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides* (1).

Q. 3. *Quid est opinio probabilis, et conscientia probabilis?*

R. Opinio probabilis in genere morum est *ille actus intellectus nostri, quo gravi quidem, sed fallibili fundamento innixi, et cum formidine oppositi, judicamus aliquid esse in se licitum vel illicitum.* Conscientia vero probabilis est *illa per quam aliquis innixus opinione probabili format sibi dictamen practicum suæ rationis ex certis principiis reflexis sive concomitantibus, ad licite operandum* (2).

Duplici autem modo considerari potest quælibet opinio probabilis, nempe vel in se ipsa et in sua probabilitate propria, vel respective et comparate ad opinionem aliam. *Opinio probabilis,* ait Staïdel in *notis ad Theologiam Moralem Antoine, considerari potest vel solitarie, et extra concursum alterius probabilis oppositæ; vel conjunctive, et in concursu alterius* (3).

§. I — *De Opinione probabili considerata in se ipsa et in sua probabilitate propria.*

Q. 1. *An usus opinionis probabilis in se, et in sua probabilitate considerata sit licitus?*

R. Certum est, numquam licere in re morali opinionis illius usum, quam in Scholis appellant leviter et tenuiter probabilem, quæ nempe innititur quidem aliquo fundamento, sed non tam forti, ut possit ad se pertrahere assensum viri prudentis: in his enim *parum pro nihilo reputatur.* Accedit, quod Innocentius XI damnavit hanc sub n. 3 propositionem: *generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agi-*

(1) 2, 2, q. 1, a. 4.

(2) Ex dictis eruitur: 1 opinionem probabilem a conscientia probabili differre in hoc, quod *illa* opinando judicet aliquid esse bonum vel malum, licitum vel illicitum abstrahendo a praxi, sive ab actuali exercitio et ultimo dictamine practico; *hæc* vero judicet actum ipsum in praxi, seu in exercitio actuali, id est cum suis omnibus circumstantiis atque hic et nunc ponendum, illumque declaret uti bonum vel malum, licitum vel illicitum per ultimum dictamen practicum. Sic si miles, qui pergit ad bellum, non habeat nisi fallibile fundamentum (ideoque adhuc dubitatio sit) de belli justitia, laborat conscientia probabili. Nihilominus licite ad bellum ire potest formando sibi practicum rationis dictamen ex illo principio reflexo: *semper obtemperandum est superiori, quamdiu certo non probetur rem esse malam.*

2 Inter opinionem et conscientiam probabilem, ac opinionem et conscientiam laxam adesse discrimen latissimum. Quia conscientia et opinio probabilis habet pro suo fundamento argumenta satis gravia, quæ vel legi superioris vel libertati hominis favent; conscientia vero et opinio laxa non habet nisi argumenta levissima, quæ favent cupiditatibus.

(3) *Tract. de Consc.* c. 4.

mus. Quare tota quæstio reducitur ad usum opinionis, quæ vere, solide et satis graviter probabilis sit.

Non defuerunt Doctores (*rigoristæ* ideo dicti) qui tradiderunt esse prorsus illicitum in moralibus usum opinionis probabilis cujuscumque, imo etiam probabilissimæ. Ab istorum officina prodiit notissima illa propositio ab Alexandro VIII sub n. 3 damnata contra Sinnichium 1690 : *non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Verum illos refellit Angelicus inquiens (1) : *certitudo non est similiter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa; eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat* (2). Sane cum opinio est vere probabilis, gravi nititur fundamento et assensum meretur viri prudentis; prudenter igitur agit qui eam sequitur. Hinc ipse Tullius : *nos sequimur probabilia, nec ultra quam id quod verisimile ocurrerit* (3).

Dices: *ad honestatem actionis necessaria est certitudo moralis de honestate ipsa; atqui ille, qui agit cum opinione tantum probabili, etsi solida et satis gravi, non habet hanc certitudinem. Opinio enim probabilis, quantacumque sit ejus probabilitas, semper conjuncta est cum formidine oppositi, ideoque cum ipso dubio.* Ergo.

R. 1: *Indirecte.* Si quid hoc argumentum valeret, rejiciendus esset etiam usus opinionis probabilissimæ contra definitionem Alexandri VIII; nam ista semper conjuncta est cum aliqua formidine oppositi.

R. 2: *Directe* negando minorem; qui enim agit cum opinione vere et graviter probabili, efformat sibi dictamen moraliter certum de honestate actionis suæ ex principiis reflexis, ut patet exemplo judicis jam supra allato. Ad probationem distinguo : opinio probabilis semper conjuncta est cum formidine oppositi, speculativa, ideoque cum ipso dubio speculativo, *concedo;* conjuncta est cum formidine et dubio practico, *nego* (4). Hæc porro duo omnino differunt inter se, ita ut cum prima agere quidem liceat, tametsi nefas sit agere cum secunda. Unde sic opinari pertinet ad prudentiam, ut ait Angelicus, qui dicit, *prudentiam esse in opinativa parte animæ, et versari circa operabilia contingentia,* quæ nempe possunt sese aliter habere.

(1) 2, 2, q. 20, a. 2.

(2) Hoc argumentum facile extendi potest etiam ad usum opinionis vere et graviter probabilis, sive legi faveat sive libertati. Si in actibus humanis ex D. Thoma non requiritur certitudo demonstrativa; ergo vera et gravis probabilitas sufficiens erit. Sane licitus dici debet usus illius opinionis, quæ per se difformis non est rectæ rationi; atqui talis est opinio vere graviterque probabilis. Nam si foret difformis, non fulciretur motivo gravi, neque moveret animum viri sapientis.

Denique fas est uti opinione, quæ excludit omne dubium practicum in agente; atqui talis est opinio vere graviterque probabilis. Ubi enim adest contra legem argumentum solidum et grave, jam illa evadit incerta et dubia; lex autem incerta et dubia non obligat : sic liberum restat agenti illam sequi vel non.

(3) Lib. 1. *Tusc. quæst.*

(4) Hoc uno principio omnia adversariorum objecta de facili solvi possunt; ac proinde fastidiosum nobis est pluribus ea prosequi. Attamen id tyronibus nostris utile est, qui ex modo diverso, quo adversarii proprias adstruunt rationes, nonnumquam in responsione hærent, licet facile sit eas dissolvere, si bene ediscant evolvere hoc cardinale principium.

Ergo (subjunges) *si ita est, qui probabiliter agit, prudenter agit; atqui hoc consequens falsum est; ergo et antecedens.* — Distinguo : consequens falsum est, si nostra actio moralis innitatur sola probabilitate, *concedo;* secus, *nego.* Nemo quidem potest opinionem aliquam sequi, eo quod sit vere et satis graviter probabilis (1); cum ad licite operandum non sufficiat dictamen probabile, sed requiratur dictamen certum, seu certitudo moralis de honestate actionis : at eam opinionem libere quilibet sequi potest, etsi contra legem, quia (en ratio, quam numquam satis repetere possumus, quæque semper præ oculis habenda est diligenter) quia agens in tali casu recte judicat legem esse dubiam, et idcirco sibi nullam ex ea oriri obligationem: cum lex dubia ex communi Theologorum et Juristarum sententia non obliget. Et hoc modo de honestate actionis suæ non habet dictamen tantum probabile, sed vere moraliter certum *(K)*.

Q. 2. *An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere et satis graviter probabilem?*

R. Affirmative: probabilitas extrinseca constituit opinionem vere, et satis graviter probabilem, adeo ut liceat agere.

Prob. 1 *ex Scripturis;* sic nempe legitur in *Proverbiis: inclina aurem tuam, et audi verba sapientum* (2); at vocabulum *inclina* significat profecto *audi cum humilitate, atque sapientum judicio magis defer, quam tuo proprio.* Et iterum (3): *ne innitaris prudentiæ tuæ;* ille autem dicitur non inniti prudentiæ suæ, qui auctoritati sapientum ita defert, ut ob illam aliquando operetur etiam contra id, quod sibi videtur, dicens secum ipse : *in verbo autem tuo laxabo rete* (4).

2. *Ex Patribus: nulli dubium est,* inquit D. Augustinus, *gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis* (5). — Et D. Thomas clarius (6): *auditor diversorum magistrorum tenentium contrarias opiniones potest sequi quam velit, nisi aliter determinetur esse contra Fidem, et Ecclesiam* (7).

3. *Ex ratione:* probabilitas extrinseca, si bene et in se perpendatur, re-

(1) Hæc verba : *qui probabiliter agit, prudenter agit*, vera vel falsa esse possunt, nempe sub diverso respectu. *Falsa*, si ideo tantum actio ponatur, quia est probabilis ejus honestas : nam ad agendum requiritur moralis certitudo. Et en, quo sensu S. Alphonsus noster dicere potuit in quadam sua Dissertatione. « algunos me tachan, diciendo que soy probabilista; mas yo en esta Obrita declaro, que ni soy probabilista, ni sigo el probabilismo, antes bien lo repruebo.»

Vera, si accipiantur hoc sensu, quatenus probabilitas in causa est, ut per discursum ad aliquod principium deveniamus certum ac firmum. Unde qui ad nauseam usque nobis opponunt hoc effatum, et magno eloquio ejus impromptitudinem adstruunt, aërem verberant. Item notandum, quod aliquando Theologi moralistæ (et ipse Angelicus) brevitatis ergo sententiam quam amplectuntur, probabilem simpliciter appellant: quod quidem non est velle agere cum formidine; illud enim *probabile* (si alia ratione non destruatur) in eorum sententia dicit certitudinem, per illum nempe discursum, quem subintelligunt, et supra innuimus. Hoc autem et in præsenti Opere nostro notetur.

(2) Prov. 22. (3) Cap. 3. (4) Luc. 5. (5) L. III contra Academ. c. 20. (6) Tabula aurea.

(7) Nec juvat proferre illa ejusdem verba (Quodl. 3, a. 10): *non possumus sequi opinionem alicujus Doctoris;* nam ibidem immediate subjungit : *contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem.* Hoc S. Bonaventura tradit iisdem pene verbis. Ergo juxta istos possumus sequi opinionem *alicujus magistri*, quotiescumque hæc manifeste non adversatur *Scripturæ, vel Ecclesiæ.*

solvitur in probabilitatem intrinsecam; adest enim certa præsumptio, quod Doctores cum opinionem aliquam tradiderunt, bene penitusque perspexerint rei veritatem in se; quis enim audeat cogitare eos temere fuisse locutos? *Aliquis parvæ scientiæ*, ait Angelicus, *magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur* (1). Hinc S. Pœnitentiaria anno 1831 interrogata, an esset inquietandus Confessarius, qui in Pœnitentiæ tribunali sequitur doctrinam S. Alphonsi, non perpendens momenta et rationes, quibus innituntur variæ ipsius opiniones, sed ob solam tanti nominis auctoritatem, respondit *negative:* quod responsum a Gregorio XVI fuit confirmatum die 5 julii an. 1831. Hoc autem stare non posset, nisi probabilitas extrinseca aliquando constitueret probabilitatem veram et proprie dictam.

Sed (dices) *argumentum pessimi turba est,* ex Seneca. — Respondeo: *utilissimum est* ex D. Augustino *(maxime multitudini) excellentissimæ auctoritati credere, et secundum hoc agere.* Videlicet turba quidem populi indocti certe non prodest ad mores honestandos, sed prodest profecto auctoritas Doctorum gravium ac piorum. Ipsa ratio clamat, ubi veritas certa non apparet, pro illa parte esse præsumendum, pro qua stat major numerus sapientum. Accedit: si auctoritas hæc esset contra fidem vel bonos mores, Ecclesia neque toleraret neque sileret: *quæ sunt,* inquit Augustinus, *contra fidem aut bonam vitam, Ecclesia nec approbat, nec tacet, nec facit* (2).

Q. 3. *Quid de auctoritate Theologorum in re morali?*

R. Ex iis quæ fusius tradit Melchior Canus (3), nobis sufficiat tria hæc adnotare dumtaxat:

1. Constantem et unanimem Theologorum sententiam, quæ docet aliquid esse licitum, talis et tantæ auctoritatis existimari debere, ut appropinquare ad hæresim dicendus esset, qui vellet ab ea discedere. Cum enim sive qui conciones habent, sive qui confessiones audiunt, sive qui consilium dant, id tradant quod universim tenent Theologi, si isti errarent et Ecclesia tota profecto erraret, communem nempe errorem dissimulando.

2. Testimonium multorum, si alii viri docti contra sentiant, non pluris esse faciendum, quam vel ratio ipsorum vel gravior etiam auctoritas persuaserit; cum enim eo in casu numerus numero compensetur, pondere est judicandum. Inter ipsos autem auctores ii sunt præferendi qui ex professo rem pertractarunt; censetur enim rationes diligentius perpendisse: item ii qui doctrinam quam tradunt, experientia probarunt; experientia enim optima rerum magistra est. Demum ii qui omni passione posthabita, atque solius veritatis amore scripserunt, ut sunt Auctores sancti *(L)*.

3. Rejiciendam esse uti irrationabilem illam quorumdam opinionem, qua summo quidem obsequio prosequi se profitentur Theologos veteres, sed recentiores floccifaciunt; non minus enim recentiores, quam veteres, ingenio, diligentia, studio, eruditione et pietatis laude scimus excelluisse quamplurimos; nec minus in *Scripturis* sanctis, in Patrum Operibus, in Pontificum oraculis, in Conciliorum definitionibus elaborasse. Imo recentiores maxime evolvendi sunt, utpote qui soli referre possunt decisiones noviter datas *(M)*.

(1) 2, 2, q. 4, a. 8. (2) Ep. 119. (3) *De locis Theol.* l. VIII, c. 4.

An (quæres) *auctor unus et solus sufficiat, ut aliqua opinio dicatur vere et satis graviter probabilis probabilitate extrinseca?* — Vel agitur de auctore cujuscumque notæ; vel agitur de auctore gravi, magni in Ecclesia nominis, et omni exceptione majori, uti essent v. g. S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, etc.

Si 1, non sufficit auctor ille, ut ejus opinio habeat gravem probabilitatem extrinsecam; cum ab Alejandro VII damnata sit hæc sub n. 27 propositio: *si liber sit alicujus junioris et moderni* (quæ verba utpote generalia ex Viva intelligi debent de auctore quocumque, etiam humilis notæ), *debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a sede Apostolica tamquam improbabilem.* Sane cum nulla fere sit laxa sententia, quam auctor aliquis non tradiderit, jam eam sequi liceret, generali illa propositione semel admissa.

Si 2, modo nihil sit contra *Scripturam* vel communem Ecclesiæ sensum, recte possumus sequi Doctoris illius opinionem, sic dicente Angelico: *aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur.* Sane si ego, v. g. teneo sententiam D. Thomæ, etiam contra aliquod argumentum, quod mihi videatur probabilius, quis neget me prudenter agere, cum, mea opinione posthabita, tantæ auctoritati me totum defero (1)?

§. 2 — *De opinione probabili considerata respective et comparate ad opinionem contrariam.*

Q. 1. *Quotuplex opinio probabilis considerata comparate ad aliam?*

R. Opinio probabilis comparate ad opinionem aliam potest esse: 1 *minus probabilis, æque probabilis, probabilior, probabilissima;* 2 *minus communis, communis, communior* et *communissima;* 3 denique *minus tuta* et *tutior.*

Primo erit opinio *minus probabilis*, si nitatur levioribus rationum momentis, quam opinio opposita: *æque probabilis*, si momentis æqualibus: *probabilior*, si gravioribus: *probabilissima* demum, si nitatur argumentis gravissimis, ita ut opposita censeatur vel tenuiter vel dubie probabilis (2).

Secundo erit opinio *communis,* si multos; *communior,* si multo plures; *mi-*

(1) Ceterum regula generalis est, ut non unus, sed plures auctores graves volvantur: et quoad hoc recolatur cathalogus in fine hujusce tractatus. Pro praxi notamus: — 1 illa opinio est viro docto certe probabilis, quam ipse scit se diligenter excussisse, et persuasum habet, se illam absque inordinato affectu, ob rationes graves, ut veram tueri; — 2 Mediocriter doctus judicare potest de extrinseca opinionis probabilitate, si statum quæstionis rite intelligens, hanc inveniat assertam ab auctoribus hujus temporis omni exceptione majoribus, id est inter Theologos omnino probatos; — 3 rudis audiens a viro, quem existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere; non enim per se expendere valet, nec aliud medium ipsi suppetit probabilitatem extrinsecam cognoscendi.

(2) Errant qui opinionem probabilissimam sumunt pro opinione moraliter certa: opinio nempe moraliter certa excludit prudentem errandi formidinem; opinio autem probabilissima, tametsi inter probabiles habeat primum locum, fines tamen probabilitatis minime excedit: et ideo non excludit omnem omnino errandi formidinem. Quare opinio moraliter certa nonnisi improprie opinio dicitur; hoc enim ipso, quod omnem errandi formidinem excludit, egreditur e finibus opinionis scricte talis, et evadit scientia, ita ut contrari... re... tetur omnino improbabilis.

nus communis, si pauciores; denique *communissima*, si fere omnes moraliter pro se habeat auctores.

Tertio erit opinio *minus tuta*, quæ materialiter minus recedit a peccandi periculo; *tutior*, quæ recedit magis a dicto periculo. Opinio *tutior* dicitur favere legi; quia in dato casu tenet extare legem, quæ aliquid præcipiat aut vetet. *Minus tuta* dicitur favere hominis libertati; quia in dato casu negat extare legem, sed tenet hominem libere tunc agere posse pro suo arbitrio (1).

Ex his omnibus hactenus enucleatis triplex (quæ maxime pertinet ad morum doctrinam) potest hypothesis exoriri, videlicet in conflictu duarum opinionum possunt sæpesæpius contingere tria hæc:

1. Ut una sit minus tuta simul et minus probabilis; altera vera tutior et probabilior. Sic opinio, quæ docet mercatores ex professo gabellas fraudantes non teneri ad restitutionem, per se est minus tuta, quia non stat pro lege, et minus etiam probabilis in nostra sententia, quia per se loquendo est minus fundata in ratione. Unde contraria opinio, quæ docet mercatores fraudantes peccare et teneri de restitutione, est tutior et nobis probabilior.

2. Ut una sit minus tuta, sed magis probabilis; altera tutior, sed minus probabilis. Sic opinio, quæ docet beneficiatum habentem bona patrimonialia ex hisce vivere debere, non vero ex ecclesiasticis redditibus, tutior est; quia qui eam sequitur, nullo omnino, ne ipsi quidem materiali peccandi periculo se exponit, cum supponat et teneat strictam illam legem: est tamen certo certius minus probabilis, quia minus est fundata opinione contraria, quæ docet beneficiatum ad id non obligari.

3. Ut ambæ sint æque probabiles, sed una minus tuta, et favens hominis libertati, altera magis tuta et favens legi. Sic opinio, quæ docet ecclesiasticum, qui de redditibus alicujus beneficii accipit pensionem, non teneri ex justitia ad eroganda pauperibus superflua suæ pensionis, est nobis fere æque probabilis ac contraria, quæ docet talem obligationem adesse, quia utraque satis est ac fere æque fundata. Sed prima illa est minus tuta, quia liberando a tali justitiæ lege favet libertati; e contrario hæc secunda tutior est, quia stat pro hac ipsa lege, eam supponens (2).—His positis, videamus quid in hac opinionum diversitate resolvendum pro praxi, juxta S. Alphonsum.

Q. 2. *An liceat sequi opinionem minus tutam, et minus probabilem in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris* (3)?

(1) Hinc patet, quod opinio minus tuta et minus probabilis, sicut et tutior ac probabilior, multum differunt inter se; nam major vel minor securitas alicujus opinionis desumitur a majori vel minori ejusdem distantia a peccato: cum ex adverso major vel minor probabilitas desumatur a majori vel minori veritatis apparentia.

(2) Hic juverit notare cum S. Alphonso ad doctrinam nostram plenius intelligendam: *Cum aliquam opinionem* unice probabiliorem *appello*, *non ideo contrariam dicere probabilem intelligo.* — *Sicut pariter*, *cum dico de aliqua opinione* non audeo damnare, sive improbabilem dicere, *non ideo admitto ut probabilem; sed de ejus probabilitate dubito.* — *Item cum aliquam sententiam* veriorem voco, *intelligo oppositum non solida probabilitate mihi pollere*, *licet omnino non reprobem.* — *Opus Mor.* l. V. n. 76.

(3) Sæculo XVI id plures docuerunt, et *probabilistæ* vulgo appellati sunt. Primus hujus doctrinæ scholasticis terminis expositæ patronus fuisse dicitur anno 1577 P. Medina Ordinis Prædicatorum; anno vero 1584 ejusdem Ordinis pater Dominicus Bannez S. Theresiæ confessor doctrinam ipsam aperte amplexus est, ut tradunt historici. Unde patet falsum esse et historicæ veritati

R. Negative. Prob. 1. *Scripturis*, ubi legitur: *ante omnia opera tua verbum veræ præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile* (1). Ergo ad bene agendum necessarium est determinatum judicium intellectus, quo prudenter quis putet se licite agere. Atqui tale judicium habere nequit qui eligit opinionem minus tutam et minus probabilem in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris; cum ex hypothesi momenta quæ stant pro lege, superent momenta quæ stant pro hominis libertate;—2 Auctoritate Clementis III, qui eam sententiam tenendam declarat, *quæ meliori et subtiliori nititur ratione* (2): porro ubi major est probabilitas, ibi est melior et subtilior ratio;—3 *Ratione;* ad licite operandum debemus veritatem inquirere et eam sequi; ac proinde ubi veritas clare nequeat inveniri, tenemur saltem amplecti opinionem illam, quæ proprius ad veritatem accedit; atqui talis est opinio certe probabilior: unde vulgare illud effatum, *id sequimur in obscuris quod est verosimilius:* sane vir prudens præfert momenta graviora levioribus; et hoc evenit in nostro casu. Denique quando opinio, quæ stat pro lege, est *certe probabilior,* tunc mens nostra ex quadam vi suæ naturæ inclinari se sentit ad eamdem amplectendam, uti quilibet experitur. Quare contraria opinio licet adhuc in Scholis defendi possit, cum nullibi sit proscripta, a nobis tamen probari non potest (3).

Diximus *certe probabilior*, id est sine ulla hæsitatione, ideoque solide et notabiliter (4); nam parvus excessus ac tenuis præponderantia in moralibus non ita facile percipi potest. Hinc idem Angelicus habet: *quod autem parum est, quasi nihil accipit ratio* (5).

Q. 3. *An liceat sequi opinionem minus tutam, sed magis probabilem in concursu tutioris, sed minus probabilis?*

R. Affirmative *ordinarie loquendo.* Est contra Jansenistas, qui veterem pharisæorum rigiditatem renovantes, et importunum affectantes Evangelicæ veritatis studium docuerunt semper tutiora esse sequenda *(N).* Probatur 1 ex Angelico: *certitudo,* ait, *non est similiter quærenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia et exigun tur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat* (6); —2 auctoritate Alexandri VIII, qui hanc damnavit sub n. 3 propositionem: *non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Si enim ad agendum requireretur certitudo absoluta, vel talis evidentia veritatis, quæ excludat omnem errandi formidinem, tunc ne opinionem quidem probabilissimam tenere possemus; quia opinio hæc licet inter probabiles habeat primum locum, fines tamen probabilitatis non excedit, et ideo omnem errandi formidinem non excludit;—3 ratione; nam ista dictante, qui in concursu opinionis tutioris quidem, sed minus probabilis, amplectitur opinionem minus quidem tutam,

contrarium, quod toties a quibusdam fuit proclamatum, Patres nempe Societatis Jesu primos fuisse probabilismi inventores.

(1) Eccli. 37. (2) C. *Capellanus*, de feriis.

(3) Liguori. *Dissert. de usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris.*

(4) 1, 2, q. 14, a. 4. (5) 2, 2, q. 70. a. 2. (6) 2, 2, q. 70, a. 2.

sed probabiliorem, præfert argumenta graviora levioribus; ergo prudenter agit et licite.

Diximus: *ordinarie loquendo*, nempe ubi de solo licito vel illicito agatur; nam iis in casibus, in quibus non agitur jam de honestate actionis, aut de simplici jure ac persuasione nostra; sed de facto et veritate rei alicujus, non licet sequi opinionem probabiliorem, sed tutior est tenenda: *ratio est,* ait Luraschi, *quia in his casibus, si forte opinioni quamvis probabiliori subsit error, perdita sunt omnia* (1); neque enim major probabilitas immutat rerum naturam.—Sunt autem casus:

1. Quando agitur de periculo damni proximi, v. g. venator, qui probabiliter judicat objectum in sylva latitans esse hominem, non potest ferire, licet probabilius putet esse feram. Nam ex una parte proximus habet jus certum vitæ suæ; ex altera major probabilitas non facit, ut si revera sit homo, ictu non pereat (2).

2. Quando agitur de fine, quem absolute curare tenemur, et ad quem major probabilitas non conducit: ita est in iis, quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem, ubi factum unice attenditur.

3. Quando agitur de iis, quæ requiruntur ad valorem Sacramentorum; quia Sacramenta non pendent ab hominis opinione, sed ab institutione divina, et ideo non habentur, nisi reapse ponantur ea, quæ Deus ad Sacramentum præscripsit (3). Hinc Innocentius XI die 2 martii 1679 sequentem n. 1 damnavit propositionem: *non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramentorum, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi* (4).

(1) Quamquam in his facti speciebus, si strictius loqui velimus, nedum major, imo nulla adest vera probabilitas; cum et ratio et Doctorum consensus contrarium doceant: siquidem nullus discursus valet removere malum quod potest evenire, si aliter agatur. Unde quod iis in casibus sit tenendum quod securius est, est etiam magis probabile, imo practice certum; *tunc enim* (ad rem Ambr. Jos. Stapf. in *Mor. Theol.* Œniponti 1846, edit. 6) *status quæstionis jam non est dubius, sed plane certus efficitur.* Quare si hos casus excipiendo ponimus, est ut morem geramus Theologorum. — Hic vid. cl. Fedelini S. Theologiæ moralis in seminar. Veronensi profesor, Opuscul. *S. Alphonsus de Liguorio seipsum vindicans,* Veronæ 1852.

(2) Hanc rationem sic lucide exponit S. Alphonsus: « El peligro de pecar depende del dictámen de la conciencia del que obra, y el peligro del daño depende del hecho de la misma operacion. » — *Apolog. e confutaz.* vol. 1, pag. 251. Monza 1821.

(3) Excipe 1 nisi defectus suppleatur ab Ecclesia; aliquando enim ipsa potest et censetur supplere id, quod desideratur ad valorem Sacramenti. Hoc evenit tum in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Ecclesia aliquando supplet jurisdictionem Confessarii, si forte desit; tum in Sacramento Matrimonii, quod aliquando convalidat, si invalide contractum est ob impedimentum ecclesiasticum, quod quidem suppleudo aufert.

Excipe 2 nisi urgeat casus necessitatis; quia cum Sacramenta sint propter homines, homini in gravi periculo vitæ ea ministranda sunt meliori, quo potest, modo. Ad salvandam autem Sacramenti reverentiam, ipsum conferatur sub conditione. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, nn. 49 et 50.

(4) Cum propositio loquatur tantum de Sacramentorum confectione, ideo contendunt Sanchez, Vasquez, etc. adhuc licitum esse uti opinione probabili in illorum susceptione. Verum nos censemus non recedendum a sententia Cardenas, La-Croix, etc. qui docent et conficientem et suscipientem, non posse ex damnata propositione sequi opinionem probabilem, relicta tutiore; cum una facti species sit virtualiter inclusa in alia, et quoad potest vitandum sit frustrationis Sacramentorum periculum. Saltem hæc secunda sententia est tenenda; quia prima fere numquam po-

4. Quando agitur de illo, qui ad tutiora adhibenda tenetur vel ex conventione tacita aut expressa, vel voto, vel præcepto superioris; quia pacta, promissiones et præcepta servari omnia jura clamant. Hi casus sequenti versiculo exprimuntur:

Si damnum, finisque, valor, si tutius urget.

Q. 4. *An liceat sequi opinionem minus tutam in concursu opinionis tutioris æque, vel fere æque probabilis* (1)?

R. Theologi in duas partes scinduntur.—Alii volunt partem tutiorem esse eligendam, eam videlicet quæ favet legi, quando adsit concursus alterius opinionis æque vel fere æque probabilis, quæ faveat hominum libertati: hi *Probabilioristæ* dicuntur, seu *tutioristæ*.—Alii vero dicunt, eligi etiam posse partem minus tutam seu faventem hominis libertati; et licet fateantur perfectius se gerere qui primam sequitur partem, docent tamen nullatenus peccare qui tenet secundam. Doctrina hæc nuncupatur in Scholis *Systema morale probabilismi moderati*, et consequenter *Probabilistæ moderati*, vel *Æquiprobabilistæ* vocantur qui illud tuentur *(0)*. Probabilismi moderati usum tam firmiter, tam aperte, tam constanter et copiose propugnavit sanctus Alphonsus De Ligorio episcopus in Regno Neapolitano, et fundator venerandæ Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ut ipse ejusdem quasi pater et auctor habeatur.

Hic tamen juvat advertere, quod Sanctus noster:—1 aperte negat, eas opiniones vero probabiles remanere, quæ concurrunt cum aliis certe et notabiliter probabilioribus et tutioribus; ideoque negat fas esse illas in praxi tenere;—2 fatetur in dubio practico de bonitate vel malitia actionis aut ab actione esse prorsus abstinendum, aut tenendam partem tutiorem (2);—3 consentit non licere sequi partem minus tutam, etiamsi probabiliorem, relicta tutiori etsi minus probabili, in casibus supra numeratis, ubi agitur de aliquo facto, a quo non possit amoveri periculum, nisi per media tutiora.

Hisce sic stantibus, nos (facta cuilibet facultate sentiendi quod sibi magis arriserit, et quin ullo modo audeamus diversimode tradentes reprehendere aut parvifacere) non dubitamus aperte tueri expositum *Systema Ligorianum*. Sit igitur:

terit deduci in praxim a suscipientibus sine propriæ animæ detrimento. — *V.* S. Alphonsus, *Opus Mor.* l. I, n. 51.

(1) Gravissimi momenti est hæc controversia, a cujus solutione pendet etiam solutio aliarum sine numero quæstionum in toto moralis Theologiæ cursu.

(2) *V.* Liguori, *Opus Morale; Homo Apostolicus; Dissertationes quatuor pro usu moderato opinionis probabilis; Breve dissertazione dell'uso* ecc. *con Apologie italiane.*

THESIS

Inter duas opiniones æque vel fere æque probabiles potest homo sine peccato eligere et tenere partem minus tutam, relicta tutiori (1).

Primum argumentum desumitur ex natura legis.

Talis est natura legis cujuscumque, ut, cum dubia est, minime obliget; atqui in concursu duarum opinionum æque probabilium, quarum una stat pro libertate, altera vero pro lege, lex dubia est.

Minor clare patet: dubium enim ex Angelico est contrariarum rationum æqualitas: *dubitatio,* ait, *signat motum rationis supra utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alteram* (2). Major autem probatur: lex non obligat nisi fuerit sufficienter nobis notificata; nam cum ipsa sit regula et mensura actuum humanorum, debet profecto innotescere; alioquin eos nullo modo dirigere posset; atqui lex, quæ post maturum examen remanet dubia, non est sufficienter nobis notificata. Quomodo etenim dici potest lex sufficienter nobis notificata, si de illius existentia ita disceptatur, ut æqualia sint argumenta hinc et illinc? ergo tunc tute nos pronunciamus, eam non obligare (3). Confirmatur auctoritate ipsius Angelici, qui scribit: *ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur* (4). Idem sic habet: *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti, et ideo ille, qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur... Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit, nisi per contactum; ita in spiritualibus præceptum non ligat, nisi per scientiam* (5).

Sed (dices) *in concursu duarum opinionum æque probabilium habetur notitia saltem probabilis legis; ideoque sufficiens ad prudentem hominis assensum sibi conciliandum.*—Negamus: quomodo enim probabilis haberi poterit notio legis alicujus, ubi argumenta quæ illius construunt existentiam, eliduntur omnino ab argumentis, quæ militant pro existentia libertatis? Ergo in concursu duarum opinionum æque probabilium non alia potest haberit no-

(1) Hic præ oculis attente habenda est *Nota*, quæ incipit: *Hæc resolutio* etc. *V.* supra cap. 3, art. II, § 2, ad quæst. 7. (2) In 3 sent. d. 17, a. 4.

(3) Hæc conclusio nostra mire firmatur hisce verbis Apostoli, I Cor. 14; *si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.* Quid porro est lex dubia, nisi tuba illa, quæ dat incertam vocem? nisi illa lingua quæ dat, sed non manifestum sermonem? Lex igitur dubia, sit aliquo sensu lex, sed non dat vocem certam, non dat manifestum sermonem; non ergo debeo me parare ad bellandum contra meam libertatem, quia lex illa in aëra loquitur. Porro si in dubio legis esset tenendum quod tutius est, et legi illi inhærendum, non bene locutus fuisset Apostolus, qui ad obediendum manifestum superioris sermonem requirit. Recta est ergo, ac in ipsa *Scriptura* fundata regula illa: *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda:* iterum: *quidquid adstringendæ obligationis causa dictum, id, nisi palam exprimatur, amissum esse intelligendum est.* — *V.* Bolgeni, *Il possesso, principio fondamentale per decidere i casi morali*, cap. II.

(4) 1, 2, q. 90, a. 4. (5) De verit. q. 17, a. 3.

titia, quam notitia et scientia dubii legis; non vero notitia et scientia legis ipsius, qualis requiritur, ut lex valeat obligare. Accedit argumentum a pari: scilicet in pari dubio, utrum aliquid sit revelatum necne, non tenemur credere, illud esse revelatum. Ergo a pari in æquali probabilitate, utrum illa actio licita sit necne, non tenebimur illam ponere vel ab illa nos abstinere. Ita ratiocinatur S. Antoninus cum Gersone (1).

At (repones) *principium laudatum non est generale, ut debet esse omne principium, quod sit mensura morum; siquidem illud* lex dubia non obligat *quosdam excipit casus.*—Verum, si recte loqui velimus, nullus in opinione nostra casus excipitur, ac ideo principium nostrum adæquatum est. Nam si intimius rem consideremus, ideo casus nonnulli excipiuntur, quia in illis lex non amplius habetur dubia; adest enim jam in antecedens lex certa et generalis charitatis vel justitiæ, quæ clamat vitandum esse damnum proprium vel alienum. Quæ quidem lex ideo omne dubium vincit; quia apud omnes omnino in confesso est illius præexistentia (2).

Saltem (inquies) *principium:* lex dubia non obligat, *non poterit extendi ad dubia illa, quæ sunt de lege naturali?*—Negamus antecedens; nam S. Thomas, cujus verba retulimus, loquitur profecto etiam de lege naturali, teste S. Alphonso sic dicente in eumdem locum: *habla allí* (el Angélico) *no solo de las leyes humanas, mas aun de las divinas y naturales* (3). Et sane eadem est ratio.

At (dices) *saltem illud principium non obtinet, quando agitur de dubio mali intrinseci.*—R. negando: quod enim obtinet in dubio de lege naturali, id obtinet etiam in dubio de malo intrinseco; cum sit una et eadem omnino res. Nam conceptus, vel idea *boni* aut *mali intrinseci* ita inhæret conceptui vel ideæ legis naturalis (primum quidem præcipientis, alterum autem vetantis), ut nullo modo a se invicem separari queant. Quid, quæso, vetat lex naturalis? *lex naturalis*, ait Antoine, *nil vetat nisi id, quod per se malum ac inhonestum est*, id est quod intrinsece malum et inhonestum est. Ergo ignorantia vel cognitio certa mali intrinseci erit ignorantia vel cognitio certa legis naturalis: dubium vero de malo intrinseco erit dubium de lege naturali. Atqui principium nostrum *lex dubia non obligat* ex dictis extenditur ad dubia legis naturalis; ergo etiam ad dubia mali intrinseci. Malum enim proprie dictum, sive intrinsecum sit, sive extrinsecum (id est peccatum) non oritur, nisi a violatione legis: *peccatum non cognovi nisi per legem*, habet Apostolus (4); errant ergo pauci illi, in quorum sententia in actibus intrinsece malis conceptus malitiæ habetur sine conceptu legis prohibentis. Hoc est contra laudatum Apostolum, qui aperte dixit: *peccatum non novi, nisi per legem.*

Sed (addes) *hæc propositio:* lex dubia non obligat *æquivalet huic alteri:* lex dubia licitam relinquit actionem. *Ergo necesse est, ut antecedenter ad*

(1) 1 p. t. 3. (2) Ut satis notat Liguori, *Homo ap.* Tr. 1, n. 21.

(3) S. Alphonsus, *Apolog. e Consut.* vol. 2, ubi subdit: *en otra parte enseña mas espresamente el Angélico Sto. Tomás, que los preceptos divinos, ya sean positivos, ya naturales, mientras son dudosos, no obligan.* 1, 2, q. 19, a. 10. Quare toto errare cœlo dicendi sunt qui in hac quæstione contendunt S. Alphonsum posuisse discrimen circa illud principium *lex dubia non obligat* inter legem positivam et legem naturalem. (4) Ad Rom. c. 7, v. 7.

omnem legem ego sciam illam actionem esse licitam; sed in dubio id non potest verificari. Ergo principium illud lex dubia non obligat, *minime valet in dubio de intrinseca actionis licitate, seu de malo intrinseco.* — R. Dist. ant. *Lex dubia licitam relinquit actionem* in ordine ad conscientiam illius, qui eam ponit, concedo; *relinquit licitam actionem* in se, nego. Si lex, quæ dubia est, realiter subsistit, utique actio in se ipsa et abstractive illicita est, neque incertitudo mea illam potest mutare, sive de intrinseca, sive de extrinseca licitate agatur. At diversa omnino res est, quod actio in se ipsa sit illicita, et quod sit illicita operanti. Ut enim quis teneatur se abstinere ab operando, necesse est, ut sibi nota sit lex prohibens, qua actio illa sibi sit illicita. Quando porro quis dubitat de lege, ipsi deest etiam necessaria cognitio illicitatis actionis suæ, cum hæc ab ipsa lege exurgat; ergo illam libere ponere potest, quidquid tandem sit de actione ipsa in se.

Verum (addes) *ideo dicimus possidere libertatem, quia hæc potest agere licite; sed agere licite quid aliud est, nisi ponere actionem licitam? Supponitur itaque, quod actio illa sit licita quoadusque a lege aliqua fiat illicita; atqui suppositio ista haberi nequit in dubio supra exposito. Ergo* etc.—R. cum distinctione ad majorem: *agere licite, est ponere actionem licitam*, quoad ipsum operantem, concedo; quoad rem ipsam in se, nego. Semper redit quod supra: unde omnes ferme difficultates una distinctione solvuntur. Nempe adversarii duo inter se prorsus diversa judicia confundunt, judicium de honestate actionis absolutæ et in se consideratæ sine relatione ad operantem, et judicium de actuali licitate quoad operantem ipsum.

Instabis: *quando lex est dubia, saltem quoad suam extensionem ad casum particularem, tunc dubia pariter dicenda erit libertas et ejus possessio quoad casum illum; ac proinde tunc semper remanebit dubium practicum, quo stante, fatentur omnes nefas esse operari contra legem.* — Nego anteced. Quando lex est dubia quoad suam extensionem ad casum particularem, remanet quoad illum certa et firma in sua possessione libertas hominis, quippe quæ legem, seu (melius dicam) legis scientiam certe præcedit. Quomodo enim ligatur libertas hominis? dicente S. Thoma, non alio modo, quam *per scientiam alicujus præcepti: nullus ligatur* (numquam satis repeti possunt hæc verba decretoria) *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti.* Jam vero Philosophi omnes cum laudato Angelico docent discrimen opinionem inter atque scientiam in eo consistere, quod *opinio* denotet cognitionem dubiam aut probabilem alicujus veritatis, *scientia* autem significet cognitionem certam atque patentem. Sed lex dubia non parit cognitionem certam atque patentem, ergo neque scientiam præcepti, ideo quamdiu talis, non poterit ligare libertatem hominis.

Secundum argumentum sumitur ex doctrina Sanctorum.

Sanctorum ferme omnium firmissima doctrina hæc est, *in dubiis licere partem sequi benigniorem.* — S. Joannes Chrysostomus inquit aperte: *melius est errare in misericordia, quam in severitate; ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Vis apparere sanctus? circa vitam*

tuam esto austerus, circa alienam autem esto benignus (1). — Præceptor Angelicus habet ad rem: *melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem* (2). — S. Bernardinus Senensis scribit: *quando diversæ sunt opiniones, cæteris paribus, humanior est præferenda* (3). — S. Antoninus *Angelus consiliorum* appellatus monet Confessarium, quod *si non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur præcipitanda sententia, ut deneget propter hoc absolutionem, et faciat illi conscientiam de mortali; cum promptiora sint jura ad solvendum; quam ad ligandum* (4). Clarius Gregorius Nazianzenus; res erat cum quodam Novatiano, qui secundas nuptias damnabat; ipsum porro sic insectatur S. Pater (5): *quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere, proba; aut si nequis, ne condemnes: quod si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas* (6). — Neque aliter sensere S. Bernardus, S. Philippus Nerius, S. Franciscus Salesius, B. Leonardus aliique, qui profecto laxitatis nequeunt esse suspecti. Paucis: omnes fere Sancti erga se tenentes Chrysostomi regulam *circa vitam tuam esto austerus*, erga proximum usi sunt illo juris adagio: *semper in dubiis benigniora præferenda sunt.*

Dices: *extat generale præceptum in jure naturæ fundatum, scilicet sequendi in dubiis viam tutiorem. Hoc agnoverunt, et declararunt Pontifices Maximi, qui tamquam principium suarum decisionum illud posuerunt effatum:* in dubiis via est eligenda tutior, ita *Innocentius III* (7). In dubiis semitam debemus eligere tutiorem, ita *Clemens III* (8). In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, ita *Eugenius III* (9). Ergo etc.

R. 1: Extant in jure aliæ regulæ contrariæ omnino, ut illa: *in dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda.* Iterum: *in obscuris, quod minimum est, tenendum.* Et iterum: *nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* Ergo ne dicamus jus sibi contradicere, ea verba explicanda sunt.

R. 2: Si in quolibet dubio teneremur semper sequi partem tutiorem favorem legi, eccur tot Sancti (supra recensiti) tradiderunt in dubiis fas esse partem sequi benigniorem? numquid dicendi contra RR. Pontifices sensisse? absit. Summi Pontifices declarantes Sanctorum doctrinam immunem esse ab omni censura satis superque innuunt, eam propriis decretis et decisionibus minime adversari. Urgetur magis hæc nostra animadversio, vel in ipso dubio legis naturalis, ex jure canonico (10), ubi Summus Pontifex uni conjugi dubitanti de propria coëundi potentia, expresse permisit, ut queat ad triennium petere (etiam alteram partem cogendo), et reddere debitum conjugale: et hæc est norma, praxis, atque judicium omnium Tribunalium (11). Qua

(1) Hom. 49 in Matth. (2) Opusc. 65, *De Offic. Sacerd.*

(3) Serm. 3, fer. 2 post Quinq. (4) *V.* Liguori, *Op. M.* l. I, n. 78. (5) Orat. 39.

(6) Quibus verbis nil clarius. Unde si quando Patres videntur rigorosius loqui, ne dicamus eos sibi contradicere, dicendum eos loqui de casu, in quo nostra probabilitas malum non avertat; vel agatur de dubio practico, ut patet Opera ipsorum evolvendo.

(7) Cap. *Illud Dominus, de Cler. excom. depos.* etc.

(8) Cap. *Ad audientiam de homic.* (9) Cap. *Juvenis* art. 3 *de sponsalibus.*

(10) Decr. Greg. l. IV, t. 15, *de frigid. et malef.* c. 5 *Laudabilem.*

(11) Datur triennium ad tentandam copulam, eo quod in communi sapientum æstimatione cen-

in re nemo dixerit, Cœlestinum III tenuisse viam tutiorem, cum apertissime tutius sit in tali casu abstinere ab usu conjugii : evenire enim potest, ut impotentia nullis probationibus vincatur, et ideo perpetua judicetur. Quo in casu certum esset, jam primitus matrimonium illud nullum fuisse, ideoque copulam habitam esse inter solutos (1).

Neque valet dicere : — 1 quod in supra memorato ac singulari casu Deus experimentum copulæ permisit; hoc enim gratis asseritur : — 2 quod experimentum copulæ tunc licet in bonum conjugii, atque ad veritatem matrimonii dignoscendam; quis enim dixerit intentanda esse mala sub incerta spe boni? — 3 quod copula illa permittitur ad majus malum vitandum, ne forsan fiat contra jus alterius; nam majus malum est se periculo exponere faciendi contra jus naturæ : — 4 quod excusari possunt conjuges, quia copulam habent affectu maritali; nam sola intentio non excusat a malo opere: neque intentio dubium excludit, imo potius a dubio ipsa excluditur intentio bona : — 5 quod eo casu possidet contractus matrimonii bona fide initus; nam esto possideat ante experimentum copulæ, sed cognita impotentia, statim dubium exurgit circa illius validitatem; potest enim impotentia esse absoluta ac perpetua, ut revera non raro contingit (2). Unde si esset servanda regula ab adversariis universim tradita, quod nempe lex (saltem naturalis) antecedit humanam libertatem, ac ideo in dubio quod tutius est præferendum, nullo modo in supra citato casu (concludit S. Alphonsus) posset copula tentari; quia nullo modo potest dici matrimonium adversus divinam legem possidere. Quare totum hoc unico argumento salvatur, nempe *in dubio meliorem esse conditionem possidentis;* cum igitur in nostro casu matrimonium bona fide initum existat, illud possidet, non obstante quocumque superveniente dubio: quod quidem, quoadusque triennali copulæ usu non vincatur, per principium reflexum contrahentes jus habent insistendi in inito matrimonio, etsi invalidum esse possit.

seatur sufficiens ad dignoscendum, num impotentia sit perpetua vel temporanea. Sunt autem alii casus in jure hanc ipsam veritatem probantes, quos refert Bolgeni in Opere, *Il possesso,* cap. 12.

(1) Errant, vel alios in errorem pertrahere nituntur ii qui asserunt S. Alphonsum allato cap. *Laudabilem* usum fuisse per *transennam*, ut ajunt, et mere accidentaliter; non vero ad probandam legis dubiæ extensionem etiam ad dubia quæ sunt de lege naturali. Nam septies ab ipso adducitur in rem et inculcatur : scilicet dissert. 1, object. 2, pag. 37, edit. Modœtiæ ; diss. 2, n. 30 ; dissert. 3, n. 20 ; dissert. 4, n. 33 ; diss. Ital. *Dell'uso moderato* etc., c. 5, n. 18 et brevi dissertatione, § *Aggiungiamo* p. 413 ; item apol. 4, § *Inoltre scrissi*, pag. 176, ecc. ecc.

V. Fedelini, *S. Alphonsus a Liguorio se ipsum vindicans*, Veronæ 1852. Item *Difesa della Dissertazione S. Alphonsus se ipsum* etc. Venezia 1852.

(2) Ita in libro, *Dottrine di S. Alphonso de Liguori difese*, ecc. 2.ª ediz. Bologna 1850. « Es preciso convenir en una de estas dos cosas, ó se ha de negar que el uso *cum non sua* (uxore) es intrínsecamente malo, y por lo mismo contra la ley natural, ó se ha de decir que, en sentir de la Iglesia, la ley natural no obliga mientras existe la duda. Con efecto, desde el momento que se admitiese que la accion es intrínsecamente mala, y al mismo tiempo que la duda en semejantes casos deja la ley natural en todo su vigor, ¿con qué autoridad concederia la Iglesia relajaciones y dispensas? *Numquid Ecclesia in lege naturali potcrit dispensare?* (Liguori, Dissert. dell'uso moderato dell'opinione probabile) es así que la Iglesia efectivamente concede que mientras persevera la duda, no se tenga en cuenta la ley natural, como si no existiese, luego, segun la Iglesia, la ley dudosa, aunque natural, no obliga ; luego la Iglesia reconoce que en este caso con un principio reflexo podemos formarnos un *dictámen* cierto de conciencia. »

Quomodo ergo (quæres) *accipienda sunt objecta testimonia?* Objecta testimonia accipienda sunt vel de solis dubiis practicis, vel de iis tantummodo dubiis facti, quæ conjunctum habent proprii, aut alterius damni periculum: non vero extendenda ad dubia etiam juris, in quibus agitur dumtaxat de licitate vel illicitate alicujus actionis. Et revera in casibus relatis dubia erant practica et facti, nec haberi poterat principium aliquod certum, directum aut reflexum, quo excusaretur qui non esset secutus partem tutiorem, propter scandala aliaque mala, quæ in iis casibus vitanda erant. — Sane primus casus erat de quodam Episcopo, qui non obstante fama publica de sui excommunicatione, adhuc de ea dubitans temere celebrabat. Innocentius III juste illum depositione punivit; nam persistente dubio de excommunicatione, ob scandalum a Missa abstinere debebat. — Secundus casus erat de quodam Sacerdote, qui intulit cuidam viro vulnus, ex quo vita decessit; deinde dubitabatur, an ille ob illud vulnus mortuus esset. Clemens III decrevit convenire, ut Sacerdos a sacrificando desisteret: idque sapienter, nam facti veritas nondum erat explorata, ut habet textus. Adde Pontificem loqui de convenientia, non de præcepto: sane conveniens erat, ut Sacerdos a celebrando abstineret, ne si deinde constaret ipsum fuisse revere homicidam, populo esset scandalo eum celebrantem conspicere. — Tandem tertius casus erat de quodam juvene, qui septennis puellam quamdam duxit, qua mortua postea cum consobrina illius alias nuptias contraxit. Orto dubio, an primum conjugium esset validum ob ætatem, Eugenius III præcepit, ut vir a præfata consobrina separaretur: et merito, tum quia agebatur de Sacramento, tum quia possessio stabat pro valore primi matrimonii. Hinc non dixit *quod tutius*, sed *quod certius existimamus;* quia utique certius erat judicium de separatione imponenda, cum dubietas de valore primi matrimonii vinci non posset *(P)*.

Tertium argumentum desumitur ex ratione.

Adversus possessionem legitimam sola certitudo prævalet. Conveniunt in hoc leges omnes canonicæ ac civiles, et decisiones omnium orbis tribunalium, ac demum totius generis humani sensus. Unde natum est vulgatissimum illud: *in dubiis melior est conditio possidentis.*

Porro antecedenter ad omnem legem quisque suam libertatem possidet; cum prius concipiendus sit homo liber: indeque lex, quæ imponatur illi (1). Et vero cuinam secus imponeretur? nisi quis prius concipiat *tibi et alteri*, quomodo concipere vel sola mente poterit illam legem: *quod tibi non vis*

(1) «El hombre está en posesion de su libertad física, y desde entonces puede obrar libremente. Y la razon, que regula la libertad moral, representándole la ley que prohibe, no coarta la anterior libertad física, que tenia anteriormente, de poder hacer todo lo que le era posible dentro los límites de lo honesto y de lo justo. Sentado, pues, que el hombre está en posesion de su libertad física de escoger lo que puede hacer, la representacion de la ley, á fin de que sea suficiente para regular y limitar la libertad natural, debe hacerse con juicio cierto, y no basta que sea hecho con juicio dudoso, como el que procede de dos opiniones; porque en este caso la razon reguladora no le representa ya la ley, sino la duda de la ley, la cual no es ley.» — Ita Liguori, *Dell'uso moderato dell'opinione probabile*, c. 4, § 1.

fieri, alteri ne feceris? Sane cum sit absurdum jussa dare alicui, qui liber non sit ad obediendum; item non minus absurdum est hominem, cui lex imponitur, non prius concipere liberum. Ergo ut contra certam hominis libertatem prævaleat lex, non sufficit æquiprobabilitas; sed ejus certitudo moralis requiritur, ut vim libertatis infringere valeat.

Verum (dices) *effatum illud:* in dubiis melior est conditio possidentis, *locum dumtaxat habet in materia justitiæ. Aliunde etiam dato, quod obtineat in cæteris rebus, cum ex alio effato* regula sit prior regulato, *lex autem sit veluti regula et libertas veluti regulatum; ideo lex est illa, quæ prius possidet, non libertas.*

R. Ad 1: nulla ratio assignari potest, cur possessio in materia justitiæ locum habeat, non in aliis materiis. Aliter docuit S. Alphonsus, cujus hac de re assertio iterum atque iterum a S. Congregatione examinata semper prædicata fuit *ut nulla censura digna.* Aliter et ratio suadet, cum per se ipsa possessio tribuat jus, quatenus nempe recte creditur cum fundamento inchoata: si secus esset, possessio in nullo foro vim probationis obtinere posset. Ad rem Bolgeni: « ¿Acaso el justo delante de los hombres y en el foro esterno se diferencia del justo delante de Dios y en el foro de la conciencia? ¿La justicia humana está tal vez en oposicion con la justicia divina? ¿podrán los hombres mandar justamente una cosa que Dios me prohibe? ¿qué hombre sensato admitirá un absurdo tan palpable? (1) »

R. Ad 2: iterum Bolgeni: « Aquella frase ó dicho *regula est prior regulato* tiene lugar cuando se quiere dar la existencia á una cosa material, por ejemplo cuando se quiere levantar un edificio, plantar un jardin, etc. Entonces se concibe en la mente la idea de la cosa que se quiere hacer, y se forman los dibujos ó planos de ella; estos dibujos son la regla anteriormente formada, segun la cual se da existencia real á la cosa. Pero cuando se trata de leyes, estas no son ni pueden ser reglas ni dibujos, segun las cuales se dé existencia al hombre y se procure la libertad (2).» Nimirum hæ leges aptari debent hominibus, ut ipsi valeant eas observare.

Instabis: *qui se exponit periculo peccandi, peccat:* qui amat periculum in illo peribit (3); *atqui sequens opinionem faventem libertati, relicta tutiori æque probabili favente legi, exponit se tali periculo.*

R. Nego minorem. Sacer hic textus non facit ad rem; ibi enim agitur de eo, qui protrahit ad mortem usque conversionem suam: *cor durum* (ait) *habebit male in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit.* Iste profecto peccat graviter, quia occasionem proximam peccandi usque ad mortem retinens in periculum se conjicit damnationis æternæ. Imo neque si textus de eo

(1) V. *Il possesso*, etc. c. 12, n. 95. — Nil etiam prohibet, quominus in dubio quædam quasi lis dicatur instituí ac moveri inter legem et libertatem. Ego certus sum de libertate mea: surgit lex quæ vult illam exturbare; quid ergo? quamdiu lex certa non proferat argumenta, jus habeo insistendi in illa meæ libertatis possessione.

Utique tale judicatum corrigendum est, quando res dignoscatur se se aliter habere (ideoque in jure dicitur judicium illud *momentaneum, præparatorium* ac *summarium*); at quoadusque id certo moraliter non dignoscitur, judicium illud rectum est et subsistens. Nullum enim est principium reflexum vel ab ipsis probabilioristis admissum, quod rem resolvat in se seu objective.

(2) L. c. cap. 1, n. 4. (3) Eccli. 3, v. 27. — Liguori, *Op. Mor.* l. 1, n. 68.

accipiatur, qui se exponit periculo peccandi, facit ad rem; nam in casu nostro agens operatur practice certus de honestate actionis suæ: ita ut si de facto existat legis transgressio, hæc non sit, nisi materialis; non vero formalis, et imputabilis (1). Nonne etiam qui sequitur opinionem probabiliorem imo probabilissimam se exponit periculo errandi? utique quia opinio licet probabilior, imo licet probabilissima, non excludit omnem erroris formidinem. Attamen probabilioristæ non attendunt ad hoc erroris periculum, utpote materiale; siquidem in praxi operantur ex recto conscientiæ dictamine. En casus noster: res eadem est pro utroque systemate.

Sed (regeres) *in dubiis melior est conditio possidentis; atqui legis æternæ possessio anterior est possessione libertatis humanæ: ergo in dubio de existentia legis vel libertatis melior est conditio legis; ac proinde potius pro lege standum est.*—R. Utique lex æterna præcedit libertatem hominis *prioritate temporis,* nam Deus semper velle debuit ordinem naturalem servari; sed hominis libertatem non præcedit *prioritate rationis* seu *ordinis*, sive *obligationis*, in particularibus. Sane prius est concipere subditos, ac postea iis leges imponere, eosque obligare: quo sensu potest dici respectu hominis legem æternam non esse legem proprie dictam, quoadusque nempe ipsi per certam notitiam non applicetur. Scilicet lex æterna habet quidem in se aptitudinem ligandi hominem, et hoc sensu dicitur obligare *in actu primo;* sed illam suam aptitudinem exercere non potest *actualiter*, id est *in actu secundo*, nisi quando homini promulgatur: porro, ut habet Angelicus, *ex parte creaturæ non potest esse promulgatio æterna* (2).—Unde homo semper quidem in generali dispositus esse debet ad obediendum Deo, sed de facto ejus voluntati obsequi non tenetur, nisi quando illam cognoverit: *in particulari nescimus quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati,* ait idem sanctus Doctor (3).

Ergo (addes) *fas est tenere sententiam probabilem faventem libertati, etiam in concursu sententiæ probabilioris faventis legi; nam adhuc lex non est omnino firma, licet sit probabilior; atqui hoc est falsum.*—Nego sequelam majoris; nam quando sententia, quæ favet legi, est certe et ideo notabiliter probabilior, lex ipsa habetur veluti satis promulgata saltem moraliter; et ideo vim suam exercere debet. Sed quando utraque sententia et favens legi et favens libertati est æque vel fere hinc inde probabilis, tunc lex nullo modo dici potest promulgata, et idcirco nullo item modo dici potest obligare. Deinde cum sententia favens legi est notabiliter probabilior, assensus mentis in eam naturaliter inclinat; sed quando est æque (vel fere) probabilis ac

(1) En verba S. Alphonsi: « Por lo que si existiese la ley, obrando lo contrario no se obraria entonces formalmente contra ella, y sí solo material, siendo de este modo el pecado solamente material, por el cual el Señor no condena al hombre; mientras que el pecado material no es otra cosa que una accion, que seria materia del pecado, si estuviese de por medio su conocimiento de la ley. » — *V.* Apolog. e confut. vol. 1, pag. 207.

Sed nonne (dices) periculum etiam peccati materialis vitandum erit? Cito respondet Sanctus noster *negative*, inquiens (cit. loc.): « No puede decirse que estamos obligados á evitar el peligro de todo pecado, aunque sea material, porque si esto fuese verdad, no podria seguirse la opinion mas probable, ni aun la probabilísima, puesto que hasta en el uso de la probabilísima hay peligro de pecado material.

(2) 1, 2, q. 90, a. 1. (3) 1, 2, q. 19, a. 10.

sententia favens libertati, assensus remanet in suspenso. Adde in actionibus humanis sæpe haberi non posse omnimodam certitudinem: unde sufficit certitudo quædam resultans ex conjecturis probabilibus, quæ licet absolute loquendo certitudo non sit, respective tamen et quoad agendum ut talis habetur (1).

Oppones ultimo: *Decreto S. R. Inquisitionis* 1761 *quilibet usus opinionis probabilis fuit proscriptus; ergo non amplius licitus est.*

R. Verum est, quod proscriptum fuit folium continens plures propositiones, quarum quædam justos excesserant fines, quædam catholicum probabilissimum tuebantur; sed non fuere proscriptæ omnes propositiones in particulari, ac divisim (2). Revera cum de hoc ipso S. Alphonsus noster scripsisset Pœnitentiario Majori eum rogans, ut suo nomine responsum requireret a proprio Pontificis ore, dictus Pœnitentiarius postquam Clementem XIII fuit allocutus, respondit non fuisse damnatas omnes folii propositiones; sed aliquas tantum in illo contentas. Neque damnatam fuisse aliquam propositionem illarum, quæ disceptantur in Scholis catholicis. Et signanter non fuisse damnatam suam, quam defendebat sententiam (3).

Imo Pius VII die 18 maii anno 1803 expresse confirmavit Decretum S. Rituum Congregationis declarantis, omnibus B. Alphonsi Operibus tam typis editis, quam manuscriptis ex Apostolicæ Sedis disciplina ad severam trutinam revocatis, *nihil* in iis *censura dignum* fuisse repertum (4). Ergo ea nihil continent *contra fidem, vel bonos mores: nihil novi vel peregrini, atque a communi sensu Ecclesiæ et consuetudine alienum: non noxa et inutilia: non Scripturis divinis aut Patribus adversantia*, si credere est Benedicto XIV (5), qui sic laudata verba *nil censura dignum* explicat (6).

(1) Ita Angelicus, 2, 2, q. 70, a. 2.

(2) Unde hæc proscriptio valde differt ab aliarum propositionum proscriptione per Alexandrum VII, nam istæ propositiones damnatæ fuerunt *omnes et unaquæque ipsorum*; ut supra objectæ tantum *in globo* et *respective*, uti merebantur ut damnarentur.

(3) Adde: si folium objectum quoad omnes et singulas propositiones esset proscriptum, jam vel ipse probabiliorismus esset damnatus; nam hic quoque sub initio in eodem continetur.— *V. Theolog. Moralis S. Alphonsi.* Edit. Stereotip. typ. Marietti, Taurini, 1846, t. I, n. 85, pag. 55.

(4) Quod ut melius intelligatur, adnotamus: Theologi triplicem distinguunt approbationem. Alia est *definitiva*, si nempe Ecclesia aliquam doctrinam certam ac sequendam ab omnibus declaret, adeo ut qui contra sentiat, contra Ecclesiam sentiat. Alia est *electiva* seu *positiva*, si nempe doctrina ab Ecclesia extollatur et commendetur, uti quæ tuto in praxi teneri potest, quin tamen sint reprehendendi qui contrariam sequuntur. Alia est *permissiva*, si nempe Ecclesia doctrinam ab omni censura immunem declaret, quin tamen de ipsa aliquid positive decernat, vel eam laudet.

Porro *tertiam* approbationem convenire Operibus S. Alphonsi constat ex istorum Operum revisione, in qua ab *omni censura* dicta sunt immunia. *Secundam* vero convenire patet tum ex Decreto de ejus virtutibus, tum ex Bulla beatificationis, et canonizationis, ubi illius scripta quammaxime laudantur. *Prima* autem approbatio utique non convenit. — *V. Riflessioni sopra la esimia santità, e saluberrima dottrina del Vescovo Alfonso M. Liguori*, Torino. — Feller, *Supplemento al Dizionario* V. Liguori. — *L'Ami de la Religion*, t. XXI, n. 528.

(5) De Canon. SS. l. II c. 21 et 28.

(6) Merito ergo Leo XII Brevi 19 febr. anno 1825 laudavit typographum Hyacinthum Marietti Taurinensem, affirmans eumdem de Religione optime meritum *Opera sanctissimi et doctissimi Alphonsi de Liguorio colligendo et in lucem edendo*. Etiam Pius Papa IX suis litteris 12 jul. 1847 eumdem typographum ideo maxime laudat.

Quid plura? Rogata Sacra Pœnitentiaria á Cardinali De-Rohan Archiepiscopo Vesuntinensi, atque consulta super his dubiis:—1 *an sacræ Theologiæ Professor opiniones, quas in sua Theologia Morali profitetur sanctus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri?*—2 *An sit inquietandus Confessarius, qui omnes S. Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Pœnitentiæ Tribunalis hac sola ratione, quod a S. Sede Apostolica nihil in Operibus ejus censura dignum repertum fuerit, cum adnotatione* (quæ sane est gravissimi ponderis), *quod nempe Confessarius iste non legit Opera beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesque, quibus variæ nituntur opiniones; sed existimans se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati Evangelicæ contrariam?*

Die 5 julii 1831 respondit: *ad* 1 affirmative, *quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Ad* 2 *vero* negative, *habita ratione mentis sanctæ Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei ad effectum canonizationis.*—Accedit, quod prædictus cardinalis De-Rohan die 22 julii ejusdem anni eam S. Pœnitentiariæ responsionem tunc regnanti Gregorio XVI exhibuit, qui ipsam confirmavit. Imo laudavit propositum Eminentissimi eamdem publicandi in sua Diœcesi, et apposita pastorali Instructione ad Clerum suum commendandi.

Ex quibus omnibus evidenter apparet, Systema morale S. Alphonsi posse quidem impugnari si placet et derelinqui; sed non posse damnari uti veritati Evangelicæ contrarium, et animarum saluti perniciosum. *Doctrina*, ait Benedictus XIV (1), *debita cum reverentia potest citra ullam temeritatis notam impugnari, si* (nota) *modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Dei Servus qui scripsit, inter Beatos aut Sanctos fuerit relatus. Celebris est responsio Nicolái Monachi in Epistola ad Petrum Cellensem, quæ est in lib.* 9 *inter epist. Petri Cellensis:* «Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione... quondam Sanctorum cathalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, et ab humano judicio exemptus: exemptus inquam est, ne de gloria ejus dubitemus, sed non ut minus de ejus dictis disputemus.» Non ergo bene se gerunt qui ideo nos aspernantur; quia cum illis non sentimus.

(1) *Loc. cit.* Et hoc sensu S. C. I. 18 sept. 1828 respondit card. Morozzo.

APPENDIX.

Animadversiones nonnullæ generales tam extrinsecæ quam intrinsecæ circa S. Alphonsum Liguori et ejus Opera Moralia (1).

Animadversiones extrinsecæ.

1. S. Alphonsus *ingenio* plane singulari præditus erat, ut omnes fatentur; *memoria* vero, *studio* ac *diligentia* vere incredibili, adeo ut sexdecim vix annos natus juris utriusque laurea in patria universitate, Principe eum dispensante, summa cum laude decorari meruerit.

2. *Eruditione* inter fusiores et recentiores Moralistas præstantissimus fuit. Declarat se per annos multos quamplurima Auctorum Classicorum volumina evolvisse, ac solertissime eorum doctrinas ponderasse: qua in re hoc maxime allicere debet, quod nempe Auctor in quacumque controversia solet exhibere clare et simpliciter omnes hinc inde Doctorum sententias et rationum momenta, quibus singulæ innituntur, in medium sincere proferens catalogum scriptorum melioris notæ, qui stant tam pro una quam pro altera.—Ex quo hæc duo valde utilia consequuntur: *primum* quod studiosi habeant quasi sub uno oculo Theologos et Canonistas sine numero, quos possint libito suo consulere atque considerare, quin fiant quasi servi unius libri: *secundum* quod ii qui tenent opiniones tanti Auctoris, certi et tuti sint se tenere opiniones Theologorum complurium tam doctrina, quam nominis celebritate præstantium (2).

3. *Sanctitate* fuit valde præclarus (3); *hæc* enim, ut legitur in Decreto de illius virtutibus in gradu heroico a Pio VII approbato, *refulsit in Verbi Dei ministerio apud rudem derelictam plebem, dum eam præceptionibus divinæ*

(1) *V.* Gaume, *Manuel des Confesseurs* (in præf.) Paris, 1842. De hoc tamen opere *V.* animadversiones ab. Marinoni apud De-Luca, *Annali Relig.* T. XIX, p. 66, Roma, 1844.

(2) Sunt qui in S. Alphonso distinguunt *sanctitatem*, quam heroicam dicunt; *doctrinam*, quam irreprehensibilem appellant; et *scientiam*, quam scilicet reponunt in eruditionis copia, in criticæ regulis, in profunditate ac firmitate ratiocinationis, aliisque dotibus *scientificis*, ut ajunt: hanc porro Sancto nostro denegant, et ideo Apostolum dicunt, non doctum. Ex dictis supra neque hæc scientia de facili potest illi negari. Verum quidquid sit, ad nos quod attinet, satis est, quod illius doctrina sit in suis conclusionibus irreprehensibilis, ut tuto eam sequi possimus.

(3) *At sanctitas*, ajunt, *non arguit doctrinæ veritatem: quia et Sanctus potest errare.* Ita sit; attamen nemo negaverit, sanctitatem alicujus scriptoris jam esse non leve argumentum veritatis suæ doctrinæ, potissimum cum agitur de christiana ethica. In Sanctis enim minimum possunt concitati atque inordinati animi affectus, in quibus maximus reperitur istiusmodi errorum fons. Deinde non parvum argumento pondus accedit ex considerata indole seu charactere ejus sanctitatis, quæ in S. Alphonso refulsit; nam perspicuum fit ex historia ejusdem vitæ et ex scriptis suis, sanctum hunc Virum seipsum sanctificasse potissimum in promovenda per Apostolicum ministerium proximi salute, et in aliis efformandis ministris, qui huic eidem operi vacarent: hæc fuit divina S. Alphonsi vocatio. — Verba sunt sapientissima Episcopi Derthonensis, Epistola ad Clerum 13 dec. 1846.

legis imbuebat; in cathedra morum apud conscientiarum moderatores, dum doctrinæ copiam effundebat; in pastorali officio apud commissum sibi gregem, dum vigili custodia illum salutaribus pascuis enutriebat, etc.—Nil ergo mirum si eminentissimus cardinalis Morozzo (cujus memoria in benedictione est), omnia Opera S. Alphonsi universo Clero novariensi enixe commendaverit vel ab ipso suæ Curæ Pastoralis exordio (1).

4. A præconceptis et systematicis, ut dicunt, Scholarum opinionibus fuit prorsus *alienus*. Imo ut sententiam veriorem in quæstione quacumque seligeret, orare plurimum solebat, laboribus non parcere, auctores tam *pro* quam *contra* sentientes evolvere omnes, doctrinas S. Thomæ et Benedicti XIV præsertim adnotare, Academias, Professores et Theologos magis doctos, pios et bonæ famæ præconiis ætate sua illustriores consulere.

5. *Doctrinæ sedis Apostolicæ* erat addictissimus, charitatis christianæ et humilitatis speculum fulgidissimum: de quibus item virtutibus declaratum fuit constare *in gradu heroico*.

6. Non interrupto *triginta annorum spatio* doctrinas suas in sacrarum Missionum ministerio diligentissime probavit, atque innumeras, admirandas ac constantes peccatorum conversiones, Dei utique opitulante gratia, peregit, uti legenti ejus vitam omnino patebit (2).

7. Tandem quoad vixit et post mortem *SS. Pontificibus fuit acceptissimus;* nam Benedictus XIV eum valde commendavit, adhuc Sacerdotem *prudentis auctoris* nomine insignivit, atque alios pro consilio in quæstionibus eum mittebat dicens: *teneis á vuestro Ligorio, aconsejaos de él ó tomad consejo de él.*—Clemens XIII eum reluctantem ad Episcopatum evexit illa proferens verba: *me basta su sombra para utilidad ó provecho de su Diócesis.*—Clemens XIV eum in Episcopatu manere coëgit cum ob infirmam valetudinem renuntiare vellet, sic dicens: *me contento con que goberneis la Iglesia desde vuestra cama.*—Pius VI declaravit se eum semper admiratione et amore prosecutum esse.—Pius VII eum *sanctissimum Antistitem nuncupavit.*—Leo XII *virum sanctissimum itemque doctissimum.*—Pius VIII *illustre Episcopalis Ordinis decus.*—Gregorius XVI eum in albo Sanctorum connumerando, illius Opera omnia *inoffenso prorsus pede decurri posse* solemniter decrevit (3).—Tandem regnans Pius Papa IX Opus hoc meum benevolo libentique

(1) Lettera pastorale con cui S. E. Rev. il sig. Cardinale Giuseppe Morozzo Arciv. Vescovo di Novara ecc. ecc. accompagna il *Manuale Ecclesiastico*.

(2) *V.* Giattini, *Vita del Liguori*.

Et notatu digna sunt hæc verba card. Gousset, *Giustificazione* ecc. « Publicó (el beato Liguori) su curso de teología moral, obra copiada del corazon humano mas bien que sacada de los libros, y compuesto, por decirlo así, en el confesonario mas bien que en el silencio de su aposento. Escrita con admirable sencillez, contiene esta obra cuanto una larga práctica nutrida por el profundo estudio de los Padres y de los teólogos habian enseñado á un ministro de Dios de conciencia estremadamente delicada, y pronto á sacrificarlo todo, hasta su propia existencia, para la salvacion de una sola alma. Las reglas que ha dejado escritas, son las mismas que puso en práctica, y ya hemos hecho notar con que éxito (cap. primum).

Esto es un juicio anticipado á favor de una obra, que nos parece bastante legítimo; y preguntaríamos de buena gana á cualquiera como se puede sin un sentimiento de veneracion, abrir un libro que encierra los secretos de un operario evangélico tan hábil.»

(3) *V.* Circolare di monsignor Artico Vescovo d' Asti e Principe ecc. al suo Clero, 6 luglio 1843:

animo excipiens, mihi vehementer gratulatur: *quod in hisce theologicis institutionibus conficiendis nihil antiquius habuerim, quam salutares sanctissimi ac doctissimi viri Alphonsi Mariæ De Ligorio doctrinas magis magisque propagare, iisque Ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuere* (1).

Animadversiones extrinsecæ.

1. Opera ista moralia *Juventutem maxime Clericalem* in re Theologico-morali instruendam præcipue respiciunt, ut Auctor ipse profitetur.

2. Post plurimorum *annorum studium* et effusas ad Deum *preces,* piissimus Auctor eadem edidit in hunc finem, ut nempe *viam mediam* inter tot diversas et secum pugnantes sententias edoceret (2).

3. Quæstiones, quæ magis pertinent *ad praxim*, et quas diligenti annorum plurimorum exercitio didicerat, in iis continentur.

4. Ibi inveniuntur etiam textus juris tam *Canonici* quam *Civilis communis* ad rem pertinentes. Extant propositiones damnatæ a Sede Apostolica. Et quod majus est recentiora etiam Decreta SS. Pontificum ad Theologiam Moralem, atque ad casus conscientiæ practicos spectantia.

5. *Episcopi innumeri* Opera hæc Parochis, animarum Rectoribus et Confessariis propriæ Diœcesis expresse proposuerunt et enixe commendarunt. Et ideo factum est, ut *Moralis* ejusdem *Theologia* sine numero editionibus in Europa apud Italos, Gallos, Hyspanos, Germanos, Polonos; in Asia apud Indos orientales; in America apud Messicanos; uno verbo per totum catholicum orbem evulgata summopere prædicetur.

CONCLUSIO.

Q. *Quid in tanta Theologorum controversia præ oculis habendum quoad regimen animarum in foro præsertim Pœnitentiæ?*

R. In tanta Theologorum controversia illud maxime præ oculis habendum est in foro præsertim Pœnitentiæ, ut declinetur *indulgentia nimia et nimius rigor;* cum utrumque sit animabus maxime noxium (3). *Cavenda est,*

præfixa est Operi, *Homo Apostolicus* etc. quod edidit Marietti, 1844. —Hic autem præstat legere Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l' educazione religiosa in tutte le classi di persone,* cap. 7; lt. *Introduzione agli studi Ecclesiastici,* cap. 4.

(1) Ex Suis, mihi datis *Litteris* 7 apr. 1847, ut videre est in initio hujus Voluminis. Si Pontifex gratum habet, ut hac doctrina juvenes præsertim imbuantur, absit, ut eos approbemus, qui decretorie contrarium pronuntiant, quasi nempe juvenibus hæc doctrina noxia esse possit: cum tamen et pro ipsis Sanctus præcipue scripserit.

(2 Hoc aureum medium commendat Benedictus XIV, *De Syn.* l. 12. c. 6 ubi monet Episcopos, ut in collationibus moralibus, quæ identidem non sine maximo profectu haberi solent, Theologorum quæstiones haud definiant; *hoc tamen,* subjungit, *studiose curando, ut in prædictis collationibus moralibus eorum Theologorum sententia vinceret, qui media via inter rigorem et laxitatem incedere norunt.*

Ad rem ergo concludebat cardinalis Monico circa Ligorianam doctrinam: « Pluguiera á Dios que ese fuese el punto de union en que conviniesen todos los directores de almas, y cesasen de este modo una vez para siempre tantas controversias, que no hacen otra cosa que dividir los ánimos en perjuicio del clero y del pueblo! »

(3) Commendatus Derthonensis Episcopus doctrinam S. Alphonsi laudans utpotequæ media incedit via, sic laxitatis atque rigoris mala aperit:

inquit S. Bonaventura, *conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem* (1). — Hæc erat firmissima S. Alphonsi sententia: *protestor* (iniquit), *quod sicut Confessarios illos non approbo, qui nimiæ austeritati adhærentes facile damnant usum plurium opinionum, quæ gravi nituntur fundamento; ita contra neque approbare possum eos, qui de facili opiniones sine fundamento tamquam probabiles acclamant.... Ubi agitur de amovendo pœnitente a periculo peccati formalis, Confessarius generaliter loquendo, et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus debet uti; ubi vero opiniones benignæ proximum reddunt periculum formalis peccati... dico quod ipse ut medicus animarum teneatur uti opinionibus tutioribus, quæ pœnitentes ad se servandos in gratia conducunt* (2).

Hæc si diligenter attenderentur, sane nemo unus Sanctum nostrum de nimia indulgentia incusare posset. Utinam omnes hac agendi ratione contenti essent, neque in praxi ultra progrederentur qui tutiora sequenda docent! Cæterum absit ut eos, qui contra nos sentiunt, vel minimum reprehendere audeamus, quos neque Ecclesia sancta reprehendit: diversa via est, utraque tamen eos ad vitam perducens, qui ex dictamine conscientiæ operantur. — Unde materiam totam *de opinione probabili et improbabili* concludimus his verbis Bernardi Claramontensis: *ex quo opiniones sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit aliquam partem, teneat quis quam voluerit.* Duas tantum conditiones jure exigimus, et sunt: — 1.ª ut quilibet paratus sincero animo sit obedire definitionibus sanctæ Sedis Apostolicæ omnium Ecclesiarum Matris atque Magistræ, quando ac si forte prodibunt: — 2.ª ut numquam ab eorum corde et oculis elabatur illud D. Augustini oraculum præclarissimum: *in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem charitas.*

Et ne his verbis fucum facere alicui videamur, subnectimus hic *catalogum Auctorum*, quos utraque sententia habuit patronos præstantiores, ut sic quisque valeat, si velit, pro suo arbitrio et ingenio eos per se legere, attente perpendere et perscrutari. — Excludimus tamen quos *laxos vel laxistas* appellant, ut sunt præcipui *Antonius a S. S., Caramuel laxorum facile princeps, Leander, Martinus a S. Josepho, Pasqualigus, Sancius Joannes, Zanardi* et alii, qui licet probi, satis docti ac fine bono perducti, incaute tamen in opinionibus compluribus communiter censentur benignitati nimium in-

Laxitas præcepta de medio tollit, inordinatos appetitus sophismatibus cohonestat, malum excusat, a proximis occasionibus non removet, pravos habitus non expugnat, ad absolutionem rite non disponit. *Severitas* magis noxia est: consilia præcipit, levia in gravia traducit, nullum illi satis ut Sacramenta permittat, conscientias aggravat; homines anxietatibus vexat, quibus fit ut ipsi animo concidant, a Sacramentis abstineant, de salute desperent, fidem amittant, religionem exuant. Accedit et aliud damnum gravissimum: non enim fideles dumtaxat, sed ipsos torquet Confessarios nimius rigor; cum nempe jam ex se hocce ministerium totum hominem requirat, qui severioribus principiis sunt imbuti ac boni sunt ministri, continuo anguntur magnopere timentes, ne suo muneri umquam faciant satis, sicque tandem ab hoc Sacramento ministrando deterrentur, abhorrent, alieni fiunt. (*V.* et. *Il Sacerdote santificato* ecc. ecc. *Lett.* 2.ª)

(1) *Compendium Theologiæ veritatis*, l. II, c. 23.

(2) *V. Opus Morale* l. I, n. 77.

dulsisse. Quarum quidem opinionum catalogum videre quis poterit penes Gonet (1).

Si autem Auctores complures *laudis honore* nuncupamus, non ideo cæteros minoris facimus. Hic id unum nostræ curæ fuit, eos tantum referre titulos, quos vel reperimus in operibus Auctoris nostri, vel scimus passim prædicari (2).

A

Auctores, qui in dubio stant (plus vel minus) pro sententia favente legi.

Alasia, *Commentaria Theologiæ Moralis* (inter recentiores omnibus valde notus et celebris, claritate, ordine, stylo et rerum copia merito sane præstantissimus).—Antoine Gabriel Societatis Jesu, *Theologia Moralis universa* (Benedictus XIV gratum habuit, ut ejus Opera Moralia a selectis viris perlustrata et notis prædita prælegerentur studiosæ juventuti Collegii Urbani *De Propaganda*, et in usum Missionariorum adhiberentur: hodie tamen ibi traditur *Theologia Moralis* Edmundi Voit, qui brevi doctrinam traditam totidem casibus ad praxim deducit).—Armilla, qui dicitur alio nomine Fumus (e familia Dominicanorum). — Bailly (prohibitus *donec corrigatur* decreto 7 decembr. 1852). — Ballerini (Petrus et Antonius fratres). — Berti e familia Augustinianorum (valde doctus). — Besombes. — Billuart e Dominicanorum familia (perspicuitate, soliditate et eruditione merito prædicatus). — Blancus. — Cabassutius (perdoctus). — Cajetanus. — Camargo. — Canus Melchor (perelegans scriptor, Dominicanus et Episcopus Canariensis). — Collet. — (doctissimus, et ex rigidioribus non ultimus). — Comitolus. — Concina (Dominicanus perrigidus, et doctus). — Contensonius Dominicanus (valde commendatur etiam Verbi Divini præconibus ob singularem oratoriæ facundiam). — Continuator Tournely (alio nomine Collet). — Cuniliati Dominicanus. — Delamet. — Dens. — De Prado. — Dettori (recentissimus in Regio ipso Taurinensi Athæneo Theologiæ Moralis professor: ingenii acritate, styli elegantia, et eruditionis copia celebratus). — Esclapezius. — Estius (doctor fundatissimus a Benedicto XIV nuncupatus). — Fagnanus (probabilioristarum facile princeps). — Franzoja (vel ipso Concina nonnumquam rigidior). — Fromageau. — Furno. — Gazzaniga. — Genetus. — Gonetus Dominicanus (doctus). — Gonzales Thyrsus (Præpositus Generalis Societatis Jesu). — Gotti (Cardinalis). — Habert (Doctor Sorbonicus). — Hennus. — Juveninius (in indicem librorum prohibitorum relatus Decreto 25 septembris anno 1708, *donec corrigatur*). — Le Tombeur. — Lieberman. — Luraschi. — Michael De Elizalde. — Merbesius. — Mercorus Dominicanus. — Merenda. — Montazet (Episcopus Lugdunensis: prohibitus Decreto 17 decembris anno 1792). — Natalis Alexander Dominicanus (eruditionis copia jure

(1) *De opin. prob.* a. 3.

(2) *V.* De Sarasa, *De arte semper gaudendi.*— Bonacina, *Theol. Mor.* T. III. — La Croix, in initio *Theol.* — Bergier, *Dizionario Enciclop. Ed. Mediol.* typ. Pirotta; Ad calcem Appendicis. — Gury. *Compendium Theolog. Mor.* in fine.

meritoque celeberrimus).—Panormitanus.—Parato.—Patutius (ex rigidioribus, e familia Dominicanorum).—Petra (Cardinalis).—Petrocorensis.—Piselli.—Pontassus.—Pramaggiore.—Rebellus (doctus).—Ricci Flavianus.—Rulfus (ejus manuscripta extant in Bibliotheca Seminarii Novariensis).—Sainte Beuve Doctor Sorbonicus.—Scarpazza.—Schram.—Sylvester.—Speroni.—Staidel.—Stuardi (qui Commentaria clarissimi Alasia contraxit, aliquid addendo de suo).—Tournely (Doctor Sorbonicus et Theologiæ professor, valde ac merito ubique gentium laudatus).—Vatolus.—Victoria, qui est e familia Dominicanorum.—Vigand, etc. etc. etc.

B.

Auctores, qui in dubio stant (plus vel minus) pro libertate.

Abelly (Episc. doctiss.)—Albertus Magnus Dominicanus (Episc.)—Alvarez Dominicanus (Archiep.)—Amort (valde doctus, commendatus a Bened. XIV).—Anacletus.—Andreucci (quem multi habet Bened. XIV).—Anglius (Episc.)—Anguirre (Card.)—S. Antoninus, Angelus consiliorum salutatus (Archiep.)—Arsdek—Aversa.—Azorius (valde celebratus a Bossueto.)—Bannez Dominicanus (Confessor S. Theresiæ).—Barbosa (Episc.)—Becanus (doctus ac pius, et quem commendat Dupin.)—Bernardus Claramontensis.—Bissus Bern. (valde doctus: nomine Acad. Cassin. scripsit contra Tyrsum Gonzalez.) Bolgeni.—Bonacina (Episc.)—S. Bonaventura Doctor Seraphicus (Card. Episc.)—Bossius.—Bouvier (Episc.)—Busembaum Hermannus (illius normam ac methodum secutus est S. Alphonsus: idem a Croix, Zacharia et Franzoja commentariis est donatus.)—Candida.—Cardenas.—Castelvetere (doctus.)—Charmes.—Coninkius.—Cornejo.—Covarruvias (Epis.)—Croix (quem Benedictus XIV amplissimis laudibus cumulavit.)—Dearraga.—Del bene.—De Lugo (Card. doctiss.)—De Horca.—Diana.—Duval (Prof. Sorb.)—Ægidius Romanus Doctor fundatissimus (Archiep.)—Elbel (doctus.)—Escobarius.—Fagundez.—Faure (ejus doctrinam multi faciebat Pius VI).—Ferraris Lucius.—Filliucius.—Gallego.—Gamacheus.—Gaume.—Gomez.—Gousset (Arch. Card.)—Graffius (Abbas Cassinensis).—Granadus.—Gravina.—Grassi.—Gury.—Holzman.—Isambertus.—A Jeremia P. Franciscus, (qui sententiam suam methodo mathem. demonstrare aggressus est.)—Layman (doct.) Leander.—Ledesma (Episc.)—Lessius (a D. Salesio laudatus.)—Liguori Episc. (vir doctissimus ex Card. Gerdil: vir prudens ex Benedicto XIV; sanctiss. et doctissimus ex Leone XII et Pio IX.)—Lopez.—Lupus Christianus.—Macadus.—Malderus (Ep.) Mannhart.—Martinez Dominicanus.—Mazzotta.—Medina Dominicanus (Ep. doctiss.)—Moya.—Molina.—Montesinos.—Navarrus.—Nider.—Palaus.—Pallavicini (Card.)—Paludanus.—Perez.—Pessevinius.—Pighler.—Pontius.—Potestas Felix (perspicuitate commendatus.)—Reginaldus (a D. Salesio valde laudatus.)—Roncaglia (optimus consiliarius.)—Sa Emmanuel.—Salmanticenses (TT. Collegii Salmanticæ in Hyspania, qui universam Theologiam pro suis multo studio ediderunt.)—Sanchez (sapientiss. ac piiss.)—Schilder.—Segneri senior.—Serra.—Sfon-

DRATUS (Card.)—SYLVIUS (doctis.)—SPORER.—STAPF.—SUAREZ (a Paulo V et Bened. XIV doctor eximius et pius ; et a Bossueto totius Scholæ modernæ repræsentator nuncupatus.)—TABERNA.—TAMBURINI.—TALENTO. —TANNER. —TAPIA (Episc.)—TASEDA.—TERILLUS (pro sua sententia notat biscentum AA. a se lectos.)—TOLETANUS.—TOLETUS (Card. quem proponit Salesius)—TUDESCUS (Archiep.) UMBERTUS Dominicanus.—VALENTIA.—VASQUEZ (a Mabillonio valde laudatus, imo clarissimum lumen ex Benedicto XIV.)—VIVA (eximiæ sapientiæ vir ex Benedicto XIV.)—VOIT.—ZEROLA (Epis.) etc.

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 19.

Quicumque intimum animi sui sensum attente consideraverit, facile percipiet ad actum humanum concurrere voluntatem, transcurrendo per quosdam veluti gradus: nempe.—1 occurrit prævia *intellectus cognitio* alicujus finis animum allicientis, quia voluntas non fertur in incognitum;—2 finis cognitionem subsequitur quædam *simplex volitio,* quæ est primus actus, quo voluntas finem jam cognitum uti in se bonum et amabilem respicit ;—3 succedit *deliberatio efficax* finis illius attingendi;—4 deliberationem statim comitatur *mentis conversio* ad media pro fine illo obtinendo. Hæc media vel nondum in promptu sunt et incerta ; vel sunt certa et jam in oculis parata. In primo casu accedit *consilium*, discursus nempe quidam interior in intellectu consistens, qui media hæc attente perquirit ac perpendit. In secundo cito accedit *voluntatis consensus;*—5 venit *fruitio*, ille videlicet actus quo voluntas nostra in fine jam consecuto quiescit, et de eo secum delectatur.

(B) Pag. 20.

Duplex hæc distinctio clarius patebit aliquo exemplo practico. Quapropter supponamus hominem gravi injuria ab alio lacessitum, et malo vindictæ amore succensum. Hujus porro voluntas eum imprimis, a quo injuria sibi irrogata est, odio prosequitur et vindictam contra eumdem determinat: jam vero duplicem hic habemus voluntatis actum : *primum,* quo voluntas odit contumeliosum illum : *alterum,* quo vindictam in ipsum determinat. Uterque erit elicitus: quare? quia uterque in sola ipsa voluntate perficitur, neque ullus adest alterius facultatis sive interioris sive exterioris concursus. Sed ubi semel vindicta fuerit determinata, vindicatoris voluntas adhuc progreditur: imperat nempe *phantasiæ*, ut acceptæ injuriæ magnitudinem contempletur : imperat *memoriæ,* ut ejusdem minime obliviscatur : imperat *intellectui,* ut circa vindictæ circumstantias occupetur, et perpendat tum

media eam peragendi, tum etiam bona (juxta suum conceptum) inde obventura : imperat denique *toti corpori,* et in illam vindictam perficiendam concurrat facultatibus suis omnibus, *oculis*, nempe attente contumeliosum secernendo, *manibus* ferrum arripiendo, et *pedibus* in hostem incurrendo. Multos hic habemus actus, et omnes imperatos, quia omnes proveniunt quidem *originaliter* a voluntate ; sed perficiuntur ope diversarum facultatum, quæ ad ipsius voluntatis imperium moventur et agunt.

Ex quibus constat :—1 quanta sit voluntatis nostræ efficacia, et quanti facienda sit excusatio illorum, qui ut ducant in bonis dies suos, resipiscendi impossibilitatem adstruunt; volenti enim nil impossibile: neque Deus in necessariis deest :—2 quare actus humanus dicatur voluntarius, non intellectualis, licet intellectus primo concurrat ; est nempe ratione dominii, quod voluntas in facultates omnes exercet.

(C) Pag. 25.

Sed (dices) *nonne potest Deus voluntatem hominis immutare?* Deus potest voluntatem hominis immutare, id est eam ex nolente facere volentem per gratiam suam, agendo modo libertatis proprio, *concedo;* potest eam immutare, id est eam quoad actus elicitos cogere, *nego.* Certe nemo dixerit, Deum qui voluntates humanas creavit liberas, eas in cunctis actibus gubernare non posse, quin earumdem libertati noceat. Ad conciliandum supremum Dei dominium in actiones hominum cum ipsorum libertate, non una est sententia. *Molinistæ* tuentur, quod Deus voluntatem non movet, nec determinat, nec ad actum applicat; sed tantum juvat, atque cum illa ad quemlibet actum perficiendum concurrit. *Vid.* Bossuet, *Traité du libre arbitre.*

Congruistæ, duce Suarez, dicunt Deum naturam mentis ejusque propensiones perfecte noscentem, eam per circumstantias opportunas (quas juxta beneplacitum suum disponit), quo vult inclinare, et tamen libertati ejus non nocere; quia moralibus tantum utitur mediis.

Thomistæ contendunt, quod non tantum in actiones, sed in ipsas determinationes nostras Deus positive influere debet, ut nihil sit positivum et reale, quod ab ipso non proveniat. Unde volunt concursum Dei esse tum prævium, non quidem tempore, sed natura et ratione, ut causa prior est effectu ; tum physicum, id est efficaciter producentem quidquid est entis et perfectionis in actibus nostris liberis. Quod tamen non officit libertati ; quia expedita potestas ad oppositum semper remanet in agentibus.—Sed hoc ad Dogmaticum. (*V.* Liguori, *Opera dogmatica contro gli eretici,* sess. V. n. 100 et seqq.)

(D) Pag. 30.

Gall doctor germanus, qui Parisiis obiit 1828, cum adverteret homines nasci, unumquemque cum propensionibus specialibus, earum rationem in cerebri conformatione quæsivit: tot autem in cerebro distinguebat organa, quot sunt in homine inclinationes; et inclinationem dominantem exterius

per specialem *cranii* protuberationem innotescere contendebat. Hæc scientia dicitur *Cranioscopia, Craniologia, Frenologia,* etc.

Plures ex celebrioribus medicis hanc doctrinam oppugnarunt, ac multa congesserunt facta dicto systemati contraria; sed aliqui illud admiserunt. Imo nonnulli eo abusi sunt ad libertatem labefactandam, inaniter tamen; illis enim inclinationibus ac passionibus non obstantibus, quilibet se sentit suorum actuum dominum.—*V.* Bergier, *Dizionario Encicloped.* ecc. Edit. Mediol. ad Append. V. Frenologia.—*Pensieri di un Cattolico credente* ecc. Milano.

(E) Pag. 33.

Patet ergo quid sentiendum sit de illis, qui naturam libertatis collocant in licentia opinandi, in voluntate legem transgrediendi, in facultate religionem quamcumque eligendi, in potentia omnia ad libitum agendi, divina et humana æque subvertendo et conculcando. «Yo me rio (audiant vel ipsum Rousseau in Contr. Soc.) de aquellos pueblos envilecidos, que dejándose sublevar por una raza de facciosos se atreven á hablar de libertad sin tener siquiera de ella una idea, y que teniendo lleno el corazon de todos los vicios de los esclavos, se imaginan que para ser libres es necesario ser sediciosos.—La libertad, como contestó muy bien Alcuino, es la inocencia, y lejos de consistir en emanciparse el hombre de la ley y en creársela por sí mismo, consiste en observarla fielmente.—«Burlaos (ad rem Guicciardini) de aquellos que van predicando libertad, no digo de todos, pero esceptuo muy pocos; cualquiera de estos que esperara estar mejor en un estado de dependencia que en uno de libre, correria á él como el correo á la posta.»

V. Collez. de'buoni libri. Torino, passim.—*Saggio elementare di diritto pubbl. ecclesiastico,* vol. 1.—*Le opinioni che agitano il nostro secolo,* Trattenim Lugano 1850.—Orioli, *Della libertà ed eguaglianza civile.* Roma 1850. —*Saggio intorno al socialismo,* passim.

(F) Pag. 34.

Quod Jansenistæ vitiis latam aperiant viam, sic perbelle describitur in libro per integrum legendo: *La lega della Teologia moderna colla filosofia* ecc.; ubi Jansenista sic loquens inducitur:

«La gracia necesitante es, Señores mios, un maravilloso calmante de los remordimientos de la conciencia. Es un secreto especialísimo para cubrir la indiferencia sobre todo lo que concierne á la Religion revelada. Es un opio poderosísimo que infundiendo un letargo en las potencias del alma respecto á las obras de la gracia, las reaviva y conforta para todas las operaciones de la naturaleza.

«Cualquiera por ignorante que se quiera suponer, luego sacará por sí mismo la clara consecuencia.—Ó el Señor me concede la gracia necesitante para el bien, y entonces necesariamente y de buena gana obraré bien. Ó el Señor me la niega, y con todos mis esfuerzos necesaria y voluntariamente obraré

mal, y deberé pecar: esta consecuencia cualquiera la siente y sabe fácilmente aplicársela á sí mismo.

«Así Dorindo dice devotamente á Camila: Nosotros estamos en la necesidad de amarnos. ¿Qué hacer pues en este caso? Los grados de nuestra terrena concupiscencia superan á los de la celeste; y resulta que necesaria y dulcemente nos vemos forzados á seguir las leyes físicas de esta mútua atraccion terrenal. Pero si con el tiempo la gracia triunfadora hace crecer en nosotros los grados de la celeste delectacion, entonces necesariamente y con gusto seguirémos los dos las leyes de la fuerza repulsiva: vos á Levante: yo á Poniente. Pero mientras ella no descienda sobre nosotros, Dorindo ha de ser de Camila, y Camila de Dorindo.—Si alguna vez turbada é inquietada Camila por algun laxo moralista recomendase á Dorindo que rogara á Dios, y enviara al cielo gemidos y suspiros para alcanzar esta fuerza de repulsion: ¡Ah! le responde Dorindo en tono devoto, esta misma oracion es una gracia, es un don, que Dios niega á uno y concede á otro. En este estado ni yo ni vos tenemos libre la lengua para la oracion, y conviene reposar en el seno de nuestra terrena atraccion, y en los profundos é inescrutables arcanos de la predestinacion. ¿Veis, Señores mios, adonde va á parar finalmente nuestra doctrina? Ella convierte totalmente en humo la rigidísima moral por nosotros predicada, y de la cual nos cubrimos como de un manto para llegar sin que se nos conozca al ataque del fundamento de toda la moral. Hé aquí introducido debajo el velo y con el favor de un dogma de fe católico, el fatalismo: tan favorito de vosotros, que hasta ahora vuestra filosofía con todas vuestras especulaciones no pudieron llegar á persuadir.»

(G) Pag. 49.

Circa modum quo implere possumus præceptum omnia opera nostra in Deum referendi, non una sententia est. Alii dicunt actus ab homine susceptos ob honestum finem implicite jam in finem ultimum seu Deum referri. Alii cum Augustiniana Schola contendunt actuali intentione vel virtuali explicita, profecta ex actuali antecedente, quæ adhuc perseveret et in actum influat, omnia opera nostra in Deum referenda esse. Thomistæ demum volunt præceptum relationis operum nostrorum in Deum non distingui a præcepto charitatis in Deum super omnia, adeo ut, urgente charitatis præcepto, omnia opera nostra relatione saltem virtuali explicita teneamur in Deum referre tamquam in finem ultimum: quoties vero charitatis præceptum non urget, sufficere ut opus ex objecto bonum sit, nulloque pravo fine aut prava circumstantia vitietur, illudque ab homine suscipiatur honesto fine, et hac ratione actiones nostræ virtualiter et implicite referuntur in Deum, ut ultimum finem.

Quidquid sit, optime se geret animarum pastor, si fideles hortetur, ut quolibet primo mane, ubi de lecto surrexerint, se et sua opera totius diei Deo offerant, et egregiam hanc devotam praxim repetant, quum novum aliquod opus aggrediuntur, vel illa verba usurpando: *sanctificetur Nomen tuum*, vel nomen Jesu ex corde proferendo, vel se crucis signo muniendo,

vel quid simile peragendo, quod divinæ charitatis ignem in eis accendet, et eorum opera fortunabit ac perficiet. — Talento.

Omnibus autem valde est commendandum, ut frequenter illam solatio et cælesti jucunditate plenissimam D. Ignatii a Lojola orationem secum in animo devote recitent: *Suscipe, Domine, universam meam libertatem, Suscipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, tu mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cùm gratia tua mihi dones, et dives sum satis; nec aliud quidquam ultra posco.*

(H) Pag. 50.

Injuriam Theologis generatim atque Philosophis ipsis ii faciunt, qui contendunt absque errore non posse conscientiam appellari *judicium practicum*, contendentes eam dicendam esse *judicium speculativum semper præcedens judicium practicum*. Plato, Aristoteles, Laertius et omnes post eos Græcorum Scholæ scientias partiebantur in *speculativas* et *practicas*, et *practica* vocabant judicia illa quæ versarentur circa actiones humanas: horum exemplum secuti sunt Itali tum Philosophi tum Theologi et Litterati omnes. Sed *scientia* (dices) rerum pertinet ad ordinem idearum; *praxis* vere ad facta realia. Futilis difficultas et puerilis! Nam *scientia speculativa* dici utique poterit pertinere ad ideas et earum ordinem; sed *scientia practica* semper dicenda erit pertinere ac facta realia, saltem in sensu communi, quo *scientiæ practicæ* vocabulum fuit hactenus in Scholis omnibus usurpatum.

Q. *An conscientia distinguatur a sensu intimo?*—R. Licet conscientia lato sensu dici possit *sensus intimus*, quatenus per eam anima fit conscia præsentis suæ affectionis v. g. doloris aut gaudii; proprie tamen et stricte loquendo conscientia maxime differt a sensu intimo, ideoque caute est præcavendum, ne simul duo hæc confundantur. Etenim sensus intimus est illa perceptio, qua mens de præsenti suo statu admonetur, quin tamen intercedat ullum judicium *practicum* de licitate vel illicitate actionis, id est quin ulla intercedat comparatio inter actionem, quæ ponitur, et legem moralem, ut judicari possit an actio illa bona sit, an mala; cum ex adverso conscientia proprie accepta sit actus ille, quo intellectus noster judicium exercet circa moralitatem actionis quæ ponitur, quodam veluti syllogismo innixus, cujus *major* propositio est lex; *minor* est opus, quod ponitur; *conclusio* est sententia, quæ affirmat opus illud licere, vel non: sic. v. g. adolescens qui disciplinam aspernatur, facile sibi se peccare probabit, si dicat: *disciplinam aspernari peccatum est; cum scriptum sit*: filii, diligite disciplinam et nolite abjicere eam; *atqui talem actum ponendo disciplinam aspernor, quia ipse disciplinæ adversatur; ergo eum ponendo pecco.*

(I) Pag. 51.

Ad rem Audisio, *Introduzione agli studi Ecclesiastici*, l. III, c. 7: «Habiendo las escuelas enseñado unánimamente hasta ahora, que para poder

decirse que el hombre obra humana y moralmente, es indispensable la intervencion de la conciencia en el individuo operante, ó sea el conocimiento moral de lo que se está haciendo; se sigue de aquí que será separarse del lenguaje teólogico: 1 el decir humana á una accion puesta sin que preceda el juicio de la conciencia; 2 el reconocer una moralidad de las acciones creada sin la intervencion y la obra de la misma conciencia; 3 el admitir dos especies de moralidad, una deliberada y la otra indeliberada. Seria tambien cosa demasiadamente ardua el concebir como el hombre pueda ser principio libre y señor de sus acciones sin tener de ellas conciencia ó conocimiento.

«Los Maestros de teología, formulando el comun sentido de la humanidad, por conciencia entienden aquel dictámen que el entendimiento nos presenta tocante á la bondad ó malicia de una accion en particular. Dictámen que la voluntad divina promulga á la criatura racional: empero si la voluntad ó sea la ley divina es la regla remota de las acciones humanas, la conciencia es la próxima, esto es, la aplicacion. Por lo que Dettori dice clara y enérgicamente: *Illa itaque* (lex) *quædam veluti norma ac libella, hæc* (conscientia) *normæ libellaque applicatio: illa index, hæc præco.* Este pregonero ó amonestador divino, que es la conciencia, no solo es enviado á los sabios y á las naciones cultas y civilizadas, si que tambien á todos los individuos de la humanidad que hayan llegado al uso de la razon: porque la razon es una participacion de la ley eterna hecha al individuo, á fin de que la aplique tan pronto como haya conseguido una capacidad moral, y con ella mida y componga sus acciones. Sabiamente Billuart empieza el tratado de conciencia: *Omnes, docti et indocti conscientiam clamant.*»

(J) Pag. 51.

Ex conscientiæ vi et obligatione deducitur, quantum deplorauda *illa conscientiæ libertas*, quam ætate nostra tantopere jactitant: quantumque deceat Moralistas omnes icto fœdere hanc pestem fidei exitiosam strenue aggredi.

Ad rem auctor laudati Operis, *saggio intorno al Socialismo e alle dottrine e tendenze socialistiche* (Torino 1854, Tip. Speirani e Tortone par. III, c. 8): «Se pide la libertad de conciencia: ¿quién negará que la conciencia es libre de hecho, y que es la regla próxima de las acciones del individuo? Pero si es conciencia, esto es la ciencia íntima del hombre por la cual sabe lo que se hace obrando moralmente, es necesario que ella considere el acto moral, que juzgue de él y que conozca de sus relaciones con la ley, sin lo cual el acto moral no podria llamarse tal; la conciencia solamente es libre de elegir entre el bien y el mal, ó entre bienes de diversa naturaleza; una conciencia informe es como si no lo fuera. Por lo que es necesario que ella que es la regla próxima de las acciones del hombre, tenga una regla remota para él, pero próxima para sí, que la suministre los elementos y el criterio de sus juicios, cuya regla es la ley que ella no debe dictarse a sí misma. Por consiguiente, cuando se habla de conciencia libre ¿qué es lo que se in-

tenta decir? ¿Se intenta decir tal vez conciencia irresponsable y fuera de toda ley? Entonces no es conciencia. ¿Se intenta decir conciencia que se hace la ley por sí misma? Esta no seria ley. Muy á menudo bajo aquel equívoco se entiende estar libre solamente de las leyes positivas de los poderes humanos, y de la ley cristiana en cuanto tiene algo de positivo; pero como estas leyes y autoridad se encarnan en el derecho natural, y la obediencia á éstas viene á ser una forma de obediencia á Dios, se niega de nuevo la conciencia misma con querer darle la libertad. Es por lo tanto mas que equívoca la espresion. Así suele decirse que los hombres deben ser iguales delante la ley, especialmente delante de la ley civil, se comprenderia si se dijera que las leyes deben ser iguales para todos (lo que sin embargo no deja de ser un error. Donde no hay igualdad natural, no existe, ni ha existido ni existirá nunca ninguna legislacion que no tenga en cuenta tamañas diferencias); pero decir que los hombres son iguales delante las leyes, delante de Dios, etc. son palabras que no tienen ningun sentido preciso, é inducen fácilmente al error en su aplicacion. Se podria hacer una numerosa coleccion de dichos axiomáticos tales, que en substancia son enigmas, ó despropósitos, los que no obstante reunen el mas rico capital de los pensadores modernos.»

(K) Pag. 68.

En quomodo hac de re, ad dubium omne tollendum, se ipsum explicet Sanctus noster (Apol. 5, n. 1, 3, 4): «Algunos me tachan de probabilista... yo no soy probabilista ni equiprobabilista de manera (notentur verba) que diga ser *per sè* lícito seguir la opinion equiprobable: digo que no, pero... cuando hay dos opiniones igualmente probables, aunque la opinion menos segura *per sè* no pueda seguirse, mientras (como he dicho, la sola probabilidad no da bastante fundamento para obrar lícitamente; con todo cuando la opinion, que está por la libertad, tiene en su favor razones de igual peso que la opuesta que está por la ley (he dicho de igual peso, porque cuando fuese menos probable, ya se ha visto arriba, que entonces debe seguirse la opinion que favorece á la ley, la cual por mas que en algun modo sea dudosa, la duda no obstante es ancha) entonces entra la duda estrecha y rigurosa, la que hace suspender enteramente el juicio del entendimiento, sobre si existe ó no la ley; se ignora por lo tanto entonces la existencia de la ley que prohibe la accion. Y por lo mismo en tal caso la ley no puede decirse suficientemente promulgada: entonces solo es suficientemente promulgada la duda, sobre si hay ó no la ley; la ley empero no está promulgada, y por consiguiente no siendo entonces promulgada, no puede imponer obligacion cierta de observarla.»

Ab usu opinionis probabilis (dices) *ortæ sunt tot sententiæ in Theologia Morali valde laxæ et moribus noxiæ. Tot etiam prodierunt propositiones a summis Pontificibus condemnatæ. Ergo* etc.

R. Ad 1: Falsum est ab usu opinionis vere graviterque probabilis ortum habuisse sententias laxas in Theologia Morali; opinio enim vere et graviter probabilis innititur vero et gravi fundamento, etsi possit esse falsa: senten-

tia autem laxa omni vero et gravi fundamento caret; ergo hanc ab illa, uti effectum a causa, derivare repugnat. — Morum autem corruptela oritur quidem ab usu sententiæ laxæ, hoc ipso quia caret vero et gravi fundamento: non vero ab usu oritur opinionis vere et graviter probabilis; ob rationem contrariam (*V.* Bergier, *Dizionario*, V. Probabilismo).

R. Ad 2: Falsum pariter et consequenter est, ab usu dictæ opinionis ortas esse propositiones condemnatas. Istæ originem habuere vel a mentium humanarum imbecillitate, vel a nimia ingeniorum quorumdam audacia atque effrænata licentia: quæ duo locum habere possunt tam in iis, qui tenent opiniones probabiles, quam in iis, qui eas despiciunt. Sane si Pontifices existimassent usum illius opinionis esse fontem tot malorum, quomodo fieri potuit, ut de rivulis obtruncandis curam haberent, fontem autem numquam extinguere voluerint: quod uno decretorio judicio tam facile potuissent efficere?

An (quæres) *usus opinionis vere graviterque probabilis in rebus moralibus sit novus, et majoribus nostris inauditus?*

R. Sunt utique nonnulli, qui clamitant usum opinionis probabilis in rebus moralibus esse novum. Sed falsum est; nam Petrus Antonius Terillus scriptor Anglus in suo celebrato Opere *De probabilitate* clare demostrat, tam sanctos Patres quam Scholasticos antiquos omnes vel fere omnes fuisse pro usu opinionis probabilis in rebus moralibus: et sententiam contrariam non fuisse auditam in Scholis, nisi ætate Cornelii Jansenii et sectatorum ejus.

Sane: si usus sententiæ cujuscumque probabilis fuisset prorsus novus non quoad terminos tantum, sed etiam quoad rem et substantiam, quomodo tanta et tam subita mutatio posset explicari? quanto temporis spatio non opus fuisset ad convellendam sententiam contrariam, quæ in adversariorum hypothesi per tot sæcula in Ecclesiâ Catholica tam profundas egisset radices? Quidquid igitur nonnulli dicant, semper verum erit, quod hac de re nobis tradit celeberrimus Segneri, veteres nempe nostros eam semper tenuisse regulam in agendo, ut: — 1 legi firmiter adhærerent, quin amplius daretur vel minimus disputationi locus, quando habebatur tamquam certa: — 2 quando lex habebatur tamquam dubia, dubietatem deponere conarentur, consulendo Doctores, si aderant; vel rem in natura sua per se ipsos perpendendo, si non aderant; — 3 quando opiniones Doctorum hinc inde bene perpensæ, æqualibus rationum momentis adhuc inter se differrent, tunc unicuique fas esset amplecti illam, quæ sibi magis placeret, deposita omni et quacumque peccandi formidine.

Si attente consulatur historia Theologiæ Catholicæ, clare patebit tam inexorabilem et tam immitem quorumdam rabiem contra usum cujuscumque opinionis probabilis in rebus moralibus tunc solum exortam esse, cum primum in Ecclesia audita est scandalosa illa, et tamquam hæretica damnata Jansenii propositio: *aliqua Dei præcepta sunt impossibilia: deest quoque gratia, qua possibilia fiant.* Videlicet quia usus opinionis graviter probabilis facilem ac securam adaperiebat viam ad præcepta adimplenda, quia possibilia fiebant quammaxime, ideo a talibus contra hujusmodi usum acriter insur-

gendum fuisse nemo non videt. Id probatur etiam ex eo, quod ipsi contrariæ sententiæ patroni fateantur, statim ac pater Medina expressis verbis tradidit usum sententiæ probabilis, eam opinionem cito fuisse communissime amplexatam non solum a Scholasticis privatis, sed etiam ab ipsis celebrioribus studiorum Universitatibus ferme omnibus, ab innumeris Religiosis Institutis, a gravissimis doctissimisque Episcopis atque Prælatis: imo a quibusdam etiam summis Pontificibus in aliquibus casibus, in quibus sic jubere videretur prudentia et charitas; eorumque resolutiones jugis norma ac regula fuerunt. Ut videre est. *Cap.* Ex conquestione x, *de restitut. spol.* 1. II, Decret.—It. *Cap.* Litteras tuas XIII, *eod. tit.* = It. *Cap.* Inquisitioni tuæ LXIV *de sent. excomm.* lib. V, Decret. Ubi non quod tutius, sed quod in se vere probabile erat, tuta conscientia secuti sunt RR. Pontifices.

(L) Pag. 69.

Hoc evenit in disciplina nostra, quod in *dogmatica* et *canonica*, ut præ cæteris nonnulli emineant in aliqua illarum tractationum parte, adeo ut in illa parte communi Doctorum sensu magni habeantur.

Sic quoad dogmaticam principes sunt inter Patres S. Augustinus in materia gratiæ et prædestinationis; Ss. Hilarius et Athanasius in mysterio Trinitatis; S. Leo M. in mysterio Incarnationis, etc.=Inter TT. vero, de Trinitate Vitassius; de Gratia, Tournely; de Incarnatione, Le-Grand; de Homine, Billuart; de Novissimis, Deus.=De B. V. M. generatim, Mazzola.=De M. Virginis Conceptione immaculata ejusque definitione, Perrone, Cerri, Gual atque Passaglia.

Sic in re canonica cæteros antecellunt de Beneficiis, Garcias; de Parochis. Barbosa; de Canonicis, Scarfantonius; de Legatis, De-Luca; de Reservationibus, Rigantius; de Dispensationibus, Pirrus Corradus.

Ita in disciplina nostra prædicantur Bonacina, de Censuris; Continuator Tournely, de Obligationibus; Lugo et Lessius, de Justitia et Jure; Suarez et Alasia, de Legibus; Sanchez, de Matrimonio; item *Tractatus de Sponsalibus et Matrimonio,* quem dictabat cl. Gorrini in Seminario Novariensi olim professor; Moneta, de Distributionibus.

Huc facit opus plurimis tomis distributum, *Theologiæ cursus completus ex tractatibus omnium perfectissimis ubique habitis, et a magna parte Episcoporum, necnon Theologorum Europæ catholicæ universim ad hoc interrogatorum designatis unice conflatus* etc. Parisiis, Migne 1835.—It. *Thesaurus Theologicus*, Venetiis 1762.—It. *Thesaurus Patrum,* vol. 1: ubi notantur qui Patres pro cæteris consulendi in *Scripturæ* explanatione, in morum doctrina, in fidei dogmatibus, etc.

(M) Pag. 69.

Casuistarum nomine illi solent ætate nostra indicari Theologi Moralistæ et Tractatores, qui in usu habent res morales præsertim graviores post tradita principia, illustrare quibusdam dubiis vel exemplis, vel casibus prac-

ticis aut veris aut imaginatione compositis : hoc modo tyrones instruunt in Morali Theologia, ut recte valeant in Tribunali Pœnitentiæ doctrinas sibi in Scholis traditas ad casus particulares in praxi occurrentes applicare, practicas quæstiones dissolvere, et pœnitentes optime dirigere in viam salutis æternæ.

Non una methodo Casuistæ quæstiones morales resolvunt. Aliqui enim sunt qui alphabetico ordine eas disponunt atque pertractant, ut Pontas, Berchorius, Scarpazza ; item *Summa Sylvestrina, Thomisticus Ecclesiastes,* etc.

Plures vero totidem casibus particularibus ideo confictis eas edocent, ut Pontas, et Scarpazza laudati, Gobat, Potestas, Speroni, Vigandt, Voit.—Item Facciola, *Resolutio casuum Diœcesis Novariensis, Casus Conscientiæ* sub auspiciis card. Lambertini. *La Casistica,* Venezia, quæ collectio optandum, ut latino sermone esset exarata. Panzuti, *Casus conscientiæ.* It. Clericatus, Moullet, aliique plures.

Cæteri tandem, qui innumeri sunt, per varios Tractatus materiam universam dividunt, atque scholastico ordine pertractant, probant et concludunt, quæstiones tamen singulas diversis practicis deductionibus illustrando.

V. Abelly, *Declaratio librorum et opinionum Casuistarum.* Dissertatio P. Zachariæ, *De Casuistarum origine, progressu ac præstantia,* p. 1. c. 6, et p. 2. c. 14. Bergier, *Dizionario Enciclopedico,* V. Casisti. Christianus Lupus, *in suis Operibus.* Audisio, *introduzione agli studi Ecclesiastici conforme ai bisogni religiosi e civili.* Qui cap. 13, l. 3 ait: «los gentiles tuvieron tambien sus casuistas ; entre ellos se cuentan Panezio el jóven, y Ciceron en el libro de *Officiis,* pues vemos que en llegando á cuestiones dificiles suponen casos y dan la solucion. Las *Pandectas* de Justiniano, por la lucida y precisa esposicion de los casos, serán siempre un modelo y una fuente para los que se dediquen al estudio del derecho civil. Puffendorff en su *Tratado del hombre y del ciudadano,* puede llamarse casuista de los Protestantes. Es pues muy racional el método de los casuistas, y nada hallaréis en su uso que sea capaz de obscurecer á un nombre ilustre.»—*Et post alia multa concludit:* «Que se convenza la filosofía con estos dos hechos solemnes, por quienes sale fiadora la historia : *hecho* 1.° Nunca llegó á ser libertino ningun lector y estudioso diligente de los casuistas ; *hecho* 2.° Ningun libertino llegó á ser tal por haber estudiado en la escuela de los casuistas.» Absit ergo, ut nos pudeat inter Casuistas enumerari.

Notatu hic dignum est S. Ignatium de Lojola in suo opere *Exercitiorum spiritualium* inter cætera media, quibus recte sentire volumus cum matre nostra S. Ecclesia catholica, præscripsisse ut magni a nobis fiant Doctores quorum principem vocat Angelicum, et rationem affert ex eo quod ipsi dogmata *ad salutem necessaria exactius tradere* (solent) *atque definire... ad errores hæresum confutandos.*

Sed (dices) *in re morali satis est principia substantialia et generalia tradere, quibus tota dein scientia magnificenter erigatur.*

R. Nihil profecto esset facilius, quam universam Theologiam Moralem brevissimis principiis concludere, si tota deberet solis principiis inniti. Quid

brevius, v. g. si eam duobus illis præceptis restringas: *declina a malo, et fac bonum?* At nemo sanus putaverit recte sic tradi posse Theologiam Moralem, scientiam tam magnam, tam gravem, tamque præstantem.—Imo major difficultas in hoc consistit, ut principia generalia ad casus particulares bene ac diversimode applicentur, prout diversæ occurrunt circumstantiæ. Hoc porro est, in quo Casuistæ laborant, plura dubia effingendo et tot quæstiones practicas enucleando; non enim Theologia Moralis in Ecclesia Catholica esse debet similis Theologiæ Morali Protestantium, qui Confessionem auricularem rejiciunt; quique proinde conscientiarum tranquillitati, securitati ac innocentiæ haud student, ut quisquis pro libitu vivat.

Instabis: *si libri evolvendi sunt pro Theologia Morali addiscenda, extant libri sacræ Scripturæ tam veteris quam novi Testamenti; extant Opera SS. Patrum; extant disciplinares conciliorum canones et fidei Oracula. Quid ergo opus est in libris insudare Casuistarum?*

R. 1. Indirecte: non ignoramus extare qui ita loquuntur; sed non ita loquitur S. Carolus in sua *Instructione ad Confessarios*, ubi illos enixe præmonet, ut legant ac sedulo meditentur *auctores casus conscientiæ pertractantes.* Non ita loquitur Salesius, qui Confessarios hortatur, ut perlegant Casuistas, et signanter nominat Toletum et Reginaldum. Non ita loquitur Benedictus XIV in Bulla *Vix pervenit*, ubi monet in quæstionibus morum non *unum*, sed *plures scriptores* examinandos esse, qui moralem scientiam pertractaverint, *et magis inter cæteros prædicantur.*

R. 2. Directe: utinam in libris *Scripturæ*, Patrum, Canonum atque Conciliorum definitas inveniremus quæstiones morales! Sed primo quis ignorat ex ipsis, ut plurimum, *Scripturæ* verbis (utpote obscuris) (1) quæstiones hujusmodi exortas esse?—Sancti autem Patres, cum ætate sua hæreses multæ in Ecclesia ebullirent, in id fere intendebant, ut res Fidei elucidarent. Scripserunt quidem etiam de moribus, sed vel in concionibus, vel in aliis circumstantiis tam modice, tam incidenter, ut non raro, ne in errorem labamur, alios legere oporteat, qui eos exponant.—Canones conciliorum disciplinares pariter modica statuerunt circa mores, et in his maxima veneratione a nobis proferuntur uti regulæ tutissimæ: et multo minus Concilia ediderunt morales resolutiones in suis oraculis; quia præcipuus eorum scopus fuit extirpare schismata et hæreses profligare.

Sed si res ita est (urgebis) *quomodo se gerebant Confessarii prioribus sæculis ante inductam casuisticam Theologiam?*—Jam tum præter Scripturas ac Patres, Pontificum responsa ad casus particulares una cum Patrum sententiis ac Conciliorum decretis, extabant: item Ritualia et Collectiones canonum pœnitentialium sine numero, quos ideo *pœnitentiales* dicebant; quia per diversa et specifica peccata discurrendo, propriam cuique pœnam adsignabant.—Deo autem opitulante, orta est sæculo XIII Theologia *Scholastica* et *Methodica:* et inde etiam nata est *Moralis* in usum Confessariorum, seu *Casuistica.* Hujus generis opus imprimis celebre fuit *Summa de casibus pœnitentialibus* concinnata a S. Raymundo, cui accessit *Confessionale* S. Bonaventuræ, quorum exemplum cæteri secuti sunt. Præstat valde hujusmodi libros

(1) II, Petr. 9.

legere, ut inde peccatorum gravitas dignoscatur, uti monet S. Carolus. At cum variata sit disciplina, non amplius præstat sequi: et qui eos sequi vellet, *non solum*, ait (De Synodo, l. 1, c. 7) Benedictus XIV, *rigidissimæ ethices sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem tentaret.* Imo recte ait Francolinus (in egregio Opere, *Clericus Romanus contra nimium rigorem munitus) veteres libros pœnitentiales magnificare, ut præsentis Ecclesiæ disciplinam reprehendas, impium est ac detestandum*: adde et *jansenisticum*.

(N) Pag. 72.

Tametsi Jansenistarum doctrinæ vigesies et amplius a S. Sede jampridem diris devotæ fuerint, tametsi eorum dogmata sint evidentissime ferrea et homines in desperationem barbare trahant; adhuc tamen, eheu dolor! mutato etiam nomine asseclas habent ætate nostra non paucos, sententias ipsas vel suis in principiis, vel in consectariis tenere non erubescunt et fidelibus evulgare.—*V.* Bergier, *Dizionario*, V. Giansenio.

Tale ac tantum erroris monstrum vivide contundit Gloriosus ac feliciter Regnans Pius Papa IX (quem Deus O. M. Ecclesiæ universalis amori, votis et bono diutissime servet incolumem) in sua prima Encyclica *Qui pluribus*, die 9 nov. anno 1846, ubi inter præcipuas inimicorum machinationes, a quibus sæculo nostro Dominicum Gregem præstat attente tueri, recenset etiam tenebricosissimas eorum insidias, *qui in vestibus ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis et severioris virtutis ac disciplinæ specie, humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt; hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves mactant atque discerpunt.* Hos ad vivum pinxit Monti (Canto 3 della *Basvilliana*):

Del Hipócrita de Ipre son secuaces;
De vil tristeza el alma embrutecida
Su veneno con pérfidos disfraces
Encubriendo, por senda muy torcida
Así ultrajan á un Dios pio y clemente,
Como minan el solio mas potente.
Y el Númen, que veneran, es tan fiero,
Tan rígido al mortal, y se reduce
Tan escabroso del cielo el sendero,
Que por fin al incauto le conduce
Al negro caos de la duda impía,
Ó al desespero, que al infierno guia.
De su fragua sacrílega y maldita
Una chispa salió, y desde aquella hora
Ocultamente sin cesar agita,
Abraza, roe, y rápido devora
De la Esposa de Pedro el casto seno
De Santo amor al hombre siempre lleno.

(De talem terris avertite pestem!)

Vid. Giansenio d'Ipri, Opera Dom. Gualco Vic. gener. ecc. Genova 1844.—Muzzarelli, *Lettera a Sofia intorno alla setta dominante del nostro tempo.*—Bolgeni *Problema, se i Giansenisti siano Giacobbini,* Roma 1594.—*La Lega*

della Teologia moderna colla filosofia a' danni della Chiesa di G. C. svelata ecc. Novara, Tipogr. Miglio, 1851, pag. 37, et seqq.—Valsecchi, *Fondam. della Relig.* c. VI.—Liguori, *Storia delle eresie* ecc.

Quanta autem sit hujus infamis, toties a Sede apostolica damnatæ Sectæ, calliditas nefanda simul et impia suis in erroribus defendendis et evulgandis, nullibi clarius videri potest, quam in opere Crescimbeni, *Le Provinciali all'Italiana*. Lugano 1829. Itemque in libro valde jucundo, cui tit. *Avventure d'una Dama e d'un Abbate, ossia Storia della Congregazione dell'Infanzia* del sig. Abb. Reboulet. Monza 1852.—Item *La realtà del progetto di Borgo Fontana*. Monza 1852: «Bourgfontain es una cartuja que dista 16 ó 17 leguas de Paris: allí fué donde cerca el año 1621 se reunieron los gefes del jansenismo, y donde trazaron el plan de su rebelion:» inter quos unus erat Camus Episcopus, auctor plurium romaniensium librorum et etiam Operis, *Le spirito di S. Francesco di Sales*. Nil mirum si diu latere potuit et cum sancto Salesio familiariter uti; ille jansenista erat. Hæc Opus laud. *Avventure* ecc.

(O) Pag. 74.

Ut omnis quæstio circa probabile plenius dignoscatur, diversas hac de re sententias catholicorum ob oculos ponamus. Quatuor sunt:

Prima docet in æquali opinionum probabilitate, idest in dubio, eligendam esse quæ stat pro lege: v. g. dubitas æque probabilibus hinc inde rationibus, num votum emiseris? teneris de voto; quia illud servare tutius est. Ita Antoine, Alasia, etc.

Secunda sententia tenet, eo in casu eligi posse opinionem, quæ favet libertati; ideo nullam prædicti voti adesse obligationem. Ita Alphonsus noster.

Tertia sententia probat licitum esse sequi partem minus tutam, quæ scilicet stat pro libertate, modo tamen sit vere probabilis: licet contraria opinio pro lege sit æque probabilis, imo probabilior. Unde non teneris in allato exemplo ad votum, si sit probabile quod non voveris, licet appareat probabilius ex alia parte quod voveris. Ita Voit, innumerique alii: quorum tamen fere omnes nobiscum conveniunt in re, etsi non in verbis; ut enim patet eorum Opera volvendo, non ita facile excludunt opinionem probabiliorem, si ea talis sit, quam nos exposuimus, nempe *certe, sine ulla hæsitatione et notabiliter probabilior*. Si enim nonnisi levis sit præponderantia neque a nobis attenditur: et en, quo sensu S. Alphonsus in suis Dissertationibus de usu probabili tuetur, licitum *esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, modo illa gravi motivo nitatur sive intrinseco scilicet ratione, sive extrinseco ex auctoritate Doctorum.*

Quarta demum sententia distinguit inter legem positivam et legem naturalem, ubi agitur de malo intrinseco: si dubium hinc inde æquale versetur circa legem positivam annuit Ligorio nostro dicenti: *lex dubia non obligat,* non ita vero si dubium illud sit circa legem naturalem. Hanc opinionem primus induxit auctor libri ipsa S. Alphonsi ætate Neapoli editi cum titulo: *Dissertazioni sul diritto naturale*, tom. II, Dissertazione 6, n. 6. Sed Sanctus noster non probat ullo modo eam distinctionem, ut patet ex pluribus sui

Operis locis in quibus sum principium universim defendit tam pro lege naturali, quam pro lege positiva. *Vid.* lib. III, n. 172, 177, 187, 224, 226, 368, 374, 408, 430, 441, 478, 520, 562, 569, 570, 579, 620, 629, 700, 703, 705, 760, 770, 790, 817, 829, 862, 968, 980. = Lib. IV, n. 216, 232, 270, 274. = L. V, n. 76, 77. = L. VI, n. 905, 906, 909, 940, 941, 950, ecc. *V.* Fedelini, *S. Alphonsus a Ligorio se ipsum vindicans, Dissertatio.* Veronæ.—Item legendus E. Avogadro, *Saggio sul socialismo* ecc. t. II. pag. 401.

(P) Pag. 80.

Etiam concedendo quod contendunt adversarii, non tamen ita facile est demonstrare tutius esse obligationem imponere sequendi partem tutiorem faventem legi, quam obligationem hujusmodi relaxare; qui enim hanc imponit obligationem, exponit hominem periculo peccati formalis, quia docet experientia contingere sæpius, ut miseri homines hac audita doctrina, credant vel saltem dubitent inesse culpam mortalem ubi non est: sicque rerum difficultate victi, ex erronea conscientia *mortaliter* peccent et damnentur. Quapropter celeberrimus card. Pallavicini sic scribit: *si induceretur opinio, quod semper teneremur facere actionem quæ securior est etiam a transgressione materiali, hæc opinio non esset tutior, sed maxime exposita periculo subsequentis transgressionis formalis: quare tutior est opposita.* Unde en responsio ad difficultatem: *multa sunt quæ tutius est facere, sed simul etiam tutius est non se credere obligatum ad ea facienda, nisi moraliter constet de tali obligatione.*

Brevius rem solvit noster Auctor sic inquiens: «pero á fin de abreviarla damos la siguiente respuesta que cierra á todos la boca. Pregunto: ¿qué es lo que dice finalmente la regla de los Cánones? *in dubiis pars tutior eligenda est.* Bien: tenemos, pues, que siempre y cuando la conciencia esté en la duda *(in dubiis)*, no puede obrar sin remordimiento y sin pecado. Pero ¿de qué sirve la susodicha regla, cuando el hombre mediante algun principio reflexo se forma el dictámen práctico moralmente cierto? entonces ya está fuera de duda y de los términos con que habla el texto, y no puede decirse mas que sea *in dubiis* (*V.* Apolog. e Confut. vol. 1).

TRACTATUS SECUNDUS

DE

LEGIBUS GENERATIM ET ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

DISPUTATIO PRIMA

DE LEGIBUS GENERATIM.

CAPUT PRIMUM

DE LEGIS NATURA GENERATIM ET EJUS DIVISIONE.

Q. 1. *Quid est lex generatim accepta* (1)?

R. Lex generatim accepta suum, ut sentit Angelicus, nomen habet a *ligando;* quia proprium munus est legis cujuscumque subditos quasi ligare atque obstringere ad aliquid faciendum vel omittendum. Augustinus vero cum Tullio eam ab *eligendo* appellari voluit, eo quod unicuique ostendat quid eligendum sit (2). Potest autem lex definiri: *regula agendorum*, vel *omittendorum*. Sed melius cum S. Thoma: *quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata* (3).

Dicitur 1 *ordinatio*, id est præscriptio, et in hoc differt lex a consilio; — 2 *rationis,* quia hæc ordinatio debet rectæ rationi congruere: alioquin non esset homine digna, utpote deficiens a rectitudine; — 3 *ad bonum commune* tamquam ad suum objectum; quia lex intuetur in societatis conservationem, in pacem publicam, in delictorum coërcitionem, in litium et controversiarum extinctionem, et in alia similia quibus bonum commune continetur; — 4 *ab eo qui, curam communitatis habet;* cum enim leges ferre sit actus jurisdictionis ac superioritatis, illæ dari non possunt nisi ab eo, qui tali auctoritate po-

(1) Legis nomen varie sumitur, modo pro inclinatione ad aliquid juxta illud *Rom.* 7: *video aliam legem in membris meis;* modo pro termino alicujus rei juxta illud *Prov.* 8: *quando certa lege... vallabat abysos;* modo pro conditione alicui adjecta, ut cum dicitur: *paciscor tecum ea lege, ut* etc.; modo pro opere a lege præscripto juxta illud *Joann.* 7: *nemo ex vobis facit legem*; modo pro libro legem continente: sic dicitur *lex vetus, lex nova.* Sed proprie sumitur pro ordinatione ac norma humanarum actionum.

(2) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. II, n. 1. (3) 1, 2, q. 90, a 4.

titur, seu a communitatis superiore (1); — 5 *promulgata*, quia promulgatio pertinet ad legis naturam, vel saltem est ejus necessaria conditio: secus frustra constitueretur, cum impleri non possit quod nullimode innotescit.

Leges, ut consequantur finem suum, oportet ut sint: — 1 *stabiles* quoad potest; nihil sane magis societatem ac judicia perturbat, quam incertæ ac continuo novæ editæ leges, maxime si unæ aliis contrariæ sint; — 2 *paucæ*, cum enim nulla sit lex, quæ ansam cavillandi non præbeat, quo plures leges, eo plures cavilli; hinc Plato: *ubi plurimæ leges, ibi lites et mores improbi;* — 3 *perspicuæ*, ut nempe ambiguitatibus careant et controversias celerrime solvant.

Q. 2. *An et in quonam differant lex et præceptum?*

R. Lex et præceptum differunt sicut genus a specie; nam omnis lex est etiam præceptum, sed non omne præceptum est lex. Quadruplici autem modo lex differt a præcepto, seu mandato:

1. Lex fertur a persona publica in totam communitatem. Præceptum vero a persona quidem superiore, sed *vel* privata in personas privatas, uti dominus cum servo; *vel* etiam publica, sed agente cum persona privata et singulari, uti Princeps cum aliquo e suis subditis.

2. Lex etiam ad futuros extenditur, præceptum e contrario non complectitur, nisi præsentes. Ratio est: lex lata est pro communitate, quæ semper durat, licet membra ejus varientur; unde patet etiam futuros homines obligare, nempe statim ac incipiunt esse partes communitatis. At cum præceptum adhæreat personæ singulariter determinatæ, persona extincta, et præceptum extingui debet.

3. Lex per se perpetua est, et vivit etiam legislatore suo defuncto; præceptum vero expirat ipsa morte præcipientis: v. g. si superior alicui particulari prohibuisset egredi sine licentia e Diœcesi, superiore mortuo, cessaret in posterum hæc contra illum lata prohibitio. E contrario si per legem generalem id omnibus subditis prohibuisset, etiam superiore mortuo lex in suo róbore permaneret.

4. Denique lex immediate afficit territorium, in quo promulgatur, mediate vero personas in eo degentes; præceptum ex adverso afficit immediate ipsas personas, iisque firmiter inhæret. Ita si Sacerdos v. g. fuerit a suo Superiore suspensus, hæc pœna eum comitatur etiam in aliena Diœcesi, neque potest in ea celebrare. E contrario v. g. si per edictum generale in sua Synodo Episcopus suo Clero prohibuisset ingredi liquorum officinas (vulgo *café*) sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, hanc pœnam non incurreret Clericus, qui eas ingrediatur extra Diœcesim suam (2).

(1) Duplex communitas distinguitur, perfecta et imperfecta. *Perfecta* est quæ sibi sufficit ad finem suum obtinendum, quia libere uti potest omnibus mediis necessariis etiam coactivis ad illum consequendum; talia sunt regna, respublicæ, Ecclesia, et singulæ diœceses, etc. *Imperfecta* est quæ ad finem suum per se non sufficit, sed ad hoc alterius communitatis præsidio indiget, ut sunt collegia, familiæ, parœciæ. Porro lex proprie dicta nonnisi de communitate perfecta esse potest.

(2) Notandum :— 1 nonnunquam nomina *legis* atque *præcepti* promiscue usurpari. Quo in casu non a nomine, sed a præfatis regulis attendenda erit differentia; neque enim nomina rebus, sed res naminibus vim tribuunt; — 2 legem humanam pluribus aliis donari nominibus: vocatur *jus, constitutio, statutum, sanctio, edictum, decretum, rescriptum, mandatum, epistola, litteræ, motus proprius,*

Q. 3. *Quænam sunt legis causæ, actus et effectus?*

R. Ad 1 : Causa legis multiplex est : efficiens, materialis, formalis et finalis. Causa legis *efficiens* est qui communitati præest; *materialis* est quidquid a lege præcipitur ; *formalis* sunt verba legis quibus nempe ea exprimitur ; demum causa *finalis* est bonum commune (1), ob quod fertur ipsa lex : *finis legis est bonos homines facere,* ait Angelicus ex Aristotele (2).

R. Ad 2 : legis actus quadruplex est, qui hoc versu continetur :

Præcipit ac prohibet, permittit, denique punit.

Nempe vel actus est ex suo genere bonus, et lex *imperat;* vel est ex suo genere malus, et *prohibet ;* vel indifferens, et *permittit* (3). Ut autem sibi obediatur, lex pœnam sancit non obtemperantibus, et ideo ponitur illud *punit.* —Alii quintum actum recensent, qui est præmio afficere ; sed illum excludit Angelicus, quia hoc *potest ad quemlibet pertinere ; sed punire non pertinet nisi ad ministrum legis* (4), gravi nempe pœna, quæ a criminibus retrahere efficaciter valeat.

R. Ad 3 : legis effectus est duplex, obligatio subditorum et eorum bonitas: 1 subditorum obligatio; cum concipi nequeat jus imperandi in superiore sine necessitate obligationis in subdito. Hinc illud: *decretum necessitatem facit* (5); 2 subditorum bonitas , si enim subditus fideliter sectetur quæ lege continentur , esse nequit quin et ipse conducat ad bonum societatis et bonus civis evadat.

Omne legis præceptum vel affirmativum est, vel negativum : 1^{m} obligat ad actum bonum eliciendum, v. g. ad eliciendum actum amoris in Deum ; 2^{m} obligat ad omittendum actum malum, v. g. ad omittendum actum odii in Deum.—Præceptum affirmativum dicitur *obligare semper ;* quia actus præceptus eliciendus est quoties advenerit tempus statutum: sed non dicitur *obligare pro semper ;* quia actus ille quamvis eliciendus sit temporibus statutis, non tamen eliciendus est tempore omni ; cum sit onus importabile, quod homo semper agat. E contrario præceptum negativum dicitur *obligare semper et pro semper ;* quia actus malus numquam est faciendus, imo tempore omni est omittendus, quod utique fieri potest (6).

præscriptio, etc. —3 communi usu inductum esse, ut Episcoporum ordinationes datæ extra Synodum, nisi ipsi Episcopi aliud expresse declarent, tunc tantum ut veræ leges habeantur, cum omnes suos Diœcesanos et Clericos et laicos adstringunt : secus nonnisi ut præcepta reputentur. Diximus *extra Synodum ;* nam quæ in Synodo sunt ordinationes, ut veræ leges habentur de se perpetuo duraturæ, etsi unum tantummodo personarum cætum respiciant; cum in Codice legislativo continentur. Diximus *nisi aliud Episcopi expresse declarent ;* nam semper ipsis liberum est etiam extra Synodum leges pro uno cætu tantum condere. Verum si de hoc clare non constet, illæ non leges, sed præcepta habentur ex recepta communi consuetudine.—Videatur Benedictus IV, *De Syn. Diœc.* l. XII. c. 5, n. 1.

(1) *Vid.* Suarez. *De legibus* hic. (2) 1, q. 92, a. 1.

(3) Quæ quidem permissio est virtualiter præceptiva, quatenus nempe præcipit, ne actus impediatur fieri.

(4) 1, 2, q. 92, a. 2. (5) Gratianus, *Dist.* 4, c. 6, Decr. 1.^{a} pars.

(6) Omnia fere legis præcepta etsi secundum expositionem videantur esse vel tantum affirmativa vel tantum negativa, prout vel aliquid præcipiunt simpliciter, vel prohibent; attamen in se includunt utrumque. Sic præceptum dilectionis proximi secundum formam affirmativum est, im-

Q. 4. *Quomodo dividitur lex?*

R. Prima et generalis legis divisio est in legem *æternam, naturalem, divinam positivam* et *humanam*. Quod sic explicatur : duplex est hominis societas ; una cum Deo O. M. a quo conditus est ; altera cum hominibus quibuscum dies et vitam agit. Ad utramque porro conservandam et fovendam quadruplex illa necessaria lex est :—1 *æterna* in ipso Deo, qua velit hominem numquam ab ordine deflectere ;—2 *naturalis* in homine, qua ipsi intimetur et nota fiat illa Dei voluntas ;—3 *divina positiva*, qua homo ad finem supernaturalem, ad quem conditus est, certo dirigatur;—4 *humana*, qua procuretur omne, quo pax humana et publicus ordo conservari valeat et promoveri: simulque avertatur quidquid pacem illam queat perturbare et illum ordinem subvertere (1).

CAPUT SECUNDUM

DE LEGE ÆTERNA, NATURALI ATQUE DIVINA POSITIVA.

Q. 1. *Quid est lex æterna ?*

R. Divo Augustino sit placuit legem æternam definire : *lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans* (2). Nempe Deus a tota æternitate vidit et statuit ordinem, quem unaquæque res suæ naturæ consentaneum requirebat : at Deus ex Apostolo *negare seipsum non potest* (3) ; et ideo ordo ab æterno constitutus velle debet, ut perpetuo immutabilis conservetur.

Legis æternæ existentia, mentem vix convertendo in præcipua Dei attributa, demonstratur. Si enim Deus est *summa Bonitas*, necessario debet bonum diligere et malum aversari. Si est *summa Justitia*, non potest non probare quæ æqua sunt, et non improbare quæ sunt iniqua. Si est *summa Veritas* necessario veritatem amore, mendacium odio prosequi debebit. Uno verbo si est *summa Sapientia*, ordinem ex vi suæ naturæ in deliciis habere, perturbationem vero detestari tenetur. Hæc autem omnia Deus respueret, nisi lex æterna admitteretur : cum non sit lex æterna, nisi ipsa *Dei voluntas ordinem naturalem conservari jubens, et perturbari vetans*.

Ergo si hæc in Deo voluntas non admitteretur, ipse jam esset dicendus nec bonum diligere, nec malum aversari, nec probare quæ æqua sunt, nec im-

plicat tamen etiam negativum præceptum : ut affirmativum obligat ad proximum amandum, et ei succurrendum juxta illud Joann. 1, c. 3 : *non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ;* uti negativum vetat odium cæterosque actus amori benevolentiæ contrarios juxta regulam a Deo Tobiæ datam (c. 4) : *quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* — *V.* A. Goritia et Charmes.

(1) Neque dicas hæc omnia jam a lege naturali satis præscribi ; nam omnia hæc lex naturalis singulariter non præscribit ; quæ autem præscribit, non omnia præscribit modo evidenti et qui ab omnibus facile percipi possit. Adde nihil obstare, quod vinculo vinculum addatur. Adde sic efficacius homines impelli ad observantiam mandatorum, videlicet temporalibus pœnis, quas lex humana adnexas habet.

(2) Ep. 22 contra Faust. c. 29. (3) II Tim. 2.

probare quæ sunt iniqua, nec veritatem amore, nec mendacium odio prosequi; uno verbo nec ordinem in deliciis habere, nec detestari ejusdem perturbationem: quæ de Deo pronuntiare animus noster horret. Hoc idem agnovit vel ipse Tullius ajens: *legem æternam ortam esse simul cum mente divina* (1).

Quatuor autem sunt præcipuæ legis æternæ proprietates:

Prima, quod lex æterna plus vel minus ab hominibus sit cognita, non quidem in se ipsa, sed in ejus effectibus; sicut si quis ipsum non videat solem, sed ejus splendorem in cacumine montis (2). Et sane omnes cognoscunt aliqua eorum, quæ sunt partitiones legis æternæ, ad minimum quantum ad principia communia honestatis.

Secunda, quod omnia, quæ in mundo sunt, eidem prorsus subjiciantur; sive sint creaturæ inanimes et irrationales, sive intelligentes et ratione præditæ: — 1 quidem intelligentes et ratione præditæ, tam si bene quam si male agant; nam si bene, obtemperant legi æternæ et ordinem nanciscuntur divinæ bonitatis præmia largientis; si male, contemnunt utique et declinant divinam bonitatem, sed incidunt in divinam justitiam pœnas infligentem; — 2 inanimes et irrationabiles juxta illud: *fundasti terram, et permanet...; ordinatione tua perseverat dies; quoniam omnia serviunt tibi* (3).

Tertia, quod cæteræ leges ab ea dimanent: Naturalis quidem; quia hæc non est, nisi ipsius *legis æternæ in hominum mente facta transcriptio.* Divina positiva; quia ex Angelico *oportet, ut altiori modo dirigatur homo in ultimum finem supernaturalem: et ideo superadditur lex divinitus data per quam lex æterna participatur altiori modo* (4). Humana demum, tum quia nihil justi in humanis legibus esse potest, nihil firmi quod ab æterna non derivetur; tum quia ab æterna Lege principes habent potestatem justa decernendi juxta illud (5): *per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (6) Errant ergo toto cœlo politici illi, qui humanas leges atheas esse debere contendunt.

Quarta, quod ipsa sit prima et sola actionum humanarum regula. Et sane extra Deum nulla est aut concipi potest norma, ad quam perpensæ humanæ actiones bonæ sint et honestæ; cum solus Deus sit radix et fundamentum totius bonitatis et honestatis. Si enim, dicente Augustino, lex æterna est *ipsa voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans*, nulla alia lex certo adsignari potest super hanc voluntatem Dei (7).

Poterit adsignari (inquies) *ratio illa ipsa, ob quam voluntas Dei jubet ordinem naturalem conservari et hunc perturbari vetat, idest ipsa natura boni et mali prout est in se, et Dei voluntatem præcedens.* — R. negando; nam (præterquamquod ex vulgari Juristarum adagio *ratio legis non est lex)* ra-

(1) L. II de legib. (2) *V.* Thomas, 1, 2, q. 93, a. 2.
(3) Ps. 118. (4) 1, 2, q. 91, a. 4. (5) Prov. 8.
(6) Triplici autem modo a lege æterna leges cæteræ dimanant: — 1 uti ab exemplari: cum nulla lex justa sit, nisi suum quasi exemplar imitetur æternam, eique plane conformetur; — 2 uti a causa sui efficiente, quatenus omnis potestas inferioribus legislatoribus non datur, nisi per legem æternam; — 3 quatenus lex æterna, mediante lumine rationis vel fidei, præcipit ut aliquæ leges fiant, eæque tales et tales pro diversitate temporum, locorum et personarum.
(7) *V.* Thomas, 1, 2, q. 19, a. 4.

tio divinæ sapientiæ, in qua existit lex æterna, habet ex D. Thoma (1) rationem artis vel exemplaris vel ideæ eorum omnium, quæ creata sunt; adeoque in ipsa præexistit ratio eorum quæ agenda sunt. Jam vero quidquid malum est, suapte natura tale est, quia natura sua ordini repugnat, ordo ergo intelligitur esse prior ipso malo. Omnis autem ordo præexistit in ratione divinæ sapientiæ; igitur nihil est malum, nisi quatenus rationi divinæ sapientiæ repugnat; et quod suapte natura malum a Deo agnoscitur, tale ab ipso agnoscitur, quia id videt Deus suis perfectionibus, suæque sapientiæ, secundum quam omnia sunt ordinata, repugnare. Non est igitur lex æterna libera quædam Dei voluntas... sed ipsa incommutabilis ratio divinæ sapientiæ, prout omnia dirigit ac movet ad debitum finem, utait idem S. Doctor, qui propterea eidem difficultati sapientissime occurrit his verbis (2): *dicendum quod cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, secundario vero in judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum* (3).

Q. 2. *Quid est lex naturalis?*

R. Legem naturalem sic cum Angelico definimus, ut sit *participatio legis æternæ in rationali creatura, dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est intrinsece malum* (4). Dicitur: — 1 *Participatio legis æternæ;* quia lex naturalis a lege æterna dimanat, et idem utraque jubet et vetat: utraque jubet quæ sunt ordinatissima, et vetat quidquid ab ordine immutando deflectit. Naturalis nuncupatur, quia ipsam hominis naturam afficit, et videtur a Deo naturæ auctore manu quasi sua cordibus nostris insculpta, et ita inhæret, ut homo sine illa nequeat omnino concipi, dicente Psalmista: *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiam in corde meo* (5); — 2 *In rationali creatura*, et ita distinguitur a lege generali, qua omnia creata reguntur; — 3 *Dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est intrinsece malum:* illud autem est intrinsece bonum quod est conforme, et illud intrinsece malum quod est difforme legi æternæ; adeo ut sine hac lege nihil esset bonum, vel malum secundum se (6).

Lex naturalis nobis necessaria est. Nos intellectu et appetitu rationali constamus: ut verum a falso, bonum a malo secernamus, intellectum habemus; ut autem quæ honesta sunt et æqua sectemur, habemus appetitum rationalem. At quomodo recte ac semper utrumque præstare possemus, si

(1) 1, 2, q. 93, a. 1. (2) 1, 2, q. 71, a. 6.

(3) Ita Em. Gerdil contra l'Herminier, *Theol. Mor.* l. IV, *de pecc.* p. 1.

(4) 2 q. 91, a. 2; et. q. 93, a. 1. (5) Ps. 4.

(6) Dice: « Si el derecho que resulta de la naturaleza no induce una verdadera obligacion, sino que toda nuestra obligacion depende de la voluntad de Dios se sigue que no hay acciones morales intimamente virtuosas ó viciosas; sino que todas son tales porque son mandadas ó prohibidas por la voluntad arbitraria de Dios. Pero nosotros respondemos que las acciones que la ley divina-natural manda ó prohibe son intrínsecamente buenas ó malas, porque son mandadas ó prohibidas necesariamente por Dios.» — Ita Liguori. *Apol.* 5 *ad Append.*

perpetua aliqua nobis ratio non adesset a firmissimis naturæ judiciis deducta? Si id ab hominum placitis penderet, nihil esset stabile: ac frustra quis hominem in homine quæreret. *Si populorum jussis* (ait Tullius), *si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere; si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur* (1).

Q. 3. *An lex naturalis certa sit et existat?*

R. Legis naturalis existentiam vel ipsi perditi homines admittant necesse est; cum nemo possit negare se ipsum. Quisquis enim ad se paululum attendat, illico sibi inesse intelligit (etiam post Adæ peccatum) principia quædam, quæ ineluctabiliter assensum ad bonum extorquent: *justitiæ tanta vis est, ut ne illi quidem* (ait Tullius), *qui maleficio aut scelere pascuntur, possint sine ulla justitiæ particula vivere* (2). Hinc Apostolus: *cum... gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt..., ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum* (3).

Ex his patet, quam gravis sit legis naturalis transgressio; qui enim ipsam violat, insurgit *contra* conscientiam suam, quæ fortiter pulsat; *contra* Deum quem ignorare non potest illius esse auctorem. Unde ex eodem Apostolo transgressores dicuntur *digni morte* (4): et in hac morte potest dici positam esse legis naturalis *sanctionem* (5). Hujus autem legis præcepta exhibet Decalogus, qui solet definiri: *lex naturalis et divina, in decem præcepta distributa, digito Dei in duabus tabulis inscripta, et per manus Moysis Hebraico populo data.* Additur et *divina;* quia legem illam hominum moribus deturpatam iterum positive instaurabit Deus per Moysen (Exodi 20), ut sic cito ab omnibus et sine errore cognosceretur. Ergo merito Tridentinum anathemate percussit Lutherum, qui docuit *decem præcepta nihil pertinere ad christianos* (6). Nam præterquamquod Christus ea confirmavit (7), omnibus convenire debent; cum in hominis ipsius natura fundata sint, si una excipiatur determinatio diei sabbati quoad sanctificationem festorum.

Hæc exhibent hi versus:

Unum cole Deum. Nec jures vana per Ipsum.
Sabbata sanctifices. Habeasque in honorem parentes.
Ne sis occisor; mœchus; fur; testis iniquus.
Non cupias nuptam. Non rem cupias alienam.

(1) L. 1 de Leg. c. 15. — *V.* Gerdil, *Principes metaphysiques de la Morale chrètienne* l. III; it. *Dell' origine del senso Morale*, § 3. — Genuensis, *De Lege naturæ*. diss. 2 — S. Thomas. *Contra gentes*, c. 129.

(2) De Offic. l, III, c. 9. (3) Rom. 2. (4) Rom. 1.

(5) Sanctio legis, seu constitutio pœnæ in transgressores, est de omni lege: nam lex imponendo necessitatem virtutis, consequenter facit, ut ejus transgressores pœna sint digni, saltem apud Deum.— *V.* Suarez, *De Legibus ac Deo Legislatore*. l. I, c. 16.—It. Alasia *De Legib. Dissert.* II, c. 11 art. 5.

(6) Sess. VI, can. 19.

(7) *Matth.* 19. Decalogus dicitur a græco *deca* decem, et *logos* sermo, quasi decem sermones Dei contineat. Cum autem Deum et proximum respiciant, ideo recte Christus (*Matth.* XXII) totam De-

Sed (quæres) *an lex naturalis præcedat libertatem, an potius eam subsequatur?*—Lex naturalis duplici ratione potest considerari: tum ratione suæ originis, quam habet a Deo, tum ratione suæ obligationis, qua refertur ad hominem. Si 1, certe lex naturalis est anterior libertate hominis, eamque præcedit, quatenus nempe ab æterno fuit constituta. Si 2, lex naturalis est in tempore posterior libertate hominis eamque subsequitur, quatenus nempe hæc lex non promulgatur, sive non significatur in sua vi et in suis præceptis, nisi homini jam condito in propria libertate secundum illud: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata et præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te* (1). Ergo prius homo fuit constitutus *in manu consilii sui*, et postea eidem *adjecta* fuere præcepta Dei; et sane prius est *esse*, quam *esse tale*.

Quod dictum est de lege naturali, idem valet de lege æterna, de qua lex naturalis participat. Nempe lex æterna præcedit quidem libertatem hominis *prioritate temporis* non vero *prioritate ordinis* seu *applicatione:* licet enim in Deo non adsit neque prius neque posterius ratione temporum, quia temporis successio in ipso admitti non potest; adest tamen saltem juxta nostrum concipiendi modum ratione ordinis in decretis divinis. Sic *prius* esse debuit ratione ordinis in Deo prævidisse in propria sapientia hominis lapsum, et *posterius* in propria misericordia determinasse ejus redemptionem. Hæc porro ordinis ratio habetur etiam in casu nostro: *prius* nempe dici debet Deus sibi proposuisse hominem conditum et liberum quocumque vinculo legis, *posterius* vero sibi proposuisse legem ipsi tradendam. Quod clare innuunt citata verba Ecclesiastici, quibus aperte declaratur, hominem *ab initio* fuisse constitutum a Deo, atque relictum in *manu consilii sui;* deinde vero ei *adjecta mandata (A)*.

Q. 4. *An lex naturalis obliget omnes omnino homines?*

R. Affirmative: legem naturalem obligare omnes homines etiam pueros rationis usu pollentes, patet ex eo, quod omnibus, nemine excepto ea lex a Deo insculpta sit, et in ipsa hominis essentia suum habeat fundamentum. Hinc gravissime erravit Machiavellus, quando sic Principem suum allocutus est (2): *sæpe res et publicum bonum te cogunt fidem lædere, charitatem et humanitatem cum Religione negligere*. Numquid enim bonum publicum separari umquam poterit a legis justitia, a charitate, ab humanitate, a Religione? Hæc vero obligatio legis naturalis est cum quocumque damno et incommodo; hæc enim lex non præcipit aut prohibet, nisi quod est intrinsece bonum vel malum, quod proinde in se semper est idem.

Obligat autem independenter a lege divina scripta seu revelata; inquit enim Apostolus: *quicumque sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt* (3), id est peribunt propter peccata contra legem naturalem patrata: ergo lex naturalis obligat independenter a lege divina scripta. Si aliter es-

calogi substantiam ad Dei ac proximi amorem reduxit. S. Thomas (1, 2, q. 100, a. 3) exponit quomodo omnia præcepta naturalia in Decalogo contineantur. De hisce erit a nobis agendum: de primo præcepto, secundo et tertio erit Tract. De Virtute Religionis; de quarto et octavo erit De Obligationibus; de quinto et septimo erit De Restitutione; de sexto, nono et decimo erit De Peccatis.

(1) Eccli. 15. (2) Lib. *Princeps*, cap. 18. (3) Rom. 2.

set, homines in statu legis naturæ sine legis ullius obligatione remansissent, saltem usque ad cognitam legis scriptæ promulgationem per Moysen factam: quod quidem dicere est absurdum.

Si ita est, eccur (inquies) *Deus per Moysen præcepta Decalogi promulgavit?* — Audiatur S. Alphonsus (1): «Es verdad que tambien los preceptos naturales fueron publicados por Moisés con la ley escrita del decálogo; pero antes que esta ley escrita, habia para los hombres de la ley natural la ley natural divina, escrita como dice S. Pablo en el corazon de los hombres, y con la cual bien podian conocer lo que por sí era malo ó bueno. Pero por lo mismo que los hombres descuidaban el indagar esta ley, (a fin de que no se quejasen, dice S. Agustin, de que les faltare alguna cosa para conocer bien lo que debian hacer ó evitar), Dios dió á Moisés en dos tablas escritas con su mismo dedo divino, aquella ley que estaba ya escrita en sus corazones.» Ideo qui violat legem naturæ per decalogum cognitam, gravius quidem peccat, quia graviorem Deo injuriam irrogat; sed non committit duo peccata.

Sed (quæres) *legis naturalis obligatio orituine ab ipsa rerum, vel entium natura independenter a Deo Creatore et Legislatore?*

R. Fuit olim opinio alicujus auctoris (2) *naturam ipsam rationalem esse primam moralis honestatis regulam per se et independenter a Deo Legislatore, ita ut ex conformitate vel difformitate ad illam tota desumenda esset honestas et pravitas humanarum actionum, absque ullo respectu ad voluntatem Dei Creatoris et Legislatoris.* Sed hanc sententiam Suarez et Du-Hamel (3) cum aliis communissime declaraverunt omnino falsam et alienam ab omnibus theologis atque philosophis. Doctrina est Angelici, leges omnes (et ideo earum obligationem) non aliunde oriri, quam a lege æterna Dei: lex autem æterna Dei ex Augustino *est ipsa ratio divina et voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans* (4). Hinc ipse S. Doctor sic peccatum definivit: *dictum vel factum vel concupitum* (non contra naturam entium rationalem, sed) *contra legem æternam Dei.* Quæ vocabula perpendens Angelicus ait: *S. Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit:* dictum vel factum vel concupitum; *aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit:* contra legem æternam (5). Ex quo sic concludebat Alphonsus noster: «Por lo tanto toda la razon del mal del pecado no nace de la misma naturaleza, sino que nace de ser contrario á la ley eterna. No es la naturaleza quien dá la ley y la medida de lo honesto eslo solamente aquella ley que Dios ha dado á los individuos de cada naturaleza. La ley natural no nace de la misma naturaleza de los seres racionales, como suponen ciertos autores sino que nace de la ley eterna (6).

(1) *V. Apolog.* ecc.

(2) Iste est P. Vasquez, teste S. Alphonso dicente: «Esta opinion fué enseñada por el P. Vasquez, y á escepcion de él no he hallado otro autor que la haya enseñado.» Apol. e confut. v. 2. pag. 13.

(3) *Theol.* t. I, l. I, de leg. c. 2. (4) Contr. Faust. l. XII, c. 27.

(5) 1, 2, q. 71, a. 6.

(6) *V. Apologia e confut.* v. 2. Ubi notamus, quod decipiuntur vel decipere volunt qui dicunt

Si ita est (inquies), *qui violat legem naturalem absque ullo respectu ad Deum Legislatorem ejusque contrariam voluntatem, nullo modo peccat?* — R. Utique, si suppositum admitti posset: *si posset esse conversio ad bonum commutabile* (inquiebat Angelicus) *sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset tamen peccatum mortale* (1). Sed hæc hypothesis a SS. PP. atque Theologis habetur uti absurda et impossibilis. *Ego rectam rationem nego* (ait P. Berti), *quæ non sit cum participatione legis æternæ; et cum participatione legis æternæ nego posse dari invicibilem Dei ignorationem* (2). Hinc S. Alphonsus: «No puede comprenderse que una cosa sea conforme ó contraria á la recta razon, sino se comprende esta razon como procedente de Dios. Yo por mí considerando el pecado como ofensa hecha á Dios, que es mi Señor, y la suma bondad, que me ha criado, redimido y de quien lo he recibido todo, bien puedo ayudado por su gracia concebir un verdadero arrepentimiento: Si lo considerase como mera ofensa á la naturaleza que ni es mi señora ni me ha criado ni redimido y de la cual ningun bien he recibido, mientras cuanto tengo, todo reconozco tenerlo de Dios, no sabria concebir este verdadero arrepentimiento.» *(B)*.

Q. 5. *An lex naturalis ita perspicua sit, ut ignorari non possit?*

Ut hæc quæstio plenius intelligatur præmittendum est legis naturalis præcepta alia esse *primaria*, alia *secundaria*, alia *remota*. Præcepta primaria sunt quæ primo intuitu et sola quasi verborum expositione innotescunt: et sunt eadem apud omnes *et secundum rectitudinem* (verba sunt Angelici), *et secundum notitiam:* v. g. *alteri ne feceris, quod tibi fieri nolis: Deus est diligendus, virtus amanda* (3). Secundaria vero dicuntur, quæ a primariis immediate et evidenter deducuntur, quemadmodum certe sunt Decalogi præcepta. Remota, quæ ope ratiocinationis a principiis primariis deducuntur, ut sunt plurimæ quæstiones morales hinc inde disputatæ. — Quo posito:

R. 1: Consentiunt Theologi non dari ignorantiam invincibilem circa legis naturalis præcepta primaria, et secundaria *in semetipsis spectata* (nisi forsan aliquando in rudibus omnino ad breve tempus). Nam, uti ait Suarez, *natura ipsa ac conscientia ita pulsat in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari.* — Diximus in *semetipsis spectata;* quia si cum quibusdam circumstantiis conjungantur apparenter a peccato excusantibus, ignorari poterunt etiam invincibiliter. Sic v. g. invincibiliter ignorari non potest furtum in se spectatum esse illicitum; sed contingere potest, ut quis bona fide sibi persuadeat illud esse licitum, quando agitur de egeno hic et nunc sublevando, qui non sit in extrema necessitate.

R. 2: Si vero agatur de præceptis remotis, unanimis sententia est cum D. Thoma, ignorantiam invincibilem circa eadem dari posse: *necesse est*, ait,

hanc fuisse quæstionem quæ tantopere agitata fuit inter Sanctum nostrum et P. Patuzzi: iste imo expresse cum illo hac super re omnino consentit inquiens. *falsa est sententia patris Vasquez asserentis naturam ipsam rationalem esse primam moralis honestatis regulam, ita ut ex conformitate vel difformitate ad illam tota desumatur honestas et pravitas humanorum actionum: hæc inquam, sententia falsa est.* (*Th. Mor.* t. 1, 1 de Legib. c. 5, n. 3.)

(1) 2, 2, q. 20, a. 3. (2) *Theol.* t. 4, l. XXI, c. 9. (3) 1, 2, q. 64, a. 4.

quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diversimode. Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda..... Quædam vero sunt; quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda, et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur (1). Rudes ergo indigent instructione, ut præcepta juris naturæ remota addiscant; ergo ea possunt invincibiliter ignorare. Imo hæc ignorantia dari potest in viris doctis et piis: argumento sit controversia qua Angelicus Doctor S. Thomas, et Doctor Seraphicus S. Bonaventura disputant, an judex damnare possit reum convictum, quem tamen scientia privata certo scit esse innocentem? Affirmat primus; inficiatur secundus. Alteruter errat profecto: uterque tamen dicendus est omnia fecisse ad veritatem agnoscendam (2).

Quando autem ignorantia (licet sit juris naturalis) est invincibilis, est etiam inculpabilis; nam, dicente Augustino, *quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest* (3)? Hinc hæc Baji propositio sub n. 2 damnata est ab Alexandro VIII: *tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*. Neque hæc ignorantia nobis est in Adamo voluntaria et culpabilis, ut falso autumant Lutherani, Calvinistæ, Bajanistæ et Jansenistæ; nam per gratiam regenerationis ex Tridentino *tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet* (4); quod tamen verum non esset, si adhuc ignorantia illa esset culpabilis (5).

An (quæres) *detur ignorantia invincibilis in obligationibus proprii status vel officii?* Negative, quandoquidem qui cuipiam statui se mancipat v. g. ecclesiastico, vel religioso, vel qui aliquod munus suscipit obeundum uti judicis, medici, notarii, advocati, magistri, ducis, principis, confessarii, episcopi, etc. tenetur illius status aut officii obligationes callere, vel in iis instrui; et qui eas ignorat, negligens instrui aut ne deinceps teneatur eas observare aut ob voluntariam negligentiam, ejus ignorantia culpabilis semper erit, atque omnes errores quos tali negligentia deinde patraverit, omnes culpabiles erunt, etiamsi in iis patrandis actualem eorum malitiæ advertentiam non habeat; eo enim ipso quod talem statum suscepit, ad obligationem se instruendi jam satis advertit (6).

Q. 6. *An lex naturalis sit universalis et indelebilis?*

R. Ad 1. Utique lex naturalis universalitate pollet, quantum scilicet ad prima principia communia. Hoc patet ex consensu omnium populorum, qui

(1) 1, 2, q. 100, a. 1.

(2) *V. Dissertatio* S. Alphonsi De Liguori in *Op. Mor.* l. 1. nn. 170 et seqq. ubi scite pro more suo quæstionem resolvit auctor eruditissimus.

(3) *De lib. arb.* l. III, c. 18, n. 50.

(4) Sess. 5, can. 5.

(5) *V.* Bouvier, *De actibus humanis*, cap. 1, sess. 3. — Sed præ cæteris eximius liber *De peccatis ignorantiæ, sive quæstio Theologica, an insuperabilis ignorantia juris naturæ liberet a peccato*. Auctore Christiano Alethino, Coloniæ 1681.

(6) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. 1. n. 170. — Si quis tamen in suo munere sufficienter se curaverit instrui, et nihilominus in re quapiam erraverit, quæ munus suum respiciat, non ob negligentiam, sed ob invincibilem ignorantiam vel inadvertentiam, a culpa liber erit.

licet barbari, inculti, corrupti, tamen prima rationis principia omnes semper uno ore professi sunt. Ad rem Augustinus: *numquid lex naturalis non erat in populo Israël? erat plane, quoniam et ipsi homines erant: sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent* (1).

R. Ad 2. Quod dicitur de universalitate, idem valet de indelebilitate legis naturalis: *quantum ergo* (ait Angelicus), *ad principia communia lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem* (2). Ratio autem est: cum lex naturæ sit hominibus ingenita et innata, non potest funditus deleri, quin ipsa hominum natura deleatur. Hinc D. Augustinus sic Deum alloquitur: *lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas* (3). Quod est conforme sacræ *Scripturæ*, quæ legem naturalem vocat *fœdus sempiternum* (4).

Q. 7. *An in legem naturalem contingat mutatio vel dispensatio?*

R. *Stricte loquendo,* ne divina quidem auctoritate, potest in juris naturalis præcepta contingere mutatio aut dispensatio:

Non 1 mutatio: hæc enim esse non potest, nisi vel abrogatione per quam lex obliteretur atque tollatur, vel derogatione per quam ipsi quidpiam detrahatur; atqui neutrum in lege naturæ admitti potest. Ut enim in ea admittatur abrogatio vel derogatio, oportet illa quæ ipsa præcipit, in toto aut in parte fieri vel noxia vel inhonesta, vel saltem minus utilia; illa autem quæ prohibet, evadere vel bona vel minus mala vel indifferentia: atqui id numquam contingere potest. Sane lex naturæ non præcipit, nisi quod est intrinsece honestum et bonum; nec prohibet nisi quod est intrinsece inhonestum et malum, quodque tamdiu erit malum in omni sua parte, quamdiu perdurabit ipsa ratio Sapientiæ æternæ; ergo lex naturalis omnem respuit tam abrogationem, quam derogationem, ac proinde mutationem (5).

Neque 2 contingere potest dispensatio: etenim quid aliud est dispensare in lege, quam aliquem liberare ab obligatione legis ejusdem, manentibus tamen omnibus circumstantiis, sub quibus lex viget et obligat? atqui in lege naturali ne Deus quidem id agere potest. Absit enim ut dicamus posse Deum permittere, ut quis agat quod est intrinsece malum et inhonestum, v. g. ut quis Deum ipsum odio atque blasphemiis prosequatur; vel ut quis omittat quod ex natura rei necessarium est ad morum honestatem, et cujus omissio dedecet naturam rationalem, v. g. ut quis omittat Deum amare et eumdem colere. De hac lege perbelle ait Tullius: *nec erit alia Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes, et omni tempore una lex et sempiterna et immortalis continebit, unusque erit quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui, qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur* (6).

Diximus *stricte loquendo;* quia divina auctoritas in iis, quæ ejusdem subjiciuntur imperio neque in rerum essentiis fundantur, potest, justa inter-

(1) In Ps. 118, Serm. 25. (2) 1, 2, q. 94, a. 6. (3) L. II Conf. c. 4.
(4) Isa. 24. (5) V. D. Thomas, 1, 2, q. 100, a. 8.
(6) Lib. III, de Rep.

veniente causa, circumstantias mutare, sicque efficere, ut obligatio ante existens evanescat et relaxetur. Quod esset quidem in legis naturalis præceptis aliquo modo dispensare, sed improprie prorsus et indirecte.—Sic v. g. cum Deus sit supremus rerum omnium Conditor ac vitæ hominum eorumque bonorum Dominus, potuit præcipere Abrahamo, ut filium sibi suum sacrificio immolaret: permittere Hebræis, ut vasa Ægiptiorum mutuo accepta non amplius restituerent, in ipsos nempe transferendo dominium (1).

Q. 8. *Quid est lex divina positiva?*

R. Lex divina positiva definiri potest: *lex exterius data a Deo hominem dirigens ad finem supernaturalem.* Dicitur:—1 lex *exterius data*, ut distinguatur a lege naturali; hæc enim datur interius per lumen rationis; illa vero manifestatur exterius per sacras *Scripturas* et per divinas Traditiones: ideo appellatur etiam *positiva*, quasi exterius sub oculis posita;—2 *a Deo*, ut distinguatur a lege humana, quæ fertur ab homine;—3 *hominem dirigens ad finem supernaturalem*, quia sicuti lex naturalis ducit hominem ad finem naturalem; ita lex divina positiva eumdem ducit ad finem supernaturalem, atque hominem trahit ad felicitatem æternam.

Lex divina positiva est in rebus moralibus necessaria:—1 relate ad ordinem supernaturalem; quia homo ad hunc ordinem conditus, indiget lege eidem proportionata. Neque enim ad illum potest pervenire solius legis naturalis auxilio; cum sit altioris ordinis et facultates naturales excedat;—2 relate ad ordinem ipsum naturalem; quia *propter incertitudinem humani judicii* (verba sunt Doctoris Angelici) *præcipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversæ et contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare* (2). Sic Deum esse colendum naturalis ratio sat omnibus ostendit: verum circa modum hujusmodi cultus, quod sententiæ ethnicorum! Hinc de illis Apostolus: *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (3) Necesse ergo erat, ut lex divina falli ac fallere nescia per revelationem id nobis panderet. Pandit autem: *multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (4).

Duplex est legis divinæ positivæ divisio:

1 Alia dicitur *pure positiva*, alia *non pure positiva.*—Illa præcipit vel prohibet quæ a lege naturali neque præcipiuntur neque prohibentur. Tale erat præceptum Judæis datum, qui vetabantur manducare carnes nonnullorum

(1) Hoc modo sustinentur etiam relaxationes a SS. Pontificibus tributæ circa vota, juramenta, etc.; quæ tamen essent de jure naturæ servanda. Nempe Pontifex divinæ interpres voluntatis declarat, hanc vel illam causam sufficientem esse ut a Deo remittatur contracta obligatio; hanc vel illam causam ita rem immutare, ut honestum evadat quod prius deforme erat.

Seu, ut ait S. Thomas, *determinat quid sit Deo acceptum* in ea speciali circumstantia (2, 2, q. 88, a. 12).

(2) 1, 2, q. 91, a. 4. — *Vid. Liguori. Riflessioni sulla verità della divina rivelazione.*

(3) Rom. 1. (4) Hebr. 1.

animalium.—Ista vero præcipit vel prohibet quæ a lege naturali præcepta jam sunt, vel prohibita. Talia sunt v. g. singula Decalogi præcepta, si Sabbati determinatio excipiatur.

2. Alia dicitur *lex vetus*, alia *nova*.—Lex vetus a Deo lata est in veteri Testamento, et populo Israëlitico per Moysen promulgata versus annum 2518 a constitutione mundi. Quæ quidem quamvis bona esset, *immaculata, convertens animas* (1), cum tamen ea non esset nisi novæ Legis figura; ideo quoad præcepta cæremonialia ac judicialia ex se cessare debuit, ista adveniente, juxta illud (2): *umbram fugat veritas* (3).—Lex nova a Christo fuit indicta, et per ejus præcones Apostolos per totum orbem disseminata. Hæc perdurabit usque ad finem sæculorum juxta illud Christi ad Apostolos eorumque successores: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (4). Triplicis autem generis documenta continet, nempe præcepta *moralia* circa virtutes; præcepta *cæremonialia* circa Sacramenta ac Missæ sacrificium; tandem mera *consilia*, sed magno præmio digna.

Cæpit autem lex nova obligare Judæos saltem die Pentecostes, quo eis solemniter promulgata est coram ingenti multitudine (5); alios autem non incepit obligare, nisi pedetentim ac successive, ut docet Dens, prout nempe promulgatio illa ad varias nationes humano modo potuit pervenire (6). Quanta vero sit hujus divinæ legis obligatio, patet tum ex illius necessitate; tum ex hisce Christi verbis: *mandata mea servate* (7); *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* (8). Hinc definivit Tridentinum: *si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit* (9).

CAPUT TERTIUM

DE LEGIS HUMANÆ NATURA ET AUCTORE.

Q. 1. *Quid est lex humana, et quotuplex?*

R. Lex humana illa est, quam *rector humanæ societatis suis præscribit subditis in ordine ad bonum commune*. Dividitur autem tum ratione originis, a qua procedit; tum ratione modi, quo præcipit:—1 ratione originis dividitur

(1) Ps. 18. (2) Ecclesia, *In hymn. Missæ Corp. Dom.*

(3) Præcepta tamen *moralia*, quæ nempe spectant mores informandos, semper permanserunt non quidem vi legis positivæ; sed legis naturalis; utpote immutabilis. Imo neque ipsa præcepta *cæremonialia*, quæ nempe referebantur ad Dei cultum seu cæremonias; neque *judicialia*, quæ ad rectam populi gubernationem spectabant, illico cessarunt a lege nova, sed pedetentim; *decebat enim* (ait Angelicus 1, 2, q. 103, a. 4) *ut Synagoga cum honore sepeliretur*.

Communis opinio est, legem veterem omnino cessasse, ac mortiferam evasisse tempore Hierosolymitani excidii, quo fuit funditus eversa et destructa Synagoga, idest circa annum quadragesimum post mortem Salvatoris. Et eo etiam tempore Legem novam pro universo orbe sufficienter promulgatam fuisse, communiter docent. (4) Matth. 28.

(5) Act. 2.

(6) *V.* Bouvier, *Instit. Theol.* t. 4, *De Legib.* c. 3.

(7) Joann. 14.

(8) Joann. 15.

(9) Sess. 6, can. 21.

in ecclesiasticam et civilem, quia duplex est humana societas, ecclesiastica et civilis: illa ab Ecclesiæ rectoribus dimanat, hæc procedit a rectoribus societatis civilis;—2 ratione modi, quo præcipit, lex dividitur in præceptivam, pœnalem, atque irritantem.

Lex præceptiva, quæ ab aliquibus etiam moralis dicitur, est quæ præcepit vel prohibet, quin pœnam in transgressores infligat.

Lex pœnalis est quæ pœnam habet conjunctam. Porro vel pœnam solam imponit, quin præcipiat quidpiam aut prohibeat: si dicat v. g. *qui certam frumenti quantitatem importaverit, persolvet pœnam scutorum triginta.* Vel pœnam imponit, aliquid simul præcipiendo aut prohibendo: si dicat v. g. *prohibetur omnis frumenti importatio sub pœna scutorum triginta.* In primo casu dicitur pure *pœnalis:* in secundo vero casu dicitur lex *pœnalis mixta* (1).

Lex irritans est, quæ actum nullum, et invalidum esse decernit: v. g. si personam ad eum actum inhabilem reddat, vel si solemnitatem in eo præscribat, qua omissa, actus sit nullus.

Q. 2. *An jus gentium sit lex humana?*

R. Affirmative, jus gentium *stricte acceptum* est lex humana; nam illud est ex Justiniano, *quod, usu exigente et humanis necessitatibus, gentes sibi constituerunt,* non quidem consensu expresso, sed tacito et pedetentim. Hoc autem jus, quod moderni *internationale* appellant, universalius patet, quam aliæ humanæ leges; cum omnium fere gentium consensione firmetur. Hinc etiam fortius obligat, adeo ut trangressores habeantur ab omnibus uti publicæ tranquillitatis et humanæ societatis hostes infensi (2).

Diximus: *stricte acceptum;* nam improprie etiam jus naturale jus gentium dici solet. At discrepat quammaxime; quia jus gentium constituitur ab hominibus, jus autem naturale cum iisdem innascitur.

Q. 3. *An leges humanæ sint necessariæ?*

R. Attenta hominum pervicacia, certum est leges humanas esse necessarias; historia enim et constans experientia docent, nullam societatem, imperium nullum, nullamque rempublicam diu posse consistere sine legibus. Hinc omnes gentes, etiam quæ rudiores videbantur et efferæ, proprias semper habuerunt constitutiones et leges, quibus tum mores componerent, tum scelera punirent, tum scelestos in officio continerent, tum denique communi patriæ saluti, singulorumque incolumitati prospicerent. Quo sensu inquiebat Tullius: *constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque hominum et quietam et beatam, inventas esse leges* (3).

(1) Usus invaluit, ut prima donetur tantummodo nomine pœnalis, alia nomine mixtæ.

(2) Varia sunt de jure gentium; v. g. recipiendi sunt legati etiam inimicorum: libertas concedenda est contractus ineundi: fœdera pacis ac induciarum non sunt neganda, servitutis pœnæ justo bello capti non sunt subjiciendi, etc. — *V. Del concetto di nazione. Saggio di diritto internazionale,* etc. Verratti, *Memorie modenesi,* t. v, serie 3.

(3) L. II, de legibus.

ARTICULUS I—De auctore legis ecclesiasticæ.

Q. 1. *An Ecclesia habeat potestatem ferendi leges?*

R. Lutherus atque Calvinus Waldensium et Wiclephitarum vestigiis inhærentes omnem potestatem Ecclesiæ denegarunt leges ferendi, quibus fidelium conscientiæ obstringerentur.—Sed eam posse leges ferre, *quæ ad res spirituales et religiosas pertinent:*

Prob. 1 *ex Scripturis*, ubi Apostoli in primo Concilio congregati sic fideles alloquebantur: *visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato* (1). Duo in his verbis certa sunt: 1 quod vocabulum *imponere* legem proprie dictam importat; 2 quod hujus legis objectum, abstinentia nempe a sanguine et suffocato, in lege naturali aut divina positiva minime fundatur: ac proinde constituit materiam legis pure humanæ. Ergo admittenda est in Ecclesia legislativa potestas.—*Et Paulus perambulabat Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum* (2).

2. *Ex Traditione:* quid sibi volunt antiquissimæ illæ Canonum collectiones, de quibus in Juris Canonici Institutionibus agi solet, nisi antiquissimam in Ecclesia potestatem ferendi leges?—Profecto Concilia Œcumenica (a Nicæno I, anno 325 usque ad Tridentinum anno 1564) leges positivas ediderunt, quas omnes omnium temporum omniumque locorum Christiani venerati sunt.

3. Denique *ex ipsa ratione naturali:* in omni bene constituta republica et societate necessaria omnino est potestas, ut vocant, legislativa, qua ea præcipiantur, quæ publicum sibi bonum expostulat. Atqui Ecclesia est respublica et societas bene constituta; cum fundatorem habuerit sapientissimum in Christo Domino. Ergo etc. (3).

Consulto diximus posse Ecclesiam ferre leges, *quæ ad res spirituales etreligiosas pertinent;* leges enim civiles atque politicas ferre nequit, nisi pro iis Provinciis, quæ suæ ditioni etiam politicæ subjiciuntur. Æquitas nempe postulat, ut unaquæque potestas intra limites suos sistat: siquidem unaquæque portat gladium suum *(C)*.

Q. 2. *Quinam in Ecclesia habent potestatem ferendi leges?*

R. Habent hanc potestatem Ecclesiæ Rectores hoc ordine (4):

1. *Summus Pontifex* pro toto Orbe Catholico: quia ex definitione Concilii Œcumenici Florentini celebrati anno 1439, ipse est *successor divi Petri Principis Apostolorum, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Pater et Doctor; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est.* Hæc autem legislativa suprema potestas in Pontifices Maximos non derivat ab Ecclesia; sed a Christo immediate, qui eam tradidit D. Petro no-

(1) Act. 15. (2) *Loc. cit.*

(3) *V.* Tassoni, *La Religione dimostrata e difesa*, t. III, p. 2, c. 40.

(4) *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. I, n. 104.

tissimis illis verbis (1): *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam...; tibi dabo claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlis.* Unde merito contra nefariam illam pseudosynodum Pistoriensem damnata fuit a Pio VI (1794 Bulla *Auctorem Fidei*) tamquam *hæretica* ea n. 3 propositio, qua statuebatur *Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ ministeriale,* quatenus ipse non a Christo in persona S. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat *(D).*

2. *Concilia Œcumenica* pro tota etiam Ecclesia; *Nationalia* pro Natione; *Provincialia* pro Provincia (2); *Diœcesana* pro Diœcesi. Sane unumquodque Concilium suam respective Ecclesiam repræsentat.

3. *Legatus Apostolicus* pro loco suæ Legationis; hoc enim a jure ipsi tributum est (3). *Cardinalis* autem potest ratione suæ dignitatis in Ecclesia sui Tituli leges ferre ex eodem jure (4).

4. *Episcopus* pro suis subditis (et quidem tam intra quam extra Synodum; cum hæc diversitas per se non respiciat, nisi formam ac modum). Sive enim habeat immediate a S. Pontifice suam jurisdictionem, sive tantum mediate, statim ac Episcopus tanta celsitudine donatur, ex vi sui muneris ei competit leges ferre; cum a Spiritu Sancto positus sit *regere Ecclesiam Dei* (5): porro regimen hanc legis condendæ potestatem de necessitate includit.—Hoc autem jus habitu accipit Episcopus sua canonica institutione; ut tamen illud actu exerceat, necesse est tum ut litteræ Apostolicæ electionis expeditæ sint atque iis exhibitæ, quibus sunt exhibendæ de jure (6); tum ut realis possessio capta sit (7) *(E).*

5. *Capitulum Cathedrale,* Sede vacante; jure enim succedit in jurisdictionem Episcopi (8). Hanc tamen ex Tridentino intra octiduum ab accepta vacationis notitia in unum transferre debet (9).

6. *Abbates* et *Prælati exempti* pro suo territorio, ubi quasi Episcopalem exercent jurisdictionem; jurisdictioni enim adnexa est legislativa potestas. —Non tamen possunt Abbatissæ proprias leges ferre; cum fœmina non sit capax jurisdictionis spiritualis exercendæ. Quæ tamen probabilius possunt uti ministræ exigere in conscientia obedientiam per votum promissam circa res præceptas, vel circa ea quæ ad profectum Monialium juxta regulas

(1) Matth 16. — *V.* Veith, *Richerii systema confutatum.* — Duval, *De suprema Pontificis potestate.* — Zaccaria, *Antiphebronius,* etc. — Muzzarelli, *Il buon uso della logica in materia di religione,* opuscul. 20; *Eresia dei duo capi.*

(2) Ipsi autem Archiepiscopi, Primates, et Patriarchæ non possunt ferre leges in provinciis aut nationibus suffraganeorum, nisi ex consuetudine id habeant. vel ex concessione Pontificis. Ita Caus. 9, q. 3, c 7, *Nullus Primas;* et c. 8, *Conquestus;* et ex Decret. Greg. L. I, t. xxxi, de offic. jud. ordinarii: *Duo simul.* (3) C. ult. *de off. Legati.*

(4) C. *Iis quæ de maj. et obed.,* et c. *querel. de elect.* Collegium Cardinalium vero, Sede romana vacante, si necessitas non urgeat, non potest leges ferre; sed nominationi alterius Pontificis debet statim incumbere *ex Clement.* l. I, tit. 3, cap. 2. (5) Actor. 20.

(6) Ex Extrav. I, *Injunctæ de elect.*

(7) *V.* Ferraris, *Bibl.* V. Vic.Capitularis. — Idque usu etiam inductum est.

(8) Cap. *His quæ,* et cap. *Cum olim, de major. et obedient.*

(9) Sess. 24, c. 16 de ref.

conducunt; id enim necessarium est ad sustinendam observantiam, et talis est praxis universalis (1).

7. *Ordines* denique *Religiosi* in Capitulo Generali vi jurisdictionis a Papa concessæ; non autem vi voti, quod cum personale sit, non dat nisi potestatem imponendi præcepto, non vero vim legis condendæ. Cæterum consulenda sunt Statuta uniuscujusque Ordinis (2).

Q. 3. *An in Ecclesia præter legislativam adsit alia potestas?*

R. Affirmative: in Ecclesia præter legislativam adest etiam potestas judiciaria et coërcitiva per pœnas tum spirituales tum corporales.

1. Adest potestas judiciaria, ea scilicet quæ in foro externo exercetur, et est legitima facultas actiones subditorum examinandi et de earum bonitate vel malitia, merito vel culpa autenticum judicium ferendi. Christus enim ait, quod refractarius, si correctiones fraternæ irritæ sint, denunciandus est Ecclesiæ (3): quod esset inutile, si Ecclesia illum judicare non posset. Apostoli hanc exercerunt: sic Petrus judicium tulit de Anania et Saphira (4). Et Paulus dum scribit (5): *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* clare manifestat, se posse de iis, qui intus, idest in Ecclesia sunt *(F)*.

2. Potestas coërcitiva, per pœnas nempe spirituales; nam legitur: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (6). Notum est autem quod apud Judæos ille sic habebatur, qui a communione civili, et religiosa excludebatur (7). Paulus hanc potestatem exercuit, cum incestuosum Corinthium tradidit Satanæ: porro tradere Satanæ nihil aliud est, quam aliquem ab Ecclesiæ societate segregare, omnibus ejusdem bonis ita privando, ut et anima et corpus diaboli potestati relinquatur (8).

3. Potestas coërcitiva per pœnas etiam corporales: Christus ipse hac usus est, qui *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo* (9). Et hac etiam causa factum est, ut Ananias et Saphira, quos Petrus pœna dignos pronuntiavit, præcoci morte abriperentur. Et Paulus scribit (10): *quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* ubi vides virgam, rigorem videlicet et pœnas. Iterum ait: *hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi* (11): ubi vides hanc puniendi potestatem ei tributam non a populo, non a principe; sed a Deo. Idque semper fuit in usu in Ecclesia (ut probat Mamachi) (12), quæ sua semper habuit *tribunalia*, suosque *carceres*, ubi recludebantur pervicaces; suas *virgas*, de quibus loquuntur Augustinus, Cyprianus, Gregorius M.; *mulctas pecuniarias*, de quibus ipse Augustinus et Concilium Carthaginense V, Benedictus XIV et Tridentinum; *pœnam exilii*, de qua loquitur S. Gregorius, Concilium CP. tertium, et Concilium Romanum anno 503. Hinc merito tum Joannes XXII anno 1327, Constitutione *Dudum volentes* (13),

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 52.
(2) *V.* Liguori, *Opus Moral.* l. 1, nn. 43 et seqq. — Suarez, *De statu religioso* etc.
(3) Matth. 18. (4) Act. 5. (5) I Corinth. 5. (6) Matth. 18.
(7) I Esdr. 10; Jos. 22; 12, 24. (8) *V.* dicenda *De censuris*, cap. 2.
(9) Jo. 2. (10) I Corinth. 4. (11) II Corinth. 13.
(12) *Del diritto libero della Chiesa*, lib. II.
(13) Joannes 22, hac dogmatica Bulla ait: *Ad fidei catholicæ fundamentum de fratrum nostrorum*

tum Benedictus XIV anno 1757 Brevi *Ad assiduas*, tum Pius VI anno 1794 Bulla *Auctorem fidei* propositione 4 et 5, tum Pius IX anno 1851 Brevi *Ad apostolicæ Sedis* contrariam doctrinam damnarunt. Sane id esse debet de omni bene constituta ac perfecta societate, ut argumentatur ipse Romagnosi, quæ si habet jus imperandi et agendi, debeat etiam habere jus removendi quæ eidem opponuntur, et transgressores pœnis terrendo ac puniendo. Id ipsum fatentur vel ipsi Protestantes, ut Leibnitius et Guizot, qui ultimus et approbat et commendat et pro exemplo ponit pœnitentiale Ecclesiæ nostræ systhema (1) *(G)*.

Neque dicas, *non esse opus vi et injuria, quia religio cogi non potest.*

R. cum Angelico : utique non sunt cogendi ad religionem amplectendam infideles ; quia credere est voluntatis, non necessitatis : quo sensu sic scripserat Lactantius (2). Sed bene cogi possunt etiam corporali pœna hæretici et apostatæ ad fidem tenendam, quam amplexati sunt ; nam si voluntatis est religionem suscipere, necessitatis est eam semel susceptam tenere. Ita liberum quidem est votum emittere, at semel emissum non est amplius voluntatis propriæ illud violare : et hoc plane sensu S. Augustinus scribit Epistola 185 ad Bonifacium (3). Idque eo maxime, quia hæretici illorum moribus pravis alios ad malum vehementer nimis inducunt.

Q. 4. *Ubinam continentur leges Ecclesiasticæ generales* (4)?

R. Vel sermo est de Jure Ecclesiastico quod vocant, *novum*, quod a sæculo XII extenditur usque ad sæculum XVI, idest usque ad Tridentinum. Vel sermo est de *Jure novissimo*, quod extenditur a Tridentino usque ad ætatem nostram :—1^m^ continetur in Corpore Juris Canonici ;—2^m^ in ipso Tridentino, in Bullis, Brevibus et Rescriptis Ss. Pontificum, in Declarationibus Congregationum, atque in Regulis Cancellariæ Apostolicæ (5).

Juri tamen scripto non scriptum addendum est, quod nempe traditione et consuetudine comprehenditur.—Traditio est mandatum quod viva voce populis nunciatum est, atque ad nos usque vivens pervenit et durat. Quod quidem obligatorium esse nemo dubitat ; cum illud referat superioris ordi-

consilio, Dei nomine invocato, articulos prædictos, quod Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coäctiva, nisi imperator daret eis auctoritatem, velut S. Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos, hæreticos seu hæreticales... sententialiter declaramus.

(1) *Corso di Storia moderna*, Lez. 6. — *V. Annali religiosi*. t. VIII, pag. 98 ; et tom. XX, art. *sull' origine dei tribunali Ecclesiastici*. (2) *De divin. Inst.* l. V.

(3) Bianchi, *Della podestà e polizia della Chiesa*, vol. V, p. 2.—*Civiltà cattolica*, vol. VII, pag. 586. et *Seria* 2, vol. I. VII e VIII.— Margotti, *Processo Nuiz*, art. VII, et seqq. — Balmes, *Saggio di diritto pubblico* ecc. — Suarez, *De hæresi*. — Devoti, *Instit. canonicæ*, lib. III, t. I. — Bouix, *De Judiciis*: pars 1, ubi fuse. — La Motta, *Teoria del matrimonio*, t. I, c. 12.— Tapparelli, *Saggio* ecc. n. 1483.

(4) Diximus *generales*, quæ nempe omnes spectant ; quoad speciales enim videnda sunt propriæ Diœcesis vel Ordinis statuta, atque legitimæ consuetudines.

(5) Hic quæstio non instituitur de Jure *antiquo*, quod nempe ab Apotolorum ætate usque ad sæc. XII extenditur : cum illius ætatis leges vel apocriphæ habeantur, vel si quæ erant genuinæ et vi præditæ, fuerint in Corpore Juris Canonici insertæ. Tales sunt inter cæteras *Canones Apostolorum* 85 apud græcos, 50 apud latinos ; item octo libri *Apostolicarum Constitutionum* sub nomine Clementis Romani Pontificis ; et *Isidoriana collectio*, ob quam tot turbæ ortæ sunt. — *V.* Bouix, *Jus Can. De principiis*. — *Amico cattolico*, vol. XV. —Muzzarelli, *Buon uso della Logica*, opusc. X, § 3.

nationem nobis satis manifestatam (1).—Consuetudo vero est jus inductum moribus hominum, liberis, uniformibus, diuturnis. Hoc aliquando tantam vim habet, ut in omnium sensu obtineat vel contra ipsam posteriorem legem contrariam, nisi nominatim declaretur consuetudinem illam nihil obstare (2).

Q. 5. *Quid est Corpus Juris Canonici?*

R. Corpus Juris Canonici est complexus Legum Ecclesiasticarum in quinque Codicibus. Horum autem—1us est *Decretum Gratiani;*—2us *Decretales Gregorii IX;*—3us *Liber sextus Decretalium Bonifacii VII;*—4us *Clementinæ Clementis V;*—5us *Extravagantes Joannis XXII, atque Communes.* Integrum porro Juris Canonici Corpus diligentissime emendatum Romæ edendum curavit Gregorius XIII Bulla *Cum pro munere pastorali* (3).

Certum est librum septimum Decretalium, ac Institutiones Lancellotti, quæ in fine Canonici juris habentur appositæ, non habere vim; cum privatorum sint leges nulla Pontificia confirmatione donatæ. Pariter Decretum Gratiani, licet pluries emendatum; tamen *inter omnes receptum est,* ait ipse Benedictus XIV, *quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si numquam in Gratiani collectione insertum foret* (4). Cæteræ autem partes juris Canonici universim obligant, nisi contraria lege, vel consuetudine abrogatæ sint.

Quid (quæres) *sentiendum est de rubricis titulorum, de superinscriptionibus et summariis capitulorum, de notis et glossis, quæ in Canonico ipso jure habentur* (5)?

R. *Rubrica* a rubris litteris, quibus scribebatur dicta, est inscriptio indicans materiam tituli. In libris authenticis magnæ est auctoritatis; cum libri isti una cum rubricis probati sint; et ideo valet argumentum a rubro ad nigrum, hoc est a rubrica ad textum capituli, dummodo textus non dissonet: unde tunc rubrica potest allegari per modum regulæ generalis.—*Superinscriptiones* sunt illa verba, quæ indicant unde textus capituli desumptus sit, vel ad quem directus. In libris authenticis sunt authenticæ, et ex illis validum est argumentari.—*Summaria* sunt verba, quibus privati doctores capitula summarunt; ideo non sunt authentica, sed tantum inserviunt ad majorem legentium commoditatem.—*Glossa* est uberior explanatio canonum ab auctoribus facta. Auctores vero præcipui sunt Accursius, Bernardus, Tancredus, Joannes Andreas (filius): his accedunt veteres interpretes Innocentius IV (antea dictus Sinibaldus), Hostiensis, Speculator seu Guilelmus Durandus, Panormitanus et alii, quos refert Barbosa ac Fagnanus. Glossa non facit jus, licet reverenter audienda sit ob excellentem doctrinam glossatoris.—*Nota* tandem est brevior illustratio, explicatio vel additio citationum: hæc habet auctoritatem, sed pro auctoritate auctoris, qui eam confecit (6).

(1) *V.* Devoti, *Instit. Canon. Proleg.*, c. 4. (2) Cap. 1, *de Const.* in 6.

(3) In duo satis ingentia volumina dividitur, quorum 1. continet totam Collectionem Gratianæam; 2. Collectiones cæteras. — Per modum autem Appendicis in fine apponitur tum septimus liber *Decretalium* Petri Matthæi, tum *Institutiones* Pauli Lancellotti.

(4) De Syn. Diœc. l. VII, c. 15, n. 6. (5) *V.* Mascat, *Prolegom. Jur. Can.*

(6) Cum veneratione adhuc citari solent *Capitularia Caroli Magni*, etsi nullo hodie per se fruan-

Q. 6. *Quid de Concilio Tridentino ut fonte legum Ecclesiasticarum?*

R. Ad leges Ecclesiasticas, quæ veniunt nomine *Juris novissimi,* referri debet imprimis quidquid in Tridentino sancitum est. Nullum enim Concilium generale est, in quo tot quæstiones tamque scite fuerint examinatæ et enucleatæ: in quo tot lata sint fidei dogmata, totque disciplinæ et reformationis capita fuerint statuta, ut merito veluti quoddam doctrinæ Christi compendium et disciplinæ ecclesiasticæ codex irrefragabilis ab omnibus habeatur. A Paulo III indictum fuit anno 1542 Bulla *Initio.* Tridentum Pontifex elegit civitatem, quæ in finibus Venetorum, in extrema scilicet Italiæ ora Germaniam versus, amænissimo loco sita est. Inceptum anno 1545, variis de causis suspensum, translatum et interruptum, tandem absolutum est sub Pio IV anno 1564, ut patet Bulla *Benedictus Deus.* Concilio interfuerunt ex toto orbe Catholico, præter Cardinales atque Legatos, Patriarchæ 3, Archiepiscopi 25, Episcopi 168, et Procuratores absentium 39.

Convocatum fuit tum ad vindicandam fidem catholicam adversus Lutherum aliosque reformatores; tum ad restituendam Ecclesiæ disciplinam per hæresim et bella plurimum labefactatam; tum ad firmandam pacem et concordiam inter principes christianos *(H).*

Q. 7. *Quid de Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis?*

R. Ad 1: Bullarum nomine veniunt quædam Romanorum Pontificum Constitutiones, sic dictæ a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc Ss. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis: inhæret sigillum funiculo serico vel canapis. Graviora, ut plurimum, negotia respiciunt et expediuntur in Cancellaria Apostolica membranis subfuscis et crassioribus, charactere Longobardico seu Theutonico exaratæ. Etiam *Encyclicæ* dicuntur (1).—Bullæ aliæ sunt *gratiosæ,* quæ gratiæ collationem continent. Aliæ *justitiæ,* quæ justitiæ administrationem respiciunt. Aliæ *consistoriales,* quæ in Cardinalium Concistorio expediuntur. Aliæ *dimidiæ,* quæ feruntur a Pontifice nondum consecrato, et in sigillo non exhibent ejusdem nomen. Citantur autem prolato primo, quo incipiunt, vocabulo. Bullarum collectiones dicuntur *Bullaria* (2).

R. Ad 2: nomine Brevium intelliguntur Pontificiæ Constitutiones, quæ per Secretarium Brevium expediuntur in membranis albis atque subtilibus pro negotiis, ut plurimum, non ita gravioribus ac universalibus. Latino eoque nitido charactere conscriptæ sunt: et sigillum habent ceræ rubræ, in quo impressa est imago divi Petri piscationem agentis, ideo dicuntur expediri *sub anulo Piscatoris.*

tur robore. — *V.* Guillon, *Corso di eloquenza sacra,* vol. XXIV.—Riccard, et Gireaud, *Dizionario*; ecc. V. Capitulari.

(1) Encyclica græca vox est ab *en* in, et *cyclos* ciclo (Circolare).

(2) Magnum Bullarium per Hieronymum Mainardum editum est a Leone M. usque ad Benedictum XIV in 16 vol.; at in eo nonnullæ desiderantur Constitutiones. Majoris habetur quod per Carolum Cocquelines editum fuit in vol. 24 anno 1738. Quod hodie per adv. Barberi Romæ ad nostra tempora continuatur, non ita tamen accurate.

Constitutionum Apostolicarum Epitomen exhibent variis tomis distributum Guerra et Quaranta. In iisdem autem Constitutionibus inter cæteros Commentaria edidit merito celebrata card. Petra, scilicet a Leone M. ad Sixtum IV, in 5 tom.

R. Ad 3: Rescripta non aliud sunt, quam rogatorum Pontificum Responsa. Duplex eorum genus, alia nempe feruntur instar epistolarum familiarium; alia instar decretorum. Prima dare solent Pontifices Maximi, cum rogantur ab iis, quibuscum habent peculiarem amicitiæ relationem, vel cum rogantur de consilio ut viri docti et pii. Secunda ferunt Pontifices tamquàm D. Petri Successores in Cathedra Apostolica, et Ecclesiæ Universalis Pastores atque Magistri. — Rescriptis primi generis non inest vis obligandi; cum dentur magis ex animi comitate, quam ex vera auctoritate. Aliis inest vis maxima; quia per eadem exercetur jus Pontificium et suprema Ecclesiæ jurisdictio. De istis locutus est Augustinus contra Pelagium, quando dixit: *per Papæ Rescriptum causa Pelagianorum finita est.*

Bulla, Brevia et Rescripta, quæ sunt ad instar Decretorum, ex sensu Catholicæ fidei et totius Christianæ antiquitatis debent venerabiliter suscipi, summoque in pretio haberi; ut enim legitur in Jure: *omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt tamquam ipsius divi Petri voce firmatæ sint* (1). Quantam sane iisdem vim, quantumque robur inesse putaret antiquitas Catholica, ipsa indicat anthonomasticæ vox *Auctoritatis* et *Decretalium*, qua omnes Pontificum Constitutiones denotare consuevere majores nostri; quid enim sonat vox *Auctoritatis*, nisi imperium Legislatoris? quid vox *Decretalium*, nisi *Decreta spectabilia?* Et merito id constitutum est; est enim R. Pontifex omnium Christianorum pater ac magister a Christo Domino constitutus. Unde hæc est gloria nostra ipsi totis adhærere viribus *(I)*.

Q. 8. *Quid de Sacris Congregationibus Romanis?*

R. Sacræ Congregationes Romanæ sunt Cœtus Cardinalium, quibus Summus Pontifex certa tradit negotia perpendenda, declaranda ac definienda; earumque decreta vel declarationes efferri ordinarie non solent, nisi prius consulto Pontifice. En Congregationes præcipuæ:

Prima est *Congregatio Concilii* (nempe Tridentini). Pro Tridentini observantia a Pio V primum instituta; deinde a Sixto V donata est potestate Concilii decreta etiam interpretandi in iis, quæ aut morum aut disciplinæ reformationem respiciunt, si dubium aliquod præseferre interdum videantur. Tota ex Cardinalibus coalescit, qui *Patres sacrosancti Concilii Tridentini Interpretes* nuncupantur, et eorum unus Præfecti Congregationis titulo insignitur. — Secunda est *Congregatio Episcoporum et Regularium*, quæ tota pariter ex Cardinalibus constat, atque in bonam Diœceseon Episcopalium totius Orbis Catholici administrationem intendit. Ad sacrorum Canonum tramites etiam Regularium utriusque sexus controversias suscipit cognoscendas et dirimendas. — Tertia est *Congregatio de Propaganda* (fide): tota ex Cardinalibus conflata, cujus est munus in propagationem Catholicæ Fidei procurandam incumbere, ut nomen indicat (2). Ad eam pertinet Collegium Romæ fundatum ab Urbano VII dictum de *propaganda fide*, in quo ad Missionariorum officia in terris infidelium exercenda alumni ex diversis mun-

(1) Ex D. 19, c. 2.

(2) *V.* Bergier, *Dizionario Enciclop.* V. Missioni stranicre. — De-Maistre, *Del Papa,* con annotazioni di Gioy Marchetti, lib. III, c. 1.

di partibus instituuntur. — Quarta est *Congregatio sacrorum Rituum:* in ea locum habent præter Cardinales etiam Consultores Prælati vel Regulares. — Munus ejusdem est Liturgiam sacram, et illa, quæ ad eam pertinent, negotia definire et ordinare: Beatificatio, ut vocant, atque Canonizatio Sanctorum inter officia hujus Congregationis referuntur. — Quinta est *Congregatio Indicis* (librorum prohibitorum): hæc curam gerit librorum, qui publicam in lucem eduntur, ne quid per eos contra religionem et bonos mores inter Christi fideles propagari valeat in præjudicium catholicæ fidei, et hominum pietatis (1). — Sexta est *Congregatio Sancti Officii* (2), et dicitur Suprema. Hujus autem officium est cognoscere de hæresi, de hæresis suspicione, et aliis irreligiositatibus. — Septima est *Congregatio Indulgentiarum*, cujus est dirimere quæstiones omnes, quæ circa hanc materiam contingere possunt (3). — Octava est *Congregatio Immunitatis*, nempe ecclesiasticæ realis, personalis et localis. Ejus inspectio est cognitio causarum hac de re (4) *(J)*.

An (quæres) *obligent declarationes Ss. Congregationum* (5)? — Distinguendum est: vel agitur de casu particulari, pro quo illæ declarationes eduntur; vel de alio simili. — Si 1, obligant, uti constat ex Const. *Immensa* Sixti V, a quo talis facultas fuit illis tributa. Imo loquendo speciatim de decretis S. C. Rituum, Sixtus illa tanti fecit, ut semel ac a Cardinali Præfecto signata sunt, ipsam Capellam Pontificiam iisdem subjecerit. — Si 2, multi probabiliter dicunt illas adhuc obligare, si munitæ sint sigillo Præfecti atque subscriptione, et datæ consulto Pontifice; quia hæc potestas est ab ipso Papa tributa Cardinalibus. Sed multi alii item probabiliter dicunt eas, licet sint maximæ auctoritatis, tamen non obligare omnes, nisi sint emanatæ de mandato Pontificis et editæ pro tota Ecclesia; quia habentur uti novæ leges, quæ proinde nova indigent promulgatione in universam Ecclesiam. Hæc tamen promulgatio fieri potest tum de speciali mandato, tum per plurium annorum usum, vel relationem auctorum eas communiter referentium, ut passim fit (6).

Q. 9. *Quid de regulis cancellariæ statuendum est?*

R. Regulæ Cancellariæ sic dictæ a Cancellario Romanæ Curiæ, qui iis sicut firmis regulis uti debet, sunt certæ Pontificum ordinationes, quæ maxime respiciunt causas beneficiales et judiciales: et sunt numero 72. Sede suprema vacante, nullius habentur roboris; sed Sede plena, illico confir-

(1) Si hæresim sapiant, libri prohibentur etiam tum a Congregatione S. Officii, tum immediate a Pontifice peculiaribus *Brevibus* ac *dogmaticis Constitutionibus*.

(2) Hodie tamen in pluribus hujus Congregationis partes agere solent ipsi Locorum Ordinarii tamquam Sedis apostolicæ delegati, qui cum viciniores sint, citius malo occurrere valent. — *V.* dicenda de Hæresi, tract. *de Virtutibus Theologicis*.

(3) *V.* Scotti, *Teoremi*, pars 2.ª

(4) *V. Scotti*, loc. cit., pars 4.ª

(5) Plura SS. Congregationum decreta habentur in fine vol. 2.

(6) Quanto sint in honore habendæ RR. Congregationum declarationes fassus est vel ipse hæreticus Leibnitius, qui habet: *utile esset discere quæ Romæ decernantur in Congregationibus, veluti Rituum, Inquisitionis, Indicis*, etc; *nam talia a me minime spernuntur;* Opp. ed. Dutens tom. II. — *V.* — Bergier, *Dizionario*, V. Congregazione. — Benedictus XIV, *Notificatione* X, n. 6. — Bouix, *De principiis Juris* etc.

mantur et illico obligant, cum sint veræ leges, nisi iis per Concordata vel consuetudinem derogatum sit (1).

Q. 10. *An deceat Moralistam versatum esse in Jure Canonico?*

R. Utique decet Moralistam versatum esse in jure canonico; nam *Theologis, qui Pontificum Canones ignorant, nimis multa desunt ad usus Theologiæ necessaria,* inquit Melchior Canus (2). *Licet autem præcepta vivendi ex parte in Scriptura tradantur; tamen* (ait Cardinalis Turrecremata) *doctrina morum in specie secundum gradus singulos et ordines officiorum Ecclesiæ sine Juris Ecclesiastici cognitione non habetur* (3). Hinc Jurisprudentia Canonica nuncupatur etiam *Theologia directrix et practica.* Hinc Cælestinus Papa scribebat: *nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare* (4).

Scholium. — *De temporali R. Pontificis potestate.*

Haud possumus eos non redarguere, qui R. Pontificem omni civilis sui imperii honore ac dignitate spoliare cupiunt, ut sic melius Ecclesiæ studeat; cum potius singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum sit, ut civilem Principatum hac de causa haberet, ut ad ipsam Ecclesiam tuendam plena potiretur libertate. *Namque omnibus compertum est* (ait Pius P. IX *Allocutione* 20 apr. 1849) *fideles populos, gentes, regna numquam plenam fiduciam et observantiam esse præstitura R. Pontifici, si illum alicujus Principis vel Gubernii Dominio subjectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri numquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel Gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus Apostolicæ Sedis... quanam fiducia et observantia ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones Summi Pontificis; cum illum cujusvis Principis aut Gubernii imperio subditum esse cognoscerent, præsertim vero si cui subbesset Principi, inter quem et Romanam Ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum?*

1. Hoc adeo verum est, ut vel ipse Napoleon, qui aliquando Ecclesiæ civilem Principatum usurpaverat, id ultro libenterque fassus sit hisce verbis (5): «El Papa considerado como custodio de la unidad católica, es una institucion admirable. Se echa en cara á ese jefe de ser un soberano estranjero. Con efecto este jefe es estranjero, y es preciso dar por ello gracias al cielo. En un mismo pais puede figurar una autoridad posible al lado del gobierno del estado, unida al gobierno esta autoridad vendria á parar en el despotis-

(1) Quoad Cancellariæ regulas notandum; Regulæ Cancellariæ, quamdiu respiciunt expeditionem Pontificiarum litterarum, etsi inutiles evadant, Pontificia Sede vacante; adhuc sunt tres regulæ, quæ ubique ita receptæ sunt, ut habeantur tamquam leges Regni, et vacante Sede non cadant: tales sunt regulæ *de verosimili notitia* (mortis beneficiati); *de infirmis resignantibus,* circa quos semper valent dictæ regulæ; et *de idiomate,* id est de illis, qui ignorant idioma regionis, ad cujus curam deputantur. (2) *De loc. Th.* l. VIII, c. 6. (3) *Summa de Ecclesia.*

(4) Cap. *Nulli,* dist. 38.

(5) Thiers, *Histoire du Consulat et de l' Emp.* Livr. du Concordat.

mo de los sultanes; separada de él, tal vez hostil, produciria una rivalidad afrentosa, intolerable. El Papa está fuera de Paris y es un bien: y nosotros veneramos su autoridad espiritual precisamente porque no está en Madrid ni en Viena. En Viena y en Madrid se dice lo mismo. Es un bien universal que no resida entre nosotros ni entre nuestros rivales; sino en la antigua Roma, lejos de la mano de los emperadores de la Alemania, lejos de la de los reyes de Francia y de la de los reyes de España, teniendo la balanza entre los soberanos católicos inclinándose siempre un poco hácia el mas fuerte, pero retirándose immediatamente si este mas fuerte se convierte en opresor. Esto es obra de los siglos y lo han hecho bien. Para el gobierno de las almas no podia imaginarse una institucion mejor ni mas bienhechora.»

2. Si tantopere expedit publico bono vel ex ipsa politicorum confessione, ut Pontifex jus istud suum conservet et exerceat, ut quid adhuc nonnulli tanto impetu adoriuntur temporalem Papæ dominationem? Hæc enim nulli juri repugnat. — Non repugnat juri humano, cum certe nullum hac de re jus prohibens allegari possit: dein quodnam jus humanum Pontifice superius, ut ejus vi politica eidem administratio vetetur? — Non repugnat juri divino: imo in veteri Testamento plura occurrunt exempla quæ nobis favent: Sic Moyses, Deo auctore, et princeps temporalis et summus Pontifex erat (1); Heli similiter fuit et Pontifex et judex politicus (2); idem de Machabæis dicendum. — Non demum repugnat juri naturali; sane potestas Ecclesiastica ut argumentatur Cercià, et potestas politica non sunt contrariæ; sed utraque bona, utraque a Deo, utraque laudabilis, et una alteri servit; ac proinde sine ulla principiorum pugnantia in eodem esse possunt. Imo, re per se inspecta, et cæteris paribus, multo melius in uno quam in duobus esse possunt; siquidem si sint in uno, facilius unitas servatur, et conspiratio duarum potestatum; et custoditur subordinatio potestatis temporalis ad spiritualem, ac vitatur lucta et conflictus, qui inter utramque oboriri possit (3). Nonne in lege naturæ Sancti multi extiterunt, qui simul reges et Pontifices fuere? Melchisedech fuit rex et pontifex (4); Noë, Abraham, Isaac, et Jacob præfuerunt suis tum in religione tum in vita politica; imo olim semper primogenitus et rex et Pontifex erat (5).

3. Dominatio temporalis R. Pontificis legitimis titulis innititur; cum ei donata fuerit a Pipino, Carolo Magno, atque a spontanea populorum deditione. Qua in re audiendus cl. Peraldi (6): «Transferida la soberanía de estos estados á los romanos Pontífices no solo por la donacion de los príncipes que los habian conquistado, sino por la voluntaria y formal transmision de los pueblos, confirmada y rectificada por el consentimiento de mas de once siglos; las generaciones posteriores y presentes ven ya esta soberania en manos del Papa y no pueden reclamar su ejercicio porque se ha hecho legítimamente derecho de otro. *¡Oh! la soberanía* (no cesan de esclamar) *es un atributo imprescriptible del pueblo, el pueblo la crea, reside en él mismo;*

(1) Exod. 18. (2) I Reg. 1 et 4. (3) Cercià *Tract. de R. Pontif.* Append.
(4) Gen. 14 et Hebr. 7. (5) D. Hieronymus, *In quæst. hebraic.*
(6) Mons. Peraldi, *Del civile principato della Chiesa Romana;* it. aliud Opus ejusd. auctoris, *Memoria sulla inviolabilità delle istituzioni politiche del Governo Pontificio.*

siempre pues tiene derecho para reclamarla cuando le plazca porque es un derecho inalterable. Preciso es acabar con esa confusion juvenil de ideas que hoy dia están tan en boga, base erronea de derecho público aplicada por ciertas naciones esparcidas seriamente ó de broma por sus filósofos. Sea lo que se fuere de la máxima que el pueblo tiene originariamente el derecho de constituirse políticamente y de ejercer los atributos de la soberanía (1) precisamente porque este derecho viene originariamente del pueblo tiene la facultad de transmitirlo á los demás y de llamar á quien quiera para gobernarle. Pero cuando el pueblo ha cedido por el hecho de la transmision, ya no le pertenece; en virtud de la ley natural que procede de acto espontáneo, desde este momento pertenece á la persona moral ó individual á quien lo ha transmitido ó cedido: lo mismo que si una nacion cede á otra parte de su territorio ó emancipa sus colonias, la posesion y la propiedad de estos lugares pasa á aquel á quien han sido cedidos, la independencia á los emancipados por el derecho irrevocable de la ley natural. ¿No obligan acaso los contratos por la rigurosa ley de la naturaleza? ¿y no es esto por ventura lo que sucede con la soberanía temporal de los Pontífices romanos?» *(K).*

ARTICULUS II — De auctore legis civilis.

Q. 1. *An Principes potestatem habeant ferendi leges?*

R. Certum est Principes sæculares habere potestatem ferendi leges proprie dictas *circa res temporales atque civiles.* Id probamus:

1. *Ex Scripturis:* Apostolus Petrus scribit: *subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei* (2). —Et Paulus ait: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (3). At si Principes potestatem habent imperandi; ergo et leges ferendi *(L).*

2. *Ex traditione*: omnes enim Ecclesiæ Patres atque Doctores constantissime docuerunt Principum sæcularium legibus omnino esse obtemperandum; atqui fallax esset, imo ridicula doctrina hæc, si Principes non haberent veram potestatem ferendi leges.

(1) Hoc tamen auctor negat; sic enim ad rem distinguit: « Una cosa es la soberanía y otra el derecho de ejercerla: la soberanía no la crea el pueblo ni nadie porque es el fundamento del órden que constituye la sociedad civil. No hay reunion política sin órden: el órden consiste en el gobierno del cuerpo social; esta direccion no puede existir sin el poder de regirlo; no puede regirse sin leyes; de donde se deduce que no puede gobernarse sin poder de hacer leyes; y de otra parte sin obligacion de observarlas; ó lo que es lo mismo sin autoridad y sin obediencia, sin poder y sumision. Este poder es la *soberanía*; esta es pues no una institucion del pueblo ni una prerogativa de las naciones, sino que nace esencialmente de la naturaleza de la sociedad civil. La soberanía existe pues, *por sí misma*, no por el pueblo que se ha sujetado á ella con el hecho de determinarse á vivir en sociedad; el pueblo pues no ha hecho la soberanía, sino que la encuentra en la vida política que busca.» Unde populus a principio liber quidem erit in eligenda sui gubernii forma; at illa semel electa, suo vinculo ligatur. (2) Ep. 1, c. 2. (3) Rom. 13.

3. *Ex ratione:* Principes sæculares tenent a Deo potestatem regendi subditos juxta illud: *per me Reges regnant, per me Principes imperant* (1); atqui nec Reges regnare, nec Principes imperare dici possent, si non possent ferre leges. Ergo etc.

Merito diximus *circa res temporales atque civiles;* quia sicuti Ecclesia leges civiles condere non potest, ita nec Princeps sæcularis leges Ecclesiasticas; quia nemo potest exercere jurisdictionem, nisi circa res suo regimini subjectas. Neque Principibus, sed Apostolis eorumque Successoribus commissum fuit depositum fidei nostræ, iisque solis dixit Christus: *qui vos audit me audit: qui vos spernit, me spernit*, ut ait Gregorius XVI Encyclica, *Commissum* anno 1835 (2).

Sed (quæres) *quinam sunt Principes, quibus hæc legum ferendarum potestas inhæret?* — Sunt qui suprema gaudent auctoritate, uti Imperator pro suo Imperio, Rex pro suo Regno (3), Respublica pro suis subditis, et civitates quæ ab aliena jurisdictione dicuntur exemptæ, pro suo territorio. Ratio generalis est, quod præpositi communitatis perfectæ, quæ nempe sibi sufficit, ex natura proprii officii legislativam potestatem habere debent, utpote necessariam ad recte ac convenienter communitatem ipsam regendam.

Q. 2. *Quid de Corpore Juris civilis?*

Corpus Juris civilis est complexus omnium Legum, quas Justinianus imperator sæculo VI, opera præsertim Triboniani, Jurisconsulti celeberrimi, in unum Corpus collegit et edidit pro imperii sui utilitate et recto regimine: et constat tomis duobus satis amplis (4).

Primus continet 1.° *Institutiones,* seu Elementa Juris universi in quatuor libros distributa; 2.° Leges collectas ex præclarissimis veterum Jurisconsultorum scriptis, et hæc collectio appellatur *Digestum*, quasi nempe auctor in ordinem ibi *digesserit* universa, quæ pertinent ad Jus civile, et ad Jurisprudentiam universalem. A Græcis nuncupatur *Pandecta* (a græco *pan* omne, et *dechomai* continere), quasi nempe omnia complectens, quæ Jurisprudentiam spectant. — Secundus tomus continet alteram collectionem decisionum et legum, quas postea edidit ipse Imperator, eamque voluit appellari nomine *Codicis*. Codici accedunt Constitutiones recentiores, quas vocant *Authenticas*, et etiam *Novellas;* quia quasi de novo editæ sunt. Hæ leges omnes dicuntur *Leges Romanæ,* vel *Jus civile Romanum* (5).

Q. 3. *An deceat, Moralistam pollere scientia Juris civilis?*

R. Tam fere decet Theologum præsertim Moralistam versatum esse in scientia Juris civilis, quam decet eum esse versatum in scientia Juris canonici. Licet enim hæc duo Jura sint ex natura sua valde diversa ratione ob-

(1) Prov. 8.

(2) Qua in re juvat præ oculis semper habere, quod Osius Cordubensis Episcopus Apostolica libertate ad Constantium Imperatorem scribebat: *ne te rebus miscecas Ecclesiasticis neque nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit: metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* — V. Pallavicini, *Storia del Conc. di Trento*, 19, § 14. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc. vol. II, diss. 2, n. 28.

(3) In Gubernüis tamen *Repræsentativis* potestas legislativa ad solum Regem non pertinet: sed etiam ad legatos tam a populo, quam ab ipso Rege electos.

(4) Edit. Taurin., anno 1782.

(5) *V.* Gravina, *De orig. Juris civilis.*

jectorum; cum 1^m respiciat res hominum temporales; 2^m vero res sacras et religiosas: amice tamen in usibus humanæ vitæ consociantur veluti duo ejusdem luminis radii, et mutuo quasi obsequio adjuvantur atque supplentur. Hinc Lucius III (sæculo XII) *sicuti leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita et sacrorum Statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur* (1).

Hæc de jure civili communi: quid dicemus de jure civili patrio? quantum aliqualis ejus scientia necessaria sit Confessariis et animarum Rectoribus, facile patebit si animadvertatur, innumeras in fidelibus occurrere factorum species, in quibus directione egent ad bene agendum, etiam in rebus civilibus, in ipso foro conscientiæ: uti si sermo sit de testamento faciendo, de legatis fundandis vel exequendis, de contractibus ineundis, de hæreditate adipiscenda, etc.

Unde leges civiles a Moralis Theologiæ tractatoribus utiliter citantur. Utique citatio tanta esse non debet, ut sacra scientia profana fiat: item, ex Benedicto XIV, neque illarum civilium legum ratio habenda est, quæ a canonico jure fuere expresse correctæ. At *si,* addit idem Benedictus, *etiam leges civiles ecclesiasticis constitutionibus robur et firmitatem adjiciant, puta quia in illarum contemptores et refractarios severis pœnis animadvertunt, et eæ pariter utpote fovent ecclesiasticam disciplinam perutiliter allegantur* (2). Et in jure habetur, *quod Sancta Ecclesia sæcularium non respuat famulatum, quæ æquitatis et justitiæ vestigia imitantur* (3).

CAPUT QUARTUM

DE LEGIS HUMANÆ MATERIA ATQUE SUBJECTO.

Q. 1. *Quidnam constituit materiam legis humanæ?*

R. Omnes actus, qui possunt ab humana lege præcepi vel prohiberi, dicuntur constituere materiam legis humanæ. Quod ut bene cognoscatur, oportet imprimis inquirere, quid ab humana lege possit, quid vero non possit juberi ac vetari. Atque illud præ cæteris certum est a lege humana nihil juberi posse, quod sit contra legem naturalem et divinam positivam; nam potestas humana est subordinata potestati ac voluntati Dei, et inferior derogare non potest auctoritati superioris. Hinc S. Thomas loquens de legibus humanis, quæ sunt contra legem divinam, ait quod *tales leges nullo modo licet observare; quia sicut dicitur Actorum IV: « obedire oportet Deo magis quam hominibus* (4).»

(1) Adde: leges Romanæ a piissimis Imperatoribus latæ Jurisprudentiam sacram illustrant quammaxime. Quod quantum haberent in animo Canonistæ omnium temporum, patet ex eorum studio sæpius conjugendi Jus Ecclesiasticum cum Civili, uti constat ex iis collectionibus, quas *Nomocanones* nuncupant (a græco *nôme* distributio et *canôn* regula). *Num,* ait Canus, *justitiæ et æquitatis in foro etium conscientiæ rectus arbiter esse poterit* (Theologus Moralista), *nisi multa a Jureconsultis et civili prudentia mutuetur?* (*De Loc. Theol.* l. X, c. 8.)

(2) *De Syn Diœc.* l. IX, c. 14.

(3) Cap. *super specula* de privil.

(4) 1, 2, q. 96, a. 4.

Q. 2. *An lex humana possit præscribere virtutum actus heroicos?*

Nota. Virtutes ratione exercitii distinguuntur in communes et in heroicas:—*Communes* eæ sunt, quæ ab hominibus exercentur secundum illam rationem, quam solent servare plerique eorum, qui virtutem profitentur.—*Heroicæ* vero illæ sunt, quæ, habita ratione circumstantiarum, admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt (1): esset si puer jejunaret. Hoc posito:

R. Lex humana non potest præscribere virtutum actus heroicos; nam lex humana debet accommodari communi hominum conditioni et esse moraliter possibilis toti communitati vel majori saltem ejusdem parti; atqui exercere quoslibet virtutum actus etiam heroicos non est, nisi paucorum (2). Pariter neque lex humana potest omnia omnino vitia vetare etiam levia in generali; quia non est omnium, sed perfectorum, ideoque nonnisi paucorum ea vitare: at lex debet accommodari toti vel saltem majori parti communitatis, quæ certe perfectioni non studet. Unde concludimus: lex humana potest generatim illos *externos, licet occultos* virtutum actus præcipere, qui communi bono expediunt, et ordinariæ facultati communitatis sunt accommodati; cum hic totus sit legis finis. Item eos *externos, licet occultos* vitiorum actus prohibere, qui communi bono sunt noxii, et communiter declinari queunt.

Diximus 1 *externos;* lex enim humana versatur circa externam politiam ac gubernationem, quæ ut prospere cedat, satis est regulariter, ut exterius homines valeat regere ac cohibere;—2 *licet occultos,* nam uti ait Angelicus, *omnes actus exteriores etiam occulti, licet per accidens non cadant sub judicio, cadunt tamen sub lege* (3); lex enim non attendit quod fortuito evenit. Hinc sub excommunicatione est prohibita hæresis externa, etsi occulta.

Q. 3. *An lex humana possit præcipere vel prohibere actus internos?*

Nota. Duplici modo actus internus præcipi potest vel prohiberi: directe sive in se, uti Scholæ loquuntur; et indirecte seu ratione actuum externorum, quibus ipse necessario conjungitur. Potest autem actio interna cum externa conjugi vel tamquam forma constituens actum ipsum externum: talis est consensus in matrimonio; vel tamquam causa effectum suum producens: talis est voluntas occidendi in homicidio voluntario.—His præmissis:

R. Si sermo est de illis internis actibus, qui cum externis necessario conjunguntur, certum est legislatorem humanum præcipere et prohibere posse indirecte actus internos, quatenus nempe per se conjuncti sunt cum actibus ipsis externis vel tamquam forma vel tamquam causa vel tamquam conditio necessaria: uti est v. g. animi consensus in venditione, cordis contritio in Confessione. Sane si legislator humanus cogere potest ad actum externum

(1) *V.* Benedictus XIV, *De Canoniz. Ss.* l. III, c. 21.

(2) Hoc tamen non debet intelligi de legibus iis, quæ feruntur ex data hypothesi alicujus status peculiaris, in quem subditus se voluntarie conjecerit, quem propterea *hypotheticum* vocant, *adventitium*, sive *electivum*. Sic Ecclesia præcipit Monialibus perpetuam clausuram. Sic etiam hominibus gravissimi criminis reis pœnæ item gravissimæ possunt imponi; ipsis enim liberum erat se subtrahere aliter operando.

(3) *V.* Liguori *Opus Morale*, l. I, n. 100, q. 3.

legitimum et validum, v. g. ad validum contractum, ad validam Confessionem, cur item obligare non poterit ad ea, quæ cum validitate illa necessario conjuncta sunt, et quibus omissis, actio externa frustra præciperetur? Qui enim præcipere potest ut valide facias, potest etiam præcipere ut voluntate facias; cum non aliter, quam voluntate tua illud valide facturus sis.

Si vero sermo est de iis internis actibus, qui cum externis necessario non conjunguntur, tunc *quoad legislatorem civilem* consentiunt omnes, eumdem non posse præcipere, vel prohibere ullo modo in se actus internos. Quare? quia etiam sine his obtinet finem suum, qui est quies et tranquillitas Reipublicæ, quæ facile habetur, si actus externi qui præcepti sunt, bene fiant, et diligenter evitentur qui sunt prohibiti. Sic qui solvit tributum, etiamsi invitus, modo solvat, sufficit. — Diximus *quoad legislatorem civilem*, quia de legislatore Ecclesiastico disputant. Alii affirmant ipsum utique posse tales internos actus præcipere et prohibere; quia ipse tuetur bonum animarum et illimitatam a Christo accepit potestatem. Verum probabilius ac communius docent cum Benedicto XIV (1), ipsum quoque minime posse. Cum enim Ecclesia actus mere internos cognoscere non possit, neque judicialiter eorum potest urgere executionem, vel omissionem punire; ergo neque illos præcipere vel vetare; nam de ratione veræ societatis est, ut quos imperat actus, ipsa per se cognoscere valeat. Sic argumentatur Angelicus (2).

Unde quod homo debeat actus etiam mere internos ad salutem suam ponere, est de ordinatione Dei, non de potestate legislativa Ecclesiæ, quæ bonum quidem respicit animarum, sed mediante honestate actuum externorum (3).

Q. 4. *An lex se extendat ad actus præteritos?*

R. Negative: lex non se extendit ad actus præteritos, neque ratione culpæ, cum non sit prævaricatio, ubi non est lex: neque ratione veræ pœnæ, cum hæc tantum lata sit in culpæ vindictam: neque ratione rescissionis, nisi in aliquo casu a lege expresso. Unde vulgare est, quod *lex non respicit retro.* — Et recte; magna enim conturbatio esset, si actus per veterem legem gesti per novam sine causa pro libito mutarentur (4).

Q. 5. *Quodnam est subjectum legis humanæ?*

R. *Omnes et solos subditos rationis usum habentes* vi sua complectitur lex humana:

1. *Omnes subditos:* hoc est contra quosdam, qui vel christianos vel justos excludebant; Apostolus enim neminem excludit, cum ait: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (5). Unde quando ait: *lex justo non est*

(1) *De Syn.* l. IX, c. 4. (2) 1, 2, q. 100, a. 9.

(3) 1, 2, q. 100, a. 9. — De hac quæstione fusius agit Castropalaus. Hic notanda: — Confessarius, cum ipsum Christum ita propius repræsentet, et divinæ ejus potestatis in peccata delendo fiat particeps, ideo et actus mere internos injungere potest pœnitenti, uti internas aspirationes etc. *Voit;* — 2 etsi consuetum non sit nec consultum, ut prælati sub peccato præcipiant suis religiosis actus internos; probabile tamen est fieri posse: quia verisimile est, quod aliqui religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant. *Busembaum.*—*V.* Liguori, *Op. M.* l. I, n. 100; l. IV, n. 45.

(4) Consonat jus hispanum. V. Ley 12, tit. 2°; y Ley 8 tit. 4.° del Fuero Juzgo; Ley 200 del Estilo y ley 13, tit. 17, lib. 10 Nov. Rec. N. E. (5) Rom. 13.

posita (1); id solum innuit, justum non agere ex timore legis, sed ex legis amore.

2. *Solos subditos;* quia potestas legislativa in iis, ad quos se extendit, subjectionem importat; subjectio autem non datur, nisi in subditis. — Hinc non baptizati tenentur quidem præceptis Evangelicis, ubi primum sufficientem Evangelii notitiam adepti fuerint, quia subditi sunt Deo, qui legem Evangelicam omnibus gentibus indici præcepit (2); sed non tenentur legibus Ecclesiasticis, quia Ecclesiæ minime subjiciuntur juxta illud Apostoli: *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare* (3)? Quapropter non peccaret qui, secluso scandalo et legis Ecclesiasticæ contemptu, carnes die vetito iisdem suppeditaret; quia nullius peccati ne materialis quidem causa esset.

3. *Rationis usum habentes*, et merito; lex enim non imponitur nisi subditis, qui obedientiæ capaces sint atque directionis. Hinc perpetuo amentes ob defectum rationis non obligantur præceptis; quod *regulariter* tenet etiam de pueris ante septennium, sed statim ac ipsum compleverint, iis adstringuntur, si quædam excipiantur, quorum materia non adhuc ipsis congruit, ut communio Paschalis ac jejunium. — Diximus *regulariter;* quæstio enim est, an ipsi teneantur legibus, si ante septennium usum rationis consequantur. Alii negant non improbabiliter cum Angelico (4), quia hoc eveniret per accidens; lex autem non respicit, nisi quod communiter contingit (5). Alii multi cum Bosco, Salmanticensibus, Suarez, etc. valde probabiliter affirmant, quia per usum rationis homo jam fit subjectum capax; leges autem ordinarie non septennium, sed discretionem notant (6). Et hoc congruens videtur (7).

Quid vero (inquies) *de ebriis, et de iis que delirant tantum ad tempus?* Hi legibus humanis obligantur; quia sunt in statu habitualis rationis usus, licet per accidens ad tempus aliquod impediti. Quare si (scandalo et legis contemptu seclusis) fas est carnes ad manducandum ministrare pueris et perpetuo amentibus, id agere erit prorsus illicitum cum ebriis et ad datum temporis intervallum delirantibus. Ratio est, quia *primi* sunt omnino exleges, non item *secundi*.

Q. 6. *An legislator suis ipse legibus ligari dicendus sit?*

R. Si regimen, in quo vivit legislator, est vel Aristocraticum in quo summa potestas est penes Optimates, vel Democraticum in quo ea est penes populum, vel Repræsentativum seu constitutionale, ut ajunt, in quo potestas ferendi leges est penes regem ac simul penes suos et populi delegatos, utique legislator legibus propriis ligatur. Ratio est, quia singuli sunt inferiores ipsa communitate, a qua leges feruntur. Sic Ordinum Religiosorum Generales legibus in generali Capitulo latis ubique subjiciuntur *(M)*.

Si vero regimen sit Monarchicum, in quo summa potestas penes unum residet regem, tunc vel legum materia talis est, ut ad legislatorem Monarcham

(1) I Tim. 1. (2) Matth. 28, v. 19. (3) 1 Cor. 5.
(4) 2, 2, q. 147, a. 4. (5) Ex L. *Nam ad ea ff. de Leg.*
(6) *V.* Liguori, *H. Ap.* tr. 2, n. 37; *Op. Mor.* l. 1, n. 155; l. III. n. 270 et 1012.
(7) Omnes tamen admittunt, pueros ante septennium non incurrere pœnas transgressoribus impositas, nisi id espresse declaretur.

(uti est Rex in Regno, Pontifex in Ecclesia) nullo modo pertineat; vel talis est, ut ipsi quoque conveniat. — In primo casu legibus iis minime ligatur; aliter ejus dignitas læderetur: sic nemo dixerit regem ligari legibus, quæ armorum vetant gestationem. In secundo vero casu legibus suis Rex in conscientia tenetur; tum quia recta ratio jubet, ut caput, quo magis fieri potest, membris suis conformetur; *si enim*, ait Augustinus, *turpis est omnis pars suo universo non congruens, quanto magis caput* (1)? tum quia ipse vi officii sui legum observantiam promovere tenetur; atqui nihil est ad hunc finem conducibilius, quam proprium illius exemplum. Unde D. Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem scribebat: *quodcumque præscripsisti aliis, præscripsisti tibi* (2). Quare graviter peccare dicendus esset, v. g. Episcopus, qui contra graves Synodi suæ Diœcesanæ Constitutiones cauponas ad manducandum, atque bibendum ingrederetur extra casum necessitatis.

Quid (quæres) *si legislator in materia gravi contra propriam legem delinquat; sed occulte, absque alterius scandalo et injuria?*

Tunc probabiliter alii cum Lessio eum a mortali liberant, si revera absit scandalum, neque agatur de materia justitiæ, in qua oportet servare æqualitatem. Quia (inquiunt) non vi propriæ legis tenetur, cum sibi ipsi nequeat imperare; sed tantum ex naturali quadam decentia, quæ ex se non videtur tam stricte graviterque obligare. — Non desunt tamen qui eum cum Laymano mortaliter peccare contendunt; cum semper sit agere contra æquitatem naturalem ac proprium officium in re gravi, ut supponimus.

Legislator publice delinquens (addes) *ultra peccatum quod admittit, incurritne pœnam, quam ipse transgressoribus imposuit?*

Negative; ut enim ait Angelicus, *nullus proprie cogitur a seipso: lex autem non habet vim coäctivam, nisi ex Principis potestate. Sic igitur Princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud Ps.* 50: tibi soli peccavi, *dicit Glossa*, quod Rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet (3). Ex hoc consequitur, quod si Episcopus, qui sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibuit, ne Clerici sui cauponas ingrediantur; ipse eas ingrediatur, suspensionem non incurrit. — Hic tamen cum communi excipiendus est casus, quo lex contractus respiciat; justitia enim postulat, ut in iis cum reliquis legislator pari conditione utatur (4).

Q. 7. *An Clerici legibus civilibus obligentur?*

R. Affirmative: Clerici legibus civilibus obligantur, si de iis legibus agatur, quæ non adversantur immunitatibus illis, quas Tridentinum appellat *Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutas.* Omnes enim partes communitatis politicæ legibus politicis obligantur; atqui Clerici sunt partes communitatis politicæ. Hinc Apostolus sine ullo personarum discrimine inquit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (5). *Dicit: omnis anima*, ait hic Chrysostomus; *ergo etsi Apostolus esses, etsi Evangelista, etsi Propheta, etsi quivis alius; neque enim hæc subjectio subvertit pietatem (N).*

(1) L. III, Confess. c. 8.
(2) Ep. 21.
(3) 1, 2, q. 39 a 5 ad 3.
(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. 1, n. 154.
(5) Rom. 13.

Imo præstat, ut Clerici obediendo aliis sint diligentiores: *fidelitatis exemplum*, ait Bouvier, *præbeamus populis, et verbo ac opere reddamus quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.*

Q. 8. *An peregrini, advenæ et vagi teneantur legibus patriis?*

Nota. *Peregrinus* dicitur qui extra proprium territorium per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem versatur animo ad sua redeundi, ut sunt viatores et mercatores excurrentes. — *Advena* qui extra proprium territorium posuit domicilium suum vel quasi-domicilium. Porro communiter docent, quod ille statim domicilium acquirit, qui habitat alicubi animo perpetuo manendi: qui animus in foro externo præsumitur, si habitatio sit decennalis, vel si ibi domus sit ædificata aut major pars bonorum adsportata (1). Quasi-domicilium vero acquirit qui alicubi manet per majorem anni partem: tales sunt famuli, et scholastici (2). Advena porro æquiparatur loci incolæ. — *Vagus* denique est qui nullibi fixum ac determinatum domicilium habet, sed de uno in alium se locum transfert. Hoc posito:

Si sermo est de præceptis, quæ nempe personas immediate afficiunt, et leges personales appellantur, certo est ea obligare peregrinos, advenas et vagos ubicumque, hoc ipso quod non eorum territorio et patriæ, sed eorum personis tenaciter hæreant. Hinc Sacerdos v. g. in sua Diœcesi suspensus a muniis Sacerdotalibus, non potest nec in Diœcesi aliena Missam celebrare.

Si vero sermo est de illis legibus, quæ afficiunt loca, et dicuntur locales, tunc sententia communissima docet cum Lessio, Palao et Salmanticensibus, eos minime ligari, nisi *fictione juris,* uti loquuntur Scholastici, *in proprio territorio adhuc censeantur.* Ratio est, quia legislatoris jurisdictio ita est proprio territorio affixa, ut extra illud se extendere non possit (3). Hinc qui moratur in loco ubi lex jejunii non est, potest licite comedere, quamvis in patria jejunium indictum sit. Quod valet etsi lex jejunii sit de jure communi, sed abrogata ubi nunc ipse commoratur; quisque enim potest se conformare loco ubi est. — Diximus *nisi fictione juris in proprio territorio adhuc esse censeantur.* Sic v. g. siquis extra proprium territorium rem suam venderet in eodem extantem, servare teneretur ejusdem leges in tale venditione. Sic etiam beneficiatus, qui non residet, omissionem patrare censetur in proprio territorio, et pœnas ibidem latas contra non residentes incurrit. Ibi

(1) *V.* Bulla *Speculatores.* — Liguori, *Homo Apost.* tr. 12, n. 40.

(2) Quoad domicilium hæc præcipue notanda in jure hispano:

Dos son las cosas que establecen el domicilio, la habitacion real en un paraje y el ánimo de permanecer en él. Para mudar el domicilio se necesita mudar la habitacion en otro lugar y tener la intencion de fijar en él su principal establecimiento. La mujer casada no tiene otro domicilio que el de su marido, á menos que haya obtenido judicialmente la separacion de habitacion y de bienes. Los menores no emancipados tienen por domicilio el de sus padres, tutores ó curadores, y los mayores que se hallan en estado de demencia ó de interdiccion, el de las personas á quienes está encargada su custodia ó la direccion de sus negocios. Los mayores de edad que sirven ó trabajan habitualmente y viven en casa de sus amos, se consideran del mismo domicilio que estos, y sus mujeres que habitan ó trabajan en otra casa diferente no se consideran del domilio de sus amos sino del de sus maridos. — Escriche, Diccionario razonado de legis. y jur. N. E.

(3) Constat etiam ex c. *Ut animarum, de Const.* in 6.

enim res consummari censetur, ubi fieri debuisset: unde delinquens habetur uti moraliter præsens.

Quid (dices) *si peregrinus e proprio territorio ideo egrediatur, ut se a legis obligatione subducat* (1)?

Alii contendunt cum Antoine, Collet, Concina, etc. peregrinum illum proprii adhuc territorii legibus teneri. Quare? quia: 1 leges eam semper habent adnexam conditionem, ut subditis sine causa non liceat earum effugere vim et obligationem; 2 ex juris adagio: *nemini sua fraus debet patrocinari;* 3 Sacra Concilii Congregatio illegitimum declaravit matrimonium illius, qui solo animo illud clandestine contrahendi recessit e loco, ubi Tridentinum fuit promulgatum, et se contulit ubi promulgationem non habuit.— Alii tamen cum Azorio, Bonacina, Filliucio, Palao, Salmanticensibus, Sanchez, etc. contra sentiunt. Et sane peregrinus ille utitur jure suo; lex enim non prohibet exire e proprio territorio, sed prohibet tantum præcepta sua violari ab iis, qui sunt in territorio suo; ideoque non fraus et dolus, sed loci conditio peregrino illi favet: *nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur,* clamat jus (2).

Sed (addes) *qui discedit e proprio territorio ubi lex viget, teneturne ante discessum eam implere, si eo venturus est ubi illa non viget?*

Alii affirmant ipsum teneri, si eam implere commode possit; quia præceptum actu obligans actu impleri debet, si postea non potest. Sed alii negant, *nisi lex continuatim obliget:* unde non tenetur v. g. quis mane audire Missam die festo, si ante prandium venturus est in locum, ubi non adest illud Missam audiendi præceptum. Si enim domi mansisset, legis implementum differre poterat usque ad illud temporis punctum, quo discessit: cum autem pervenit ad alium locum desinit obligari (3). Si tamen ibidem unum tantum esset Sacrum ac celebraretur ante illius discessum, teneretur illud audire; quia tunc tempore habili esset consummata obligatio.—Licet prima sententia non appareat probabilior, suaderi tamen poterit uti pia (4).

Diximus *nisi lex continuatim obliget;* si enim lex proprii territorii omnibus momentis urget, omnibus momentis implenda est. Sic si in tua Parœcia speciale jejunium inductum sit, non potest illud frangere, quamdiu

(1) *V.* Liguori, *Op. Moral.* l. I, n. 156; et *Homo Apostol.* tract. II, cap. 4, nn. 39 et 40. — Gousset, Gury, Voit.

(2) Patet autem ex hac responsione quomodo refellatur tam 1, quam etiam 2 contrariæ sententiæ argumentum.

Quod vero desimitur ex declaratione s. Congregationis, ad rem non facit; nam qui discedit a proprio territorio et se confert in locum, in quo Tridentinum nom est promulgatum, eo animo precise ut ibi matrimonium clandestine contrahat, vere agit in fraudem legis id est Constitutionis Urbani VIII, qui decretum Congregationis id prohibentis, imo annullantis probavit. Quod non currit in casu nostro, cum nulla adsit lex, quæ id expresse prohibeat; quamdiu igitur non sit facta prohibitio, jure nostro uti merito possumus. Et sane si res v. g. Taurini, sit minoris taxata, quid prohibet, quominus me illuc conferam, ut rem illam minoris emam? nempe lex hæc præceptum est, et lex, afficiens et locum et personam.

(3) Neque obest, quod prævidens impedimentum tenetur illud prævenire; quia tunc id habet locum, cum, manente vi præcepti, quis prævidet se ab illius observantia impeditum iri: non vero cum quis a præcepti obligatione futurus est liber.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 156.

in ea manes. Nec excusat privilegium loci, quo venturus es; quia eo nondum venisti.

Saltem (dices ultimo) *peregrini eruntne obligandi legibus loci, in quo morantur, ne dicantur sine lege vagari?*—Obligantur 1 cum agitur de talibus rerum circumstantiis, ut periculum scandali sit, si peregrinus a legis obligatione subduceretur ; nam scriptum est : *væ homini illi, per quem scandalum venit* (1);—2 cum agitur de legibus Juris communis, a quibus per privilegium peregrinus suo in territorio esset exemptus ; nam per discessum privilegium illud prorsus amitteret, cum loco affixum sit. Hinc v. g. si tu mane sis in loco, ubi ex privilegio non jejunatur, potest ibidem vesci carnibus ; sed cum pervenis in locum, ubi de jure communi viget jejunii lex, teneris jejunare. Quod videtur probabilius tenendum, etiamsi in loco privilegiato duplicem jam sumpsisses refectionem ; quia redeundo in territorium legis communis, statim hac ligaris, et juberis conformari aliis subditis jejunantibus ;—3 cum agitur tam de contractibus, quia in iis quisque sortitur forum loci, ubi contrahit : et merito, ut omnis confusio evitetur ; quam de delictis, quia delinquens sortitur forum ubi deliquit: æquum est enim, ut scelera puniantur ubique.

Hisce casibus exceptis, disputant utrum peregrini teneantur legibus loci in quo versantur.—Affirmant multi satis probabiliter cum Antoine et Collet; ajunt enim: *qui sentit commodum, sentire debet etiam incommodum,* uti fert adagium. Addunt illud Ambrosii : *cum Romam venio, sabbato jejuno ; cum Mediolani sum, non jejuno : sic ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus mores serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi* (2).—Alii sic distinguunt cum Suarez : si peregrinus illud advenerit tamquam ad terminum itineris sui, tunc ipse tenebitur ad omnes leges illius loci, quia fit quasi subditus ; si vero illac tantum pertransit, non tenetur ad præcepta positiva, cum hæc tantum obligent incolas, utpote permanentes ; sed tenetur ad præcepta negativa, quæ cum obligent semper et pro semper, urgent etiam simpliciter transeuntes.—Tandem alii probabilius ac communius indistincte negant cum S. Antonino, Laymano, Sanchez, Toleto, etc. quia leges non obligant nisi subditos ; atqui peregrini (quod valet etiam de vagis) non sunt subditi. Nam ex jure (3) nemo subditur alterius potestati, nisi ratione vel delicti vel contractus vel domicilii aut quasi-domicilii, vel ratione rei sitæ in territorio, vel demum ratione originis.

Ad textum vero D. Ambrosii respondent, S. Doctorem expresse loqui de lege communi ac scandalo vitando, cum addat : *si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Neque dicas tunc peregrinos et maxime vagos esse exleges ; nam constringuntur legibus communibus : imo et particularibus, si adsit scandalum, vel si agatur de delicto aut contractibus, ex dictis.

(1) Matth. 18. (2) Ep. 181. (3) C. ult. *de foro comp.*

CAPUT QUINTUM

DE LEGIS HUMANÆ VI ET OBLIGATIONE.

Q. 1. *Utrum leges humanæ obligent in conscientia?*

R. Doctrina est hæreticorum ferme omnium legislatores humanos sive civiles sive ecclesiasticos nullum habere potestatem Christianorum conscientias per se obligandi, nisi forte illas definiendo et determinando circumstantias, in quibus obligat lex divina vel naturalis. Sed non dicimus, leges humanas obligare per se in conscientia : imo hoc de fide est quoad leges ecclesiasticas a Tridentino ita definitum : *si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit* (1).

Prob. 1 *Scripturis*. Apostolus sic ait: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (2).—Ex quibus patet *præceptum potestati ipsi obediendi a nemine umquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiæ legibus adversetur*, ut verbis utar, quibus Gloriosissimus Pontifex Pius IX Episcopos hortatur, ut debitam erga Principes et Potestates obedientiam, ac subjectionem christiano populo inculcare satagant (3).

2. *Sanctorum doctrina*. S. Bernardus sic scribit: *sive Deus sive homo Dei vicarius mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo* (4). Et S. Thomas habet, quod leges humanæ, *si justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ* (5).

3. *Ratione*. Per Deum *legum conditores justa decernunt*, id est vi legis æternæ; atqui lex æterna obligat in conscientia. Adde: potestas ferendi leges necessaria est *a priori*, uti ajunt, in qualibet societate ad bonum regimen; atqui ea esset prorsus inutilis, si leges non haberent vim per se obligandi etiam in conscientia. Subditi enim in hoc casu impune legem violarent, quotiescumque violatio illa posset occultari : quod frequentissime sane occurreret (6).

(1) Sess. 7. can. 8, de Bapt.

(2) Rom. 13. — Hinc patet, quam sit absurdum eorum commentum, qui discrimen civilem inter et ecclesiasticam potestatem sic statuunt, ut una corporibus, altera animis dumtaxat debeat imperare. Utique una curat res civiles ac temporalem hominum felicitatem ; altera res sacras atque animarum salutem. Sed cum utraque toti homini sit data, totum hominem sub diversa ratione ligare omnino debet. — *V.* Diatr. *De Eccl. potestat.* Romæ editam 1774. — Sed nullibi melius de finibus utriusque potestatis, quam in Bulla *Unam sanctam* Bonifacii VIII.

(3) Encycl. *Qui pluribus.* (4) L. IV de Consc. c. 9. (5) 1, 2, q. 96, a 4.

(6) Unde lex ad aliquid semper obligat in conscientia, nempe ad id, quod legislator intendit;

Q. 2. *An leges tyranni* (1) *obligent in conscientia?*

Nota. Tyrannus talis est vel administratione vel titulo: *administratione* qui male administrat Rempublicam, nec bonum commune curat; *titulo* qui regnandi titulum non habet: et iste vel pacifice usurpatum imperium possidet, vel nondum pacifice. His præmissis:

R. Si tyrannus talis est administratione, ipsi profecto obtemperandum est, clamante D. Petro: *subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis* (2). Id tamen intelligitur, si non præcipiantur ea, quæ honeste præstari non queunt; alioquin Martyres imitari tenemur, qui mortem potius passi sunt, quam tyrannorum iniqua præcipientium voluntati parere.—Item si tyrannus talis est titulo, et jam pacificus imperii usurpati possessor, adhuc tenemur ejus legibus bonum publicum et honestum promoventibus obtemperare ad vitanda incommoda et mala gravissima, quæ aliter orirentur; neque enim diu sine legibus potest stare societas: unde ad hoc ipsa censetur facultatem tribuere. Si vero tyrannus titulo nondum pacifice imperium possidet, non est ei obtemperandi obligatio; cum nondum sit verus superior *(0)*.

Q. 3. *An lex dubia obliget?*

R. Si post adhibitam sufficientem diligentiam ad veritatem inquirendam (libros volvendo, doctos consulendo, vel aliud pro subjecta materia agendo), et præciso scandalo vel alio notabili inconvenienti, adhuc dubium est, an lex existat, non obligat. Patet: 1 ex Scripturis: *peccatum non cognovi, nisi per legem,* inquit Apostolus (3). Ergo Apostolus ad peccatum requirit legis cognitionem; atqui nulla est cognitio, ubi lex ipsa est dubia;—2 ex Patribus, quorum unus sufficiat Nazianzenus, qui ait: *si res dubia est, vincat humanitas et facilitas* (4);—3 ex jure canonico, ubi sic legimus: *nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur* (5). Item ex jure civili, ubi habetur: *in dubio nullus præsumitur obligatus* (6);—4 ex Scholarum consensu, quem ita exponit Angelicus: *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti* (7);—5 ex ratione; nam in dubio legis possidet libertas. Unde in dubio, *an* lex extendatur ad aliquid, vel *an* incæperit ejus obligatio, vel *an* sit jam promulgata, uno verbo *an* adsit lex aliquid vetans, tunc lex ipsa erit probanda; quia antecedenter libertatis nostræ certi sumus. Hinc merito ajebat Benedictus XIV: *no se deben imponer obligaciones ciertas, cuando no hay una ley clara que las imponga* (8); certo autem lex clara non est, quamdiu dubia est.

Quid (dices) *si dubitetur, utrum lex in aliqua sui parte præcipiat an sua-*

secus esset consilium, non lex. Sic lex præceptiva obligat ad actum; prohibitiva ad actus omissionem; mere pœnalis ad pœnam acceptandam; copulative mixta ad utrumque; disjunctive mixta ad alterutrum. Nec requiritur ut superior id explicite indicet; nam eo ipso quod intendit uti legislativa potestate, sufficienter intendit obligare sub peccato propter essentialem connexionem usus potestatis a Deo derivatæ et obligationis sub culpa.

(1) Sic dicitur a græco *tryô* vexare, cruciare, etc.

(2) Ep. 1, c. 2. — *V.* Balmes, *Il Protestantismo comparato al Cattolicismo*, c. 56.

(3) Rom. 7. (4) *Orat.* 39. — *V.* supra tract. 1 ubi de nostro systemate.

(5) C. *Cum in jure* de off et potest jud. del. (6) Aut. quib. mod. § natura.

(7) De verit. q. 17, a. 3. (8) Notificazione 13.

deat tantummodo?—In tali dubio lex quoad illam sui partem non obligat, vel obligat tantum sub levi, ut docet Croix, Navarrus, Sanchez, et fuse probat Gobat (1). Ratio quia libertas est in possessione, et *in obscuris minimum est sequendum* (2); atque *semper in dubiis benigniora præferenda sunt* (3). Idem dicatur, si post diligentem veritatis inquisitionem dubium sit, an lex obliget sub gravi; nam est Sanctorum doctrina, declarari non debere quidpiam uti mortale, nisi constet ex certa vel *Scripturæ*, vel Traditionis, vel Ecclesiæ auctoritate, aut saltem ex ratione manifesta.

Quid (addes) *si dubitetur, an res sub præcepto expressa licita sit necne?* Verior sententia et communis affirmat tunc subditum teneri dubium deponere et superiori obtemperare, *nisi res præcepta esset valde difficilis, molesta et periculosa, prudentum judicio.* Dubium autem deponet, si vix consulat rationem et auctoritatem:

1. Rationem; tum quia ipsa præcipit, ut superior legitime existens in possessione imperandi, eadem non debeat expoliari, nisi aperte constet rem imperatam esse illicitam; tum quia clare patet nullam hominum societatem consistere posse, si semel subditis concederetur facultas sese eximendi ab obedientia, quotiescumque dubium occurreret de honestate actionis a superiore imperatæ.

2. Auctoritatem; quia clamat Deus: *si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris..., facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus* (4). Clamat jus canonicum, obediendum esse, *si quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est; vel utrum sit, certum non est.* Clamat jus civile, *obediendum in omnibus, quæ non sunt contraria animæ et regulæ.* Clamant omnes præclariores Theologiæ mysticæ Magistri, quorum unum appellamus, nempe sanctum Ignatium, qui ait (5): *obediendum in omnibus ubi peccatum non cernitur, id est ubi nullum manifestum est peccatum* (6).

Diximus: *nisi res præcepta esset valde difficilis, molesta et periculosa,* v. g. si personam exponeret certo periculo gravis damni subeundi in vita, fama, honore et fortuna. Nam tunc subditus non tenetur se privare suo jure certo, quod jam possidet circa talia bona magni momenti. Neque lex humana per se obligat cum gravi incommodo; eo igitur in casu præceptum est certe exorbitans (7). Ita communiter Billuart, Dens, Salmanticenses, Sanchez, etc. (8).

Q. 4. *An lex humana obliget cum gravi damno?*

(1) Neque obstat, quod si lex tantum consuleret, non esset lex, cum lex non sit consilium sed præceptum, nam satis jam ipsa sustinetur in ea parte, qua præcipit. Quod si universim videretur consulere, rediret quod supra, quod nempe obligaret dumtaxat sub levi, idest ad minus; obligaret tamen.

(2) Reg. 30. de reg. jur. in 6. (3) Reg. 56. ff. de reg. juris.

(4) Deut. 17. (5) *V. Cattolico, Giorn. Relig.* Lugano, tom. XXIII, pag. 25.

(6) Idem dicendum si dubitetur, an superior sit legitimus, modo communiter ut talis habeatur, vel an imperando excedat suam potestatem; cum sit in possessione.

(7) *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. I, n. 99; et l. III, n. 617.

(8) *Sed* (dices) *si in dubio de existentia legis, possidet libertas; cur non etiam in dubio de illius justitia?* Latum est discrimen; nam in 1.° casu, cum dubium sit an lex existat possidet utiqu liber-

R. *Ordinarie loquendo* lex humana non obligat cum gravi damno. Patet ex constanti Ecclesiæ praxi, per quam præceptum jejunandi, recitandi Horas, etc. non obligat cum gravi incommodo. Leges enim cum latæ sint pro omnibus generatim, debent esse possibiles secundum ordinariam hominum capacitatem, cujusmodi non est lex præseferens magnam difficultatem. Hinc D. Antoninus habet: *impossibile est quod vix possibile est, ut, puta, nimiam habens difficultatem* (1).—Imo leges ipsæ divinæ pure positivæ cum hoc gravi incommodo minime obligant, uti patet ex Christo approbante factum Davidis, qui in necessitate gravi constitutus comederat panes Propositionis, quorum esus lege illa laicis erat prohibitus; ergo multo minus humanæ (2). Hinc in jure infirmus declaratur immunis a lege jejunii; *cum non subjaceat legi necessitas* (3).

Diximus *ordinarie loquendo;* sunt enim casus, in quibus lex humana cum quovis damno (ipsius etiam vitæ) potest obligare:—1 quando id postulat bonum publicum, cui bonum privatum cedere debet. Sic miles excubias agens mori potius debet, quam silere, hoste adventante;—2 quando legis violatio cederet in contemptum Dei, religionis, Ecclesiæ aut Ecclesiasticæ potestatis, vel etiam in proximi scandalum; hæc enim plus refert tueri, quam privatum bonum (4). Sic Eleazarus legitur mori potius elegisse, quam carnem porcinam manducare; cum ad id cogeretur in contemptum legis (5). Hinc si in contemptum vel in læsionem potestatis Ecclesiasticæ tu compellaris communicare cum vitandis, laborare die Festo, celebrare in loco profano, te sistere coram judice laico, vel tali libro tibi graviter vetito studere et similia, etiam cum tuo gravi damno renuere debes. Ratio patet, ait Billuart; quia contemptus Ecclesiæ vel religionis redundat in ipsum Deum, et ideo tunc lex humana convenit cum lege divina naturali.

Q. 5. *Quale peccatum est legis contemptus?*

Nota. Duplex est legis contemptus. Unus materialis, formalis alter: primus in eo est, qui legem violat, ut suis indulgeat cupiditatibus; alter in eo qui legem violat, quia vel illam expresse contemnit, vel ejus auctorem, qua superior est, aspernatur. Hisce positis:

tas, quæ anterior est. Non item in 2.°; cum enim quæratur de legis justitia, jam supponitur ipsa præexistere; ideo ipsa possidet, nostrumque propterea est illius inhonestatem certo probare.

Eadem ratione possidet lex, si dubitetur *an* cessaverit, *an* abrogata, *an* ierit in desuetudinem, *an* acceptata, *an* eam impleveris. — Liguori, *Op. Mor.* l. 1, nn. 97, etc.

(1) Grave, id est multum ponderabile esse debet incommodum ad hoc, ut lex humana non obliget; secus actum esset de omnibus fere legibus, de illis maxime, quæ ex sui natura incommodum et quidem non ita leve includunt, uti est vigens lex tributorum, jejunii, etc.

(2) Matth. 12.

(3) Cap 2 *de obs. jejun.*

(4) His tamen in casibus non lex humana vel divina pure positiva per se obligare dici potest; sed potius vi legis naturalis, quacum tunc conjungitur. Siquidem est de ratione legis naturalis, ut pars se objiciat pro bono totius, et minus cedat majori.

(5) II *Machab.* 6. — Quod si non excusaris eo in casu a peccato, ideo neque a censura si in contraventores lata sit. Si secus, actum est de legibus Ecclesiæ, semel ac potentes sæculi illis adversantur; cum ad eas violandas omni molestiarum genere inducere soleant. Est ergo fortiter etiam cum proprii officii ac status detrimento obsistendum, quando e violatione scandalum oritur, vel aperta potestatis religiosæ læsio.

R. Contemptus materialis (seu late sumptus) (1) est mortalis vel venialis pro modo materiæ; cum aliud nequeat adsignari, unde specialem malitiam sortiatur. Quod quidem valet, ait Angelicus, *etiamsi ex eadem causa vel alia simili peccatum iteretur* (2). Rationem addit: *quia diuturnitas non est circumstantia trahens actum in aliam speciem: similiter nec frequentia vel assiduitas, nisi forte per accidens ex aliquo supervenienti* (3). Frequentia tamen peccandi dispositive inducit ad contemptum, secundum illud Proverbiorum: *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (4).

Contemptus vero formalis est semper per se mortalis; quia contemnitur directe ipsa præcipientis auctoritas, et proinde ipse Deus, a quo auctoritas dimanat juxta illud Christi ad Superiores: *qui vos spernit, me spernit* (5). Excipe: 1 si contemnatur res ipsa præcepta quatenus parvi fiat, vel si contemptus superioris non sit quatenus est superior, sed quatenus singularis persona contemptibilis; quia v. g. imprudens, vilis, idiota, rudis, indocta (6): tunc contemptus non caderet in legem vel superiorem, nisi indirecte; — 2 si actus, quo præceptum contemnitur, perfectus non sit, si nempe non contingat perfecte ad rationem actus moralis; quia non est deliberatus, sed subitus. Hinc ajunt Lessius, Sanchez, etc. raro contingere peccatum mortale ratione contemptus.

Q. 6. *Quænam excusant a transgressione legis?*

R. Excusant a transgressione legis, *ipsa manente lege:* 1 ignorantia invincibilis: voluntas enim non fertur in incognitum; 2 timor gravis: lex enim humana ex se cum gravi incommodo non obligat; 3 vera impotentia: nam impossibilium nulla est obligatio.

Diximus *ipsa manente lege;* etenim tanto magis excusabimur, sublata lege; cum tunc omne fundamentum obligationis tollatur (7).

ARTICULUS I — De vi et obligatione legis pœnalis et mixtæ.

Q. 1. *An dari possint leges pœnales, quæ obligent ad solam pœnam?*

R. Nequit dari lex pure pœnalis hoc sensu, ut nullo modo obliget in conscientia; quia præceptum superioris, si nullimode obligaret, non esset verum præceptum. Potest tamen dari lex pure ac mere pœnalis, quæ nempe obliget in conscientia non quidem ad aliquid faciendum vel omittendum, sed tantum ad pœnam acceptandam et solvendam, si lex violata fuit, et pœna fuit applicata. En quo sensu dicimus dari leges pure pœnales. Sane tota obligatio legis pendet a voluntate legislatoris: hinc si ipse legislator intendit obligare tantum ad pœnam, dantur profecto leges hujusmodi. — Quare merito docet Angelicus, *quod non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam*

(1) Qui in omnibus violationibus reperitur: nam qui violat legem, aliquomodo facit contra legis auctorem. De quo etiam intelligendi sunt plerumque disserere concionatores.

(2) 2, 2, q. 186, a. 9. (3) 1, 2, q. 88, a. 5. (4) Prov. 18. (5) Luc. 10.

(6) Esset tamen hoc adhuc mortale, si tale judicium, quod sic efformatur de persona illa, esset graviter temerarium, ut patet. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I. n. 142.

(7) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. II, nn. 43, et seqq.

vel statuti obligantis ad certam pœnam (1). Tales habentur communiter leges prohibentes sub pœna cæsiones lignorum, herbarum; leges vetantes piscationem, venationem etc. (2). Imo censet Suarez, si per verba legis pœnalis non satis declaratur præceptum, præsumendum esse pro lege pure pœnali, nisi pœna illa intrinsece supponat culpam theologicam, uti est excommunicationis pœna.

Tribus maxime modis cognoscere possumus Legislatoris voluntatem esse tantummodo ad pœnam: — 1 si id ipse per se legislator expresserit, uti communiter agere solent Superiores regulares in suis Constitutionibus; — 2 si pœna non feratur per modum præcepti ac prohibitionis, sed pure et simpliciter: v. g. *qui frumentum e regno transtulerit, solvet centum libellas.* Vel si feratur particula disjunctiva: v. g. *nemo frumentum a regno transferat, vel si transtulerit, solvet libellas centum;* — 3 si talem eam existimaverit communis sapientum interpretatio, quibus in moralibus res est metienda. Si secus, lex erit mixta (3).

Q. 2. *An omnes Religiosorum regulæ sint pure pœnales?*

R. Cum Suarez: Regula religiosa collective sumpta est quædam vivendi norma secundum perfectionem Evangelicam regens animos et dirigens eorum actus ad illam acquirendam. Si in regula distincte exponatur Religionis mentem esse velle obligare vi præcepti, qualis videtur esse regula S. Francisci, tunc obligat graviter vel leviter pro ratione materiæ ac verborum.

Si vero expresse ponatur in regula eam non obligare in conscientia ad culpam, ut habet regula Fratrum Prædicatorum, Societatis Jesu, aliarumque nonnullarum Communitatum, tunc de se ad nullam culpam obligabit, sed solum obligabit in conscientia ad pœnam sustinendam, seu ad parendum Superiori pœnam imponenti pro transgressione (4). — Hæc per se; nam ad praxim quod attinet, quamvis regula ad nullam culpam obligaret, vix tamen potest violari sine aliquo peccato levi ob defectum motivi et finis honesti. Sed fere semper adest culpa ratione negligentiæ, concupiscentiæ, scandali, etc. (5).

Q. 3. *An leges mixtæ obligent etiam sub culpa* (6)?

R. Sunt qui tenent cum Gomez, Imola et Moncada leges mixtas non obligare sub culpa, sed tantummodo ad pœnam; tum quia has leges sic interpretatur consuetudo; tum quia per solam pœnam jam satis coërcentur homines. — Sed alii probabilius et verius cum Bonacina, Diana, Sanchez, Suarez, Valentia, etc. docent has leges obligare et sub pœna et sub culpa; alioquin nulla esset differentia inter leges pœnales mixtas et pure pœnales, quæ obligant ad solam pœnam. Adde: leges hujusmodi sunt præceptivæ simul at-

(1) 2, 2, q. 186, a. 9.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 145. — Unde magna ex parte videtur lis de nomine negare hujus legis existentiam: certe possibilitas haud potest negari.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 144.

(4) Hic non loquimur de substantialibus Status religiosi, quæ nulli dubium est semper et omnes religiosos obligare.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 10. — It. *La vera Sposa di* G. C. c. 4 et 7.

(6) *V. Civiltà Cattolica, V.* art. 10: la mitezza dei moderni tempi.

que pœnales; ergo prout pœnales ad pœnam, prout præceptivæ obligant ad culpam. Neque pœna ex se præceptum tollit, sed illud magis confirmat.

Pœna autem quæ lege continetur: — 1 alia est *activa*, quæ nequit executione donari sine aliqua delinquentis actione: uti esset v. g. pecuniæ solutio. Alia *privativa*, quæ consistit in mera privatione alicujus rei: uti esset v. g. suspensio, quæ Sacerdotem privat facultate munia Sacra obeundi; — 2 alia est *latæ sententiæ*, et est quæ *ipso facto*, uti Scholæ loquuntur, id est sola criminis patratione incurritur per legis verba; alia *ferendæ sententiæ*, nempe quam lex non infligit, sed infligendam decernit per judicis sententiam; — 3 alia est *condemnatoria*, per quam reus certa pœna mulctatur; alia *declaratoria*, per quam judex declarat aliquem in illud incidisse crimen, propter quod pœna a lege statuta ipso facto incurritur; — 4 tandem alia est *conditionalis*, si privat aliquo jure sub data conditione; alia *inhabilitans*, si inhabilem reddit ad aliquid obtinendum.

Q. 4. *An lex pœnalis obliget ad subeundam pœnam ante sententiam?*

R. Si agatur de pœna ferendæ sententiæ, lex non obligat ad pœnam subeundam ante illam sententiam; quia tunc lex pœnam ipsam per se non infligit, sed tantum decernit eam per judicem infligendam. Verum si agatur de pœna latæ sententiæ, distinguendum: vel pœna est conditionalis, aut inhabilitans, aut privativa; vel est activa.

Si pœna est conditionalis, aut inhabilitans, aut privativa, erit subeunda ante sententiam. — 1 Si est conditionalis; cum enim lex non tribuat jus, nisi sub tali conditione, ea deficiente, et omne jus deficere debet. Hinc Clericus, qui beneficium curatum obtinuit, si non ordinetur Sacerdos infra annum, eo ipso illo privatur; quia sub ea tantum conditione fuit ipsi collatum (1). — 2 Si est inhabilitans; cum nemo possit acquirere id, ad quod nullum habet jus: ut ergo eo expolietur, nulla requiritur sententia. Unde electio hæretici ad beneficium est nulla; quia hæreticus jure est inhabilis. — 3 Idem *ordinarie* currit, si pœna sit privativa simpliciter, ut patet ex usu et consuetudine ubique recepta de censuris ac pœnis similibus. Hinc absque alia sententia conjuges incestuosi privantur jure petendi (2): ac merito; cum enim incestus fere semper occultus sit, pœna redderetur inutilis, si ille esset probandus, ac si sententia requireretur. Diximus *ordinarie;* nam excipiunt, si reus nequeat pœnam exequi sine infamia; cum hoc esset nimis durum.

Si vero pœna est activa et gravis: ut siquis se debeat positive privare jure jam acquisito, puta beneficio, tunc invaluit usus, ut non incurratur ante declarationem juridicam, si non pœnæ, saltem criminis, licet dicatur: *nulla declaratione secuta*. Confirmatur ipso canonico jure, ubi hæretici, etsi priventur ipso facto bonis suis, tamen ex eodem jure non tenentur se iis expoliare ante sententiam (3). Sane nimis ardua et inexorabilis lex esset, si homo deberet gravem pœnam active exequi in semetipsum: quæ ratio ipsi Concinæ *valde congrua* visa est (4). — At post sententiam tenetur reus in conscientia pœnam exequi, si ea nihil contineat inhumani aut inhonesti, nec sit directa sui occisio; nam justo præcepto Superioris obediendum est: sic qui

(1) C. *Commissa*, § 7, de elect. in 6.
(2) Ex c. *Si quis* de eo qui cognov.
(3) Ex c. *Cum secundum* de hær. in 6.
(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 147.

pœna capitis damnatus est, tenetur manus et collum præbere carnifici, scalam conscendere et similia præstare. Sed non tenetur ipse in se mortem inferre, v. g. venenum sumendo, pugionem sibi in ventrem conjiciendo; quia hoc esset prorsus ab hominum moribus alienum, et naturæ nimium repugnans. Imo neque id posset agere, cum sit se directe interimere.

Quid (dices) *de pœna conventionali apposita in contractibus?*

Alii affirmant pœnam conventionalem esse solvendam ante sententiam; quia quisque tenetur stare pactis ante sententiam quamcumque. Sed negant alii; quia nemo censetur sibi imponere pœnam, nisi secundum dispositionem juris circa leges pœnarum: hæ porro non contrahuntur nisi post sententiam (1).

Q. 5. *An ignorantia excuset a pœna lege statuta?*

R. Si ignorantia talis sit, ut excuset ab omni culpa, aut saltem a gravi, excusat etiam ab omni pœna aut saltem a pœna gravi; quia nemo debet puniri, nisi in eo quod peccaverit.

Si vero ignorantia non sit talis, ut excuset ab omni culpa, aut saltem a gravi, tunc neque excusat a pœna proportionata, licet pœna hæc invincibiliter ignoretur; quia omnis legis transgressio juste punitur pœna aliqua sive a lege sive a judice definita. Sic qui culpabiliter legem violat, et violationi adnexa sit pecuniæ solutio, in pœnam illam incurrit, etsi eam invincibiliter ignoraverit.

Excipe: 1 si pœna sit improportionata, si nempe gravissima meritum criminis excedens; — 2 si ea sit censura aliqua ecclesiastica, quam qui eam invincibiliter ignorat, minime incurrit (2); — 3 si Superior ad contrahendam pœnam requirat dolum, contumaciam, ausum, aut temeritatem. Eo enim in casu non excusat quidem ignorantia affectata, sed excusat ignorantia crassa et supina; cum prima tantummodo scientiæ æquiparetur, non vero alia (3).

ARTICULUS II — De vi et obligatione legis irritantis.

Irritatio est abolitio actus, qui alioquin esset validus. Irritatio duplex est: pœnalis et legalis. Prima est, qua actus aliquis irritatur in pœnam peccati: sic v. g. irritatur consecutio fructuum Beneficii ab eo facta, qui Horas omittit. Altera est, qua actus aliquis irritatur ob bonum commune sic v. g. irritatur matrimonium inter consanguineos et affines ob decentiam, et matrimonium clandestinum irritatur ob periculum fraudis.

Q. 1. *An lex inhabilitans sortiatur effectum ante sententiam?*

R. Certum est, *vel ipsam legem humanam inhabilitantem, saltem in foro externo*, effectum suum sortiri ante sententiam, nisi aliter ferat peculiaris consuetudo; secus sententia frustra esset data. Sic v. g. qui secundum Beneficium adipiscitur incompatibile cum primo, inhabilis ad illud possidendum ipse efficitur, nisi huic renuntiet.

(1) *V. de Contractibus* ubi de eorum solutione.

(2) Ex c. 2, de Const. in 6.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 169; et l. VII, nn. 47 et 48.

Diximus 1: *vel ipsam legem humanam;* id enim multo magis currit de lege naturali, si actum prohibeat ob vitium inhærens ipsius actus substantiæ; quia natura rei destructa, destruitur necessario res ipsa. Hinc collatio Beneficii ob pecuniam non solum illicita, sed suapte natura est invalida; cum vendatur res ex se invendibilis.

2. *Legem inhabilitantem;* si enim lex prohibeat tantum, actus esset quidem irritandus, non vero ex se irritus, nisi alio modo intentio legislatoris manifestetur. Hinc de legibus Ecclesiasticis legitur: *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* (1). Idem statuitur de lege civili (2).

3. *Saltem in foro externo* illico effectum sortiri; utrum enim etiam in conscientia lex inhabilitans ante sententiam obtineat, id certum est de lege Ecclesiastica; cum hæc directe respiciat bonum animarum. At de civili lege disputant. Alii negant, quia lex inhabilitans est odiosa: unde dici potest quod aufert tantum obligationem civilem, ut nempe neget effectus civiles; sed adhuc firma est obligatio conscientiæ seu naturalis. Alii vero affirmant ipsam quoque in conscientia obligare ante sententiam; quia lex irritans fundatur in præsumptione periculi fraudis, quod semper adest. Lata igitur est ob bonum publicum; ad consulendum plurium infirmitati, atque ad scelera plurima avertenda. Hæc secunda sententia est certo probabilis, imo forte probabilior; sed quia adhuc est satis probabilis prima, ideo in praxi est præferendus qui est in possessione; cum possessio tribuat jus certum (3).

Q. 2. *An ignorantia invincibilis legis irritantis impediat ipsam legis irritationem?*

R. Cum distinctione: vel irritatio data est in pœnam vel non: sive agitur de irritatione vel pœnali, vel legali.

Si 1, ignorantia invincibilis et quælibet alia causa excusans a culpa, ipsam irritationem impedit; quia pœna proprie dicta statuta est ob culpam, et hanc necessario supponit.—Si 2, eam non impedit ignorantia invincibilis; quia hæc irritatio nullam supponit culpam, sed fundatur in præsumptione periculi fraudis et incommodorum complurium, quæ semper comitantur actus patratos contra legem legaliter irritantem.

Sic si quis inculpate omitteret Horas, faceret adhuc fructus suos; quia irritatio legis, qua prohibetur eorum acquisitio in iis, qui Officium omittunt, est mere pœnalis. Si quis vero laborans ignorantia invincibili matrimonium clandestine contraheret, operaretur invalide; quia irritatio legis, qua talis matrimonii celebratio vetatur, est legalis.

(1) Cap. *Ad Apost.* 16 de regularib.

(2) Así por ejemplo en España, cuando en un contrato se comete dolo por no manifestarse como corresponde las cargas, vicios ó defectos no patentes de la cosa mueble ó raiz, que es su objeto, puede la parte perjudicada intentar, dentro de seis meses desde que supiese el engaño, la accion llamada *redhibitoria* para deshacer la convencion y pedir la indemnizacion de los perjuicios: ó bien dentro de un año la accion llamada *quanti minoris*, para recobrar de la parte contraria tanta parte del precio ó estimacion, cuanto valiese menos la cosa por razon de la carga ó vicio ocultado; *leyes* 63 *y* 65, *tit.* 5, *Par.* 5. N. E.

(3) *V. de Contractibus ac Testamentis,* ubi erit de *Solemnitatibus.*

CAPUT SEXTUM

DE CONDITIONIBUS AD LEGIS VIM.

Q. *Quænam conditiones ad legis vim et obligationem?*

R. Conditiones ad legis vim necessariæ aliæ sunt extrinsecæ, nempe ex parte causæ, quæ legem fert. Et sunt:—1 ut a voluntate superioris lex feratur, juxta tamen ordinationem rationis. Hinc Angelicus habet: *voluntas de his, quæ imperantur, ad hoc quod legis rationem habeat, oportet quod sit aliqua ratione regulata: et hoc modo intelligitur, quod voluntas Principis habet vigorem legis* (1);—2 ut ad aliquem feratur juxta illud: *scimus... quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur* (2);—3 ut pro bono communitatis feratur; cum ideo hæc legum potestas data sit.

Conditiones aliæ sunt intrinsecæ quæ respiciunt ipsum actum imperatum: nempe—1 ut lex sit justa; hinc Augustinus ait: *quod fit injuste, nec fieri potest* (3).—2 ut sit possibilis: impossibile enim non potest cadere sub libertatem, ideo neque sub legem;—3 ut sit proportionata viribus multitudinis: alioquin non esset in bonum, sed in gravamen subditorum;—4 ut sit clara et manifestata: clara ne captionem contineat; manifestata, nam quamdiu latet, non potest impleri. Hic erit de præcipuis conditionibus.

ARTICULUS I—De materiæ capacitate, superioris intentione et legis justitia.

Q. 1. *An vis obligationis debeat rei præceptæ accommodari?*

R. Cum humani Legislatoris potestas in ædificationem ipsi sit tributa, utique imposita obligatio aptari debet capacitati materiæ. Quare in re, quæ undequaque levis est, nequit superior obligare sub gravi; ne dicatur obligare contra rectam rationem, atque contra bonum commune.

Censetur autem gravis materia, quoties finis, qui per legem proxime intenditur, est magni momenti: et id quod per legem statuitur, ad finem illum valde confert, etsi in se sit quidpiam etiam leve. Sic v. g. abstinentia a pomo in Paradiso terrestri erat quidem in se res admodum levis, sed ex circumstantia finis, ad quem conferebat, erat res gravissimi momenti; per eam enim homo suam a Deo dependentiam profitebatur. Item ratione scandali nonnulli Episcopi sub gravi prohibuere Clericis vel solum ingressum in popinas. Et jus civile sub capitis pœna prohibet quandoque militibus levia furta, ratione nempe gravium damnorum, quæ aliunde sequerentur (4).

Q. 2. *An in legis obligatione sit inquirenda Superioris intentio?*

R. Affirmative; cum enim potestas obligandi quoad usum sit in libera legislatoris voluntate, *per se loquendo* poterit legislator obligare vel sub gravi vel sub levi pro voluntate. Unde probabilius ipse poterit obligare sub levi etiam in materia gravi, *tum* quia id aliquando expedit ad melius bonum,

(1) 1, 2, q. 90, a. 1. (2) Rom.3. (3) *De Civ. Dei*, l. XIX, c. 21.
(4) *V.* Benedictus XIV, *de Syn. Diœc.* l. X, c. 3.

ne nimium graventur conscientiæ; *tum* quia materia gravis etiam minoris obligationis capax est, ut docent Antoine, Bouvier, Collet, Suarez aliique. Diximus *per se loquendo;* non enim posset obligare sub gravi in materia ex omni parte levi, cum minus non contineat quod majus est, et nulla sit proportio ac causa cohonestans.

Mens autem superioris cognosci potest: —1 ex materiæ gravitate, si nempe sit gravis vel ratione quantitatis, ut esset unus aureus in furto: vel ratione qualitatis, ut esset hostia consecrata: vel ratione alterius circumstantiæ gravis. Et sane legislator merito censetur obligationem pro rei capacitate atque circumstantiarum impossuisse, si aliter mentem suam non aperuerit;—2 ex gravitate verborum, quibus legislator usus est: ut si præcipiat aut vetet *sub indignatione Dei*, *sub minatione divini judicii*, *in virtute sanctæ obedientiæ, ex tota potestate*, etc.;—3 ex gravitate pœnæ transgressoribus legis mixtæ impositæ; cum pœna culpæ proportionetur. Esset v. g. pœna exilii perpetui, excommunicationis, intellige si sit latæ sententiæ: nam aliter dicendum probabilius, si sit tantum ferendæ in materia non gravi, cum ex una parte non sit tam magna illa pœna, quæ illico non incurritur; ex alia vero materia, quæ levis supponitur, id per se non ferat;—4 ex communi prudentum judicio ac probata consuetudine, quæ quidem est *optima legum interpres* (1).

Q. 3. *An lex debeat esse justa, ut habeat vim obligandi?*

R. Affirmative: lex debet esse justa ad hoc, ut obliget; lex enim humana nequit obligare, quin sit conformis legi æternæ Dei, a qua quidem omnis lex suam derivationem ac vim habet. At quomodo ei conformabitur lex quæ injustitiam præseferat? Justa autem esse debet tum justitia legali in eo posita, ut publicam promoveat utilitatem; tum justitia commutativa in eo sita, ut legislator suæ jurisdictionis limites non excedat; tum justitia distributiva, quæ in eo collocatur, quod onera et præmia conferantur in subditos et distribuantur, proportione servata. *Secus leges*, ex Angelico, *magis sunt violentiæ quam leges; quia, sicut Augustinus dicit: lex esse non videtur, quæ justa non fuerit* (2).—Duo tamen adverte:

1. Non omnem proportionis excessum sufficere ad legis nullitatem; sed talem requiri, quæ cedat in detrimentum commune, et in grave ac injustum onus plurium. Nam si lex sit de se justa, et tamen quidam subditi plus æquo graventur, lex adhuc erit valida et obligabit alios. Illi vero qui injuste gravantur, non obligabuntur quoad excessum, nisi per accidens, ratione scilicet scandali vel perturbationis, ad quæ vitanda quisque debet propriis etiam juribus cedere.

2. Non licere contra Principes injusta præcipientes insurgere; nam præter hallucinationem quæ timetur, hoc semel admisso principio, quot et quantæ orirentur perturbationes et mala? Quapropter omnia patienter toleranda sunt exemplo primorum Christianorum, potius quam contra Principes hujusmodi ad rebellionem insurgere: ac imitandus est Christus (3), qui *tradebat judicanti se injuste (P).*

(1) *V.* Liguori, *Op Mor.* l. I, n. 146; et l. VII, n. 313. (2) 1, 2, q. 96, a. 4.
(3) I Petri 2. — *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. VIII, n. 13.

Q. 4. *An lex, quæ fundamentum habet in aliqua præsumptione, obliget in conscientia?*

Nota. Præsumptio definiri potest: *judicium probabile, quo ex aliquibus indiciis seu circumstantiis judicatur aliquod esse verum, vel aliquod factum intervenisse.* Duplex distinguitur præsumptio: alia *facti* seu *præsuppositionis:* alia *juris* seu *periculi.*—Prima est qua legislator præsumit aliquod factum intervenisse, super quo proinde disponit. Secunda vero est qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat generaliter adesse periculum mali, v. g. doli et fraudis; ideoque non attendit factum, sed habet pro ratione periculum generale alicujus mali. Quibus positis:

R. Si præsumptio, in qua lex fundatur, est *facti,* et factum non subsistat, lex illa non obligat; nam tota ratio obligationis in solo facto fundatur; cum igitur hoc minime subsistat, Superior obligare non intendit. Tunc autem valet axioma: *præsumptio cedit veritati.* Unde v. g. mulier, quæ certo scit se invalide contraxisse cum viro, non tenetur parere judici etiam sub pœnis præcipienti, ut debitum reddat: quia jussio præsumit factum, nempe validum matrimonium: quod tamen non adest.—Sic si in judicio falso probatum fuerit, tuum animal intulisse damnum, non teneris solvere pœnam: et lata sententia ut solvas, licet externe (ut vitetur scandalum, ac judiciorum perturbatio) tenearis solvere; tamen potes tibi occulte compensare.

Si vero præsumptio, in qua fundatur lex, est *juris,* lex obligat in conscientia, tametsi malum quod timetur, in aliquo casu peculiari non eveniat; alioquin fraus legi quam facile fieri posset! unusquisque enim illico diceret respectu sui nullum adesse periculum, et sic ferme inutilis lex evaderet. Adde, periculum generale semper adesse; lex autem hoc spectat. Quare matrimonia absque præsentia Parochi, et testium celebrata nulla omnino sunt et invalida, etiam in casu, quo constaret nullas fuisse fraudes, nullumque doli periculum.—Sic si tuum animal certe fuerit causa damni, sed falsa est præsumptio, quod id acciderit tua culpa, teneris solvere pœnam post sententiam; quia hujus legis finis non solum est punire, sed etiam reddere homines diligentiores ad vitanda damna aliorum (1).

ARTICULUS II—De legis promulgatione.

Q. 1. *Quid de legis promulgatione?*

R. Promulgatio legis sic recte definiri solet, ut sit *publica legis denuntiatio facta auctoritate Superioris in loco publico sive voce præconis, sive quavis alia publica solemnitate.* Hinc promulgatio differt a divulgatione, quæ est illius veluti applicatio ad aures facta per privatos fide dignos iis, qui promulgationem ignorant.

Divulgatio non est necessaria ad legis valorem; nam si aliter esset, vix ulla haberetur lex humana obligandi vi prædita; cum ferme semper sint aliqui, ad quos legis notitia nomine pervenit, nisi post tempus longissimum ab ejus promulgatione.

Promulgatio tamen est absolute necessaria ad communitatem obligan-

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. II, n. 100; *Hom. Ap.* tr. II, n. 26.

dam; nam cum lex sit regula publica, cui debet communitas suis in actibus se conformare, minime poterit habere vim obligandi, nisi ei innotescat: *lex*, inquit Angelicus, *imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ; regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur et mensurantur. Unde ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem* (1).—Quare siquis v. g. sciret legem utique jam esse conditam et mox promulgandam, non teneretur eam implere, nisi postquam revera promulgata esset: *leges instituuntur, cum promulgantur,* clamat Gratianus (2).

Q. 2. *Quinam esse debet modus promulgationis legis?*

R. 1. *Jure naturæ* nullus est modus promulgationis hujusmodi; sed sufficit, quod lex ita publice proponatur, ut facile possit ad subditorum notitiam pervenire, quocumque modo fiat; nam id unum requiritur, ut lex subditis proponatur. Hinc satis erit, si lex publice denuntietur in Curia, sive in civitate in qua residet Princeps; nam ibi denuntiata facile ad subditorum notitiam potest pervenire ob frequentem illorum ad Sedem Principis concursum.

Diximus *jure naturæ;* nam in omnibus fere locis suæ sunt regulæ speciales hac de re, quæ quidem sunt observandæ. *Ita in Hispania statutum est.* «La promulgacion corresponde al poder ejecutivo, que dispone se haga en todos los pueblos por edictos ó pregones segun la práctica en cada uno de ellos introducida. Tanto las leyes como las disposiciones generales del gobierno son obligatorias para cada capital de provincia, desde que se publican oficialmente en ella y desde cuatro dias despues para los demás pueblos de la misma provincia. *Lex de* 28 *de noviembre de* 1837. Por Real órden de 22 de setiembre de 1836, repetida en la de 4 de mayo de 1838, está mandado que todas las órdenes é instrucciones del gobierno que se publiquen en la Gaceta de la Corte bajo el título oficial, sean obligatorias desde el momento de su publicacion para toda clase de personas en la península é islas adyacentes, debiendo las Autoridades darles cumplimiento en la parte que les corresponde. Por Real decreto de 9 de marzo de 1851 se confirma esto mismo, mandando en su artículo segundo que las respectivas Autoridades y funcionarios á quienes incumba, cuiden que las disposiciones publicadas en la Gaceta se inserten en los Boletines Oficiales, cuando por su naturaleza deba hacerse así.»

Q. 3. *An leges Pontificiæ debeant singulis in Provinciis promulgari?*

R. Affirmant plures auctores graves cum Becano, Collet et Cabassutio: nimis enim durum esset obligare totius christiani orbis fideles ad leges Romæ tantum promulgatas. Excipiunt tamen Bullas jam insertas in Bullario, quia hæ jam sunt corpus legum; item Constitutiones in materia fidei et morum, quæ statim obligant ac innotescunt, cum repugnet contrarium asserere.—Verum communis et probabilior sententia cum Benedicto XIV docet satis esse, quod leges Pontificiæ Romæ locis et modis ibi destinatis promulgentur,

(1) 1, 2, q. 90, a. 4.

(2) In dist. 4, c. *In istis.*

ut vim habeant obligandi singulos, ad quos leges illæ spectant (1). Ratio est ipsa auctoritas Pontificum, qui sic obligare possunt et volunt: *possunt*, quia modus promulgationis juxta omnes pendet ab arbitrio legislatoris: *volunt*, quia sæpe suis in Constitutionibus clausulam apponunt, qua declarant se intendere eas *sic publicatas ab omnibus, ad quos spectant, perinde habendas esse ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent vel exhibitæ*. Adde: Apostolica Sedes casu quo nolit aliquam legem obligare, nisi post promulgationem in singulis provinciis, id expresse declarat. Adde: ex jure canonico, ut quis ad legis pontificiæ observantiam teneatur, satis esse quod noverit *eam solemniter editam aut publice promulgatam* (2). Quæ promulgationis notitia Romæ peractæ de facili haberi potest ob eo recurrentium copiam (3).

Sed nonne (inquies) *Roma est, uti vocant Politici, territorium exterum relate ad provincias et regiones, quæ extra Ditionem Romanam sitæ sunt? Ergo, ne ipso quidem volente Pontifice, leges Romæ promulgatæ pro dictis provinciis et regionibus valere possunt, nisi in ipsis quoque debita donentur promulgatione.*

R. Distinguendo ant. Roma est *territorium exterum relate* etc. in rebus politicis atque civilibus, *concedo;* in rebus religiosis et sacris, *nego*. Nos hic loquimur de legibus ad Religionem spectantibus et datis ad orbem catholicum. Hoc autem sensu absolute negamus Romam esse, vel dici posse territorium exterum; nemo enim ignorat hoc regnum et territorium non esse aliud, nisi mundum ipsum universum a solis ortu usque ad occasum, juxta illud Christi ad præcones suos Apostolos: *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* (4). At hujus regni seu territorii centrum, sive urbs, Roma est uti residentia Pontificis Maximi, visibilis Christi Vicarii, ac Supremi Legislatoris pro toto dicto territorio et regno, in rebus utique religiosis et sacris. Ergo sicuti repugnat ac dedecet Romanum Pontificem (*verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem*, ut Concilia loquuntur et Patres) Principis exteri nomine nuncupare relate ad eos fideles, qui extra fines Ditionis Romanæ morantur; dedecet pariter et repugnat, quando agitur de legibus Pontificiis ad omnes Christianos Romæ datis, Romam ipsam territorii exteri vocabulo appellare (5), cum totius unitatis catholicæ ea sit centrum *(Q)*.

Q. 4. *Quodnam tempus effluere debet a legis promulgatione?*

R. Si legislator tempus illud determinavit, patet, quod lex non obligat,

(1) *De Syn.* l. XIII, c. 4.—Fusius eam sententiam tuetur Sanctus noster in *Op. Mor.* l. 1, n. 96; et in *Hom. Apost.* tr. II, nn. 6 et seqq. (2) Cap. I *Ad hæc de post. præl.*

(3) Item si diaria referant novam aliquam Bullam, sicut semper fit a multo tempore, et nulla oriatur de authenticitate dubitatio aut reclamatio, et quidam de Clero, adeundo Episcopum vel Nuntium, didicerint eos recepisse exemplaria authentica, et sic spargatur notitia in universos, erit testimonium sufficiens. *Bouix.* (4) Marc. 16.

(5) Notandum est cum Suarez. nempe quod leges illæ Ecclesiasticæ, quæ infirmant contractum natura sua validum, aut jurisdictionem auferunt jam existentem in foro Sacramentali, possunt benigna donari interpretatione et sic intelligi, ut non censeatur esse mens R. Pontificis illas obligare, nisi in singulis Provinciis promulgentur. Alioquin ipsæ redundarent in detrimentum fere commune.

nisi tempus illud effluxerit: cum enim lex pendeat a voluntate legislatoris, ipsius est modum et tempus obligationis definire. Si autem tempus legislator non determinavit, tale requiritur quod sufficiat, ut legis notitia ad omnes moraliter perveniat: quod communi prudentum judicio censetur bimestre, nisi agatur de regionibus adeo remotis, ut intra illud nequeat legis notitia ad illas pervenire, ut sunt transmarinæ in Asia, in Africa et America regiones.—Loquendo speciatim dicimus, quod de jure ordinario leges pontificiæ obligant a bimestre promulgationis (1); leges vero Episcoporum receptum est, ut obligent statim a promulgatione (2); tandem quod pertinet ad leges civiles videatur quid in unoquoque regno statutum est.

Semel autem facta promulgatione, ad hoc ut lex obliget, non requiritur populi acceptatio, sed jam tenentur subditi in conscientia legem justam acceptare sive civilem sive ecclesiasticam. Patet:—1 ex *Scripturis,* dicente Apostolo: *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (3): atqui non acceptare legem justam Superioris est *resistere potestati;*—2 ex damnatione facta ab Alexandro VII illius n. 28 propositonis: *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam;*—3 ex ratione: si hæc populi acceptatio requireretur, quælibet legislatorum auctoritas omnino desineret. Ipsi enim plus non possent evincere, quam vellent subditi: quod esset non regere, sed regi.

Hoc autem quoad leges Pontificias est omnino indubitatum, ut contraria quorumdam opinio non possit componi cum fide, uti ait cum Suarez Benedictus XIV (4); nam R. Pontifex non a populo, sed a Christo immediate accepit potestatem legislativam per ea verba: *pasce agnos meos.... pasce oves meas* (5).—Quod valet etiam de legibus Episcoporum, qui ab eodem Domino vel immediate vel mediate per R. Pontificem potestatem habent ex illis verbis: *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (6). Imo idem probabilius tenemus de lege civili; nam obligatio legis non oritur ex acceptatione populi, sed ex potestate, quam Princeps habet a Deo independenter a populo, uti legitur in *Scripturis* (7).

Q. 5. *An lex naturalis egeat promulgatione, quomodo fiat et quando?*

R. Ad 1: non est dubium, quin etiam lex naturalis indigeat promulgatione, ut habeat vim obligandi. Hoc enim est proprium naturæ cujusque legis absque ulla exceptione, ut non valeat obligare, nisi innotescat: innotescere autem non potest, nisi per promulgationem.

(1) *V.* Liguori, *Homo apost.* tr. II, n. 8.
(2) Ita Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 4.
(3) Rom. 13. (4) *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 4.
(5) Joann. 21. (6) Act. 20.
(7) Limitant hanc sententiam: —1 si lex per decennium non fuerit acceptata, ratione contrariæ consuetudinis; —2 si sanior et major pars legem non observet; et ex circunstantiis merito præsumatur, principem non instando pro observantia, nec transgressores puniendo, nolle obligare quemlibet; tunc etsi desuetudo non adhuc sit præscripta, et primi legem non acceptando peccaverint, alii postea ob dictam præsumptionem liberi sunt;—3 si lex sit contraria consuetudini vigenti, valde difficilis, et tales insuper sint circumstantiæ, ut si a principe prægnitæ essent, sine dubio legem non tulisset. Hæc pro foro conscientiæ: in foro externo nullus auditur, sed transgressores omnes puniuntur. — *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. II, nn. 11 et seqq.

R. Ad 2 : de modo, quo legis naturalis promulgatio contingit, audiatur S. Thomas: *dicendum quod promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam* (1). Videlicet non contingit quidem per modum humanum, id est signis externis, v. g. edictis, vel proclamatione vocali ; bene vero per lumen naturæ, quod Deus mentibus nostris propria quasi manu inseruit, et quo pedetentim legem ipsam cognoscimus.

R. Ad 3 : quoad tempus promulgationis dicimus cum Theologis celebrioribus : promulgatio hæc vel consideratur in habitu, vel in actu (aliqui dicunt in actu primo, vel secundo). Promulgatur in habitu, cum primum Deus eamdem inserit mentibus nostris, naturaliter suo tempore pedetentim cognoscendam. Promulgatur in actu, quando unusquisque nostrum cognitionem illam acquirit, quæ eidem dictat quid juxta rationem naturalem agendum, quid vero fugiendum. Ad rem Joannes Malderus Theologus Lovaniensis valde celebris et Episcopus præclarissimus : *habito promulgatur* (lex naturalis) *ab initio nativitatis, actu initio rationis : ut si quis v. g. in tenebris litteras Principis aliquod jubentis accipiat, quibus tunc demum tenetur parere, quando eas legere poterit* (2).

An (quæres) *ad legis naturalis obligationem sufficiat ejus promulgatio habitualis ?*—R. Ad inducendam legis naturalis obligationem minime sufficere ejus promulgationem habitualem, sed requiri promulgationem actualem : per hanc enim solummodo venit homo in cognitionem præcepti ; quia, docente S. Thoma, *ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur ; talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum* (hominum) *deducitur ex ipsa promulgatione ;* atqui nemo in hanc notitiam deduci potest per promulgationem habitualem : ergo prorsus requiritur actualis (3).

CAPUT SEPTIMUM

DE LEGIS OBSERVANTIA ET EXECUTIONE.

Q. 1. *An præcepto faciat satis qui illud implet in mortali existens ?*

R. Si agatur de illo legis implemento, quod statum gratiæ necessario supponit, uti est, v. g. præceptum Paschalis communionis, utique status gratiæ requiritur ; alioquin ipsum præceptum non impleretur, cum positum sit in illo actu virtutis. Secus autem si pure et simpliciter actus præcipiatur : tunc nullimode requiritur status gratiæ ; nam ponendo opus, jam totum ponitur quod a legislatore præcipitur, sive illud ponatur in statu gratiæ, sive non. Hinc a Pio V damnata fuit hæc n. 16 Baji propositio : *non est vera legis obe-*

(1) 1, 2, q. 90, a. 4.

(2) Breviter sic idem expressit doctissimus Sylvius : *actualiter tunc* (lex naturalis) *unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem, quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid vero fugiendum.* (3) S. Alphonsus, *Apologie*, vol. 2, pag. 86 et 87.

dientia, quæ fit sine charitate. Unde qui in peccato recitat Horas, vel jejunat, vel Sacrum audit, satisfacit præcepto (1).

Sed (dices) *illud est in præcepto, quod maxime legislator intendit; atqui legislator sua lege principaliter intendit homines virtuosos facere. Ergo de necessitate præceptum in statu gratiæ impleri debet ac fine bono, ut juxta mentem legislatoris sit capax virtutis ac meriti.*

Respondeo cum Billuart: intentio legislatoris est de duobus, de uno quidem quod non intendit præcipere, sed ad quod intendit per præceptum legis inducere; et hoc est virtus, quæ est finis legis. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre: et hoc est quod tamquam medium inducit vel disponit ad virtutem.—Secundæ porro intentioni oportet satisfieri, ut lex impleatur, non primæ; *non enim,* ait Angelicus, *idem est finis præcepti, et id de quo præceptum datur: sicuti neque in aliis rebus idem est finis, et quod est ad finem,* seu quod est medium ad finem (2). Atque ex hoc natum est illud ab omnibus receptum axioma: *finis præcepti non cadit sub præcepto.* Hinc qui modo pure naturali rem alienam domino restituit, vel pauperculo eleemosynam elargitur cum vanagloria, is satisfacit præceptis de restitutione, vel de eleemosyna facienda: licet aliunde peccet contra virtutem, cui finis ille opponitur.

Q. 2. *An ad legem implendam requiratur intentio satisfaciendi?*

R. Negative: ad legem implendam non requiritur intentio satisfaciendi ipsi legi; nam præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est ut res fiat, quia præcipitur; sed dumtaxat ad materialem, hoc est ut fiat quod præcipitur. Sic qui devote die festo Missæ interest ignorans esse diem festum, satisfacit præcepto, nec tenetur ad aliam Missam; omne enim jam egit quod lex constituit.

Imo adhuc adimpletur lex (uti sapienter docent Antoine, Croix, Lessius, Tournely et Suarez cum aliis communissime) si ille, qui præstat opus a lege præceptum, non solum careat intentione satisfaciendi, sed habeat intentionem etiam expresse contrariam non satisfaciendi. Esset si quis die festo Missam audiat summo mane expresse intendens illam audire ex mera devotione, et item expresse volens præcepti satisfactionem transferre ad Missam celebrandam circa meridiem, quam tamen audire postea negligit. Ratio est, quia lex non obligat, nisi ad substantiam operis injuncti: hoc ergo semel posito, non amplius est in potestate operantis, ut lex dicatur non impleri (3).

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. II, n. 28.

(2) 1, 2, q. 100, a. 9 ad 2.

(3) Neque obstat quod actus non operetur ultra intentionem agentis; nam id procedit solum in iis, quæ pendent a potestate operantis, uti sunt vota. Verum in nostro casu opus præceptum non pendet a potestate operantis, sed a voluntate legislatoris.

Imo adhuc in illis, quæ procedunt a propria potestate, operans satisfaceret sine dicta intentione (modo opus suum alteri fini particulari præcise non destinaverit); nam quilibet ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis quæ sibi libera sua voluntate imposuit. Et hoc valet etiam, paritate rationis, de sacramentali satisfactione, si nempe agat opus a confessario impositum, non tamen intendens pœnitentiam implere. Ita docent Suarez, Azorius, Roncaglia, Lessius, Layman, etc.

Q. 3. *An ad satisfaciendum præcepto requiratur, ut res præcepta ponatur humano modo, id est cum advertentia illius quod agitur?*

R. Si agatur de præceptis negativis, ad satisfaciendum non requiritur attentio ad id, quod præceptum est: seu quod idem est, non requiritur ut res præcepta ponatur cum advertentia; sed sufficit simplex et mera omissio actus prohibiti, cum ita jam totum undequaque ponatur quod est in præcepto. Sic qui tota die dormierit sine esu et sine potu, dici non potest legem jejunii violasse. — Si vero agatur de præceptis positivis, dicimus illam profecto requiri advertentiam; quia cum lex præcipit hominibus positivum actum, profecto requirit actum humanum: porro actus humanus non est, nisi fiat scienter, voluntarie et libere, id est advertenter. Hinc recitans Horas eo fine ut discat, non satisfacit præcepto; quia præceptum est de orando, non de addiscendo; qui autem addiscendum attendit, non orat. A fortiori non poterit dici satisfecisse præcepto de audienda Missa, qui Missæ ebrius aut dormiens interfuit.

Quid (dices) *de servo vel discipulo, qui metu domini vel magistri Sacrum devote audit; quod tamen, eo cessante metu, sic non audiret?*—Licet iste peccet illa mala voluntate, satisfacit tamen præcepto; quia talis metus utpote solummodo reverentialis non tollit libertatem. Aliter esset, si omnino coactus fuerit per metum gravem; tunc actio non esset humana defectu voluntatis.

Q. 4. *An diversis legibus possit satisfieri per unum actum?*

R. Affirmative: diversis legibus potest satisfieri per unum actum, si illo unico actu totum ponatur quod per diversas leges præcipitur, nec alia sit legislatoris mens. Sic v. g. si festum aliquod occurrat in Dominica, satis est semel Sacro adesse. Sic Subdiaconus beneficiatus una Horarum recitatione satisfacit oneri Beneficii et Ordinis.

Tunc vero per unum actum censetur impleri totum quod præcipitur, quando præcepta cadunt in eamdem materiam ob idem motivum; neque agatur de materia justitiæ, in qua attenditur æqualitas rei ad rem, ideoque quando multiplicatur materia et solutio multiplicanda est. Hinc si Cajo debeas centum ex contractu, quæ voveas restituere, et ad quæ restituenda te obligavit etiam Confessarius, centum tantum uno actu restituendo, satisfacis tribus illis obligationibus, nempe justitiæ, voti et præcepti; cum obligationes diversæ unam respiciant materiam ac unum motivum. E contrario si Cajo debeas centum ex mutuo, centum ex emptione, non satisfacis centum tantummodo reddendo, quia illæ obligationes habent diversa justitiæ motiva.

Mens legislatoris colligi potest ex natura operis præcepti, ex circumstantiis, consuetudine, communi piorum sensu, etc. Hinc etsi ille qui tenetur jejunare ex voto, aut ex pœnitentia, non satisfaciat jejunando in vigilia, cum hæc præcepta habeant motiva diversa; bene tamen satisfaceret, si illud jejunium ex voto vel pœnitentia statutum esset per mensem, in quo incidit vigilia: quia in ea facti specie talis censetur imponentis voluntas. Unde non teneretur alia die curare compensationem (1).

Quid (dices) *si duo actus diversi ponantur sub eodem tempore? poteritne per eosdem actus satisfieri duplici præcepto?*

(1) *V.* Liguori. *Hom. Apost.*, tract. II, nn. 30 et. seqq.

Affirmative: potest duobus actibus diversis satisfieri duplici præcepto sub eodem tempore, modo actus præcepti non sint inter se incompatibiles, et tempus diversum a lege non exigatur. Ratio quia tunc totum præstatur quod præcipitur. Sic qui festo die audit Sacrum, et simul orationes voto aut pœnitentia debitas vel Horas recitat, duplici præcepto satisfacit uno tempore; neque enim unus actus alium excludit: et talis revera est praxis. E contrario in sententia nostra non satisfaceret Missæ, qui tunc temporis confessionem faceret; cum confessio excludat attentionem necessariam ad Sacrificium.

Q. 5. *Quonam tempore servandæ sunt leges?*

R. Si leges ipsæ tempus, diem, et horam implementi determinant, uti sunt eæ, quæ præcipiunt abstinentiam ab esu carnium, et Horarum recitationem, ipsæ servandæ sunt tempore definito, uti patet. Secus impleri debent ut primum commode poterunt; alioquin nesciremus quando præcise tempus obligationis inciperet et quando cessaret. Et ita legis implementum de die in diem posset differri, atque tandem omitti; quod est absurdum. Quod si eodem tempore duo occurrant præcepta æque urgentia, quin simul impleri valeant, eo in casu præceptum gravius observandum est, cum hoc prævaleat minus gravi. Hinc: — 1 præceptum negativum obligans semper et pro semper præferendum est præcepto affirmativo, quod obligat quidem semper, sed non pro semper. Sic non licet furari ad subveniendum pauperibus; — 2 præceptum naturale præferendum est præcepto positivo etiam divino; præceptum vero positivum divinum præcepto humano. Sic omittendum est Sacrum die festo, ne graviter ægrotans solus deseratur; — 3 lex Superioris præferenda est legi inferioris: v. g. lex Papæ præferenda est legi Episcopi; — 4 *cæteris paribus*, lex innixa virtuti strictiori præferenda est legi innixæ virtuti minus strictæ: v. g. qui non potest et eleemosynam facere et debitum solvere, tenetur eleemosynam omittere.

Diximus *cæteris paribus;* quia semper est habenda ratio aliarum circumstantiarum, quæ forte ordinem invertere præcipiunt: sic v. g. si pauper sit in extrema necessitate, prius ipsi succurrendum est. Imo ratio circumstantiarum in aliis quoque præceptis attendenda est; nam ipsæ mutatæ et casum mutare possunt.

Q. 6. *An peccet qui legis humanæ implemento ponit obstaculum?*

Præmittendum: aliud est non obligari a lege, id est subtrahi ab ejus obligatione: et aliud est excusari a transgressione legis, sub ejusdem tamen vi et obligatione manendo. Unde duplici modo potest quis impediri a legis observantia: — 1 apponendo causam, qua subtrahatur ab ejus obligatione: v. g. si subditus discedat ab eo loco, in quo est præceptum audiendi Missam, et se transferat in alium, in quo tale præceptum non extat; — 2 efficiendo opus, quod licet eum impediat a legis observantia, ab illius tamen obligatione eum non eximit v. g. si quis die festo discedat a loco Sacri, et se conferat eo, ubi Sacrum audire non potest, sed ubi lex Sacri audiendi adhuc sit viva (1). Hoc posito:

(1) Unde patet, quod hæc distinctio non potest habere locum in lege naturali aut divina; cum istæ omnes ubique ac semper obligent.

R. Licitum est apponere aliquam causam directe, qua quis totaliter subtrahatur a legis humanæ obligatione, si aliud speciale non obstat (1). Hoc enim est jure suo uti: hinc non vetaris te conferre die festo in locum, ubi non est dies festus, neque Missæ præceptum (2). Sed non licet sine justa causa apponere circumstantiam deobligantem aliquem a lege ipsa, eumdem vero ab ipsius vi minime subtrahentem; secus eluderetur lex. Sic peccat qui se inebriat, vel somno tradit tempore audiendi Sacrum; quia hoc præceptum jam tunc ipsum obligat. Neque per illam actionem subtrahitur a legis vi; cum adhuc ipse in eo maneat loco, ubi lex viget.

Hæc est sententia D. Thomæ (3), quam nos sequimur cum Laymano, Mazzotta, Palao et Sanchez, qui eam communem appellant (4).

Q. 7. *An qui uno actu violat plura præcepta a diversis legibus edita super eadem materia, committat plura peccata?*

R. Distinguendo: vel præcepta illa habent idem motivum formale et versantur circa eamdem materiam tum numero tum circumstantiis, ita ut eorum diversitas inter se non sit nisi materialis. Vel sunt diversa formaliter; quia nempe habent motiva proxima specie distincta, et versantur circa materiam diversam numero et circumstantiis. Si 1, unum tantummodo committit peccatum; quia non adsunt neque obligationes, neque malitiæ diversæ: si 2, qui plura præcepta violat, committit peccata plura ob rationem contrariam. — Tunc autem dignoscitur leges conditas esse ob diversos fines, quando leges ipsæ trahunt actum ad specialem aliam virtutem.

Responsionem illustremus exemplis. Qui non jejunavit die vigiliæ incidentis in Quadragesimam, etsi duplex violet præceptum, vigiliæ scilicet et Quadragesimæ, non committit tamen nisi unum peccatum; quia in utroque præcepto unica est ratio formalis et motivum proximum, nempe maceratio carnis. Et ideo satis est, ut in confessione se accuset de uno jejunio violato. — Item qui Sacrum audire neglexit in die festo incidente in dominicam, violat utique duplex præceptum, unum de Sacro audiendo in illo die festo, alterum de Sacro audiendo in die dominico; et tamen committit unum dumtaxat peccatum, quia unica est ratio formalis, et unicum est motivum proximum præcepti utriusque, scilicet cultus Dei. Et ideo sufficit, ut in confessione seipsum accuset de uno Sacro omisso (5).

E contrario violans votum et juramentum, vel votum et præceptum Ecclesiæ de eadem re, duplex committit peccatum; quia duplicem committit malitiam, cum duplex habeatur ratio formalis omnino diversa in duplici præcepto sic violato. Voti enim observatio præcipitur, ut servetur fides Deo debita; observatio autem juramenti, ut Deus vocetur in justum testem. —

(1) Sic lex vetat alio ire in *fraudem reservationis peccatorum*, vel ad *matrimonium clandestine contrahendum*, etsi eo in loco quo venitur, nec reservatio sit, nec præceptum Tridentini, quo solo illud matrimonium prohibetur. *Vide* de Pœnit. ubi de *reservatione*; ac de Matrim. ubi de *clandestinitate*.

(2) *V.* quæ supra tradita sunt de peregrinis. (3) 1. 2, q. 71, a. 5.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. 1, n. 152; et *Homo Apost.*, tract. II, n. 20.

(5) Item qui committeret homicidium sub pœna etiam ab Episcopo prohibitum, unum peccatum committeret; quia tam Deus, quam Episcopus habuerunt unum tantum motivum justitiæ. — Item Sacerdos beneficiatus omittens Officium (quoties vellet restituere fructus) unum peccatum perpetrat; quia una religionis causa et beneficiato et in Sacris ordinato illud onus impositum est.

Item qui percutit Clericum, dupliciter peccat, contra justitiam ex præcepto Dei, et contra religionem ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex religionis motivo id prohibuit (1).

Q. 8. *An qui totum præceptum implere non potest, teneatur saltem implere partem illam quam potest?*

R. Si illa præcepti materia indivisibilis est, qui non potest servare totum, non obligatur ad partem; quia nulla in parte hac servatur ratio legis, nec ipse censetur legislator velle obligare. Sic qui voto adstrictus est Romam petendi ad visitanda limina Apostolorum, et certo scit se eo pervenire non posse, non tenetur ne in parte quidem suscipere iter; quia nec finis nec ratio legis servatur.

Si vero materia præcepti est divisibilis, tunc dicimus eum, qui non potest totum implere præceptum, saltem teneri ad partem, si hæc notabilis sit; in ea enim aliquo adhuc modo servatur ratio præcepti, ac proinde ad illam implendam censetur legislator obligare: et sicut *utile per inutile non vitiatur*, ita neque *pars possibilis per impossibilem*. Hinc Innocentius XI damnavit hanc n. 54 propositionem: *qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem* (2). Ita qui non potest abstinere a pluribus refectionibus in Quadragesima, debet abstinere a carnibus, nisi adsit indultum: item qui non potest omnibus diebus jejunare, id debet iis diebus, quibus potest.— Hæc tamen nostra resolutio diversa esset si ambiguum et incertum sit, num adsit potentia etiam quoad illam præcepti partem; «sicuti v. g. (ait ad rem «nostram Billuart) in infirmis, in quibus vix aut ne vix determinari potest, «quid possunt, usquequo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt «totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scru«pulis, et continua perplexitas in determinanda parte, ad quam tenerentur. «Et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in si«milibus casibus obligare ad partem: ita graves Theologi (3).»

Q. 9. *Quid si lex ecclesiastica et civilis inter se pugnent?*

R. Cum utraque potestas ecclesiastica et civilis sit suprema in genere suo, et una ab altera in sui juris exercitio minime pendeat (4) dicente Gelasio Papa ad Anasthasium Imperatorem: *duæ sunt, quibus mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum et Regalis potestas;* contingere nequit ut illæ inter se pugnent, nisi alterutra potestas in lege ferenda limites suos excesserit. Quando id porro contingat, attendendum imprimis est utrum agatur de materia religiosa, an civili. In primo casu prævalet lex ecclesiastica; in secundo vero casu lex prævalet civilis: *potestas spiritualis et temporalis*, inquit

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 145; l. V, n. 33; et *Hom. Ap.*, tr. II, n. 32.

(2) Hoc nempe axioma non valet, nisi quando partes ita connexæ sunt, ut eadem sit ratio partis utriusque, quod in præsentiarum non currit. Hic enim ratio excusans a toto est impotentia, sed impotentia certe supponitur non amplius adesse in parte.

(3) *De Legib.* Dissert. IV, art. 7.

(4) *V.* Scotti, *Teoremi*, pars 2, Teor. IV. — Jamin, *Pensées Théologiques*, cap. 8. *De la distinction des deux puissances.* Nota: lex civilis aliquando fit canonica, si nempe ab Ecclesia adoptetur: et lex canonica civilis, si adoptetur a Principe.

Angelicus, *utraque deducitur a potestate divina; et ideo in tantum sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in his, quæ ad salutem animæ pertinent: et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali, quam sæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati sæculari, quam spirituali* (1).

Si autem res dubia sit, videantur Concordata, interrogetur consuetudo.

Quod si, omnibus rite perpensis, dubitetur adhuc, consulenda erit suprema auctoritas Ecclesiastica, quæ doctrinali judicio rem totam definiet; cum ad eam uti nobiliorem pertineat leges omnes tam naturales, quam positivas certo ac finaliter interpretari: quo sensu dicitur *jure canonico jus reformari civile* (2). Saltem amicabiliter mutuis consultationibus res tota, quæ est controversa, finiatur: ajebat Cocæus: *tot sunt paces, quot sunt pacta.* Neque sane ullo modo illis subscribere possumus, *qui Ecclesiam* (verba sunt Gregorii XVI, Encycl. *Mirari vos*, 15 aug. 1832) *a Regno separari, mutuamque Imperii cum Sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta extitit et salutaris* (3) *(R).*

Non debemus prætermittere quæ habentur conventione SS. D. Pium IX, inter et M. S. Elisabeth II Hispaniarum Reginam Catholicam: *Art.* 1.° *Religio Catholica, Apostolica, Romana*, quæ excluso quocumque alio cultu esse pergit sola Religio hispanicæ nationis, conservabitur semper in tota ditione Catholicæ Majestatis suæ cum omnibus juribus, ac prærogativis, quibus potiri debet juxta Dei legem, et Canonicas Sanctiones. In quæ vel similia verba audiatur Episcopus Parisis: «¿Quién no ve lo que importan semejantes palabras? Importan que los preceptos de la Religion sean la guia y la norma de las leyes del Estado; importan que sus doctrinas sean protegidas por el poder civil, porque este las tiene como procedentes de la Religion verdadera, de la misma manera que el particular cree en la Religion que profesa; importan que la Religion tenga sobre el Estado, sobre el poder civil, el dominio que sobre la conducta privada de cada uno tiene la creencia religiosa á la que ha dado su nombre (*) (4).»

Q. 10. *An possit quis renuntiare legibus in sui favorem latis?*

R. Si leges primario latæ sint in bonum communitatis, nemo potest illis renuntiare; quia bonum communitatis semper est firmum. Hinc Clericus

(1) In 4, d. 44, q. 2.

(2) *V.* Liguori *Op. Mor.* l. 1, n. 106, ubi exempla.

(3) Es imposible (ad rem Bautin, *La religione e la libertà*, Confer. 1), que el poder espiritual en este mundo no tenga frecuentes é íntimas relaciones con el poder temporal, y yo soy del parecer del gran número de los que profesan altamente, que la separacion de la Iglesia del Estado, es una quimera, un absurdo. La Iglesia ha sido constituida á imágen del hombre, y el hombre no es un espíritu puro, una inteligencia pura, un ángel: el hombre es un compuesto de alma y cuerpo, una sustancia espiritual y física unida por medio de los vínculos de la vida y constituyendo, por medio de esta union, sin que jamás se confundan, la individualidad de una misma persona.»—*V. Memorie di religione, di morale, di letterat.* Modena, ser. 3, vol. II: Considerazioni storico-giuridiche, sulle relazioni della Chiesa collo Stato ecc. *Cattolico Giorn.* vol XIII, pag. 2. — *Annali Religiosi* vol. XV, pag. 33. — Margotti, *La separazione della Chiesa dallo Stato.* — La-Motta *Erroneità e pericoli di alcune teorie ed ipotesi*, ecc. Torino 1855.

(4) *Casi di coscienza*, quesito II.

nequit renuntiare privilegio fori, ubi vigeat; cum id inductum sit in decus totius Ordinis Clericalis.

Si vero leges respiciant primario bonum privati, hic utique potest legibus illis renuntiare: sane si contra voluntatem iis subjici deberet, non esset illi favere, sed onus imponere. Hinc hæres ordinarie renuntiare potest hæreditatem sibi delatam.

CAPUT OCTAVUM

DE LEGIS INTERPRETATIONE ET MUTATIONE.

Q. 1. *Quid est legis interpretatio?*

R. Interpretatio legis nihil est aliud, quam *declaratio sensus, qui in lege continetur.* Per se loquendo ea locum habet in omni lege humana; nam quantumcumque lex clara sit, impossibile tamen est, ut omnes omnino casus comprehendat. — Imo et in ipsa lege naturali, ubi tamen actio possit ex circumstantiis malitia denudari. Sic v. g. negamus ensem domino, qui illo sit abusurus, licet de jure naturæ res clamet ad dominum (1).

Duplex est legis interpretatio: una, quæ dicitur *simplex;* altera, quæ dicitur *per epichiam.* Prima est pura, et quasi litteralis expositio terminorum legis, qui obscuritatem vel ambiguitatem aliquam pati videntur. Altera est benigna ac rationalis declaratio, qua casus particularis ob particulares circumstantias statuitur non comprehendi sub lege, etsi legis verba sint generalia et perspicua. — Ipsa interpretatio simplex subdividitur tum ratione modi, tum ratione causæ.

Ratione modi: 1 alia est *declaratoria*, quæ verba legis obscura declarat; 2 alia *ampliativa,* quæ legem ad similes casus extendit; 3 alia *restrictiva,* quæ legem restringit ad designatos casus, quamvis ipsa generalis videatur.

Ratione vero causæ, quæ maxime attenditur, alia est *authentica*, alia *usualis,* alia *doctrinalis* seu *didascalica:* — 1ª est illa, quæ fit ab ipso legislatore, vel superiore illius aut successore: habetque vim legis, si debite promulgetur; cum ab ipso procedat, a quo lex suam habet vim (2); — 2ª est illa, quæ petitur ex consuetudine: quæ quidem, cum *optima sit legum interpres,* utique obligat; — 3ª est illa, quæ fit per Doctorum explicationem et Jurisperitorum oracula. Hæc nullam quidem habet vim legis, cum non procedat a facultate legislativa; magnam tamen habet probabilitatem. Imo si universali muniatur Doctorum consensu, temeritatis notam non effugeret qui eam sperneret; cum magna sit vis consensionis (3).

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, nn. 200 et seqq.

(2) De hac re in jus hispanum. «El legislador es el único que tiene autoridad para resolver las dudas y fijar el sentido de las palabras por medio de una decision que para todos sea obligatoria. Ley 14, tit. 1, Part. 1, y ley 3, tit. 2, lib. 3, Nov. Rec.

(3) Hic observamus, Pium IV Bulla *Benedictus Deus* doctrinalem ac privatam Tridentini interpretationem ex professo factam, et typis mandatam Prælatis prohibuisse sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ; omnibus autem sub pœna excommunicationis *ipso facto* et reservatæ. Et merito, ut sic vitetur perversio et confusio, quæ de facili oriri potest in iis tanti ponderis sanctionibus.

Q. 2. *An authentica interpretatio indigeat nova promulgatione?*

Nota. Oportet distinguere inter puram legis declarationem, et inter meram interpretationem ejusdem. Est pura legis declaratio, quando explicatur aliquis sensus, qui jam ab initio erat in lege imbibitus; uti v. g. si dubium sit, an sub vocabulo *filii* intelligatur solus filius legitimus, an etiam spurius, et legislator declaret intelligi etiam spurium. Mera autem legis interpretatio, quæ etiam dicitur declaratio non pure talis, est quando explicatur sensus, qui in lege non erat imbibitus: v. g. si legislator declaret, quod sub nomine *patris* veniat etiam avus.—Hoc autem posito:

R. Si agitur de pura legis declaratione, tunc declaratio illa obligat statim omnes, qui eam cognoverint, neque requiritur promulgatio, nisi fiat a successore (1); quia non est nova lex.—Si vero agitur de mera legis interpretatione, tunc promulgatio est necessaria; cum nova constituatur obligatio.

Q. 3. *Quænam sunt regulæ ad doctrinalem interpretationem?*

R. Ad doctrinalem interpretationem regulæ receptæ sunt:

1. In legis interpretatione sequi oportet naturalem verborum proprietatem, nisi sic agendo sensus fieret absurdus, aut lex ipsa prorsus inutilis. Cum enim lex debeat esse clara, præsumendus est legislator eo loqui sensu, quem verba in communi hominum acceptione referunt.

2. Lex generaliter loquens omnia significata propria complectitur: sane ubi *lex non distinguit, neque nos distinguere debemus* (2). Quod si verba legis sint æquivoca, eorum significatio sumenda est ex antecedentibus et consequentibus, ac præsertim ex fine legis; cum finis sit quasi prima ratio operis. In dubio autem fit interpretatio pro valore actus.

3. In legis interpretatione præ oculis semper habentum est vulgatum illud: *odia restringi, favores convenit ampliari.* Quare in odiosis stricta, in favorabilibus lata interpretatio adhibenda.—Idem tenendum est quando lex exhibet duplicem sensum, unum naturalem, alterum civilem: sic v. g. vocabulum *mortis* ex communi acceptione tribuitur morti naturali, sed ex jure accommodatur etiam exilio et professioni religiosæ (3). Sic pariter nomen *filii* ex communi intelligentia refertur ad filium naturalem, sed ex beneficio legis accommodatur etiam filio adoptivo (4) *(S).*

Q. 4. *An lex de casu ad casum extendi debeat?*

R. Ordinarie loquendo lex non debet de casu ad casum extendi, etsi eadem ratio currat. Quia non ratio legis, sed legislatoris voluntas subditis rite intimata vim legis habet et obligat; potest enim legislator de uno disponere, et non de alio (5).—Diximus *ordinarie loquendo;* nam commune est legem extendi de casu ad casum, quando non solum eadem, sed eadem et adæquata simul ratio currit, adeo ut si non extenderetur, legislator argui posset de

(1) Diximus *nisi fiat a successore,* cum enim mens legislatoris successori non ita sit cognita; ideo tunc ad declarandum sensum etiam imbibitum in lege, recurrere est ad argumenta et interpretationes, quæ cum novam quasi legem inducant, nova indigent promulgatione.

(2) Reg. 8, de public. in rem act.

(3) In pœnalibus sensus naturalis semper teneatur; civilis sensus in favorabilibus.

(4) *V.* Liguori, *Homo Apostol.* tract. II, nn. 76 et seqq.

(5) Hinc illud: *ratio legis non est lex.*

imprudentia, vel de injustitia. Unde tunc valet illud juris: *ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.* Id autem evenit:

1. In *correlativis:* jure etenim sancitur, ut *dispositum in uno correlativo censeatur dispositum etiam in alio.* Sic lex, quæ eximit maritum ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, censetur item eximere uxorem ab eodem officio erga adulterum maritum; quia maritus et uxor sunt correlata; —2 in *æquiparatis:* sic cum electio, postulatio et præsentatio in Beneficiis inter se æquiparentur a jure, quod lex decernit circa unum, idem decernere censetur circa aliud in his, in quibus æquiparantur. Sic ova et lacticinia æquiparantur ratione abstinentiæ, et quod dicitur de primis, intelligi etiam debet de secundis;—3 in *connexis:* sic iis, quibus lex permittit condere testamentum, etiam notas testamentarias permittere censenda est;—4 in *contentis:* sic si lex decernat aliquid causa frequentioris usus, etiam casum minus frequentem continet. Unde Pius V permittens e monasterio egressum ob incendium aut epidemiam, censetur etiam id concedere ob inundationem, et hostium invasionem (1).

In his conveniunt omnes, licet agatur de lege pœnali. Neque tunc valet regula: *odia restringenda, favores convenit ampliari;* nam id procedit tantum cum dispositio legis extenditur ex interpretatione *congruitatis,* non cum debet extendi ex interpretatione *necessitatis,* quæ non tam debet dici extensio, quam nuda comprehensio (2).

Q. 5. *Quid de epicheja?*

R. Epickeja (seu epickia) *est exceptio casus ob circumstantias, ex quibus certum vel saltem probabiliter judicatur legislatorem noluisse illum casum sub lege sua comprehendi:* græca vox est, quæ idem sonat ac *æquitas.* Sane ad æquitatem pertinet, ut legislator censeatur relaxare de sua lege, gravi interveniente causa. Ut tamen detur locus epickejæ non solum debet lex cessare in casu particulari negative, quatenus deficit tunc finis legis; sed debet cessare contrarie, nempe quod lex reddatur vel damnosa vel onerosa nimis. *Damnosa:* hinc v. g. possunt cives arma capere et pugnare contra hostes civitatem invadentes, licet lex generatim armorum gestationem prohibeat. *Onerosa nimis et dura:* hinc v. g. excusatur ab auditione Sacri qui timet ideo notabilem jacturam bonorum (3).

Q. 6. *An leges humanæ mutari possint?*

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. 1, n. 200.

(2) Nempe, ut ait Suarez, extensio legis alia est necessaria, alia congruentalis: illa est omnino requisita ad justitiam vel rectitudinem; hæc vero non ita: sed tantum est voluntaria, quia licet possit lex multa alia juste comprehendere, tamen minor comprehensio sufficit ad justitiam legis et proprietatem verborum cum ratione etiam legis servandam. — Porro generalis regula de non ampliando leges pœnales intelligi debet de interpretatione voluntaria, id est sine qua potest adhuc conservari prudens dispositio et justitia legis; non de necessaria extensione legis, quæ requiritur ut servetur justitia, vel æquitas.

(3) *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. II, n. 7; et *Opus Mor.* l. I, n. 201. — Juxta Salmanticenses epikeja locum habere potest etiam in lege naturali et divina positiva, si actio possit ex circumstantiis a malitia denudari. Sic de lege naturali res suo domino reddi debet, et tamen negari potest gladius depositus domino, si illo sit abusurus: sic de lege divina positiva *panes Propositionis* non dabantur laicis, et tamen summus Sacerdos recte judicavit se illos Davidi præ lassitudine deficienti dare potuisse.

R. Licet summopere deceat legibus humanis majorem quæ potest, stabilitem inesse, ne confusio inducatur, ac judiciorum et ipsius reipublicæ ordo pervertatur ; attamen ad discrimen legis naturalis, cujus est attributum, ut nullam mutationem admittat, leges humanæ possunt utique aliquando juste mutari duplici de causa: 1 quia ad naturalem rationem cui leges humanæ innituntur, profecto pertinet, ut gradatim ab imperfecto ad perfectum progrediantur ; 2 quia cum leges humanæ hominum conditiones regant, et conditiones istæ sæpe numero mutationem subeant, hinc leges ipsæ mutari possunt, ut hominum conditionibus sese juste valeant accommodare (1). Id autem contingit: 1 per *dispensationem ;* 2 per *derogationem ;* 3 per *abrogationem ;* 4 per *cessationem ;* 5 per *privilegium ;* 6 denique per *consuetudinem.* —Si nihil horum interveniat, lex semper durat, etiam ipso legislatore mortuo ; nam perpetuitas est de natura legis, ut recte probat Suarez.

ARTICULUS I—De legis dispensatione, derogatione, abrogatione et cessatione.

Q. 1. *Quid est legis dispensatio?*

R. Legis dispensatio est *legitima legis relaxatio pro aliquo casu particulari.* Differt a legis irritatione, abrogatione et cessatione, quia in hisce lex pro omnibus extinguitur ; in dispensatione vero vinculum legis relaxatur tantum pro particulari persona. Differt a licentia, nam in hac non relaxatur, uti in dispensatione, legis obligatio; sed solum apponitur conditio, qua posita, lex non amplius locum habet. Differt a privilegio, quia hoc est facultas permanens ; dispensatio autem est actus transiens.

Dispensatio alia est *totalis,* alia *partialis,* prout a toto vel a parte legis dispensat. Alia *tacita,* alia *expressa,* prout vel ab aliquo facto deducitur, vel verbis expressis declaratur. Alia *necessaria,* alia *libera,* prout in jure a Superiore decernitur tribuenda, tali extante causa, vel ejus voluntati libera relinquitur.

Hic duo notanda :—1 cum dispensatio sit odiosa, ac veluti vulnus legis cui derogat, stricte accipienda est. Excipe cum communi, nisi sit vel debita, vel ex motu proprio, vel inserta in corpore juris, vel nisi concedatur communitati, vel ob bonum commune ; cum iis in casibus dispensatio illa habeatur uti favor et gratia (2);—2 dispensatio a quovis, etiam pro invito et ignorante, *valide obtineri* potest ; cum id jure sit statutum (3). Excipit Marcus Leo in sua praxi quod a S. Pœnitentiaria obtinetur ; ut hoc enim valeat, postulandum est vel a Confessario vel a pœnitente vel a consanguineis ad 4^m^ gradum (4).

Diximus *valide obtineri ;* ut enim consummetur dispensatio, debet acceptari, nisi in aliquo peculiari casu aliter cautum sit.

(1) S. Thomas, 1, 2, q. 97, a. 10.

(2) Item potestas alicui tributa dispensandi large accipitur ac favorabiliter, cum sit gratia facultativa, et hoc maxime si sit generaliter concessa.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, nn. 178 et seqq.

(4) Sext. Decr. l. III, t. IV, *Si motu proprio,* cap. 23, de præb. et dignitat.

Q. 2. *Quinam habent potestatem dispensandi a lege?*

Nota. Duplex est dispensandi potestas: ordinaria et delegata. Ordinaria est quæ alicui competit ex vi officii sui, qualem habet legislator in lege propria. Delegata est quæ competit inferiori ex concessione illius, qui habet primam: quod si hæc concedatur ab ipso jure, æquiparatur ordinariæ, utpote officio et dignitati adnexa; si vero tota sit a superiore, dicitur pure delegata. Hoc posito:

R. Quilibet legislator ejusque successor potest auctoritate ordinaria dispensare cum suis subditis in lege propria vel prædecessorum suorum, quia *res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Accedit etiam quod legem ferre, et legis relaxare obligationem est actus ejusdem jurisdictionis. Quod autem dicitur de legislatore et ejus successore, a fortiori dicendum erit de superiore; cum enim superior possit leges inferioris abrogare, quanto magis poterit in iis etiam dispensare? Excipe casum, in quo lex transierit in contractum; nam pacta ab omnibus convenit observari. Ex his deducitur:

1. Quod Papa dispensare queat in omni jure ecclesiastico tam universali quam particulari: imo in iis etiam Apostolicis Constitutionibus, quas constat ab Apostolis ipsis fuisse editas, prout erant Ecclesiæ Præsides. Tales sunt v. g. quæ jejunium Quadragesimale respiciunt et observantiam diei Dominicæ ac similia (1).

2. Quod Episcopus potestate officii sui, ideoque ordinaria queat dispensare in omnibus Statutis sive Episcopalibus sive Synodalibus (2), independenter a Capitulo et a Clero. Neque obstat, quod Synodus ab Apostolica Sede fuerit approbata; ista enim approbatio non est specifica et absoluta, ut singula examinentur, cognoscantur ac motu proprio et certa scientia probentur. *Sed est ordinaria, communis* et *conditionalis, si juste, si canonice.* etc.: quod quidem nihil novi juris tribuit, ut cum Fagnano docet Benedictus XIV (3).

3. Quod a Statutis Episcopalibus et Synodalibus valeat dispensare etiam Capitulum Cathedrale, Sede vacante; cum succedat in locum Episcopi.—Id tamen nequit Generalis Episcopi Vicarius sine speciali delegatione; cum id non habeat de suo jure ordinario.

An (quæres) *superior possit in suo territorio legitime dispensare cum iis, qui non sunt sui subditi?*—Cum dispensatio sit actus jurisdictionis, qui nonnisi in subditos potest explicari, patet eos tantum posse dispensari qui subditi sunt legislatori. Certum est tamen vagos posse dispensari a superioribus loci, in quo hic et nunc resident: si secus esset, isti forenses non haberent a quibus dispensarentur a communibus, quibus ligantur, legibus. Item advenæ possunt dispensari a superioribus loci ubi sunt; cum advenæ per domicilium vel quasi-domicilium sint eorum subditi.

(1) Non tamen in canonibus iis, quos Apostoli a Christo ipso acceptos tamquam Ecclesiæ ministri promulgarunt et tradiderunt. Talia sunt in nostra sententia ea, quæ formam respiciunt et materiam Sacramentorum. (2) Unum excipe ex dicendis art. seq.

(3) Imo Episcopus potest dispensare in sua Diœcesi a legibus latis in Concilio Provinciali, modo non agatur de legibus, quarum dispensationem Concilium sibi specialiter reservaverit. Hoc enim valde expedit ad bonum subditorum fidelium regimen. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 5.

Sed magna quæstio est de peregrinis: an v. g. Episcopus vel ab eo delegatus possit dispensare cum illis in votis, juramentis, jejuniis, festis circa opera servilia, ac cæteris quæ sunt de jure communi? Sententia communissima, cui subscribimus cum Croix, Laymano, Salmanticensibus, Sporer, Suarez, etc. negat hac valida ratione: quia peregrinantes non habentes animum contrahendi quasi-domicilium, non sunt subditi (1).

Q. 3. *An legislator possit in sua lege secum dispensare?*

R. In quorumdam sententia legislator non potest quidem proprie et stricte loquendo secum in suis legibus dispensare; non enim suis legibus ipse ligatur. Sed potest improprie, explicando nempe casus, in quibus vi legis naturalis non tenetur se conformare membris communitatis in servanda lege, quam ipse tulit.

Nos vero cum S. Thoma dicimus, ipsum posse secum dispensare etiam proprie, directe nempe et immediate. Ratio est quia dispensatio est jurisdictio pure voluntaria, quæ etiam erga seipsum exerceri potest: quod autem legislator suis non teneatur legibus, falsum est; turpe enim est quod caput suis membris non congruat. Hinc bene sibi dispensare potest in jejunio atque in aliis, in quibus ipse cum aliis potest (2). Quod pariter dicendum est cum communi Doctorum de illo, qui obtinuit facultatem universalem dispensandi cum aliis, iste enim potest etiam cum se ipso dispensare.

Q. 4. *An inferior possit dispensare in lege sui Superioris?*

R. *Per se loquendo* inferior non potest dispensare in lege sui Superioris, *nisi ab ipso superiore facultatem obtinuerit;* ratio est, quia dispensatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in foro Superioris. Hinc Clemens VIII ait: *lex Superioris per inferiorem tolli non potest.* Neque necesse est, ut superior dispensandi facultatem sibi reservet, cum jam sit de natura rei, ut inferior nihil possit in lege superioris absque illius licentia. Ex hoc deducitur: — 1 nullum hominem dispensare posse in lege divina. Hinc damnata est a Clemente XI Bulla *Unigenitus* hæc Quesnelli propositio: *homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem;* — 2 Episcopum dispensare non posse in lege Pontificis, nec Parochum in lege Episcopi, uno verbo nullum inferiorem in lege Superioris.

Diximus 1 *per se loquendo;* nam poterit utique dispensare inferior, si vel communi Doctorum sensu, vel consuetudine id ipsi permittatur. — Sic Parochi propter consuetudinem possunt dispensare cum suis subditis in particulari, etiam præsente Episcopo, in necessitatibus frequentibus circa jejunium, et in abstinentia a laboribus diebus festivis. — Sic usu inductum est, ut Confessarii omnes solvant a censuris (3) (præsertim ab excommunicatione), si non sint reservatæ: — Sic Prælati regulares possunt dispensare in regulis particularibus, si hoc eis non sit expresse vetitum in aliqua materia. — Sic etiam Episcopo communiter tribuunt potestatem dispensandi in legibus Pontificiis: 1 si in canonicis statutis adsit clausula: *donec dispensetur*, absque alio addito; 2 quando vel expresse in jure potestas hæc continetur, vel in

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 158 : l. III, nn. 262 et 332.
(2) 2, 2, q. 18, a. 8.
(3) *V.* Dicenda *De censuris.*

privilegio consuetudinis legitime præscriptæ; 3 quando *vel* urget dispensandi necessitas, *vel* magna saltem utilitas, nec facile recurri potest ad Papam, *vel* in mora est periculum alicujus gravis incommodi; 4 in casibus frequenter occurrentibus et particularibus, v. g. in jejuniis ab Ecclesia indictis, in observantia dierum festorum, etc.; 5 tandem quando dubium est, an casus indigeat dispensatione; tunc enim Episcopus potest declarare casum dispensatione illa non indigere, vel ad cautelam ipse per se dispensare (1). In quibus omnibus Episcopus potest aliis quoque dispensationem delegare; cum hæc potestas æquivaleat ordinariæ, utpote perpetuo adnexa illius dignitati (2).

Diximus 2: *nisi ab ipso superiore facultatem obtinuerit;* nam certum est ex jure, quod ille qui facultate ordinaria dispensat, potest alteri etiam delegare facultatem dispensandi (3): quæ tamen delegatio ut valida sit, debet ab ipso delegato vel ejus nuntio acceptari; sicuti eidem intimari debet delegationis revocatio, ut ipsa cesset, si sine limitatione data fuerit: cum enim res sit inter duos, amborum voluntates uniri debent, ut suum consequantur effectum.

Utrum autem delegatio expiret morte delegantis, si ea absolute data fuerit, distinguendum est: si ea data sit per modum *gratiæ factæ*, quod evenit, cum commissionario seu delegato imponitur præceptum exequendi mandatum, si preces veritate nitantur, uti ordinarie contingit in dispensationibus matrimonialibus, tunc non perit, quantumvis res sit adhuc integra (4). Si vero data sit per modum *gratiæ faciendæ*, quod evenit, quando gratia non est perfecte concessa, seu quando non præcipitur delegato eam exequi, sed sola exequendæ gratiæ licentia datur, si vera sint exposita, et tunc delegatio expirat morte concedentis, re integra; secus re non integra. Dicitur autem res non integra, si delegatus primum actum exercere cæpit, ut si cæpit vocare partem ad cognoscendum de precum veritate (5).

An (quæres) *delegatus alium possit subdelegare?* — Negative generatim loquendo, quia hæc facultas per se non includitur in concessione superioris, nisi expressa sit. Excipe: 1 si quis esset delegatus a Principe; casu tamen quo delegatio facta sit tamquam per officium, non vero si eligatur persona propter suam peritiam, aut si ei committatur alicujus causæ executio (6);— 2 si quis esset delegatus ad universitatem causarum, etsi non a principe: hinc viceparochi universim deputati in locum parochi absentis vel mortui, possunt alium subdelegare (7). Hæc tamen subdelegatio non potest esse ad totam, sed ad unam vel alteram causam tantummodo, ut commune est cum D. Thoma: *vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed po-*

(1) Quoad dispensationes *ad cautelam* hæc notat Benedictus XIV, *Notif.* 101: *Diana sapienter advertit concedi a S. Pœnitentiaria vel Dataria dispensationes ejusmodi non tamquam necessarias; sed ut omni scrupulo, animique sollicitudine fideles eripiantur.*

(2) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. II, nn. 55 et seqq.; tr. XX, n. 32.

(3) Ex l. More ff. de jurisd. omnium judicum. (4) Ex Reg. 16 juris, in 6.

(5) Ex. c. 1, § 1, de Filiis Presbyt. — *V.* Sanchez, *De matrim.* l. VIII, disp. 28.

(6) C. fin. § 1, de off. et potest. deleg.

(7) *L.* 1, § *An ab. eo, ff. Quis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. 1, n. 193; l. VI, n. 566.

test partem (1). Quod autem dictum est de delegatione facta a Principe, valet magis de delegatione facta a Papa.

Q. 5. *Quænam sunt justæ a lege dispensandi causæ?*

R. Causæ justæ dispensandi ad duas revocantur et sunt: — 1 *necessitas*, quo nomine non mera impotentia accipienda est, quia tunc lex per se cessaret; sed incommodum respective grave. Sic dispensatur a jejunio qui nequit jejunare sine gravi capitis dolore; — 2 *utilitas:* sic dispensatur a voto qui in magno castitatis periculo versatur. Ratio est bonum commune, et charitas in proximum.

Cæterum Superioris semper est judicare, an causa dispensandi justa sit; inferior vero, modo bona fide causam exposuerit, judicium Superioris expectare, reverenter recipere et illi acquiescere. Juvat tamen hic animadvertere, non bene se gerere qui illico, obiter nempe ad causam attendentes, dispensationem a lege petunt; sicut enim superior non debet eam elargiri sine debita ac proportionata causa, ita nec inferior eam expostulare.

Sed (quæres) *an superior, justa extante causa, tenealur dispensare?* — Si justa causa sit talis, ut tantum reddat convenientem dispensationem, non tenetur superior dispensare; nam est mera gratia, ideo libera. — Sed e contrario dispensare tenetur, si dispensatio sit necessaria ad grave damnum avertendum, vel bonum commune procurandum; ideo enim ipsi potestas data fuit. Denegata tamen dispensatione, subditus nequit agere contra legem, cum adhuc sub ipsa sit: excipe, nisi causa adeo urgeat, ut eum a lege omnino subducat; nam *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (2).

Quid (addes) *si dubitetur, an causa extans justa sit ac sufficiens?* — Eo in casu Superior poterit dispensare in lege humana; quia possidet illius potestas, et causa extans præsumitur legitima. Secus si dubitetur, an quis habeat potestatem, vel an adsit causa: tunc ipsa remanet probanda (nisi tamen dubitetur post factum; nam *præsumitur recte factum quod erat de jure faciendum).*

In dubio autem sive positivo sive negativo, an aliquis casus indigeat dispensatione, licet satius sit adire superiorem, saltem ad majorem tranquillitatem, ut ipse casum declaret vel dispenset, poterit tamen subditus uti sua libertate; quia idem est ac dubitare, an casus ille sit inclusus in lege. Excipe dispensationes matrimoniales ratione Sacramenti, ne illud frustrationis exponatur periculo (3).

Quid (subjunges) *si causa dispensationis sit certe injusta?* — R.: quæstio est vel de dispensationis licitate, vel de dispensationis validitate:

1. Quod pertinet ad licitatem, certum est dispensationem sine causa esse illicitam utpote bono communi contrariam. Unde Tridentinum ait: *sciant universi sacratissimos Canones exacte ab omnibus et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio perti-*

(1) *Quod.* l. XII, n. 31. — Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 82.

(2) Cap. 4, de reg. juris.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. II, n. 51.

nebit, erit præstandum (1). Potestas enim hæc non est data ad destructionem, bene vero ad ædificationem; atqui ea ad destructionem uteretur qui dispensaret sine justa causa. Iste enim pacem perturbaret, quietam legis possessionem subverteret, latam transgressionibus viam aperiret, et superiores facillime exponeret inferiorum contemptui. Quare licet in communi sententia excusetur a peccato gravi, et probabiliter etiam a levi qui, præcluso scandalo, utitur dispensatione sine causa obtenta, cum non amplius sit sub lege; certum est tamen tum concedentem tum petentem peccare, quia unus alteri cooperatur in violatione legis naturalis, quæ dictat partem debere conformari toti (2).

2. Ad valorem quod spectat dispensationis sine justa causa concessæ, distinguendum. Qui sic dispensat vel superior est, ita ut lex sit ab ipso lata, aut a prædecessore ejus; vel est inferior. Si superior, valide agit, quia legis obligatio totaliter pendet ab illius voluntate; unde, cessante hac superioris voluntate, legis obligatio cessat. Si vero inferior, tunc invalida erit dispensatio; non enim superior præsumi potest dedisse inferiori potestatem imprudenter dispensandi in lege propria; cum non sit præsumendus velle peccare.

An (quæres) *valeat legis dispensatio extorta per metum, vel tacita de præsenti, vel præsumpta de futuro?*—R. dispensatio extorta per metum etiam injustum valet, si non constet omnino defuisse in superiore animum dispensandi; quia metus non tollit voluntarium. — Item valet dispensatio tacita, modo possit juste præsumi consensus de præsenti; tunc enim æquivalet expressæ. Hinc si superior videat suam legem negligi, et taceat, cum possit facile ac sine incommodo corrigere, nec monendo majus malum timeat, juste præsumitur dispensare; ne dicatur superior peccare. — Non tamen valet dispensatio præsumpta de futuro; nam præsumptio indicat tantum dispositionem ad dispensandum, non actualem et veram dispensationem (3).

Q. 6. *An valida sit dispensatio obreptitia et subreptitia* (4)?

R. Hic audiendus Salzano (5): «La dispensa subrepticia es aquella en la que se calla lo verdadero: obrepticia es aquella en que se espone lo falso. Cuando ambas son nulas, no es por defecto del principio del cual parte la dispensa, pudiendo el superior dispensar, aun sin causa sino lícita á lo menos validamente: si no por defecto de intencion en el mismo superior, que no quiere dispensar si se calla tal verdad ó se dice alguna falsedad. Pero para decidir que dispensas deben tenerse por nulas, es preciso distinguir an-

(1) Sess. 25, c. 18, de Ref.

(2) Porro peccant in aliquorum quidem opinione mortaliter; in aliorum vero (et quidem satis probabili) opinione tantummodo venialiter, prout levem vel gravem censent esse deformitatem.— *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, nn. 178 et seqq.

(3) Nec refert, quod valeat licentia præsumpta; etenim dispensatio cum sit vulneratio legis, stricte est accipienda. Non item licentia, quæ non aufert legis obligationem, sed tantum conditionem apponit, sub qua lex non obligat. Sic v. g. si agere aliquid prohibeatur sine licentia, qui licentiam illam obtinet a superiore, ut agat, non proprie in lege dispensatur, imo potius operatur juxta legem ipsam, quæ vult ut in casibus occurrentibus licentia petatur.

(4) In jure et usu promiscue plerumque usurpantur obreptio et subreptio.

(5) *Lezione di diritto*, lez. XXVI. — Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 185.

te todo que una cosa es la causa principal y final, sin la cual el superior no hubiera dispensado; y otra la causa impulsiva ó menos principal, sin la cual el superior hubiera dispensado aunque no con tanta facilidad. Sentado este principio decimos que si la obrepcion ó subrepcion recae sobre la causa principal de la dispensa, debe esta tomarse por nula, esprésese ó no en el rescripto de la concesion la sabida cláusula: *si preces veritate nitantur*. Es doctrina del immortal pontífice Inocencio III y viene confirmada por la razon natural. Con efecto, si el superior no intenta dispensar sino por tal causa, de tal modo que sin ella no hubiera concedido la dispensa, esta es nula si aquella no existe. Si la obrepcion ó subrepcion recae sobre la causa impulsiva ó menos principal, es preciso distinguir de nuevo; si fué por malicia del postulante, la dispensa es nula; si fué por simplicidad, si fué por ignorancia, debe considerarse por válida: es igualmente doctrina de Inocencio III (1).»

Si autem dubitetur, an causa non recte allegata sit finalis an impulsiva, vera an falsa, cum bona vel mala fide, dicunt Salmanticenses, Sanchez et alii, censendam esse validam dispensationem; quia in dubio standum est pro valore actus. Item valere eam dicunt, si plures causæ sint expositæ, aliæ veræ, aliæ falsæ, modo una ex illis sit vera et sufficiens; jam enim adesset causa finalis (2). —Cæterum quoad vitium sive extrinsecum quod consistit indefectu formæ, sive intrinsecum quod sistit in causæ narratione, attendendus est stylus Curiæ ac usus; cum habeatur uti lex. Ita si erratum sit in nomine Diœcesis, iterum Romam mittatur rescriptum corrigendum. Hinc illud: *falsa latinitas vitiat rescriptum* (3) *(T)*.

Q. 7. *Quandonam cessat dispensatio legis?*

R. Cessat dispensatio:—1 per renuntiationem dispensati: potest enim quilibet cedere juri suo; sed præter renuntiationem dispensati expressam vel tacitam, requiritur etiam acceptatio dispensantis; secus valor dispensationis non cessat: v. g. Petrus obtinuit dispensationem ad contrahendum cum Lucia; si posthabita hac dispensatione, ducit Cajam, Caja mortua, Luciam sine nova dispensatione ducere potest;—2 per revocationem dispensantis; *per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur*. Si revocatio sit facta a superiore in lege sua, valida est, etsi sine causa, quia obligatio, et deobligatio a legislatoris voluntate omnino pendet: peccat tamen qui sic revocat, quia agit inordinate. Si vero revocatio sit facta a superiore secun-

(1) Ita legitur cap. 20 de rescript.; item jure civili, l. XXIX, ff. ad l, *Corn. de falsis*. Imo dicitur etiam graviter puniendus qui id egit, l. V, *cod. si contra jus*. Et ex *Pedemontanis Constitut.* l. II, t. II, c. 2, § 5 præter compensationem damnorum imponitur decem etiam scutorum pœna.

(2) Hic nonnulla notanda pro praxi: —1 valet dispensatio alicui improbo concessa, quem dispensator probum putavit, etsi cognita improbitate, ipse certo non fuisset dispensaturus, quia probitas non reputatur nisi causa impulsiva;—2 valet, etsi concedatur in mala fide, ut cum putat dispensator causam non adesse, quæ revera adest; nam valor non pendet a cognitione, sed ab existentia causæ. Item valet si causa finalis tempore petitionis sit falsa; sed vera fiat tempore concessionis; quia a concessione dispensatio obtinet;—3 valet dispensatio concessa a primario superiore, licet ab alio jam fuerit negata, etsi de negatione mentio non fiat. Imo probabiliter valet etsi a primario negata, fuerit a secundario superiore concessa; quia potestas inferioris non est restricta per negationem superioris, nisi hic expresse eam restringat. — *V.* Liguori, *Hom. Apost.* tr. II, n. 53.

(3) *V. Examen raisonné* etc. Lyon, 1851.

dario, seu a delegato ab ipso legislatore, tunc ea et illicita est et invalida, si justa non adsit causa; siquidem facultas inferioris est specialiter limitata, id est ne male illa utatur. Ita Salas, Salmanticenses, Sanchez, Tapia, etc.; —3 per totalem cessationem causæ finalis, cum hæc tota sit ratio illius: in dubio, an totaliter causa cessaverit, standum est pro dispensatione, quæ possidet (1). Ut autem intelligatur quando per cessationem causæ finalis ipsa cesset dispensatio, plures hypotheses conficiendæ sunt.

1. Si causa finalis cessaverit, quando superior litteras concedit, committens inferiori ut dispenset, tunc nulla evadit commissa facultas dispensandi; quia superior non intendit tale mandatum concedere, nisi ob causam hic et nunc subsistentem; ideo delegatus non potest amplius procedere ad dispensandum (2).

2. Si causa finalis cessaverit non quidem quando superior committit delegato ut dispenset, sed quando ipse delegatus vult dispensationem exequi et dare, adhuc cessat valere dispensationem; ille enim, cui litterarum executio demandatur, muneri suo non potest satisfacere nisi sub tacita conditione: *si preces veritate nitantur:* quæ conditio exigit, ut causa finalis persistat actu, quo dispensatio sortitur executionem (3). Sic Titius petit dispensationem ab impedimento consanguinitatis, exponens pro sola causa finali prolis jam a consanguinea susceptæ legitimationem: obtinet dispensationem, et dispensatoriæ litteræ jam sunt expeditæ; sed antequam istæ litteræ executione donentur, proles moritur: tunc dispensatio cessat.

3. Si causa finalis cessaverit non quidem antequam delegatus dispenset, sed antequam dispensatio ipsa legitime jam data sortiatur ultimum effectum suum: ut si obtenta sit, et rite jam tributa ob paupertatem dispensatio ad matrimonium contrahendum, sed matrimonio nondum contracto, oratores divites evadunt, tunc adhuc cessat valore dispensationem, si ea concessa sit sub conditione expressa vel tacita *si causa perdurat*, uti patet. Si autem ea sit absolute concessa, tunc satis probabiliter, etiam cessante causa finali, non cessat dispensatio; quia semel per dispensationem sublata legis obligatione, hæc non redit, nisi iterum a superiore imponatur: unde oratores de quibus hic, possunt matrimonium inire, etsi facti divites; quia tempore utili fuerunt absolute dispensati. Imo quando dispensatio est absolute concessa, non cessat per unum actum; v. g. obtinuisti dispensationem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua conjuge perdurat dispensatio; nisi fuerit concessa pro speciali casu, v. g. ad ducendam à te defloratam.

Sed difficultas est, quandonam dispensatio censenda sit concessa absolute, et quando sub tacita conditione *si causa duret*. Resp.: si causa finalis judicatur perpetua, tunc dispensatio censetur absolute data, etsi postea causa per accidens cesset, secus non. Judicatur autem causa perpetua, si dispensatio uno veluti actu tota consummetur: ita si quis obtineat dispensationem ab irre-

(1) Hinc si causa finalis v. g. dispensandi in impedimento matrimonii, sit et legitimatio prolis et reparatio scandali, vel damni; si proles moriatur, vel fœtus ejectus fuit, adhuc sustinetur dispensatio ad scandalum reparandum vel damnum; quia, ut patet, causa finalis non cessat totaliter.

(2) C. 9 *de rescript.* (3) C. 30 *de præb.* l. VI.

gularitate vel ob paupertatem parentum, vel ob morum honestatem, vel ob inopiam ministrorum, hæ causæ absolutæ et perfectæ habebuntur. Judicatur vero causa temporaria et ideo dispensatio nonnisi data sub conditione *si causa duret*, si dispensatio ipsa de se habeat tractum successivum; tunc enim virtute multiplex censetur, et singulis, ut ita dicam, diebus renovata: ita si quis sit dispensatus ab officio vel jejunio ob infirmitatem, dispensatio censetur temporaria, et cessat, ipsa finali infirmitatis causa cessante (1).

Q. 8. *Quid est legis derogatio et abrogatio?*

R. Licet derogatio, et abrogatio eumdem sensum videantur exprimere, diferunt tamen. *Derogatio* legis est legis adhuc vigentis quædam quasi imminutio secundum aliquam ejusdem partem, seu brevius est abolitio partis legis. *Abrogatio* est abolitio legis totius.

Triplici autem modo abrogatio et derogatio legis haberi potest:—1 per legislatoris vel superioris revocationem; etenim *res per quas causas nascitur, per eas dissolvitur.* Atqui lex tam in toto, quam in parte nascitur per legislatoris voluntatem; ergo per eamdem tam in toto, quam in parte dissolvi potest (2). Nequit tamen legislator sine causa legem *licite* revocare; nam potestas non est data superioribus in *destructionem.* At potest illam revocare *valide* etiam sine justa causa; cum tota vis legis pendeat ab illius arbitrio; —2 per contrariæ consuetudinis præscriptionem (ex dicendis);—3 per legem posteriorem universalem priori legi *item universali* derogantem; alioquin foret inanis posterior lex. Diximus: *item universali;* nam jure statutum est speciali legi non derogari per generalem, nisi vel fiat specialis mentio, vel aliter constet esse mentem legislatoris, vel dicatur: *nostra certa scientia.*

Q. 9. *Quid de legis cessatione?*

R. Legis cessatio *est pura et simplex legis per se ipsam extinctio;* lex porro extinguitur per se ipsam:—1 si propter materiæ, vel circumstantiarum mutationem facta est injusta, vel inutilis bono communi: nam lex debet esse ex vi naturæ suæ justa et bono communi utilis;—2 si respectu communitatis cessat totaliter ejus causa finalis adæquata; tunc valet adagium: *cessante causa, cessat etiam effectus:* et lex evadit inutilis. Ita S. Thomas cum communi (3). Si vero lex lata sit ob plures causas, et una tantum earum cesset, adhuc viget illius obligatio, si adhuc revera sufficiens causa sit.

Sed quid (quæres) *si finis adæquatus, nempe totalis legis, cesset tantum in*

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. II, n. 66; et *Op. Mor.* l. I, n, 196.

(2) Quæres: *An Episcopi possint extra Synodum Diœcesanam abrogare leges ipsas Synodales, et novas condere contrarias?*—Affirmative, sive leges a se sive a suis antecessoribus factæ fuerint, quibus in omnibus succedunt; nam per quas causas res nascitur, per eas dissolvitur. Unum excipe: nempe non possunt Episcopi dispensare in lege Synodali taxativa congruæ pro Ordinandis, quæ est lex scripta; nec in non scripta, scilicet consuetudine regionis. Ratio est Bulla Innocentii XII, *Speculatores* (quam refert Croix, n. 2166), edita anno 1694: statuit enim, ut *beneficium ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Ss. Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur.* Unde Pontifex implicite admit Episcopo facultatem dispensandi, seu potius arbitrandi, aut faciendi supputationem suo modo, licet pro illa vice tantum. Ita resolvit Lib. *Praxis Secretariæ Tribunalis Cardinalis Urbis Vicarii,* auctore Romualdo Honorante. Romæ 1662, cap. 8.

(3) 1, 2, q. 103, a. 4.

casu particulari?—Oportet distinguere: si finis totalis seu adæquatus cesset *contrarie,* nimirum si lex reddatur nociva eo in casu, aut saltem valde difficilis, tunc communis est sententia, eam in dicto casu non obligare. Si vero finis adæquatus in particulari cesset tantum *privative,* nempe si lex pro illo casu particulari, aut illa persona esset inutilis, non ita conveniunt. Attamen communius est, quod lex illa adhuc obligat; quia quamvis cesset finis legis in particulari, non cessat tamen in communi: ideo est periculum hallucinationis, qua quisque in casu proprio faciliter decipi potest. Unde tunc evadit lex fundata in præsumptione juris, quæ utique semper obligat (1). Ita D. Thomas (2).

ARTICULUS II.—De privilegio (3) et consuetudine.

Q. 1. *Quid est privilegium?*

R. Privilegium (sic dictum quasi *privata lex*, vel *privans lege*) definitur: *lex privata speciale aliquod alicui concedens beneficium.*—Appellatur *lex privata*, non quidem respectu personæ privilegiatæ, cui nulla imponitur lex, imo gratia confertur; sed respectu communitatis, cui imponitur obligatio non impediendi privilegii usum. Ex quo sequitur privilegium non concedi, nisi ab eo qui legem condit: item acquiritur consuetudine legitime præscripta, cum hæc vim legis obtineat.—Differt privilegium a licentia; quia hæc conceditur tantum ad determinatos actus, et singularibus personis.

Privilegium est interpretandum eo modo, ut non sit inutile privilegiato: cum sit gratia. Quod si interpretatio prohibeatur, id intelligitur de sola juridica et authentica; vel de ea, quæ fit ex professo: non vero de doctrinali, quæ interdum necessaria est.—Est porro regula generalis, privilegium large accipiendum esse, maxime si sit reale, vel insertum in corpore juris ob illius perpetuitatem (4); item de se non extingui per mortem concedentis, cum sit gratia facta in favorem ejus qui privilegium obtinuit, non vero simplex

(1) 2, 2, q. 154, a. 2.

(2) *Sed oppositum tenet.* ait Alphonsus noster, *plures graves Doctores, nimirum Cajetanus, Sylvester, Panormitanus, Angelus, Valentia, Sa, Cardenas, Ledesma, Granada, Henriquez, Hurtadus et Tamburini cum Navarro, Abbate et Comitolo: et Salmanticenses ac Viva vocant etiam satis probabile dicentes, quod sicut cessante fine in communi, cessat lex pro omnibus: ita cessante fine in particulari, cessat lex in particulari: cum æque in ambobus casibus lex reddatur inutilis. Et quemadmodum cessante fine in uno tempore, cessat lex pro illo, licet non cesset pro alio tempore; ita cessante fine in uno casu, cessat lex pro eo, licet non pro aliis. Et ideo dicunt communiter admitti, legem fraternæ correctionis non obligare ubi non speratur fructus.—Et ut hæc sententia locum habeat, semper sic intelligenda est, dummodo certo in illo casu nullum subsit periculum hallucinationis. quod quidem semper invest in casu allato a S. Thoma, fornicationis, nempe, de qua dumtaxat loquitur loco citato.—Homo Apost.* tract. II, n. 69.

His tamen non obstantibus. ait idem Sanctus in *Op. Mor.* l. 1, n. 199, *magis mihi arridet prior sententia, eo quod fere numquam communiter loquendo in particulari cessat omnino periculum hallucinationis.*

(3) Fusius de privilegiis S. Alphonsus, *Op. Mor.* l. I, App. 2; et *Hom. Ap.* tract. xx, nn. 18, etc. nempe Ecclesiasticorum. Episcoporum ac Regularium.— Privilegia nonnulli damnant; attamen extra æquitatem: etsi enim privatis concedantur, semper in publicum bonum cedunt, ubi rite tributa sint; cum ideo plurimum alliciantur homines ad præclara intentanda: quod quidem ad communem utilitatem inservit.

(4) Ex cap. *Olim.* 6 *de verb. signif.;* et *ex Lege ult. ff. de Const. Princip.*

delegatio ad gratiam faciendam; at concessam gratiam decet esse mansuram. Hinc qui obtinuerunt indulta v. g. absolvendi a reservatis, dispensandi a casibus, recipiendi Ordines sacros extra tempora, benedicendi coronas, habendi oratorium privatum, celebrandi ante auroram, deferendi aliquem ornatum, v. g. cappam magnam, crucem, etc., hisce facultatibus uti possunt, etiam post obitum concedentis, si concessio absolute facta sit (1).

Q. 2. *Quomodo dividitur privilegium?*

R. Tripliciter præcipue dividitur privilegium: 1 in *reale* et *personale;* 2 in *gratiosum* et *remuneratorium;* 3 in *favorabile* et *odiosum.*

1. Privilegium reale est, quod directe et immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, dignitati, muneri, statui. Hoc transit ad hæredes et successores in eadem re, cum rei ipsi privilegium inhæreat. Sed qui illud habent, nequeunt eodem uti extra territorium concedentis; quia censetur locale. Personale vero est quod conceditur immediate personæ ratione sui ipsius, v. g. ob scientiam, sanctitatem, etc. Hoc extinguitur cum eadem persona: et qui illud habent, possunt eodem uti in quemcumque pergant locum; quia personam afficit, eamque sequitur quocumque.—Privilegium censetur personale, si exprimatur nomen personæ, cui conceditur: v. g. *concedimus Francisco Archiepiscopo Taurinensi.* Si autem sola exprimatur dignitas, concedimus *Archiepiscopo Taurinensi,* erit reale. In dubio, si odiosum, habetur uti personale; secus uti reale. Ratio autem est, quia *odia sunt restringenda, favores ampliandi.*

2. Privilegium gratiosum datur gratis, nempe sine ratione sive privilegiati, sive aliorum: hoc sine causa revocare licet.—Remuneratorium e contrario illud est, quod alicui conceditur ratione meritorum ipsius, vel alterius. Hoc revocari non potest, nisi ex justa et gravi causa atque cum ablati privilegii compensatione; nam erat quasi merces laboris.

3. Privilegium favorabile est quod privilegiato confert commodum, et nemini affert incommodum: tale est privilegium vescendi carnibus in Quadragesima.—Hoc semper est ampla interpretatione explanandum; quia *beneficium Principis late accipiendum est* (2).—Odiosum vero est illud, quod uni confert commodum, alteri præjudicium. Dicitur *odiosum* respectu aliorum: talis est v. g. exemptio a solvendis tributis, quæ gravant alios. Et ideo

(1) Aliter esset si concessio a superiore sit facta sub clausula *quamdiu vixero.* Quod si privilegium datum sit sub clausula *donec voluero,* alii dicunt expirare morte concedentis ad modum dispensationis; quia voluntas morte finitur. Alii probabiliter negant; quia privilegium utpote favorabile (cujusmodi non est dispensatio, utpote vulnus legis) ut extinguatur, debet concurrere actus positivus; cum per se favores sint ampliandi. Cæterum tradit cl. Alasia, *nostris in regionibus* (in Regno Pedemontano) *usu et prava receptum esse omnia officia et gratias, quæ alicui conceduntur a Principe durante ipsius beneplacito, per illius obitum non extingui.*

(2) C. 8 *de privil.*

Aliæ sunt privilegiorum species. — Sic est privilegium *contra jus,* si juri communi deroget: et *præter jus,* si ejus actus a jure non attendatur. — Est privilegium *motu proprio* datum, et ita censetur si proferat illam clausulam; secus censetur datum *ad instantiam.* — Est privilegium *ad instar* si quæ uni sunt concessa, alteri communicentur accessorie; atque *pariformiter,* si quæ uni data sunt, alteri communicentur æque principaliter. Illud extinguitur, minuitur, augetur prout extinguitur, minitur vel augetur privilegium principalis; non item istud, quod non dependet ab alio, etc.

semper est strictæ interpretationis (quia *odia sunt restringenda),* licet sit a Principe concessum ; *nam supremus imperans præsumitur semper justitia plenus... idcoque omnia, provisiones, Rescripta, et mandata Principum insitam conditionem habent, etiamsi non apponatur, nempe: dummodo tertio non præjudicet* (1).

Q. 3. *Quot modis privilegium amittitur?*

R. Sex modis privilegium amitti potest :

1. Lapsu temporis præscripti : aut cessante causa propter quam fuit concessum : aut non servata conditione, sub qua fuit concessum. Nam privilegium non durat ultra intentionem concedentis ; atqui concedens noluit privilegium tribuere, nisi ad tale tempus et sub tali causa et cum tali conditione. Ergo etc.

2. Per voluntariam et liberam renuntiationem factam a privilegiato et acceptatam a privilegiante. Quia *liberum est unicuique juri suo renuntiare* (2), si tamen hoc jus ipsi favorabile proxime non respiciat bonum communitatis (3).

3. Per non usum spatio temporis ad præscriptionem sufficienti, si privilegium sit odiosum, *et se obtulerit occasio illo utendi ;* quia in hoc casu censetur adesse tacita illius renuntiatio (4). Si non sit odiosum, non amittitur per præscriptionem ; quia nemo est qui habeat jus querelam de eo movendi.—Diximus *et se obtulerit occasio illo utendi;* nam secus privilegium non amittitur. Sic qui usus non est privilegio ducendi aquam de fundo alieno in fundum proprium, quia fons exaruit, privilegium amisisse dici non poterit (5).

4. Per usum privilegio formaliter contrarium, si privilegium sit odiosum, ob præsumptam nempe privilegii renuntiationem : sic qui habet privilegium non solvendi decimas et eas tamen solvit scienter et libere, privilegium amittit (6) : si vero non sit odiosum, illud non amittitur ob contrariam rationem. Sic qui habet privilegium non jejunandi tempore Quadragesimæ et tamen jejunat, privilegium suum non amittit ; quia jejunare præsumitur tantum ex devotione, non vero ex voluntate privilegio renuntiandi (7).

5. Per abusum ; quia privilegium meretur amittere qui eo abutitur. Ad id tamen requiritur sententia declaratoria, nisi privilegium datum sit sub conditione illud ipso facto amittendi per abusum (8).

6. Denique per revocationem concedentis, aut ejus sucessoris privilegiato significatam. Porro privilegium regulariter intelligitur revocatum per novam legem, quamvis non adsit clausula revocatoria, quando aliter non potest nova lex suum effectum sortiri; neque enim dici debet conditam fuisse legem inutilem.—Ad revocationem autem ordinarie sufficit clausula ge-

(1) *V.* Oldradus, *De litteris et mandatis Principum.*
(2) Cap. 6 de priv., l. XXIX, cod. de pact.
(3) Cap. 8 de const.; cap. 22 de præb., arg. l. XLVII, ff. de re judicata.
(4) Cap. 6 de priv. (5) L. XXXIV, Unus ex sociis, § ult.
(6) Arg. cap. cum accessissent, 1 de const.
(7) Arg. l. II, ff. de via publ. (8) Cap. 24 de priv.

neralis: *non obstantibus privilegiis,* nisi sint justitiæ, vel qualificata, vel inserta in jure. Si vero dicatur: *ex certa scientia, ex motu proprio, de plenitudine potestatis*, vel si certo constet de mente legislatoris, tunc revocatur quodcumque privilegium, exceptis onerosis, nempe concessis ob pretium acceptum, vel ob onus privilegiato impositum (1).

Q. 4. *Quid est consuetudo, prout habet vim legis?*

R. Consuetudo prout vim legis habet, definitur *jus quoddam actibus uniformibus, diuturnis ac liberis inductum.* Obligat in conscientia, si debitis fulciatur conditionibus: constat tum ex utroque jure (2); tum ex ratione; nam consuetudine semel inducta, lex non amplius confert ad bonum publicum: *tunc manifestatur per consuetudinem,* ait Angelicus, *quod lex ulterius non est utilis, sicut etiam manifestaretur, si lex contraria verbo promulgaretur* (3).

Consuetudo alia est universalis, quæ in toto Regno, vel in tota Ecclesia viget; alia particularis, quæ non viget nisi in aliqua parte, v. g. in Provincia vel Diœcesi.—Item alia dicitur juxta legem, alia præter legem, alia contra legem: 1ª legi conformis est, et eam magis explicat; hinc consuetudo dicitur *optima legum interpres:* 2ª inducit novum jus, quod antea non existebat: 3ª abrogat legem ipsam jam latam (hæc suo nomine dicitur *desuetudo*). Et en consuetudinis effectus. Sex autem communiter requiruntur, ut consuetudo fiat lex:

1. Ut non introducatur a persona particulari, sed saltem a majori parte communitatis, alioquin novæ leges novis continuo locum darent, cum privatum instabilem reddat mala sua cupiditas. Communitas autem consuetudinem inducens debet esse talis, ut sit capax ferendi legem ex consensu superioris; nam consuetudo est vera lex. Non tamen ut omnes omnino e communitate eam inducant necesse est; ab omnibus enim moraliter factum censetur quod fit a parte majori.

2. Ut sit rationalis, non quidem in eo sensu, quod non sit peccaminosa; nam ordinarie peccant qui eam primitus inducunt contra legem. Sed eo sensu quod sit de materia, quæ possit per legem humanam imperari. Hinc non datur consuetudo neque contra legem naturalem; hæc enim respicit honestatem, quæ imprærscribibilis est: neque contra legem divinam, quam voluit Christus perduraturam ad mundi finem independenter a populo; *Christus enim*, ait D. Augustinus, *se legem, non consuetudinem dixit.* Unde ea datur tantum contra humanam.—Hic autem est animadvertendum, in consuetudine non requiri bonam fidem; nam etiam peccando consuetudo potest induci, ut merito docet Antoine; fortior enim vis legitimæ consuetudinis in eo est, ut lex passim non servetur, quando occurrit servanda (4).

(1) Cap. 1 de const. in 6. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. xx. nn. 11 et seqq.

(2) Ex cap. *In his* d. xi; et variis titul. *de consuet.*; l. *de quibus ff. de Legibus:* et l. *præses* c. *Quæ sit longa consuet.*

(3) 1, 2, q. 97, a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, nn. 107 et seqq.

(4) Triplicem in consuetudine veluti temporis statum distinguunt Salmanticenses: *initium, progressum* et *finem.* Initio introducentes consuetudinem contra legem omnes peccant; quia adhuc obtinet lex. In progressu non peccant qui ea jam a majoribus inducta utuntur bona fide, sed

3. Ut actus, quibus ea inducitur, *sint liberi*, alioquin deficeret ejus causa efficiens, quæ est populi consensus: hinc consuetudinem non inducunt actus positi per vim, vel ignorantiam, puta si populus falso crederet adesse legem, quæ revera non adest; neque enim populus potest adstringi novæ obligationi, nisi certe intendat illam voluisse sibi imponere: hinc si observaret jejunium falso putans se aliqua lege ad id teneri, consuetudinem non induceret; *frequentes et uniformes*, ut rite colligatur communitatis consensus; *notorii* saltem notorietate facti; nam consuetudo cum vim legis habeat, non minus quam lex debet esse voluntaria et promulgata; tandem *continui*, nam si interrumpantur etiam per actum unicum a majori parte communitatis, vel si interim Princeps reclamet et puniat consuetudinis introductores, consuetudo illa minime præscribet. Nomine autem *actuum*, hic intelligimus etiam actus negativos, seu omissiones contingentes eo tempore, quo lex suam urgeret obligationem (1).

4. Ut adsit intentio se obligandi, vel consuetudinem introducendi, quia consuetudo non habet vim legis nisi ex populi voluntate, accedente superioris consensu: nulla ergo evadit consuetudo, si populus aut major ejusdem pars aliquid ex devotione agat, uti est consuetudo Salutationem Angelicam ter in die recitandi, tres Missas in die Nativitatis audiendi, in ingressu templi aquam benedictam sumendi, etc. Intentio se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe *si* consuetudo a longo tempore constanter observetur, *si* observetur etiam cum incommodo satis gravi, *si* ita sentiant homines pii (2): hac ratione dicimus consuetudinem regularium et monialium recitandi divinum Officium sub gravi tenendam esse.

5. Ut adsit consensus Principis personalis vel legalis; quia lex prodit a superiore, ideoque non sine illius consensu (3). Princeps consentit personaliter, cum vel per se et immediate consentit, ut inducatur consuetudo obligatoria, vel eam tacite aut expresse approbat, vel illi non resistit; scire enim debet eam passim introduci ubique: unde continuo ipsi invigilandum est, si velit, ut sua lex firma existat.—Consentit legaliter, quando ipse aut ejus prædecessores leges vel tulerint vel receperint, quibus approbantur consuetudines rationabiles atque legitime præscriptæ.

6. Tandem requiritur tempus diuturnum. Verum hic distinguendum est: vel consuetudo inducitur via conniventiæ, legislatore nempe sciente et connivente: quod evenit, quando legislator scit legem non recipi, et dissimulat, cum possit facile urgere observantiam. Vel inducitur ordinaria via præscriptionis, legislatore ignorante.—Si 1, docet Benedictus XIV, *nullum temporis spatium esse necessarium.... Tunc quippe post paucos actus a superiore toleratos præsumitur, quod idem per hanc ipsam conniventiam suam*

adhuc possunt a Principe puniri; quia nondum ea est legitimata. In fine neque peccant, neque amplius puniri possunt; cum jam sit vera lex.

(1) Hoc modo cessavit obligatio audiendi Missam parochialem in die festo; quia nempe a fidelibus omissa est eo tempore, quo vigebat.

(2) In dubio an consuetudo sit ex obligatione necne, sub gravi an sub levi, ad culpam an ad pœnam tantum, benignior pars erit tenenda; nam quisque censetur minus quoad potest se obligare.

(3) S. Thomas, 1, 2, q. 97, a. 3.

legem tacite revocet; nolitque ea obstringere communitatem, cui displicet (1). —Si 2, alii dicunt temporis diuturnitatem relinquendam esse arbitrio prudentum, qui juxta repetitionem actuum, negotiorumque qualitatem pronuntiabunt: alii decem annos sufficere docent contra leges civiles, quia hoc tempus in jure dicitur longum (2): sed contra leges ecclesiasticas requirunt 40 annos, quia hoc tempus necessarium est ad præscribendum contra Ecclesiam (3). Alii demum plures cum Ferraris, Lessio, Lugo, Navarro, et Sa (in quorum sententiam evidenter inclinat laudatus Pontifex) rationabiliter dicunt, sufficere 10 annos pro utraque lege; cum nulla in jure habeatur facta legis distinctio, et textus contrarii loquantur tantummodo de juribus, atque de bonis Ecclesiæ immobilibus (4).

Q. 5. *An consuetudo possit abrogari per subsequentem legem?*

R. Affirmative: consuetudo potest abrogari per sequentem legem; consuetudo enim suam habet vim obligandi ab ipsa Principis auctoritate; ergo eadem auctoritate poterit illam amittere.

Commune tamen est, non abrogari consuetudinem particularem ob generalem legem contrariam, nisi recte præsumatur Princeps eam nosse saltem confuse, et voluisse eam abrogare. Hinc particularis consuetudo unius Provinciæ non abrogatur per legem generalem totius Ecclesiæ vel Regni, nisi in lege illa fiat specialis ejusdem mentio, vel per clausulam generalem dicatur: *non obstante quacumque consuetudine.* Aliter præsumitur Princeps ignorare eam consuetudinem particularem, et ideo eamdem abrogare noluisse. —Excipiunt Salmanticenses leges ab Episcopis sancitas; cum Episcopi præsumantur omnium consuetudinum contrariarum habere notitiam.

Ex adverso quia consuetudines universales præsumuntur Principi esse notæ, eo ipso abrogari dicendæ erunt, quod Princeps fert legem contrariam, etsi desit clausula generalis derogatoria. —Consuetudo autem immemorialis, cum majorem habeat vim, non revocatur, si ea non exprimatur in lege, ut S. C. C. declaravit (5).

Q. 6. *An expediat inductas consuetudines evellere?*

R. Si consuetudo sit contra fidem ac mores, utique curandum, ut quoad potest, cito evellatur; cum nulla dari possit hac de re legitima præscriptio; imo non tam esset consuetudo, quam corruptela. Item præstat, ut evellatur quæ inutilis est atque minus ad pietatem fovendam conducit: cum Superioris esse debeat bonum subditorum curare (6). Hic tamen magna prudentia opus est, et habenda ratio temporis, loci ac personarum, nam non raro, uti observat Augustinus (7), *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat:* oportet nempe, ut neque desides simus, neque plus æquo solliciti. Quod si cujusmodi sunt superiores, ejusmodi plerumque

(1) *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 5.
(2) L. ult. c. de præscript.
(3) C. de quarta; et cap. Ad aures de præscript.
(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. 1, nn. 107 et 139; *Homo Apost.* tr. II, n. 11.
(5) Fagnanus, in cap. ad hæc, n. 34 de rel. domib.
(6) Nonnullæ *reprobatæ* consuetudines vid. tum penes Zamboni, *Collect. declarationum C. Concilii*, V. Consuetudo; tum penes Alasia, *De Legibus*, diss. v, cap. 2, a. 2, qui eas refert, prout ab Ubaldo Giraldi; tum penes Filalete, *Prolegomeni di Teologia.*
(7) Ep. 2 ad Jan. c. 5.

esse solet et populus, hoc maxime nostrum esse debet, ut operum nostrorum exemplo subditos amoveamus a malo, firmemus in bonum, atque ad meliora pertrahamus. — Si tandem consuetudines sunt laudabiles, quammaxime fovendæ sunt, uti patet: *si* tamen *aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sint*, ut ait idem Doctor (1) *(U)*.

Q. 7. *Quid circa desuetudinem speciatim notandum est?*

R. Duo sunt notanda præcipua quoad desuetudinem: unum respicit conditiones necessarias, alterum effectus inde provenientes: — 1 desuetudinis conditiones sunt, ut ea sit tum rationabilis, nimirum ut non sit contra jus divinum; tum legitime præscripta; — 2 effectus desuetudinis est legi derogare, etiamsi in lege apposita sit clausula: *non obstante quacumque consuetudine;* talis enim clausula præteritas tantum respicit consuetudines (2).

Sed notandum est, quod ut desuetudo legi deroget, non sufficit intentio legem transgrediendi; sed expresse intentio requiritur legem delendi. Nihilominus si lex in bona fide, nempe ex legis ignorantia non observetur, ait Layman cum Suarez, Azorio, Glossa, etc. quod decennio ipsa præscribitur, etiam ignorante Principe; præsumitur enim Princeps, qui positive non obstat, approbare quemlibet usum, qui legitime præscriptus est. Dicunt autem Salmanticenses cum Granada, Salas aliisque sufficere dictum eximii doctoris etiam moderni, asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur. Bene tamen advertit Mazzotta quod in dubio de consuetudine possidet præceptum (3).

(1) S. Augustinus, *Epist.* 55 *ad Januar.* c. 19. Hoc maxime notent Parochi: *vid.* tractatus *De Obligationibus,* ubi *de moribus Parochorum;* et *App.* in fine.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 107; et l. III, n. 290.

(3) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. II, nn. 80 et seqq. Quod si revera lex intelligat derogare consuetudini futuræ, id intelligunt probabilius de illa que contraria foret legi divinæ naturali vel positivæ, ait idem S. Alphonsus in libro, *Il Confessore diretto per le confessioni delle genti di campagna,* c. 2, n. 27; et *Op. Mor.* l. I, n. 108.

DISPUTATIO SECUNDA

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Sex numerantur Ecclesiæ præcepta, quæ hisce versiculis includuntur:

Festa colas præsens Sacro; Jejunia serves;
Annua sit Confessio; sit Communio Pascha;
Solvantur Decimæ; vetito ne tempore nubas.

Hic agemus de 1, 2 et 5. — De 3 erit in Tractatu de *Pœnitentia;* — de 4 in Tractatu de *Eucharistia;* — de 6 in Tractatu de *Matrimonio.*

CAPUT PRIMUM

DE PRIMO PRÆCEPTO SEU MISSÆ AUDITIONE (1).

Q. 1. *Quosnam obligat præceptum Missam audiendi Festo die?*

R. Omnes fideles rationis usum habentes qui moraliter advertere possunt ad Missam, cujuscumque sint status, ætatis et conditionis, etiam Sacerdotes non celebrantes, generali illo præcepto sub gravi ligantur. Id probat universalis Ecclesiæ praxis et sensus, atque juris præscriptio (2). Ideo tenentur etiam cæci, aut surdi tantummodo; quia Sacrificio moraliter præsentes esse possunt: illi quidem *audiendo;* isti autem *videndo* Sacerdotem sacrificantem, vel saltem (si non possunt Sacerdotem videre) multitudini Missam audienti se conjungendo. Idem valet de surdo-mutis, cum videant. Qui vero sunt cæci simul et surdi, hoc præcepto non tenentur; quia eorum præsentia non potest esse nisi physica et materialis.

Q. 2. *Quænam præsentia ad Missæ auditionem requiritur?*

R. Talis requiritur præsentia ad Missæ auditionem, quæ sufficiat, ut quis Sacrificio interesse, et cum aliis audientibus moraliter conjungi dicatur: ita theologi communiter. Et sane hæc est actio moralis.

Hinc 1 commune est eum satisfacere, qui Missam audit in choro post altare, vel post templi fenestras altare respicientes. Imo et post parietem sive columnas, vel per fenestram, quæ fert in templum (etiamsi Sacerdos celebrans

(1) Hoc præceptum antiquissimum est, ac illius meminit sæculo secundo S. Justinus martyr. *Apolog.* n. 67.

(2) Can. 62 et 64 de cons. dist. 1.

non conspiciatur): dummodo moralis cum aliis unio ex communi hominum judicio censeatur adesse.

2. Item commune est et illos satisfacere, qui ad breve tempus recedunt ab Ecclesia, ut sumant vinum, thus, etc.: vel ut pulsent campanas; cum talis recessus ordinetur ad sacrificium.

3. Docent etiam non improbabiliter, tum illum satisfacere, qui Missam audit ex fenestra domus, licet via intermediet, modo prospiciatur altare et parva sit distantia, ut censeatur adhuc moraliter assistere; tum illum, qui in magna Basilica in aliqua capella distantissima moratur, si possit celebrantem respicere et videre quid agat (1).

Q. 3. *In quanam Ecclesia Missa audienda est ad satisfaciendum?*

R. In qualibet Ecclesia publica, etiamsi non sit parochialis, Missa ad satisfaciendum præcepto audiri potest, ut hodie certum est. *Integrum hodie*, ait immortalis gloriæ Pontifex Benedictus XIV, *omnibus esse in qualibet Ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum, sacris Mysteriis interesse (quia contraria consuetudine in toto orbe recepta derogatum est præcepto audiendi Missam parochialem) docent Silvester, Navarrus, Trullenchus, Barbosa: addentes insuper, non posse hodie Episcopum præcipere suis subditis, ut se sistant Missæ parochiali; quia non potest delere consuetudinem, quæ cum vigeat in toto orbe, jam induit naturam juris communis... Enim vero non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem statuit Tridentinum, sess.* XXI, *in Decreto* de observandis et evitandis *in celebratione Missæ* (2).

Hac de re hæc habet Synodus Novariensis: «Dominicis cæterisque Festis «diebus unam tantum Missam in Oratoriis campestribus ab Ecclesia Paro«chiali valde dissitis celebrari permittimus circa ortum solis. In reliquis au«tem Ecclesiis diœcesis, præcipue Confraternitatum, Sacra fiant multo ante «vel post Missam Parochialem, ita tamen ut ubi plures sunt Sacerdotes, «communis commodi ratio habeatur, prout Parochus censuerit. — Sed ut «id omne amoveatur, quo populus a frequentanda Parochiali Missa ab«duceretur, volumus atque edicimus, ut dato ejusdem primo signo, ne«mo sive in Parochiali, sive in aliis Ecclesiis aut Oratoriis (prævio præ«sertim campanæ signo) Sacrum faciat, donec absoluta sit Parochialis «Missa (3).»

An (quæres) *præcepto satisfaciat Missam audiens in Oratorio privato?*

Ex Brevibus concessionis habetur non satisfacere præcepto qui Missam audiunt in Oratoriis privatis, nisi vel sint domini aut eorum conjuncti, qui habitent in eadem domo eorumque expensis vivant; vel sint servi, qui a

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III. nn. 312 etc.; et *Homo Apost.* tr. VI, n. 35.

(2) *De Sac. Miss. App.* 12. — It. *v.* quæ habet *Notificationibus* XLIV et CV. Quod clarius tuetur idem Summus Pontifex, *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 14.

Cum plurimum conveniat ut populus Missæ Parochiali assistat, tum ut oves suum agnoscant pastorem, tum ut verbum Dei audiant, unum adhuc poterit Episcopus, uti declavarit S. Congregatio 25 maji 1552, disponere, *ut diebus festis Missæ celebrari non debeant in aliis Ecclesiis, nisi celebrata Missa in Ecclesia Parochiali.* Et D. Carolus gravibus ac per viscera misericordiæ J. C. omnes adhortatur et obsecrat, ut ad parochiam festis diebus conveniant (*Act. Eccl. Med.* p. 1, p. 302).

(3) *De Sacrif. Missæ* pag. 102.

dominis alantur, et quidem familiares necessarii. Imo et pro istis festa principaliora (1) excipiuntur, nisi concessio facta sit causa infirmitatis. — Non tamen ut privata Oratoria sunt habenda:

1. Oratoria benedicta et designata ad usus sacros, licet erecta in domibus privatis, si tamen ingressus pateat etiam a via publica.

2. Oratoria erecta in seminariis, conservatoriis, hospitalibus, et domibus religiosorum; sic enim habet praxis, nec sunt privatæ domus.

3. Oratoria erecta in palatiis Episcoporum ac Cardinalium ex S. C. Congregat.: imo Episcopi possunt celebrare vel celebrare facere, se præsentibus, in omnibus domibus (etiam extra Diœcesim), ubi reperiuntur causa visitationis, aut itineris, aut moræ extra Diœcesim a jure vel a sancta Sede ob aliquam causam peculiarem permissæ. Ita Bulla *Apostolici muneris* Innocentii XIII confirmata a Benedicto XIII (2).

Q. 4. *Quomodo Missa audienda est?*

R. Ad satisfaciendum præcepto Missa ab uno Sacerdote, integra, atque uti actio sacra audienda est:

Diximus 1 *ab uno Sacerdote.* Id patet ex eo, quod ab Innocentio XI diris devota sit illa n. 53 propositio: *satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Sacerdotibus audit.* Neque etiam (in longe probabiliori sententia) satisfaceret is, qui duas Missæ medietates successive a duobus Sacerdotibus audiret, si nempe ab uno audiat usque ad Consecrationem inclusive, ab alio reliquam partem; nam Ecclesia præcipit auditionem Missæ, quæ sit unum et integrum Sacrificium; atqui hoc non constituunt duæ duorum Sacerdotum medietates (3).

Diximus 2 *integra;* nam ab Ecclesia præcipitur auditio Missæ non quoad sacrificium tantum, sed quoad totam liturgiam (4); et talis est praxis fidelium (5). Hinc communius et probabilius docent: — 1 eum graviter peccare,

(1) Festa hæc principaliora ex S. R. C. 17 nov. 1607 sunt Pascha Resurrectionis, Feria v i Cœna Domini, Ascensio, Pentecostes, Nativitas, Epiphania; Annunciatio et Assumptio B. V., Festum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum.

Merito autem docent Pasqualigus, Gattico et alii, quod dominus tenetur pro se et suis uti privilegio Oratorii privati in festis, si non possit adire Ecclesiam, non quidem ex vi privilegii, quia privilegium liberum est uti tale, et nemo tenetur eo uti; sed ex vi præcepti, quod obligat ad Missam audiendam illos omnes, qui illud sine gravi incommodo implere valent.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 318 et seqq.; it. *Homo Ap.* tr, vi, nn. 37 et seqq. — *V.* etiam De Bonis, *De Oratoriis publicis et privatis,* Mediol. 1761.

(3) Cæterum probabilis est sententia Layman, Navarri, Sa, Soti et aliorum, qui docent præcept satisfie.i, si quis unam v. g. Missam audiat ab uno Sacerdote usque ad Consecrationem exclusive; alteram vero ab altero a Consecratione usque ad finem. Nam jam audiret quod est de essentia Missæ ab uno sacerdote. Conveniunt tamen, quod ille qui duas sic dimidiatas Missas audiret, nullo modo excusari posset a peccato saltem veniali ob quamdam inordinationem. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 310.

(4) Ex qua parte non videtur quomodo facile possit a gravi excusari, qui in die Palmarum intrat Ecclesiam, postquam *Passio* jam lecta est, etsi Evangelium audiat; nam etsi Passio non pertineat ad Sacrificii substantiam, est tamen juxta communem hominum æstimationem pars notabilis liturgiæ Missæ, quæ est in præcepto.

(5) Parochum post Evangelium concionaturum statim deserunt, templo quasi columbario exeunt: ac nonnisi finita concione, revertuntur. Abusus est eliminandus; sic enim agentes si Missæ non deficiunt, deficiunt instructioni, cujus quidem nulla major necessitas. Hujusmodi homines olim

qui omittit Missæ initium ad Evangelium inclusive, licet non pauci velint eum tantum venialiter peccare, prout illam habent vel non habent uti partem notabilem : — 2 graviter item eum peccare, qui Missæ non interest tempore Consecrationis etiam unius speciei (licet cætera audiat); quia illa est pars præcipua, et probabilius pars essentialis Sacrificii. Idem dicendum de Communione Sacerdotis, quæ profecto vel pertinet ad Sacrificii naturam vel certe ad substantiale ejusdem complementum. Si vero quis omnia prætermitteret, quæ Sacerdotis Communionem subsequuntur, est commune cum Suarez (1), quod non peccaret mortaliter, licet omiserit etiam omnia, quæ præcedunt Epistolam ; cum ad essentiam non pertineant (2).

Diximus 3 *uti actio sacra*, nempe necessaria est intentio Missam audiendi uti actionem religiosam, ut sic dici possit actus humanus in ordine ad id quod præcipitur : hinc qui ex mera curiositate Sacro interesset, non faceret actum religiosum, neque proinde præceptum impleret. — Cum tamen opus jam sufficienter præstetur, non requiritur intentio explicita, sed sufficit implicita. Intentionem explicitam habere dicitur qui intendit audire Sacrum, vel præcise vult satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda. Implicitam vero intentionem habent illi : 1 qui templum petunt volentes implere officium Christiani; 2 qui Missæ intersunt generatim tamquam rei sacræ, ad cultum divinum pertinenti (3).

Q. 5. *An requiratur attentio in Missa audienda?*

R. Præter intentionem ex parte voluntatis in Missa audienda requiritur etiam attentio ex parte intellectus ad validitatem. Ecclesia enim præcipit Missæ auditionem tamquam actum, qui pertinet ad cultum divinum : atqui cultus divinus plus exigit certe, quam solam præsentiam physicam et materialem. Unde mortaliter peccare et præcepto non satisfacere dicendi sunt qui per notabile temporis spatium (4) vel voluntarie dormiunt, vel cum aliis fabulantur, vel penitus distracti imagines, picturas, aliaquê templi ornamenta perlustrent, vel sensibus abrepti sunt. Non tamen probabilius qui exstasim patiuntur, quia tunc adest attentio ad Deum perfectior, et libertas in exstasi non amittitur ex sancto Thoma (5) : sane si in ea libertas animæ amitteretur, nihil mereretur homo in exstasi ; sed si hoc esset, raptus non esset gratia singularis, ut argumentatur Continuator Tournely.

Quæres : *qualis attentio requiritur in Missa audienda?*—Duplex est attentio : interna, et externa. *Interna* ea est, qua quis advertit et animum applicat vel ad verba et actiones Sacerdotis ex fine bono ; vel ad sensum et myste-

a Concilio Carthaginiense IV excommunicabantur : quot hac tempestate hanc pœnam incurrerent!

(1) Cæterum qui intrat Ecclesiam post Consecrationem ultimæ Missæ, reliqua audire tenetur; nam satis adhuc est probabile (quamvis contrarium sit probabilius) essentiam Sacrificii in sola sumptione consistere : undè qui non potest certo, tenetur saltem probabiliter præceptum implere.— *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. VI, n. 33.

(2) Hic autem notamus unicam Missam integram sufficere etiam Nativitatis die, cum nullibi aliter inveniatur præscriptum. Est unanimis sententia, ait Bouvier.

(3) *V.* Carlo Filip. da Poirino, *Trattenimenti morali intorno ai riti ed alle cerimonie della S. Messa, coll' aggiunta di un metodo per udirla con frutto.* — Gaume, *Catechismo di perseveranza*, ecc. ecc.

(4) Tempus notabile illud est, quod respondet parti notabili Missæ.

(5) 1, 2, q. 113, a. 3, ad 2. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 313.

ria, quæ per actiones et verba significantur; vel ad Deum precibus ac meditatione adorandum, laudandum, colendum. *Externa* vero in eo consistit, quod qui Sacrum audit, non ponat actionem externam impedientem mentis suæ applicationem.

Jam vero certum est necessariam esse *attentionem externam;* cum illius defectus impediat Missæ attendere humano modo. Hinc non satisfacit qui tempore Missæ scribit, pingit, legit libros profanos, imo etiam sacros, si sint historiarum, et legat vel sola eruditionis vel curiositatis vel studii causa. Item nec satisfacit qui per notabile tempus aut de re seria confabulatur, aut imagines attente considerat ut res artis, aut inscriptiones legit, aut scientias meditatur aut dormit etiam involuntarie. Dormitans tamen interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo advertat ad id quod fit, ita ut rationem sibi reddere possit quod reapse Sacro assistat, etsi vexatus a somno non satis attendat ad significationem.

Quod vero pertinet ad *internam attentionem*, sententia communior, probabilior et consulenda cum S. Thoma (1), Billuart, Elbel, Salmanticensibus, aliisque recentioribus præsertim docet ipsam quoque requiri, saltem virtualem et confusam, ita nempe ut aliquo saltem modo advertatur quid fiat (2). Nam licet Ecclesia directe non præcipiat actus internos; eos tamen præcipit indirecte, in quantum videlicet actio interna necessaria est, ut actio illa externa bene et rite fiat, sive ut Missæ Sacrificium pio et religioso modo audiatur (3).

Cæterum ad levamen fidelium præstat animadvertere :—1 ut dicatur quis præcepto de Missa audienda minime satisfecisse, requiritur non solum, ut voluntarie se distrahat per notabile tempus : sed etiam ut plene advertat se in Missa audienda distrahi, et tamen adhuc in illa mentis divagatione moretur. Si secus, locus sexcentis anxietatibus foret;—2 satisfaciunt collectores eleemosynæ, cantores, musici, attollentes folles, etc. si aliquo modo attendere studeant. Ratio : tales actiones Sacrificio inserviunt, et ad Dei cultum referuntur (4).

An (quæres) *præcepto satisfaciat qui Missæ tempore ad Confessionem se præparat, vel illam actu conficit?*

R. Ad illum quod pertinet, qui Missæ tempore ad Confessionem se præparat, dicendus est per se loquendo sufficienter Missam audire, quia sufficienter adhuc potest piis illis actionibus intendere.

(1) In 4, d. 15. q. 4, a. 2.

(2) Unde sufficit una ex descriptis; nam ita sufficienter applicatur mens ad divinum cultum, nec plerumque a rudibus perfecta applicatio attendi potest. — Item nec requiritur ulla oratio vocalis; nam assistentia religiosa etiam sine illa haberi potest : tamen in praxi rudibus maxime suadendum, ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro Missa vel Rosarium, ne nimiis distractionibus exponantur.

(3) Sunt tamen multi, qui cum Croix, Lessio, Medina, Suarez, etc. tradunt sufficere externam et moralem præsentiam cum generali intentione colendi Deum : quod minime judicatur a nobis improbabile saltem extrinsece. Et Gury censet hanc sententiam parum discrepare a prima ; cum etiam secunda hæc pium animi motum requirat.

(4) Sentit etiam probabilius Zaccaria et Croix, Sacerdotem posse Missam alienam audire, dum ipse celebrat; quia dum celebrat, jam orat.

Quoad illum verò qui eo tempore persolvendæ Confessioni per notabile intervallum incumbit, multi adhuc affirmant dicentes quod per Confessionem honoratur Deus. Nos tamen cum Collet, Lugo aliisque communiter negamus, quia tunc ne præstaretur quidem attentio externa. Aliunde fidelis confitens adesset ut reus, non vero ut offerens Sacrificium cum Sacerdote (1). Excipiunt Lessius et Croix, si agatur de famulis, qui aliter non confiterentur; *tunc enim*, prout ipsi ajunt, *saltem præsumitur, quod Ecclesia consentiat.*

Q. 6. *Quomodo dirigendus scrupulosus circa Missæ auditionem?*

R. En regulas ad dirigendum scrupulosum circa Missam:

1. Pœnitens ne sit anxie sollicitus circa intentionem; sufficit enim intentio implicita assistendi Missæ tamquam rei sacræ. Hanc autem habet quicumque templum petit volens facere officium hominis baptizati, vel quod faciunt alii fideles (2).

2. Ne item sit anxie sollicitus circa attentionem tam externam, quam internam; utraque enim facillime obtinetur:—*Externa*, si modeste se gerat, et omittat quod est incompossibile cum attentione interna.—*Interna* autem juxta omnes habetur, siquis externe ita se gerat, ut possit rationem reddere eorum, quæ in altari geruntur (3).

3. Caveat Confessarius, ne scrupuloso permittat Sacrum aliud audire in eum finem, ut scrupulo suo satisfaciat de Missa jam audita. Sed eumdem certo satisfecisse, neque plus ab eo Ecclesiam requirere dicat; constat enim experientia istos ab angoribus minime liberari, etsi post secundam Missam audiant tertiam et quartam.

Q. 7. *Quænam sunt causæ ab auditione Missæ excusantes?*

R. Regula generalis est, eum non teneri præcepto humano, qui illud non potest implere sine gravi incommodo. Idem est, si adest contrarius ac legitimus usus: dispensationem autem supponimus. Hinc citra dispensationem, ex communi æstimatione, quatuor notantur causæ excusantes: impotentia, charitas, officium et consuetudo.

1. *Impotentia* tum physica tum spiritualis tum moralis; Ecclesia enim instar piæ matris non vult filios suos cum gravi ipsorum detrimento obligare.—1 Ex *impotentia physica*, excusantur qui gravi morbo laborant, aut a morbo ipso convalescunt, quando prudenter timent vel grave damnum, vel notabilem moram ad convalescendum, vel gravamen capitis exeundo domo, vel virium lassitudinem. Et si dubitetur, an tale damnum sit satis grave,

(1) Quod probat neque ipsum Sacerdotem, qui Confessionem excipit, Missam audire; quia adesset non uti auditor, sed uti judex. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. II, n. 314.

(2) Imo sufficit intentio Deum per Sacrificium honorandi, gratias eidem agendi, beneficia alia impetrandi, implendi Ecclesiæ Præcepta in genere, satisfaciendi pro peccatis. — Imo sufficit, etiamsi non possit indicare ullam causam, ob quam templum ingressus est, dummodo aperte non constet de causa mala.

(3) Hinc fatentur communiter hanc ordinarie stare posse cum distractione involuntaria, imo etiam cum voluntaria (nisi positive et plene quis advertat se distrahi, et quidem ab attentione ad Missam, et velit nihilominus se distrahere). Alioquin onus nimis grave fragilitati hominum imponeretur; cum ferme sit impossibile mentis nostræ volubilitatem ita cohibere, ut unum opus valeamus perficere absque ulla vagatione.

standum erit judicio vel medici vel superioris vel Parochi vel Confessarii vel alterius viri prudentis: et etiam proprio, siquis prudenter valeat judicare. Quod si adhuc petito judicio, dubium perduret, tunc valde probabile est piam matrem Ecclesiam in tali casu non obligare, ut dicunt Croix, Gobat, Lugo, Salmanticenses, etc. Et in tali dubio prævalet jus naturale conservandi salutem, tanto magis quia jam possidebat morbus;—2 excusantur *impotentia spirituali* excommunicati, interdicti, quibus proinde prohibetur Sacris interesse. Hi tamen si facile possunt, probabilius tenentur sub gravi curare, ut absolvantur; nam qui ad legem tenentur, tenentur et ad removendos legis exequendæ obices, cum commode possunt, si maneant sub ejus influxu. Sane qui tenetur ad finem, tenetur quoque ad media maxime faciliora;—3 ex *impotentia morali* excusantur qui timent notabile damnum, si domo exeant, tam in bonis honoris, quam vitæ et fortunæ. Hinc probabiliter liberantur qui timent carcerari: item muliones, rhedarii, molitores, si grave damnum subituri sint.

Huc revocatur illa controversia, an scilicet amissio lucri notabilis et transitorii excuset a Sacro audiendo?—Contra multos multi probabiliter affirmant: et *quidem merito*, ait Bouvier; *alioquin dicendum foret legem Ecclesiæ cum magno obligare posse incommodo* (1). Demum doctrina hæc convenit etiam tum uxori, quæ ex accessu ad Ecclesiam timeret mariti indignationem; tum famulis, quorum ministerium est communiter necessarium et omitti non potest sine gravi incommodo dominorum (debent tamen hujusmodi servi procurare, si possunt, ut adsint Sacro cum aliquo incommodo, v. g. auferendo aliquid a somno, citius foras egrediendo); tum demum qui notabiliter distant a templo, habita ratione loci, personæ ac temporis (2).

2. *Charitas:* sic excusatur qui nequit Missam audire, quin deserat infirmum, qui ab illo relictus gravem turbationem patiatur. Et hoc etiamsi adesset alius assistens; sed infirmus putaret non sibi hujus assistentiam sufficere, et alias gravem pateretur tristitiam.—Item excusantur qui aliter non possunt impedire blasphemias, rixas, furta, etc., ut ait Elbel.—Item ii, qui in incendio, exundatione, hostium vastatione, messis deperditione, etc. alios adjuvant. In concursu enim duarum legum potior vincere debet: et auditio Missæ est de præcepto Ecclesiæ, officium vero charitatis est de præcepto naturæ.

3. *Officium:* sic excusantur *milites* in custodiis positi, vel si toto fere tem-

(1) *V. Inst. Theol.* tom. v. — It. Liguori, *Homo Apos.* tract. vi, nn. 22 et 43.

(2) *Regulariter* (ait S. Alphonsus, *Homo Apost.* tr. vi, n. 41) *putant Suarez, Castropalaus, Fillucius, Salmanticenses, Trullenc, Croix, Mazzota et alii excusare distantiam trium milliariorum, aut iter pedestre unius horæ cum quadrante; et minus si plueret, aut ningeret, aut adesset alia causa excusans.*

Audiatur etiam Bouvier, qui loc. supra cit. habet: *habenda est ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis; spatium enim unius milliarii potest esse nimis molestum respectu nobilis puellæ, et pro nihilo reputatur a forti rusticana. Iter unius leucæ* (trium milliariorum) *non est grave pro plerisque, dum tempus est serenum et via sicca; est vero incommodum, si gradiendum sit nocte, in nive, in aqua, in cœno, sub pluvia, aut frigore*, etc. — *Hæc igitur pensanda, et ex æquo et bono judicanda sunt. Sæpe rationes non absolute sufficiunt, et tamen personas ex bona fide agentes, si non* a toto, *saltem* a tanto, *id est a mortali peccato excusant.*

pore matutino militaribus exercitiis etiam sine causa ab impiis ducibus occupentur; *pastores* gregum; *laborantes* in fusoriis, quando labor ante diem festum incæptus interrumpi nequit; *matres*, *nutrices* et similes, quæ assistunt infantibus vel pueris, si eos domi relinquere non possint, et in templo quietos et sine aliorum perturbatione continere nequeant (1). Audiatur Ægidius de Coninck: *omnino consulendum parentibus, ut pueros statim ac rationis usus in iis elucet, assuescant Sacra pie frequentare, etsi nondum ad id obligentur; hoc enim christianam pietatem omnino decet. Quamdiu tamen ita parvi sunt, ut neque res divinas ullo modo apprehendere, neque in templo quieti decenterque contineri possint, præstat eos domi manere: quia alios sæpe graviter turbant, et iis qui ipsos ducunt, impedimento sunt, quominus orare possint.*

4. *Consuetudo,* usus nempe rationalis et sufficienter approbatus. Sic alicubi usu receptum est, ut excusentur viduæ tempore luctus (quod mensem non excedat ex D. Carolo) (2); et puerperæ per aliquod tempus, at non ultra hebdomadas sex. Illæ tamen personæ, quæ domo jam exeunt, non possunt his causis excusari.

Quid (quæres) *dicendum de mulieribus non habentibus vestes convenientes?* —Mulieres quæ non habent vestes juxta conditionem suam et statum, vel etiam non habentes famulam vel sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur, bene excusantur a Sacro audiendo, si non possint eidem interesse vel summo mane vel in Ecclesia remota, quo populus minime concurrat. Ita docent Bouvier, Elbel, Mazzotta, Salmanticenses et Suarez. Quod etiam communiter dicunt cum Laymano, ac Tournely de puella inhoneste prægnante. Ratio est: dum quis in eo statu est, in jure comparatur ei, qui vinculis est alligatus (3), qui profecto Sacro non potest interesse.

Alii excusant etiam puellam, si una tantum esset Missa, et in ea proclamationes fiant illius nuptiarum. Sed hoc non potest admitti, nisi iis in locis, ubi talis est usus; aut nisi forte puella magno rubore suffunderetur, quod in nostra sententia nonnisi raro potest evenire.

Q. 8. *An qui ab audienda Missa legitime excusatur, alium religionis actum in compensationem elicere teneatur?*

R. Audiatur Bouvier: «Certum est eos ad nullum teneri vi præcepti Ecclesiastici, quo Missæ assistentia præcipitur et nihil ultra. At notat Billuart, cum ex præcepto naturali aliquando divinis vacare debeamus, aliquam hujusmodi compensationem Deo præstare debent; non tamen die Dominica potius quam altera die; quia præceptum naturale non determinat tempus. Qui ergo preces matutinas et serotinas recitat, Missam infra hebdomadam audit loco Dominicæ, huic naturali præcepto plene satisfacit.»

(1) Nisi huic providere possint sistendo ad januam ipsius Ecclesiæ, ut aliqui dicunt. Quiquid tamen sit, si id fieri non possit absque Sacerdotis et adstantium perturbatione omnino domi manendum est; at curandum, quoad potest, ut aliæ atque aliæ substituantur mulieres, ne eædem semper cogantur a Missa atque Verbo Dei abesse. (2) In Concil. Mediol. 1.

(3) Ex L. eodem causa ff. ex qualib. causis.

CAPUT SECUNDUM

DE SECUNDO PRÆCEPTO SEU JEJUNIO ECCLESIASTICO.

Bellarminus quadruplex jejunium distinguit: aliud *spirituale,* quod est abstinentia a peccatis, et obligat omnes semper et pro semper. Aliud *naturale,* quod est abstinentia a quocumque cibo ac potu, et obligat sanos in Eucharistiæ sumptione. Aliud *morale,* quod est parsimonia in cibo et potu ad temperantiæ regulas. Aliud *ecclesiasticum,* quod certis nempe temporibus ab Ecclesia affixum est sub datis limitationibus obligans *(V).*

Q. 1. *An Ecclesia possit jejunia præscribere?*

R. Affirmative: est contra Lutheranos et Calvinistas; si enim potuit Synagoga, nulla est ratio cur id Ecclesiæ nostræ denegetur: et revera ea potestate semper usa est, et eam agnoverunt Patres atque fideles. Præterea si jejunium sit res bona, et ad fines bonos conducens, poterit præcipi ab Ecclesia; atqui tale est jejunium: *res bona est,* cum illud Deus in veteri lege præscripserit ac Christus in nova exemplo suo commendaverit: *ad fines bonos conducit,* nam dæmones expellit, Deum placat, concupiscentias refrænat, etc. (1).

Imo jejunium, prout aliquam carnis mortificationem importat, *cadit in communi sub præcepto legis naturæ,* ut ait Angelicus (2). Cum enim illud mirifice inserviat hominum bono, et Deus jejunio in nobis *vitia comprimat, mentem elevet, virtutem largiatur et præmia* (3); ideo unusquisque ex naturali ratione tenetur tantum jejunio uti, quantum sibi necessarium est ad prædictos effectus. Hinc merito Ecclesia temperat quidem, at non omnino jejunii legem abrogat, etsi non pauci ejus violatores notentur; neque ipso excusantur, quia multi sunt contemptores; sed venit potius usurpandum illud Augustini: *væ flumini humani moris!* — Huc facit illud:

Dum caro pinguescit, vitæ destructio crescit;
Dum caro macrescit, tentatio prava quiescit.

Jejunia Ecclesiastica nunc generatim usitata reducuntur: — 1 ad quadragesimam, quæ est institutionis Apostolicæ ad nos usque transmissa; nam in omnibus sæculis eam observatam videmus (4); — 2 ad quatuor tempora, quæ pariter ab Apostolis initium sumere tradit Eusebius (5). Ideo autem hæc tempora sunt instituta, tum ut pro acceptis beneficiis Deo agamus gratias; tum ut nostra crimina expiemus; tum ut novam gratiam efflagitemus; tum

(1) Jer. 35; Matth. 27; Ps. 34. — *V.* S. Basilius, *Hom. de jejunio.*

(2) 2, 2, q. 447; a. 3.

(3) *Præf. Quadrag.*

(4) Testes: Canon Apostolorum 68; S. Hieronymus *ad Marcellam;* S. Leo M. *Serm.* 6 *de Quadr.;* S. Ignatius, *ad Philippenses;* S. Iræneus, *Ep. ad Victorem;* S. Athanasius, *Epist. ad Orthodoxos;* etc. — Unde si quæ hac in re opponitur diversitas, est tantum circa accidentalia v. g. quoad rigorem: sic alicubi nonnisi semel post biduum vel triduum sumebatur cibus: alicubi etiam, ut apud Græcos, sabbatis non jejunabatur, sed una addebatur hebdomada. Unde non est dubitandum quod jejunium Paschale semper fuerit quadragenarium; non vero paucorum dierum, ut falso omnino nonnulli adstruunt.

(5) *Hist.* l. V. c. 23.

demum ut bonos altaris ministros impetremus; — 3 ad vigilias. Vigiliæ erant nocturni cætus, quos primi Christiani in Ecclesia habebant ante solemnem aliquam diem, in quibus et oratione et jejunio se ad solemnitatem præparabant. Justa de causa sublatis vigiliis (1), una excepta vigilia Nativitatis Domini, remanserunt jejunia in pervigilio quarumdam solemnitatum (2).

Q. 2. *Quosnam obligat jejunium Ecclesiæ et ad quid obligat?*

R. Ad 1: Generalis jejunii lex lata est ab Ecclesia absque ulla distinctione; ideo omnes obligat baptizatos rationis compotes, nisi speciali aliqua causa, aut præscripta consuetudine eximantur. — Imo ita arcta est lex ista, ut qui causam habent v. g. ætatis, dispensati utique censeantur a parte jejunii, non a toto; adeo ut ipsis permissæ sint plures refectiones, sed non omnes cibi, nempe carnes (3). Hoc autem præceptum obligat sub gravi, cum sit opus virtutis in suo genere grave. Hinc merito damnata est ab Alexandro VII hæc n. 23 propositio: *frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto* (4).

R. Ad 2: Ex præscriptione Ecclesiæ, ex sensu Doctorum atque fidelium jejunii Ecclesiastici præceptum obligat sub gravi: — 1 *ad abstinentiam a carnibus,* et quandoque etiam a lacticiniis, cæterisque, quæ semen et originem habent a carnibus, uti sunt caseus, lac, ova et similia; — 2 *ad unicam refectionem* per vigintiquatuor horarum spatium: quæ quidem est primaria jejunii conditio. Sed admittitur, ex Ecclesiæ indulgentia et legitima consuetudine, vespertina collatiuncula; — 3 *ad certum refectionis tempus.* Hæc sequens continet versiculus:

Quid, quoties, quando: tribus his jejunia servas.

ARTICULUS I — De abstinentia a carnibus et lacticiniis.

Q. 1. *An convenienter sit præscripta in Ecclesiæ jejunio abstinentia a carne, ovis et lacticiniis?*

R. Affirmative: *jejunium,* ait S. Thomas, *ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis;... et ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui et in comedendo maxime habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes anima-*

(1) Antiquæ vigiliæ aliis noviter inductis locum cessere; sed illæ erant ad pietatem fovendam: hæ ad solatium dumtaxat insumuntur. Has porro suis temporibus inolescentes graviter insectabatur P. Segneri junior; sic enim fit ut tardius mane a lecto surgendo pluribus pietatis operibus valedicatur. — Muzzarelli, *Delle cause dei mali presenti e del timore dei mali futuri, e suoi rimedi.* Venezia 1836, pag. 99 et seqq.

(2) *V.* Devoti, *Instit. Canon.* tom. 2, l. II, tit. 6. — In aliquibus regionibus, uti in regno Sabaudiæ, nonnullis suppressis festivitatibus, jejunium indictum fuit tempore adventus, bis videlicet in hebdomada (Brevi Pii VII, 9 nov. 1814). — De *Adventu* et *Novendialibus* tunc temporis in usu videndus Benedictus XIV, *Notificatione* XI.

(3) Si tamen Indultum est vescendi carnibus pro unica refectione, tunc dispensati a jejunio toties quoties carnibus vesci possunt, ut videre est in fine vol. II, *App. tertia,* n. 4.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 104 et seqq.; *Homo Ap.* tract. XII, nn. 2 et seqq.

lium in terra nascentium et respirantium, et quæ ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus, et ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum (1). Hæc autem tum a carnibus tum ab ovis et lacticiniis abstinentia antiquitate commendatur. Illius enim meminit inter alios sæculo IV S. Basilius (2), et sæculo VI S. Gregorius M (3).

Q. 2. *Quorum animalium carnes in jejunio prohibentur?*

R. S. Thomas docet in jejunio prohiberi carnes omnium animalium in terra nascentium et respirantium. Alii vero communiter dicunt ea animalia prohiberi, quæ carnes, non pisces usu habentur: ad quod discernendum non leve judicium est attendere, an diu extra aquam vivant. Magis tamen inspicienda est æstimatio communis fidelium ac peritorum et consuetudo legitima. Hinc cum nutriantur uti pisces, et vix sanguinem habeant et frigidum, communiter non censentur prohibitæ *locustæ*, *limacæ*, *testudines*, *cammari*, *cancri*, *ranæ* et *concha*. Idem dicendum de *lutris*, *castoribus*, *fibris*, et aliis quæ piscibus comparantur. Ad aves vero quod attinet, licet aliquæ nutriantur in aquis uti *fulices*, *anates feræ (anades silvestres) et corvi marini;* inter carnes tamen adnumerantur. — In dubio autem videndum, an animal sit simile an dissimile iis, quorum esus interdictus est: et an illius carnes humanum corpus validius nutriant. Et si adhuc res nequeat resolvi, ea ad Sedem Apostolicam est deferenda ex Benedicto XIV (4).

Quid (quæres) *sentiendum est de larido et sagimine?* — Non est dubitandum, laridum et sagimen veras esse carnes, quia vere de substantia carnis participant: ideo iis non licere uti diebus esurialibus, salva consuetudine diversa, si alicubi vigeat. Sed quoad pauperes nimis dura videtur illorum sententia, qui eos damnant, qui oleo carentes frustulum sagiminis aut laridi adhibent ad herbas temperandas, si carentia esset per tempus notabile, v. g. per hebdomadam. Saltem in tali necessitate probabiliorem censemus sententiam Alensis, Elbel et Layman, qui laridum pauperibus permittunt.

Q. 3. *An dispensati ad carnes adhuc teneantur ad jejunium?*

R. Affirmative: dispensati ad carnes adhuc jejunare tenentur. Probatur ex præscriptione Benedicti XIV Bulla *In suprema*, anno 1741; et clarius Bulla *Libentissime* anno 1745, cui quidem inserta est Epistola *Fraternitas* data ad Archiepiscopum Compostellæ. In qua iste Pontifex declaravit hæc quinque sub gravi observanda esse ab iis omnibus, qui jejunii tempore ad carnes edendas obtinuerint dispensationem (5):—1 ut adhuc habeantur obstricti lege, quæ unicam in die comestionem præcipit, et epularum vetat permixtionem;—2 ut nequeant carnibus uti in vespertina refectiuncula; sed eos tantum cibos assumant, et ea mensura, quibus utuntur jejunantes probæ

(1) 2, 2, q. 147, a. 8. (2) Hom. de jejun. (3) Relatus can. *denique* 6, d. 4.

(4) *V. De Syn.* l. XI, c. 5. — Circa jejunium *v.* alia Opera hujus doctissimi Pontificis, præter Bullas. De jejunio quatuor temporum agit *Notificatione* IV. — De jejunio quadragesimæ *Notificatione* XV. — De abstinentia a carnibus, ejusque dispensatione *Notificatione* XVI. — De abstinentia ab ovis et lacticiniis, eorumque relaxatione *Notificatione* L.

(5) Si dispensetur a carnibus, universali morbo ingruente v. g. cholera, si currant jejunii dies, prohibitum est miscere carnes et pisces; non item in aliis diebus: S. Pœnitentiaria.

conscientiæ;—3 ut horam jejunantibus præscriptam in comestione observent;—4 ut sciant epulas sibi licitas esse carnes, epulas autem interdictas esse pisces; ideoque non posse et illas et istos in eadem comestione simul assumere et manducare. Pisces tamen non prohibentur, qui habent tantum facultatem super ova et lacticinia; —5 ut præceptum de utroque epularum genere non permiscendo intelligatur extendi etiam ad dies dominicos Quadragesimæ, et ad cæteros pro jejunio designatos extra Quadragesimam. Verum hæc non urgent illos, qui Bullæ *Cruciatæ* diplomate gaudent (1).

Dispensati ad carnes communissimum est, quod possunt comedere etiam carnes non salubres, nempe porcinas et similes, quæ olim prohibebantur expresse; ubi enim non fit restrictio, res late accipienda est (2). Item dispensati ad carnes sunt dispensati eo ipso ad ova et lacticinia; quia cui conceditur plus, conceditur etiam minus in eodem genere, ut ait Billuart. Idem dispensati ad lacticinia censentur eo ipso dispensati etiam pro ovis, nisi in dispensatione aliud clare exprimatur; hæc enim ex consuetudine æquiparantur.

Q. 4. *An abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis graviter obliget?*

R. 1: Ad carnes quod attinet, certum est ex consuetudine et praxi fidelium, atque ex Pontificum decretis illarum abstinentiam obligare sub gravi omnes baptizatos ratione utentes, non solum in omnibus jejuniis; sed qualibet sexta feria et singulis sabbatis (3). Excipitur ex privilegio Honorii III (pro iis, qui nec *voto nec regulari observantia jejunio obstricti sunt)* Nativitas Domini, si illis diebus contingat.

R. 2: Quoad ova et lacticinia distinguendum est: vel agitur de jejunio in Quadragesima; vel de jejunio extra Quadragesimam.

Si 1, certum est abstinentiam ab ovis et lacticiniis obligare sub gravi; tum quia ab Alexandro VII proscripta est hæc n. 32 propositio: *non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget* (4); tum quia id expresse colligitur ex jure canonico (5). Imo quamvis non defuerint docentes hanc obligationem non esse pro diebus dominicis in Quadragesima, attamen contrarium tenendum; nam in eodem jure absque ulla distinctione præcipitur abstinentia in diebus quadragesimalibus: atqui etiam dies dominici in Quadragesima pertinent ad dies quadragesimales (6).

(1) Est diploma S. Cruciatæ Bulla primitus 1509 a Julio II, ab aliis dein Pontificibus concessa Hyspanis ob infidelium expugnationem. Hæc aliis justa de causa applicari solet. Continet autem, multa privilegia, indulta et gratias, ideo *Cruciata* dicta est, cum non parum assimiletur iis gratiis, et indulgentiis, quæ 1095 Urbanus II concessit militantibus pro recuperatione Terræ Sanctæ. — Hanc fusius exponunt Salmanticenses et Croix. Item Pavone in Op. *La luce fra le tenebre*: Napoli 1838, *Dissert.* x. — *V.* app. de hac in fine 2 vol.

(2) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tract. xii, n. 8.

(3) Sabbatum in aliquibus regionibus dispensatum est, non certe tamen in Italia nostra: unde evellendus nonnullorum abusus, qui sexta Feria legem servantes, eam Sabbati die floccifaciunt, quasi illud non sit ejusdem gravitatis, ejusdemque Matris præceptum firmum atque solemne. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn Diæc.* l. XI, c. 5.

(4) Vocabulum *obliget* hic communiter accipitur pro gravi obligatione; et sane agitur de re et objecto per se gravi. (5) D. 4, c. denique.

(6) Quod firmatur magis ex Rescripto Benedict. XIV ad Archiepiscopum Compostellæ, ubi etiam diebus dominicis prohibetur promiscuitas epularum. Et id quidem congruentius; hoc enim

Si 2, sententia communis docet non vetari lacticinia et ova *de jure communi;* nam id nullibi expresse prohibitum invenitur.—Diximus *de jure communi;* quia contingere potest, ut adsit aliqua lex peculiaris vel peculiaris consuetudo pro peculiari Ecclesia ac regione : quo in casu est observanda sub gravi, cum materia gravis sit.

Ad Novariensim Diœcesim quod attinet, nulla est extra Quadragesimam talis consuetudo obligans, vel lex : imo in ipsa Quadragesima ibidem alicubi privilegium est, alicubi est consuetudo vescendi ovis et lacticiniis. Sunt tamen nonnulla loca in Diœcesi, in quibus, adveniente Quadragesima, usus invaluit, ut hæc consuetudo vescendi ovis et lacticiniis cohonestetur facultate prius petita a proprio superiore, Episcopo vel Parocho, qui semper eam ultro libenterque concedunt. Id porro præstat observari, saltem in signum subditantiæ. Audiatur hac ipsa de re Episcopus Bouvier : *in Diœcesibus, ubi quotannis Episcopus a prohibitione manducandi ova dispensare solet, si ex inadvertentia hanc dispensationem concedere negligeret, fideles manducantes juxta morem consuetum peccati mortalis accusare nollem; tum quia dispensationem præsumere possent; tum quia consuetudo legi derogans sat firma videtur, ut excuset* a tanto *si non* a toto.

Quinam (quæres) *excusatur ab abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis?*— R. Probabile nobis videtur cum Croix, Salmanticensibus, Sanchez, etc. eum, qui in longa inedia est per plures dies (ubi aliud haberi non possit quam panis) posse utique vesci non solum ovis et lacticiniis, verum etiam carnibus. Idem affirmandum quoad ova et lacticinia de pauperibus, qui non possunt aliud sibi comparare ad alendum se et familias suas ; lex enim humana nequit obligare cum gravi incommodo. Docent nonnulli id esse tenendum etiam de iis, qui per plures dies carerent piscibus: hoc Roncaglia probabilius asserit de illis, qui piscibus sunt assueti ; sed non de rusticis, qui pane et herbis, aut leguminibus ordinarie aluntur. Hi tamen probabiliter ab unica comestione eximuntur, eo quod tales cibi parum sustentent (1).

ARTICULUS II — De unica refectione et quando sumenda.

Q. 1. *Quamdiu durare potest unica refectio in jejunio?*

R. Si quis refectionem notabiliter continuaret, jejunii legem frangeret; quia Ecclesia unam quidem refectionem permittit, sed uni ex ordinariis circiter respondentem. Quæ autem sit notabilis protractio, alii unam horam, alii duas , alii plus vel minus assignant. Res est resolvenda ex usu regionum, et timoratorum judicio.

Non tamen contra jejunium faceret qui nimium comederet, sed tantum contra temperantiam ; cum nullibi quantitatem ciborum in una refectione Ecclesia taxaverit.

Q. 2. *An liceat refectionem interrumpere sine læsione jejunii?*

jejunium cæteris solemnius est, *tum* quia observatur ad imitationem Christi; *tum* quia sic disponimur ad Redemptionis nostræ Mysteria devote recolenda. Ita Angelicus, 2, 2, q. 147, a. 8. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. xi, nn. 3 et seqq.

(1) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* xv, n. 13.

R. Si justa adest causa interrumpendi, certum est interruptionem jejunium non violare; qui tunc nova refectio habetur tamquam refectionis prioris complementum. Neque præsumi potest Ecclesiam velle, ut quis semipransus maneat.—Si vero nulla adest justa interrumpendi causa, casu quo interruptio sit notabilis; certum est jejunium violari; quia tunc habentur refectiones multiplicatæ.

Quanta autem esse debeat et qualis hæc interruptio ad jejunii violationem non tam facile potest definiri. Profecto si interruptio duret per integrum horæ spatium sine causa, consentiunt omnes non posse refectionem resumi sine jejunii violatione; habetur enim communiter uti notabilis.—Idem sunt qui dicunt de dimidia hora; nam per hanc quoque, cum stomachus de novo præparetur ad cibos recipiendos, eluderetur jejunii lex (1).

Q. 3. *An peccet mortaliter qui sæpius in die parum cibi suscipit?*

R. Affirmative: qui sine gravi causa sæpius in die parum cibi suscipit tempore jejunii, peccat mortaliter. Quia parvæ illæ cibi portiones pedetentim in die susceptæ coalescunt profecto in aliquod grave quoad se reficiendum: quod quidem jejunio adversatur. Hinc Alexander VII damnavit hanc n. 29 propositionem: *in die jejunii qui sæpius modicum quid comedit (etsi notabilem quantitatem in finem comederit), non frangit jejunium.*

Excusantur tamen qui aliquid sumunt, puta unciam, ne corporis viribus deficiant: si prandium v. g. multum differri contingat ultra horam consuetam, quemadmodum solet evenire Religiosis mensæ ministrantibus, lectoribus et famulis. Verum aliquid sumere ne potus noceat, vix semel atque iterum potest permitti in die.

Quoties (quæres) *peccat qui sæpe in eadem die jejunium culpabiliter frangit sumendo cibos in notabili quantitate?*

Nota. Notabilis quantitas ex Roncaglia, Salmanticensibus, etc. quoad carnes est quantitas excedens octavam circiter partem unciæ, cum nimium nutriant; sed ratio habenda est diversitatis mensurarum. In cæteris vero cibis communibus probabiliter censet Diana cum aliis non esse notabilem, nisi materiam illam, quæ excedat uncias duas. Sunt tamen qui non tantum requirunt pro ovis et lacticiniis; cum adeo carnibus assimilentur. Hoc posito:

R. Cum distinctione: *vel* iste jejunium frangit sæpius in die sumendo carnes, aut ova et lacticinia; *vel* jejunium frangit plures tantum agendo comestiones, in iis nempe semper sumendo cibos esuriales. Si 1, certum est eum toties peccare quoties manducat: præceptum enim abstinendi a carnibus, ovis et lacticiniis est negativum; ideoque obligat semper et pro semper, id est toto jejunii tempore. Si 2, ex communi unum dumtaxat mortale commitit; quia jejunii natura in ea unica comestione consistit ex D. Thoma (2).

(1) Hæc tamen omnia moraliter accipienda sunt. Unde merito probabile est, quod ille qui jam surrexit e mensa animo non amplius comedendi, sine peccato poterit iterum ad comedendum redire, si aliud ferculum apponatur quod ille ignorabat, vel si convivæ adhuc comedant; quia moraliter censetur durare idem prandium.

Imo Tamburini, Elbel, Filliucius concedunt generaliter posse cibum adhuc sumi post sesquiquadrantem, nempe post vigintiduo horæ momenta *(minutos)*.

(2) 2, 2, q. 147. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XII, n. 20.

Ideoque semel destructa formaliter ejus essentia, cessat jejunium, neque aliqua amplius superesse potest illius obligatio.

Hinc pœnitens si peccavit primo modo, debet explicare quoties id egerit; cum tot sint peccata quot comestiones. Non autem si comederit cibos communes: quia post primam vicem remanet deobligatus. Ita communiter tenent Azorius, Cajetanus, Suarez, etc.

Quid (dices) *siquis inculpabiliter bis jam in die comederit? tenebiturne se abstinere a tertia refectione?*—Sunt qui negant probabiliter; quia essentia jejunii jam destructa est: sed sententia probabilior contrarium docet; nam qui jejunium fregit bis comedendo sine advertentia et ideo sine culpa, fregit quidem materialiter; sed non formaliter. Unde cum primum advertit, legem tenetur servare et curare, ut ab ejus formali violatione abstineat.

Q. 4. *An liceat cauponi in die jejunii omnibus indiscriminatim petentibus præbere cibos et carnes?*

R. Sunt qui absolute negant id licitum esse; quia esset concurrere ad malum alterius, et hoc peccatum est. Sed probabilius nobis videtur affirmandum cum Billuart, Bouvier, Gousset, Mazzotta, Navarro, Sanchez, Sporer, Tournely, Viva, et aliis satis communiter, etiamsi caupo certo sciat personas cauponam ingredientes carere dispensatione pro manducandis carnibus; si tamen grave ac notabile omnino damnum timeat (1). Nam ad permittendum grave peccatum proximi, quod ille paratus est committere occasione a nobis præstita, sufficit gravis causa, quæ nos deobliget a præcepto charitatis. Billuart id confirmat illis Angelici verbis: *licite possumus uti malitia alterius, vel etiam materiam qua abuteretur, non subtrahere, sed præbere, scilicet pro aliquo incommodo vitando* (2).

Urgenda tamen esset, ad omne scandalum vitandum, lex merito alicubi

(1) «Se peca mortalmente dice Gousset, *Theol. Mor.* n. 304, cuando no obstante la prohibicion de la Iglesia se hace comer carne á los hijos, á los familiares, ó á los trabajadores. Debe escusarse á la mujer, al hijo, á la cocinera que guisan carne, cuando el marido, el padre, el dueño de la casa lo quieren absolutamente. La Iglesia les dispensa resistir por los inconvenientes que podrian resultar de negarse á hacerlo. En cuanto á los hijos de familia pueden comer carne sino tienen otros manjares, porque seria demasiado duro condenarles á comer pan solamente. Lo mismo debe decirse de los trabajadores y de los criados si no pueden dejar á su amo sin graves inconvenientes. Pero los hijos, los criados y los trabajadores, en cuanto lo permita la prudencia deben reclamar contra esta violacion de las leyes de la Iglesia.»

Ad *Viatores* quod attinet, si isti præter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio divertere possunt, eos licite sumunt, si indigeant cibo; serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur, et sola ratio itineris eos non eximit a lege abstinentiæ, etsi a jejunio ob nimiam defatigationem eximeret. Insuper sciant eos non excusari ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque hujus generis difficultates; secus fere omnes agentes iter ab hac lege eximerentur. *Gury.*

(2) «Si sit dubium, iterum Billuart, an hospites habeant jus cœnandi, debent hac de re interrogari, si decore fieri possit: sin minus propter eorum reverentiam, possunt præsumi posse; quia nemo debet reputari malus, nisi probetur....

«Tibi a jejunio exempto non licet urbanitatis causa invitare ad cœnam tecum eum, quem scis jejunio teneri, quamvis paratum domi suæ cœnare. Ita Lessius, Loth, Azor et alii contra Navarrum. Ratio est, quia si sola urbanitas non sit causa sufficiens, ut licite præbeas occasionem aut materiam peccandi, a fortiori ut invites ad id, quod sine peccato hic et nunc fieri non potest.»—*V.* Liguori, *Op. Mor.* l. II, n. 69; l. III, n. 1030.

indicta, quæ scilicet taliter comedentes vult separatim ab illis collocandos esse.—Item observamus, quod non ita facile posset excusari caupo oppiduli, hac ratione quasi urgeat periculum diminutionis concurrentium ; siquidem apud omnes caupones similium locorum sacrum est, uti esse debet, ut cibi vetiti nulli apponantur : atque concurrentes probe sciunt eos omnes idipsum agere.

Q. 5. *An electuaria frangant jejunium?*

R. Electuaria (vulgo *conservas)* sunt ea liquida, quæ rei de se nutritivæ, sed dilutæ substantiam continent. Conficiuntur ex electis rebus v. g. saccharo et cedro, vel janipero, etc. De his habet Angelicus: *electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum* (1). *Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi* (2). Quod si quis in parva quantitate ea sumat ob delectationem, jejunium venialiter tantum violabit ex quantitate materiæ.

Ad cæteras vero potiones, *quæ in usu sunt uti simplices potiones*, v. g. aqua mixta saccharo et succo mali citrini, coffea *(café)*, theum *(té)* (3), salviata decocta, etc., docet communis sententia illas jejunium non frangere; cum potius inductæ sint ad sitim sedandam atque ad simplex corporis refrigerium, non ad nutritionem. Neque obstat, si ministrentur congelatæ (vulgo *sorbetes)*; congelatio enim naturam non mutat.

Diximus *quæ in usu sunt* etc.; aliter enim esset de sumptione lactis, jusculi, succi pomorum (vulgo *melones)*, et aliorum fructuum, item uvarum confectarum, aut tunc dentibus pressarum, licet postea expuantur. Nam hæc omnia censentur habere rationem cibi ; et potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referuntur. — Imo quoad potiones lacte mixtas adest expressa prohibitio Clementis XIII, Bulla *Appetente sacro*, anno 1759 (4).

Sed (dices) *quid statuendum de vino, cervisia et chocolate?*

Quoad vinum, commune est inter Doctores, imo *unanimes declaraverunt*, ait Benedictus XIV (5), illud jejunium non frangere. Quod valet etsi quis illud sumat ad sedandam famem ; cum ad id ordinatum non sit : porro *statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti* (6). Unde ho-

(1) Item rationabiliter sumuntur ad confortandum stomachum, ad oris fœtorem tollendum, ad vocem conservandam, ad sitim sedandam, etc.

(2) 2, 2, q. 147, a. 6.

(3) Excipe, nisi tanta copia sacchari admisceatur, ut sit potius pulmentum, quam potus.

(4) Aliter dicendum de *sero* lactis proprie dicto, nempe ultima operatione habito ; cum hoc habeatur uti simplex potio, vel potius uti medicina. Adde illud nihil amplius de vera substantia lactis retinere. Unde sicut liceret jusculum sumere, si operatione chimica, omnis carnea substantia subtraheretur ; ita licet sumere serum, a quo per ultimam operationem lac extractum fuit. Neque sane serum dici potest lac verum, sed aqua e lacte. — At sunt qui jejunii die non permittunt serum, nisi ex consuetudine, aut nisi quando sumitur uti medicina ; cum censeant illud adhuc aliquid de vera substantia lactis habere.

Non autem liceret lac sumere in cœnula seu collatiuncula, quia per privilegium licet caseum, ideo quia caseum est de lacte ; nam in hac re non valet argumentatio.

(5) *Notificatione* XV. (6) S. Thomas, in 4, d. 15, q. 3, a. 4.

die obsolevit vetus præceptum contrarium. — Hoc pariter dicendum est de cervisia seu birra, quæ conficitur ex aqua hordeacea et aliis ingredientibus; hæc enim pro vero, ac simplici potu accipitur ab omnibus.

Ad chocolatem autem quod pertinet, docent alii ejus potionem jejunium frangere; quia non habet rationem potus, sed magis cibi et alimenti ad instar lactis et jusculi. Alii tamen negant, modo illius usus sit moderatus, et non sumatur instar densæ pultis et in magna quantitate. Pro ratione proferunt universalem consuetudinem (1), quam sciunt nec reprobant Ecclesiæ Prælati: *ex hoc ipso* (inquit Angelicus in re simili) *quod Prælati dissimulant, videntur annuere.* Huic sententiæ favet Benedictus XIV (2): eamque et nos tenemus, modo toties non sumatur in die, quoties libuerit; sed semel tantum. Et relate ad quantitatem, attendatur consuetudo recepta apud viros probatos, ut nempe sumatur unus ciathus ordinarius.

Q. 6. *Quandonam refectio sumenda est in jejunio Ecclesiastico?*

R. Hora refectionem sumendi primitus quoad jejunium Quadragesimæ erat post occasum solis; quoad alia vero jejunia erat hora nona: sed a sæculo XIV sensim sine sensu quoad omnia jejunia hora anteacta est ad meridiem. Hora autem hæc ita obligat in nostra sententia, ut qui *eam anticipat notabiliter sine causa,* mortaliter peccet; cum jejunium solvat. Probatur tum ex jure canonico, ubi anticipantes *nullatenus jejunare credendi sunt* (3); tum ex Angelico, qui ait: *qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit* (4); tum ex ratione: anticipando enim notabiliter violatur præceptum in re gravi: cum hora multum pertineat ad rationem abstinentiæ.

Diximus: — 1 *qui anticipat,* non enim peccaret quis posticipando: nam magis accederet ad antiquam consuetudinem, quæ quidem ad jejunii finem melius conducit. — 2 *Notabiliter;* etenim, ut ait idem Angelicus, *ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem* (5). Est autem probabilius integram horam constituere tempus notabile. — 3 *Sine causa;* causa enim facit licitum in jure, quod non est licitum. Porro causa levis a levi, causa gravis a gravi anticipatione excusat: imo si admodum gravis, a jejunio liberat, uti patet (6).

§ UNICUS. — *De Collatiuncula vespertina.*

Q. *Quid notandum quoad collatiunculam vespertinam in jejunio?*

R. Collatiuncula vespertina a monachis aliquomodo cæpit, qui in jejuniis a propria regula inductis, ante vel post sacra colloquia *(collationes* dicta seu *conferentias)* aliquos aquæ haustus, vel alterius potionis ad vires refocillandas sumebant. — Morem hunc amplexati sunt fideles in Ecclesiæ jejuniis (7):

(1) Consuetudo est *in multis locis recepta in Italia, in Hispania, in Portugalia,* etc. *Hæc autem in Gallia non viget.* Bouvier. (2) *Notificazione* XV. (3) C. Solent de cons. d. 1.
(4) In 4 d. 15, q. 3. a. 4. (5) 2, 2, q. 147, a. 7.
(6) *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. XII, nn. 18 et 21.
(7) Primitus enim ita jejunium (maxime quadragesimale) rigorosum erat, ut nihil omnino extra unicam refectionem sumeretur in die, prout testantur S. Athanasius. *De Virginitate;* S. Ba-

qui mos eo venit, ut hodie cœna habeatur tametsi parvula, quam quidem legitimam esse probat ubique locorum recepta consuetudo (1). Circa hanc veniunt notanda:

1. Hora a consuetudine determinata sumendi refectiunculam ea videtur esse, qua jejunans solebat sumere cœnam, vel sub vesperam. Non ergo erit sine justa causa tempus et hora ejusdem commutanda: quod tamen si fiat, non excedet veniale; quia non violatur substantia jejunii. Erit causa justa iter, officium, negotium, studium, etc.

2. Duo in collatiuncula præsertim spectanda, cibi quantitas et qualitas. In quibus dicimus generatim esse tenendam probatam locorum consuetudinem, et piorum doctorumque praxim: quæ his in rebus pluris æstimanda sunt, quam quædam subtilioris ratiocinationis argumenta. Usus enim, qui cœnulam induxit, illam moderari poterit.

3. Ad quantitatem speciatim quod attinet, quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur; major autem concedenda iis, quibus hæc non sufficeret (2). Omnes autem conveniunt excessum duarum unciarum ultra permissas esse materiam levem; quinam vero sit gravis excessus, non conveniunt: alii requirunt excessum supra cœnulam alteri dimidiæ cœnulæ æquivalentem; alii cum Billuart requirunt excessum, qui seorsim sumptus cœnulæ integræ æquivaleat (3).

4. Quod respicit qualitatem, certum est excludi carnes, ova et lacticinia (4): item dulciaria ovis confecta; nam ovorum substantia non deperdi-

silius, *Orat.* 1 *de jej.*; S. Epiphanius *adv. hæreses* in fine; S. Ambrosius, *Serm.* 8 *in* Ps. 118; D. Hieronimus *ad Eustoch.* etc.

(1) *Qui ex refectione prandii satis est confortatus, aut qui vespere non esurit; nihilominus collatiunculam juxta morem receptum sumere potest, tum propter consuetudinem existentem: tum propter anxietates ex contraria doctrina continuo obventuras. Ita Azor et Cozza apud Dens, qui eos citat et approbat.* Bouvier.

(2) «Parece que no puede darse una regla fija y general: debe tenerse en cuenta la mayor ó menor fuerza del temperamento que no es igual en todos... Conviene tambien tener presente la continuidad del ayuno; así la colacion de las vigilias ó de las cuatro temporas debe ser menos abundante que la que se toma en la cuaresma, porque es mas fácil sostener el rigor del ayuno. Por lo que respeta á colacion, las personas obligadas al ayuno tomarán el alimento que consideren necesario para evitar toda indisposicion que pueda impedirles desempeñar convenientemente sus funciones, tomando en consideracion el vigor ó delicadeza de su temperamento, las fatigas que esperimentan, y las ocupaciones propias de su profesion. Un sacerdote, por ejemplo, que tiene á su cargo una estensa parroquia puede seguramente sin estar dispensado del ayuno, tomar mas alimento que otro que trabaja menos, y así proporcionalmente los demás.» — Gousset, *Theol. Mor.* n. 297.

Quod currit de aliquibus juvenibus studio indefesso vacantibus: attamen cavendum est, ne cœnula de facili convertatur in cœnam.

(3) *In vigilia Nativitatis communiter admittitur collatiuncula duplo major nempe sexdecim unciarum, ratione talis Solemnitatis; etiamsi talis vigilia incidat in sabbato quatuor temporum.... Si quis autem vellet in eadem vigilia anticipare collatiunculam in mane, ut cœnet vesperi, rationabiliter advertit Sanchez contra id, quod sentiunt alii, non posse excedere octo uncias; quia tunc non adhuc incepit Festivitas, quæ incipit a vesperis.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XII, n. 16.

(4) Quoad lacticinia excipiuntur loca, ubi ea sumendi *etiam sero* consuetudo, vel privilegium est. Diximus *etiam sero;* non ideo enim licerent, quia in unica refectione sunt permissa. Hinc interrogata S. Pœnitentiaria sub Benedicto XIV, an liceat sero parum casei sumere dispensatis ad lacticinia, *optime conscia mentis Sanctitatis Suæ, imo Ipsa approbante, respondit negative.*

tur, eo quod farina misceatur. — Cibi autem hodie permissi sunt panis, olera, poma, pyra, ficus, uvæ, nuces, castaneæ, amygdalæ, etc. Ad pisces quod attinet, multi merito dicunt juxta hodiernam consuetudinem cibum sumi posse de piscibus etiam recentibus et magnis: atque id nunc etiam in communitatibus religiosis passim obtinere asserit doctus Episcopus Milante.

Sed (quæres) *an liceat sumere octo uncias panis in aqua simul cum oleo decocto* (*vulgo* pannata, pancotto)?

R. Nonnulli admittunt; sed hæc opinio jure merito ab aliis communiter refellitur, quia panis per coctionem et fermentationem in aqua diversam materiam acquirit; nam ita consubstantiatur cum aqua, ut non amplius possit separari: unde esset quid et magis nutriens et excedens quantitatem. — Vix ergo poterit permitti cum Tamburini panem in vinum aut aquam infundere, et illico illum sumere; quia tunc non intervenit fermentatio (1). Aut cum Roncaglia permitti possunt quatuor, vel cum Salmanticensibus ad summum quinque unciæ panis aridi decocti in aqua. Et idem fortius videtur posse dici de leguminibus coctis seu aqua elixatis, quæ quidem minoris sunt nutrimenti.

Probabiliter autem Azorius, Bonacina, Laymanus, Leander, Mazzotta, Palaus, Salmanticences et Viva permittunt vesci jusculo ex herbis coctis cum oleo, aqua, aceto, aut vino decocto. Sed advertendum cum Viva, quod oleum et acetum computanda sunt in pondus octo unciarum, dum hæc non habent rationem potus (2).

ARTICULUS III — De causis a jejunii præcepto excusantibus.

Ab ecclesiastico jejunio excusant: 1 superioris dispensatio; 2 impotentia tum physica, tum moralis; 3 labor; 4 pietas. Humana enim lex vel contraria lege interveniente, vel legitima dispensatione, vel gravi in ea observanda incommodo, cessat habere vim.

De his porro seorsim et accurate censeo disserendum, cum sint res omnes pertinentes ad praxim, et scitu necessariæ. Sedulo curavi super hoc puncto quamplures auctores observare, eo quod doctorum auctoritas in hoc redundet in probabilitatem intrinsecam; cum agatur de re, quæ valde pendet ab æstimatione prudentum. Ita S. Alphonsus noster (3).

Q. 1. *Quinam a jejunii præcepto dispensare possunt?*

R. Possunt dispensare: 1 Summus Pontifex in Ecclesia universa, et quidem valide, etiamsi non adsit causa; cum dispenset in lege sua. — 2 Episcopus in sua Diœcesi, sed cum causa, cum suis subditis, et tantum pro casu particulari vel uno aut altero Diœcesis loco; non enim potest dispensare pro tota Diœcesi sine Pontificis venia, neque in solo esu carnium: ita ei limitatur dispensandi facultas; cum jejunium sit lex superioris *(N)*; — 3 Consuetudo et tacita Episcoporum permissio induxit, ut etiam Parochi in tota Pa-

(1) Idem valet de castaneis vino madefactis, quæ difficilius licet decoctæ intumescunt.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 1209; *Hom. Ap.* tr. XII, n. 18.

(3) *V. Op. Mor.* l. I, n. 1032. — Hic etiam videri potest in fine voluminis Appendix: *Sanctæ Apostolicæ Sedis responsa quædam recentiora circa jejunium.*

rœcia, ipso præsente Episcopo, cum subditis particularibus hac gaudeant potestate. quam valent exercere tum per se tum opera Sacerdotum et Clericorum. Sed caveant ne utantur ancilla, quod maxime dedecet, nisi utantur simpliciter uti nuntia. Et idem possunt Vicarii Parochorum, qui exercent actus parochiales, si Parochus non repugnet, uti docent Sanchez, Salmanticenses aliique.

Quid (dices) *de Confessariis et Medicis?* —Satis omnibus notum, quod neque a jure, neque a consuetudine Confessarii potestatem habent dispensandi in jejunio proprie loquendo. Sed declarare utique possunt in foro conscientiæ, pœnitentes suos in data circumstantia ad jejunii præceptum minime obligari; tunc enim quasi pro tribunali doctores, ac judices sedent. —Multo minus Medici proprie dictam potestatem habent dispensandi; cum non sint jurisdictione Ecclesiastica præditi. Ad ipsos non pertinet, nisi declarare (conscientiose tamen, ne aliorum peccatis graventur) quænam sit causa vere sufficiens.

Benedictus XIV, Bulla *Prodiit* ad dispensandum cum particulari in esu carnium, ovorum et lacticiniorum requirit *utriusque medici concilium* (1), id est tum spiritualis (confessarii nempe, vel parochi), tum physici seu medici corporum.

Sed (quæres) *an subditus semper debeat petere dispensationem?* — En verba S. Alphonsi: *ait S. Thomas* (2), *quod si causa, quæ a jejunio eximit, fuerit evidens, potest subditus a se eximi; præsertim cum sibi non esset facile superiorem adire (hoc intelligitur ob suæ conscientiæ majorem quietem). Sed si causa est dubia, debet tunc subditus sine dubio ad Prælatum confugere* (3).

(1) Synodus Novariensis, pag. 72, pro esu carnium requirit medici judicium in scriptis Parocho exhibendum. Ubi notandum: simpliciter dispensati jejunio, non ideo intelliguntur dipensati in esu carnium. Jejunium est divisible: et sic communiter accipitur dispensatio, ut valeat in reliquis, non in esu carnium, nisi speciatim nominentur carnes.

Præstat hic etiam audire laud. Archiep. Gousset: «Generalmente los fieles se creen dispensados del ayuno y de la abstinencia sin recurrir al cura párroco, cuando por causa de alguna indisposicion, el médico les aconseja comer carnes ó no ayunar. Nosotros somos de opinion que bajo este punto de vista no deben inquietarse, ya porque obran de buena fe, ya porque tienen en su favor una costumbre bastante inveterada. Un párroco no es de ninguna manera responsable de los abusos que ocasionan los médicos en materia de ayuno y de abstinencia por su demasiada ligereza y tolerancia.»

(2) 2, 2, q. 147, a. 4.

(3) *V. Homo Apost.* tr. XII, n. 22. — Hoc ultimum tamen currit, præcisa alia circumstantia, uti merito notant Salmanticenses (*De leg.* c. 2, n. 111), et constat ex hactenus dictis. Nam non esset de necessitate dispensatio obtinenda, si una simul cum dubio de illa jejunii lege, daretur dubium de alia lege superioris: uti siquis dubitans, an ratione necessitatis eximatur a jejunio, recte etiam dubitaret, an jejunium nocivum esset graviter saluti; quia cum obligatio legis superioris sit potior, si detur dubium de utraque, jam patet legi superioris obtemperandum esse.

Item ad tollendas omnes apparentes contradictiones, cum iisdem DD. notandum est, aliud esse dubitare, num talis casus indigeat dispensatione: et aliud, num talis causa sit sufficiens ad dispensandum. — Nam in prima facti specie dubitatur, num casus sit inclusus in lege et cadat sub ejus influxu, ita ut dispensandus sit; et tunc possidet libertas. — In secunda vero facti specie non jam dubitatur de influxu legis, cum jam supponatur eam influere, sed tamtummodo, an talis causa sit sufficiens ad te liberandum ab illo influxu; ideoque possidet lex, alia circumstantia præcisa.

Tandem advertunt, non bene se gerere Prælatos illos, qui in dubio ad se confugientes inferiores pro dispensatione, suæ conscientiæ relinquunt; nam sic conscientiæ tranquillitati non providetur.

Q. 2. *Quinam a jejunio excusantur ratione impotentiæ?*

R. 1. Ratione impotentiæ physicæ excusantur: — 1 infirmi, quibus jejunium graviter obesse posset: vel ita debiles, qui uno prandio male se haberent, uti convalescentes (1); — 2 mulieres fœtum utero gerentes vel prolem lacte nutrientes; quia ipsæ indigent alimentis copiosioribus. Imo consuetudo permittit eis etiam carnium usum, si proles ægrotet, aut mater sit valde debilis; — 3 pauperes, de quibus hæc scribit divus Thomas: *dicendum quod pauperes qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejunio Ecclesiæ; a quo tamen excusari videntur illi qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat* (2).

R. 2. Ratione impotentiæ moralis excusantur a jejunio:

1. *Illi, quibus jejunium affert grave incommodum*, v. g. gravem capitis dolorem, vigilias diuturnas, etc.; nam leges Ecclesiæ non obligant cum incommodo gravi; obligant tamen cum aliqua difficultate: secus actum esset de omnibus Ecclesiæ legibus, quæ certo passionibus obstant; et maxime de jejunio quod eas mortificat. Utrum autem, si grave incommodum possit præcaveri, prandium differendo ad vesperas et mane collatiunculam sumendo, ad hoc teneantur, probabiliter negat Viva cum aliis; quia hoc esset remedium extraordinarium et durum omnino: et ob hanc difficultatem veteri disciplinæ derogatum est.

2. *Milites* sive in castris, sive in hospitiis: ita communiter, tum quia statis horis non possunt comedere; tum quia congruum non habent cibum pro jejunio. Adde consuetudinem.—Imo fere ubique dispensantur ab abstinentia a carnibus, nonnullis tamen diebus exceptis (3).

3. *Uxores*, quibus a maritis jejunium interdicitur (nisi interdicatur in contemptum Religionis vel Ecclesiæ), et quæ jejunando paterentur gravem maritorum indignationem.—Item *mariti* qui jejunantes nequeunt debitum uxoribus solvere, ut cum Laymano, Lessio, Salmanticensibus, Viva et aliis merito docet P. Concina (4). Ratio est quia præceptum naturale justitiæ, scilicet reddendi debitum, prævalet humano jejunandi utpote inferiori (5).

4. *Adolescentes* usque ad annum 21^m^ completum; nam ipsi crebriori indigent alimento, tum ad incrementum naturæ, tum ad virium robur. Hoc autem est certum ex consuetudine universali: quod quidem locum habet, etsi

Consultius erit, si valeant dispensare in tali dubio, ut aperte dispensent, vel saltem ut aperte dispensationem denegent.

(1) «Huc revocantur illi, qui nisi bis reficiantur, notabilem ex vacuitate stomachi capitis vertiginem patiuntur.» *Gury.* (2) 2, 2, q. 147, a. 4.

(3) *V. Pregi e difetti dei cappellani militari*, ecc. Torino 1855. — *Manuale del soldato cristiano.* Marietti, Torino 1853.

(4) *Sed censet* (Concina) *teneri virum prius precibus hortari conjugem, ut a petendo desistat. Si tamen hoc omitteret, non putarem eum peccare saltem mortaliter.* Ita S. Alphonsus in *Op. Mor.* l. III, n. 1034.

(5) Aliter esset: 1 si conjux redderetur tantum minus potens ad reddendum: quia non teneretur cum spirituali jactura *illud plus* curare, cum aliunde opus jam sufficienter præstet; 2 si tantum redderetur impotens ad petendum; petere enim non est necessitatis: excipe nisi ex charitate teneretur petere, v. g. ad vitandum incontinentiæ periculum.

aliquis adolescens esset robustus; quia hic ex communi attenditur quod ordinarie contingit.—Ita Angelicus (1), subjungens nihilominus expedire, ut juvenes sese jejunio exerceant, tum ut culpas cohibeant, tum ut ad spiritualia eleventur (2).

5. *Senes,* qui ob virium imbecillitatem sine gravi incommodo jejunare non possunt, uti patet.—Quoad illos vero, qui sunt viribus satis validi, utrum excusentur, non una est Doctorum sententia. Illos a jejunio liberatos esse negant Bonacina, Layman et Filliucius; nam tunc non reputantur uti senes. Sed probabiliter affirmant multi de illis, qui 60^{m} annum habent, etsi nondum completum; nam in favorabilibus annus incæptus habetur pro completo. Ratio est ipsa universalis consuetudo, quam testantur communius Doctores apud Roncaglia (3). Sed ratio potior est, quia hujusmodi senes ob defectum caloris naturalis nequeunt semel alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori: unde si quod est salutis robur ea ætate, apparens potius est et instabile, quam reale et constans, ut pro certo docet ipse Galenus (4). Adde: difficilis est et anxietatum plenissima inquisitio, an sexagenarius aliquis sit satis robustus, necne ad ferendum jejunium (5). Quod si ex una parte urget positiva jejunii lex, non minus urget ex altera parte jus et naturalis obligatio propriam valetudinem servandi.

Quidquid sit, semper adest periculum moraliter certum gravis diminutionis virium, quæ semel amissæ numquam reparantur (6).

Hic juverit Synodi Novariensis consilium: *qui jejunii abstinentiæque disciplinam ex infirmitate seu virium imbecillitate ferre nequeunt, aliis pietatis officiis et charitatis operibus jejunium et abstinentiam redimere studeant* (7).

Q. 3. *Quinam labor a jejunii observantia excusat?*

R. A jejunii observantia labor tunc liberat, cum sit talis, ut sine notabili corporis defatigatione exerceri non possit. Hinc communiter ratione laboris inter operarios excusantur a jejunio *fossores, agricolæ, lapicidæ, figuli, textores lanarii, fullones, bajuli, aurigæ, nautæ, remigantes, fabri-lignarii,*

(1) 2, 2, q. 147, a, 4.

(2) Hic quoque notandum juvenem, qui v. g. hora tertia annum 21 complevit, probabilius teneri ad jejunandum reliqua die; nam præceptum statim obligat ac illius tempus advenit, et jejunium respicit totam diem.

(3) Nempe pro Italia Viva, Roncaglia, Naldus, Elbel, Mazzota, etc. Pro Hispania Salmanticenses, Sanchez, Azor, Palaus. Pro Lusitania Sa. Pro Germania Busembaum. Gousset Cardinalis, Archiepiscopus Gallicanus id pro certo admittit pro septuagenariis. — «Sporer refiere en favor de este comun consentimiento, que S. Pio V declaró de viva voz que los sexagenarios no están obligados al ayuno eclesiástico; y está á mas un autor (Gerónimo Lumas), quien asegura haber sido testigo de esta declaracion».—Ita lib. *Examen Raissoné ou decisions théologiques*, etc.

(4) L. 5, *de sanitate tuenda.*

(5) Hic audiendus card. Cajetanus, qui floruit sæc. XVI, et quem laxitatis nota nemo incusat Ait enim de jejunio: «excusantur senes, quia senectus morbus est incurabilis. Sed ætas, qua incipit senectus, non est determinata; quia naturaliter aliqui trigesimo anno senescunt, aliqui quadragesimo, alii quinquagesimo, prout habent naturaliter diversas ætates. Communiter tamen qui sunt sexaginta annorum senes sunt, quia scriptum est: *dies annorum nostrorum septuaginta anni.* Unde in hac ætate, nisi evidenter constet ex robustiore complexione posse absque læsione jejunare, non tenentur ad jejunia; quia ex quo de ætate constat et de robore est ambiguum, non est expectandus casus amplior virtutis, quæ quum manifeste deficere incipit, irreparabilis est.»

(6) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. XII, n. 25. (7) P. 1, c. 12, pag. 73.

ferrarii atque *murarii*.—Item *percurrentes urbem* ad merces vendendas, *ornantes templa scalas circumferendo*, *magna horologia conficientes*, ac similiter *laborantes per magnam diei partem*.—Item *cursores*, *sutores*, *furnarii*, *pistores*, *coqui* dapes complures compluribus præparantes, si per totum fere diem laborare cogantur.—Item *typographi* prælum versantes, non vero typos tantum componentes (1).—Denique *famuli*, qui tota die magnis incumbunt laboribus (2).

Non vero excusantur *ancillæ* lanam vel linum fuso torquentes, aut munia similia exercentes. Neque *barbitonsores*, *sartores*, *pictores*, *notarii*, *molitores*, *sculptores*, nisi ob virium debilitatem vel ob laborem particularem artem suam exercere non valeant. Hac in re hæc n. 30 propositio ab Alexandro VII merito damnata est, utpote nimis generalis: *omnes officiales*, *qui in republica corporaliter laborant*, *sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum die jejunii.*

Quid (dices) *de itinerantibus?* Distinguendum est: vel itinerantes agunt iter breve et expeditum; vel longum agunt iter et asperum. Si 1, quomodocumque illud iter agant, a jejunii lege non liberantur; cum non sit gravis incommodi. Si 2, liberantur modo pedibus illud conficiant, nempe ob grave incommodum: si vero illud conficiunt curru vel equo, præcepto *ordinarie* adhuc ligantur ob rationem contrariam. Hinc ab Alexandro VII damnata fuit hæc n. 31 propositio: *excusantur absolute a lege jejunii omnes illi*, *qui iter agunt equitando*, *utcumque iter agant; etiamsi iter unius diei conficiant.*

Diximus *ordinarie;* nam recte ajunt excusari, qui etiam equo aut curru iter agit ad plures dies cum incommodo; vel si iter sic agendum sit cum magna defatigatione, ut evenit cursoribus; vel si equitans sit debilis, et iter arduum aut extraordinarium (3).

Sed (quæres) *quid dicendum de studio vacantibus?*—Quod dicitur de artifice, illud dicendum est etiam de iis, qui studiis operam navant. Videlicet si ratione debilitatis modicis ac crebris refectionibus ad laborem sustinendum indigeant, a jejunio excusabuntur; nihil enim refert utrum labor corporis sit, an mentis.

An (quæres) *opifices divites qui ex officio artes laboriosas exercent*, *teneantur die jejunii a laboribus se suis abstinere?*

R. Alii affirmant probabiliter cum Angelico, ad hoc teneri opifices divi-

(1) Excusamus cum quibusdam vel ipsos typos componentes: quia hic labor nimium et corpus et stomachum et caput defatigat maxime in correctione, si expertis credere est.

(2) Etsi autem speculative loquendo videatur probabilius, quod isti omnes jejunare teneantur si sint adeo robusti, ut id sat facile possint; in praxi tamen vix reperietur unus, qui ex illis laboribus non graviter relaxetur: aliunde lex non respicit quod per accidens evenit. — Item neque de jejunio tenentur illo uno vel altero die, quo labores intermittunt ratione reficiendæ lassitudinis et virium servandarum ad proximos labores; excipe nisi illis diebus manifeste jejunare valeant sine incommodo gravi.

(3) Hic notanda sunt verba S. Thomæ: *si peregrinatio commode differri potest* (intelligo eam, quæ fit intra territorium, ubi lex jejunii viget ex dictis supra cap. 7, quæst. 6) *non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda:* 2, 2, q. 147, a. 7. Et sane quilibet tenetur communia impedimenta amovere, ut legem impleat, quoadusque manet sub ejus influxu: secus vix ulla esset lex obligans.

tes, ut valeant jejunare; cum abstinere possint sine jactura gravi. Verum sententia communis negat, et pro ea habetur expressa declaratio Eugenii IV, anno 1440, quam numquam audebo quamdiu non constabit, apocripham dicere (ut aliqui contendunt), postquam classici AA. communiter pro vera illam tuentur. Ratio autem est quod Reipublicæ plurimum interesse videtur, ne artifices hujusmodi suos intermittant labores jejunando. Et ita fert etiam consuetudo et praxis quotidiana ab Ecclesiæ Prælatis non improbata.

Quid (dices) *de eo, qui ideo laborem suscipit, ut a jejunio liberetur?*—R. Non est dubitandum, quin iste a jejunio sit liber, postquam, labore suscepto, graviter defatigatum se sentit; cum evaserit moraliter impos. Attamen peccavit operando in fraudem legis; quia omnis lex obligat etiam, ut nemo sine gravi causa, cum manet *sub legis influxu* (1), data opera quidquam agat, quo ejus elidantur præcepta. Ita docet S. Thomas, qui damnat de omissione Sacri fidelem, qui talibus *se occupat, quibus ab eundo in Ecclesiam impediatur* (2).

Q. 4. *Quinam excusantur a lege jejunii causa pietatis?*

R. Excusantur a jejunio causa pietatis qui præstant talia pietatis opera, quæ præstantiora sint et Deo gratiora, quam ipsum jejunium, quocum moraliter conjungi non possunt, idest sine notabili ac gravi incommodo.—Ejus generis sunt Opera misericordiæ tam spiritualia quam temporalia, atque etiam opera religionis; *etiamsi hæc opera*, ait Bouvier, *non ex officio vel obedientia, sed sponte suspiciant, si justa sit causa ea suscipiendi, et differri non possint. Ita S. Thomas, et cum illo multi Theologi.* Sane, ait idem Angelicus, *non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas* (3). Cum enim Ecclesia præcipiat jejunium uti promotivum ad bonum, non intendit obligare ad illud, uti est impeditivum majoris boni (4).

Hinc a jejunio liberantur *concionatores*, qui quotidie vel frequenter per hebdomadam in Quadragesima tota concionem habent, ut communiter docent Cajetanus, Navarrus, Salmanticenses, Toletus et Wigandt; nam actio concionandi est valde laboriosa (5). Idque valet, uti dicunt Lessius, Sanchez, Sporer, etc. quamvis concio fiat cum lucro: est enim justum stipendium laboris: neque ex tali intentione impeditur utilitas audientium.—An vero idem dicendum sit de illis, quiter vel quater in hebdomada aliquando per annum concionantur, pendet a majori vel minori mentis fervore, studio, labore et corporis agitatione, quæ illos faciant jejunio inhabiles (6).

Multi excusant *Cantores*, qui jejunando vocem amitterent; et *lectores*

(1) Id est, quando adhuc est eo in loco, ubi lex ipsa viget. — *Vid.* quæ supra jam tradita sunt tum *de peregrinis*, c. 5, quæs. 3; tum de *impedimento legis*, c. 7, quæs. 6.

(2) 2, 2, q. 147, a. 4. (3) 2, 2, q. 147, a. 4.

(4) Hoc tamen semper intelligitur, si opus majoris boni non possit commode differri: ut esset si illud prestandi et tempus et circumstantiæ præsentes se se propitiæ offerant. Secus valeret illud adagium: *unum facere, sed aliud non omittere.*

(5) Quod etiam currit pro Missionariis, qui vehementiori corporis et animi agitatione per aliquod temporis quotidie prædicant: ita communiter cum Cajetano, Navarro etc.

(6) Cum vero sacri Oratores et exemplo et verbis debeant prædicare, idcirco tenentur pro viribus eniti, ut jenunium servent.

scientiarum (Sanchez addit et magistros grammaticæ), qui magno studio et labore indigent, non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas et sæpius repetitas. — Et idem dicunt de *judicibus*, *medicis*, *advocatis* ac similibus, qui animum valde intentum habere debent studiis, ut muneri suo satisfaciant; nam isti ob spirituum consummationem opus habent cibo, sin majori, saltem frequentiori. — Idem currit pro iis, qui *hospitalibus inserviunt*, sive id agant ex officio, sive ex obedientia, sive causa temporalis utilitatis. — Item Roncaglia, Sanchez, Sporer, Viva et alii excusant *Confessarios*, qui tamen extraordinarium laborem subeant, nempe si confessiones audiant fere per totum diem, puta per septem vel octo horas.

Sed hic omnino advertendum, quod cantores, professores, judices, medici, advocati, hospitalibus inservientes, confessarii et similes non per se, sed tantum per accidens a jejunio excusari possunt, nempe si aliter non valeant suis muneribus satisfacere. Quod semper præ oculis habendum; nam ubi labor per se excusat, in dubio præsumptio stat pro exemptione jejunii: e converso ubi labor non per se, sed per accidens, nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personæ vel gravitatis laboris excusat, in dubio præsumptio stat pro obligatione jejunii (1).

CAPUT TERTIUM

DE ULTIMO PRÆCEPTO SEU DE DECIMIS (2).

Q. 1. *Quid sunt decimæ, et quotuplicis generis?*

R. *Decimæ* nomen non semper indicat decimam portionem fructuum; sed plerumque duodecimam, quintadecimam, imo alicubi etiam vigesimam, trigesimamve (3). — Triplex autem est decimarum genus: *prædiales*, *personales* et *mixtæ*.

Prædiales penduntur ex fructibus vel proventibus prædiorum, sive urbana ipsa sint, sive rustica. Cum hoc discrimine, quod quæ de grano, vino, fœno aliisque fructibus majoribus exhibentur, *majores;* quæ ex leguminibus et oleribus, *minores;* quæ ex prædiis vero recens excultis, *novales* nuncupantur. *Personales* persolvuntur ex rebus, quas sibi quisque opera et industria sua acquirit, v. g. negotiatione. *Mixtæ* oriuntur quidem ex rebus, sed fructum exhibentibus sola industria hominum, uti fœtus pecorum, lac, lana (4).

Q. 2. *Quonam jure decimæ sunt persolvendæ?*

R. Vel decimæ spectantur materialiter, quatenus nempe sunt Ecclesiæ sti-

(1) Insuper advertunt, quod si quis non haberet causam sufficientem, qua excusari possit a jejunio quadragesimali; sed contra ipse in bona fide putaret justam causam habere præcepto satisfaciendi, ter vel quater tantum in hebdomada jejunando, non debet Confessarius hunc obligare, ut quotidie jejunet; cum adsit periculum, ne postea omne omittat jejunium. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. XII, n. 34.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 12; *et Homo Apost.* tr. XX, nn. 85 et seqq.

(3) Decimarum originem ab ipso veteri fœdere repetendam esse, notum est omnibus.

(4) *V.* De Nicolis, *Adnotationes Theorico-practicæ* ad tr. De decimis Petri-Monetæ.

pendium suis Ministris debitum ad honestam eorum sustentationem; vel spectantur formaliter, quatenus nempe constant certa ac determinata fructuum terræ quantitate.

Si 1, persolvendæ sunt tam jure divino positivo; quia, dicente Apostolo: *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (1); quam jure naturali; quia, clamante Christo ipso, *dignus est operarius mercede sua* (2). Addimus jus humanum; nam ex Tridentino qui eas subtrahunt vel impediunt, sunt excommunicandi (3).

Si 2, tunc decimæ non sunt persolvendæ, nisi Jure Ecclesiastico (4); nam in lege nova nullum adest præceptum divinum de solvenda ulla fructuum quantitate. Quod autem in lege veteri aderat, fatentur omnes illud utpote judiciale una cum lege ipsa expirasse, sola remanente naturali ratione Ministros alendi. Hoc autem jus non obligat, nisi iis in locis, in quibus adhuc viget consuetudo decimas persolvendi: innumeræ enim sunt provinciæ, ubi decimæ amplius non existunt; quia vel lege sublatæ, vel pactis conventis alio modo sunt compensatæ.

Decimæ olim Episcopo solvebantur, qui eas Ministris distribuebat; sed facta bonorum divisione, de jure communi ad Parochum pertinent; prædiales quidem Parochi sunt, in cujus territorio prædia existunt; personales vero Parochi, a quo Sacramenta recipiuntur (5).

Q. 3. *Quomodo peccant qui decimas debitas defraudant?*

R. Qui decimas fraudant, peccant contra religionem et justitiam.

1. Contra religionem; quia decimas præcepit Ecclesia etiam *in signum universalis dominii* (6), quod habet Deus; consequenter in Dei cultum. Imo censent Elbel, Lessius et Sporer decimas non solvere etiam sacrilegium esse; quia illæ sacræ sunt, cum sint bona Ecclesiæ. Verum negant Croix, Palaus et Tamburini hoc esse proprie sacrilegium; quia illæ donec ab Ecclesia non possidentur, sacræ non sunt.

2. Contra justitiam; quia decimæ sunt justum stipendium debitum Ministris Ecclesiæ juxta illud: *quis militat suis stipendiis umquam? dignus est operarius mercede sua* (7). Non ergo sunt puræ eleemosynæ: et ideo debentur etiam Ministris divitibus, etiam improbis, cum officio suo rite funguntur.— Hinc merito damnata est a Martino V in Concilio Constantiensi celebrato anno 1418 propositio: *decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre* (8)

(1) I Corinth. 9. (2) Luc. 10. (3) Sess. 25, c. 12 de Ref.
(4) Ex cap. 4 et seqq. *de decimis.*
(5) Ita seculo XII, Lucius III, cap. xx *de decimis.* (6) Cap. *Tua nos* 26 *de decim.*
(7) I Cor. 9, Luc. 10.
(8) *V.* S. Thomas, *Quodlibet* q. v, a, 10; et 2, 2, q. 87, a. 3. — Ad rem Pontificale Romanum (tit. *de Ecclesiæ dedicatione seu consecratione*, § 45) contra decimarum usurpatores illud profert d. Augustini (vel Cæsarii Arelatensis juxta alios): *si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animæ consequeris: non igitur dominus Deus præmium postulat, sed honorem; Deus enim noster qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse?.... Cum enim decimas dando et terrena et cœlestia possis præmia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione defraudaris? Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimas non de-*

SCHOLIUM. — *De Primitiis et Oblationibus.*

Q. 1. *Quid de primitiis?*

R. Primitiæ sunt primi illi rerum fructus, qui primæva ætate *tum* ad cognoscendum Creatorem, *tum* ad sustentandos ministros a fidelibus dabantur. De his meminit et Origenes l. VIII contra Celsum, et Irenæus l. IV contra hæreses c. 15, aliique. — Sed post sæculum V ulla vix occurrit de primitiis mentio (1). Aliquod tantum vestigium remansit in quibusdam montanis regionibus, in quibus incolæ aliquas offerunt Parocho vel Ecclesiæ aut ex obligatione, aut boni animi ergo.

Q. 2. *Quid de oblationibus?*

R. Oblationes munera sunt sponte Deo atque Ecclesiæ a fidelibus oblata. Ab *agapis* seu sacris conviviis, quæ Apostoli instituerunt, repetendæ sunt; in illis enim singuli fideles panem ac vinum, aliaque afferebant ad Ecclesiam (2): porro panis vinique parte consecrata, reliquum in commune convivium conferebatur. Et huc spectat illud Pauli: *unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (3).

Inde natæ oblationes; quarum aliæ ad altare fiebant ad Sacrificium peragendum, et quod reliquum erat, cedebat Clericis et indigentibus. Dein cepit offerri pecunia, et sic tandem venit honorarium Missarum (4). Alia pro arbitrio in Ecclesia deponebantur in ipsius Ecclesiæ usum aut in Clericorum et pauperum alimoniam: ad hoc autem arca erat parata quæ *carbona* hebraice dicebatur, cui postea suffectum est *gazophylacium*, seu locus ad recipiendas oblationes electus. Aliæ pro uniuscujusque pietate dabantur, quando suscipiebantur Sacramenta, vel alia sacra officia peragebantur. Cum vero istæ darentur non tamquam pretium rerum sacrarum, sed in præmium laboris et tamquam alimenta, quæ jus divinum Ecclesiæ ministris tribui vult; ideo anno 1215 Concilium Lateranense IV statuit, ut fideles eas oblationes præstarent, quas consueverant, et recusantes pœnis possent cogi ab Episcopo (5).

Cum videantur fideles oblationes facere propter curam animarum, hinc si aliud non obstat, illæ cedunt Parocho loci (6).

Quid (quæres) *de oblationibus in Oratorio rurali?* — De oblationibus in Oratorio rurali B. Mariæ vel alterius Sancti factis nulla portio debetur Pa-

deris, tu ad decimam revocaris: dabis impio militi quod non vis dare Sacerdoti; et hoc tollit fiscus quod non accipit Christus.

(1) *V. Institutionum Canonicarum libri quatuor* cl. Episcopi Devoti omnium acclamatione excepti, quibus expletissimæ adnotationes additæ sunt doctissimi discipuli, qui postea fuit Pius VIII, ut legere est in lib. *Memorie di Religione, morale e letteratura.* Modena t. XV, pag. 242.

(2) De agapis *vid.* Tomassinus, *Veteræ et Nov. Eccl. discipl.* p. 3, l. III, c. 47.

(3) I Cor. 11.

(4) *V.* De Berlendis, *Dissert. de oblat.* — Sala, *In not. Rerum Liturg. Bonæ.*

(5) Cap. 40 de simonia.

(6) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXII.

Idem Benedictus, *De Syn.* l. V, c. 8.

Barbosa, *De Off. Parochorum.*

Fagnanus, *In* c. 9 *de his, quæ fiunt*, n. 14.

Canestri, *Giurisprudenza canonica*, ecc, c. 6, tit. 6.

rocho, uti declaravit S. C. Congregatio 22 apr. anno 1719. Si vero ex usu vel aliquo signo pateat hujusmodi oblationes ad celebrandas ibi Missas esse destinatas, Parochi est invigilare, ut Missæ secundum regulas stipendia taxantes celebrentur vel per se vel per alios, nempe in loco designato (1).

Monitum gravissimum: ad omnem malæ administrationis suspicionem cavendam, ne pigeat Parochos de iis, quæ Ecclesiis offerentur, testes habere et rationem reddere: *metus deponant,* ad rem Benedictus XIV, *ne virtutis opinionem apud populum amittant, quæ profecto numquam magis concitari in animis solet, quam si de congestis eleemosynis aperta fronte ratio persolvatur, ut palam constet, eas parochorum commodo nequaquam tribui; sed piis operibus insumi, quemadmodum offerentes exigunt* (2). Et Concilium Calcedonense, quod memorat Gratianus (3), decernit, *ut nec sine testibus sit Ecclesiæ ministratio, nec ideo res ejus dissipentur, et probrum ac dedecus Sacerdotio inuratur.*

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 112.

Nonne ita se gerit quilibet legislator, ut nempe *prius* mente sua concipiat subditos, ac *postea* intendat animum in leges iisdem imponendas pro publico bono?

Neque dicas: *si ita est; ergo homo nascitur a Deo plane independens, quod est absurdum.* — Responsionem præbet S. Alphonsus: «Respondamos y para esplicarnos con mas claridad nos servirémos de un ejemplo trivial: un moro es vendido como esclavo á un cristiano; el moro está obligado á obedecer al amo en aquellas cosas que le mande; pero si el amo no le manifiesta lo que quiere, sino que se lo tiene oculto en su interior, el esclavo ¿está obligado á cumplirlo? este es pues nuestro caso; nosotros decimos que el hombre ya no nace libre y exento de toda ley; nace subordinado á Dios su Criador, y nace obligado á obedecerle en todos aquellos preceptos que quiere imponerle: pero hasta que Dios no le haga conocer lo que quiere, ¿cómo puede el

(1) Cerei autem in honorem Ss. Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis, vel alicujus Sancti oblati, accendi et cremari debent; et eorum reliquiæ, si quæ supersint, non in beneficium Parochi, sed in fabricæ Ecclesiæ utilitatem cedere debent. Unde neque sunt extinguendi, neque sunt sibi a Pastore arrogandi: cum talis offerentium non sit mens. Secus pastor et contra justitiam et contra pietatem peccaret.

V. Bouvier, *Inst. Theol.* tit. de oblationibus.

(2) Notificatione LXXII cit.

(3) Dist. 89. Gratianea collectio, etsi de se privata tantum sit compilatio ex dictis; ex usu tamen et acceptione generali vim magnam obtinet et quasi publicæ auctoritatis est. *Boix.*

hombre estar obligado á cumplirlo?» *(V. Apolog. e Confutaz.* Monza, vol 1, p. 52). — Deinde subjungit: «Él (el hombre) nace súbdito, dependiente, y obligado á obedecer todos los preceptos que Dios le impone; pero para que los tales preceptos le obliguen, le deben ser aplicados por medio de la formal promulgacion del precepto, y esto se hace puntualmente, cuando el precepto se le hace manifiesto por medio de la luz de la razon: pero hasta que el hombre conoce el precepto, está en posesion de su libertad, libertad que Dios le dió, y la cual siendo cierta, no queda atada sino por un precepto cierto, (ibid. pag. 215).»

Saltem (addes) *negari non poterit humanam libertatem præcedi ab ipsa ratione hominis naturali.* — Difficultatem dissolvit S. Alphonsus: «Para ver si la razon precede ó no á la libertad, es preciso fijar lo que se entiende por este nombre razon: si se entiende el raciocinio, ó sea la facultad, que cuando llega al uso de razon, tiene el hombre de saber discernir las cosas verdaderas de las falsas, concedemos que esta especie de razon precede á la libertad y á la voluntad, pero esta razon nada quita á la libertad del hombre. Si, pero, por razon se entiende el actual discernimiento recto de la verdad, entonces negamos que tal razon esté en posesion antes de la libertad, porque tal razon ata á la libertad, pero no antes, sino despues que con su conocimiento se ha hecho manifiesta á la libertad. Y cuando decimos que Dios contempló en su mente divina al hombre dotado de razon antecedentemente á la ley, solamente lo decimos de la razon del hombre tomada en el primer sentido.» *(loco cit.).*

(B) Pag. 114.

«Para que se diga que el hombre (inquit cl. Auctor, *Exámen del Socialismo y de las doctrinas y tendencias socialistas*) obra *moralmente*, no basta que conciba un ente; sino que debe tener antecedentemente la idea de una ley. Quien antes de obrar no ha concebido una ley, no puede formarse el juicio práctico de su accion; esto es, no puede formarse el juicio de si su accion es conforme ó diforme á la ley antes concebida y conocida, y así jamás podrá decirse que obra *moralmente:* el concepto de la *entidad* de un ente percebido, abstrayéndolo de la idea de una ley, no basta para formar aquel juicio práctico, que se llama *conciencia.* La existencia de los entes percibidos no es una ley, es un hecho sujetivo, y nada mas; la *entidad* del ente percibido no es, ni jamás puede ser, la norma de lo justo y de lo injusto.»

La moral dicen, nuestros filósofos incrédulos debe estar fundada sobre la misma naturaleza del hombre, y no sobre la voluntad de Dios. V. apud Bergier, *Diccionario,* V. Moral, Bien y mal moral.—Sed respondet laudatus Auctor: «Nosotros creemos que como jamás tendrémos moral cristiana, sin ser conocido de algun modo el Dios de los cristianos, así ni tampoco jamás tendrémos la tosca moral de los bárbaros, si á lo menos en confuso no tenemos en el espíritu la idea del grande espíritu, ú otro concepto semejante que indique un sér superior al hombre y que algo le manda.»

(C) Pag. 120.

Patet, quam turpiter errent protestantes, qui ut Ecclesiæ denegent facultatem ferendi leges, eam esse dicunt instar collegii in republica, et ab ipsa indistinctam; utriusque enim potestatis suæ sunt partes: una nempe curat civium commoda, altera res sacras atque divinas. Unde falsum quoque, quod sit status in statu; cum duo sint status, uterque diversi generis, uterque cum sua provincia, uterque suos habens fines. Sive melius: Ecclesia est in statu non quasi res status, sed ut dirigat qui in statu sunt; status autem est in Ecclesia, ut legibus Ecclesiæ subdatur. — *V.* Riccardi, *Gemiti* etc. *Convers.* VI. — Audisio, *Introd. agli studi* ecc. lib. IV.—*Civiltà catt.* vol. I. — Lib. cui titulus *De l'autorité des deux Puissances—Della Pace tra la Chiesa e gli Stati*, per mons. Clemente-Augusto Sibour. Parigi 1844, de quo plura referunt *Annali religiosi*, Serie 2ª, vol 1, pag. 94.

(D) Pag. 121.

Jansenistarum vestigiis inhærere videntur auctores illi, qui Pontificem Maximum solent appellare *primum Christi Vicarium* in terris. Præiverat nempe tali vocabulo Quesnellus in sua fidei professione: subsecuta est Schismatica Ecclesia Ultrajectensis in suo quodam Conciliabulo: hanc demum imitatus est Pistoriensis Episcopus Ricci auctor damnatæ Pseudo-Synodi omnibus notissimæ (Encycl. 31 julii anno 1786). Non ea sane usus est voce inter cæteros sanctus Bernardus, a quo Summus Pontifex appellatur *unus Christi Vicarius: Pastor unus ovium et Pastor omnium. Tu es* (sic ipse alloquebatur Eugenium PP. III) *cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii Cœli Janitores et gregum Pastores; sed tu tanto gloriosius quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et Pastorum unus omnium Pastor.* — *V.* Dizionario Ricciano ed Anti-ricciano, *V. Primo vicario*, et V. *Vicario.*

(E) Pag. 121.

Ad praxim parum refert hæc quæstio, quæ in Tridentino agitata fuit, nec tamen decisa; etiam enim dato, quod a Deo immediate sit Episcopis data potestas jurisdictionis, nil id detrahit monarchico Ecclesiæ imperio, quoniam ea subjecta est R. Pontifici, a quo arctari, amplificari, ac tolli etiam potest. — *V.* Devoti, *Instit. Canonic. Prolegom.* c. 3, § 20. — Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 104. — Salzano, *Lezione di diritto publico* ecc. Vol. 2. pag. 134. — Muzzarelli, *Buon uso della logica in materia di religione.* Opusc. XXI.

Nihil autem potest Episcopus in lege superioris, cum inferior in superiorem non habeat jurisdictionem. Hinc a Pio VI in cit. Bulla damnata est illa n. 8 propositio, quæ docebat Episcopum posse *ex juribus sibi originalibus et*

suadente bono Ecclesiæ suæ, statuere aliquid contra leges superioris. — Monet autem Benedictus XIV cum Fagnano, ne ab Episcopo in Synodo decidantur quæstiones inter DD. catholicos controversæ, et a S. Sede non definitæ, nisi totius controversiæ cardo unice versetur circa jus commune, quo solo inspecto, de licitate rei disputetur *(De Syn. Diœces.* l. VII, c. 1, et 5). Casus esset, v. g. si quid esset quidem a jure communi prohibitum, sed disputetur, an illa prohibitio in desuetudinem abierit; poterit illud Episcopus absolute prohibere, ac illicitum declarare.

(F) Pag. 122.

Et antiquitati ignota et Ecclesiæ injuriosa et ejus potestati læsiva est illorum politicorum doctrina, qui volunt Ecclesiæ leges esse regio placito jure submittendas, ut vim habeant suam. Hanc limitationem non imposuit Christus rectoribus ac pastoribus suæ Ecclesiæ, neque laicales potestates judices ecclesiasticarum constituit. — *V.* Margotti, *Processo di Nuitz.* — *Civiltà Cattolica,* vol. 8, pag. 40. — Sed maxime P. Tarquini e S. C.; ejusque doctissima Dissertatio hac de re integra est legenda *(V. Annali Religiosi.* Roma 1852, Serie 2, vol. 10): in ea invictissime probat: *es un error insoportable el tener por otro de los derechos reales la facultad de someter al llamado* exequatur *las Bulas y Breves pontificios, y cualquier otro acto que pertenezca al gobierno de la Iglesia.*

Ad labefactandam Pontificiam auctoritatem falsi juristæ argumenta desumunt maxime ex Operibus Van-Espen Canonistæ Lovaniensis († 1728), ac Justini Febronii, qui vero nomine est Joann. Hontheim Treveritanus, Episcopus *in partibus* († 1790). Nil mirum, si tot falsa proferant! arbor mala non potest bonos fructus facere.—« El mas señalado defensor del *placet* (*ait de illo primo cl. Tarquini citatus*) es Bernardo Van-Espen, antiguo jansenista, muerto en el cisma; cuyo saber ensalzó la secta hasta á lo sumo, y cuya doctrina algunos todavia estudian y citan *honoris causa:* hombre que cuando se trata de combatir los derechos pontificios, siempre se encuentra en primera fila, no á cara descubierta, pues que las reglas de la secta no lo permitirian, sino embozado de muchos modos con la ficcion; arquitecto de engaños y de lazos los mas finos; gran investigador de monumentos antiguos, por lo que es muy alabado, sin atender á que los adultera desvergonzadamente. Es el peor de los Canonistas. »

De alio scribit Feller, *Dizionario Storico* ecc. V. Hontheim: «Lo que Bergier dice de las contradicciones de Febronio, y de su confutacion por sí mismo (*se ipsum enim retractaverat, sed ita ut suos errores confirmare videatur*), es una verdad que se presenta clara á cualquiera que no tuvo tiempo de fastidiarse hojeando la pesada miscelánea. En cada página se encuentra el *sí* y el *no* pronunciado del modo mas decisivo. El que lee atentamente y ve todo esto, no sabe que pensar; teme la ilusion y desconfia de sus propios ojos; concluye con llorar la ceguedad á que las pasiones precipitan al espíritu humano. » — *Ut quid ergo adeo a nonnullis celebratur?* « Este fenómeno (*addit* Feller) nada tiene de sorprendente para aquellos que saben como se le-

vantan las reputaciones, y que el medio mas al caso para obtener una para sí de un modo seguro y pronto, es el de pegarse á alguna faccion poderosa y exaltada. Ahora, pues, esto es lo que hizo Febronio adulando á la numerosa cohorte de los enemigos de la santa Sede, y particularmente á los Jansenistas.»

(G) Pag. 123.

Sunt pauci aliqui, qui ultro quidem fatentur, idque tenent uti de fide, Ecclesiam habere vim coactivam; et volunt eam coactionem intelligendam esse de solis spiritualibus pœnis v. g. excommunicatione, suspensione, interdicto, depositione a clericali officio, beneficii privatione et in clericos degradationis sententia. Coërcere autem posse Ecclesiam jure proprio per temporales pœnas et corporales v. g. per carcerem, flagellationem, mulctas, exilium, etc. non admittunt.

Verum attentis a nobis adductis Pontificum definitionibus in textu non videtur, quod possit uti probabilis sustineri hæc opinio, imo videtur, ad minus erronea dicenda et temeraria. Attamen non videtur ipsi inuri posse notam hæreseos, quamvis Suaresius contrariam doctrinam dicat de fide; nam in prælatis definitionibus declaratur quidem Ecclesiæ competere potestatem *externe et exteriori judicio et salubribus pœnis coërcendi atque cogendi*, non tamen expressis verbis additur *per corporales et temporales pœnas*. Et quamvis aptissime sensus ille in dictis definitionibus includatur, cum propriis terminis non exprimatur, uno saltem syllogismo opus est ad eum deducendum. Verum si non hæreticus, temerarius utique erit dicendus qui id teneret, ex dictis. *Bouix.*

(H) Pag. 125.

Italis primum Tridentinum promulgatum est, ab iisque lubentissime acceptum: ac primo a Venetis, Neapolitanis atque Siculis.—Item in Elvetia (*vid. Cattolico*, vol. VIII, pag. 265).—Item fere statim acceptatum fuit in Hispania, Lusitania, Belgio et Polonia.—In Germania item promulgatum fuit, sed renuentibus protestantibus.—Quoad Galliam autem audiatur Cabassutius (*Notitia Eccl.* sæc. XVI): *Edictum confirmationis sacrosancti Concilii publicatum Romæ 7 kalend. febr.* 1564, *universus Clerus Gallicanus in Provincialibus, quæ passim in tota Gallia postea coacta sunt, Conciliis, atque in generalibus sacri Cleri Comitiis, sacrosanctæ hujus Synodi Decreta ita complexus est, ut nefas sit ei refragari.* Similia profert alter insignis inter Gallos scriptor, ut ait Billuart, nempe Pontas, V. *Beneficier.* Hoc porro in aliis quoque regionibus (ubi primum non fuerat acceptatum Concilium) contigisse, opera nempe Episcoporum per Synodales Constitutiones, opinio est DD.—*V.* Baldassari, *Istoria compendiosa de' Concilii Ecumenici.* Venezia 1713. —Et maxime, *Storia del ricevimento del Conc. di Trento nei diversi Stati cattolici, con documenti giustificativi.* Amsterdam e Parigi 1752.

Concilium Tridentinum constat sessionibus vigintiquinque, et unaquæque ferme sessio duas habet partes:—1ª Canones 130 complectitur quibus

damnantur hæreses et Catholicum Dogma contra Protestantes firmatur :— 2ª continet plura Decreta, quæ disciplinam respiciunt et morum regulas, ac proinde inscribitur de Reformatione : quod in citandis Concilii oraculis diligenter præ oculis tenere debemus. Ejus historiam accurate, docte et elegantissime italico idiomate conscripsit cardinalis Sforza Pallavicini, cujus Opus innumeris ubique laudibus merito celebratur ; maxime quia a putidis fabellis turpibusque mendaciis Pauli Sarpi Concilium vindicavit. Hoc autem Opus contraxit paucis S. Alphonsus noster libro, *Opera dogmatica contra gli eretici pretesi riformati.*—De Paulo Sarpi sic scribit clariss. Bossuet : *Sarpi bajo la cogulla del religioso ocultaba un corazon de Hugonote... se ocupaba secretamente en hacer abolir el santo Sacrificio de la Misa, y sin embargo la celebraba todos los dias.* En auctor ille, ille inquam cui nostra etiam ætate solent Janseniani thus adolere suum !

An Tridentinum obliget iis in locis ubi non fuit promulgatum?—Certum est : 1 obligare quoad fidem et mores ; cum et fidei et morum una sit regula, ac omnibus necessaria. Certum est : 2 non obligare quoad decretum latum circa clandestina matrimonia ; decernit enim Concilium, sess. 24, cap. 1, de Ref. *ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.* Tota quæstio est circa alia decreta, quæ disciplinam respiciunt, quæritur, an videlicet obligent in iis Diœcesibus, ubi Tridentinum non fuit promulgatum ?

Negandum est in sententia Cabassutii, Becani et aliorum qui contendunt leges pontificias, ut omnes obligent, promulgari debere non solum Romæ, sed etiam in singulis provinciis. Affirmandum autem in communi sententia Suaresii, Laymani, etc. qui docent, quod leges Romæ promulgatæ, quocumque tandem modo id fiat, si sint sub clausula quod statim debeant totum orbem obligare, illico obligant absque nova promulgatione aliis in locis : porro Bulla quæ determinat diem quo incipit Tridentinum obligare, ad totum orbem data est. Verum alii cum Roncaglia tuentur Bullas tunc omnes omnino obligare, quando Romæ promulgantur locisque solitis affiguntur non solum sub præcepto quod omnes obliget, sed etiam cum hac clausula : *ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas ad valvas* etc. *affigi et publicari, sicque publicatas omnes et singulos quos illæ concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.* Vel alia clausula : *volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur observantia, ac si unicuique forent exhibitæ vel ostensæ.* Hæ clausulæ satis ostendunt (ait S. Alphonsus, in *Op. Mor.* l. I, tract. II, n. 96) mentem Pontificis esse, velle omnes fideles obstringere ad talia statuta independenter ab eorum publicatione in singulis provinciis. Bullæ vero, ubi illæ vel aliæ similes clausulæ desunt, non obligant ante dictam promulgationem, ne dicatur clausulas illas esse superfluas, quod de legibus dicendum non est.

Juxta hanc sententiam quid de Tridentini obligatione pro iis locis, ubi illud promulgatum non fuit?—Non conveniunt: alii tenent Concilium non obligare; quia illæ clausulæ nullimode habentur in Bulla, quæ statuit diem obligationis pro toto orbe. Verum alii nihilominus pro obligatione certant; tum quia in Bulla confirmationis hæ clausulæ leguntur: porro in hac Bulla statuitur quod Concilium ab omnibus sit observandum; tum quia esto quod Bulla quæ designat obligationis diem, non contineat dictas clausulas, at constat eas observatas fuisse, siquidem dicta Bulla fuit solitis modis ac locis publicata, prout fidem fecit Magister Cursor.—Quoad hoc punctum et ecclesiasticam disciplinam *V.* Zaccharia, *De varia Ecclesiæ præsertim latinæ, in promulgandis sacris constitutionibus disciplina.*—Lib. cui titulus, *Lasciamo stare le cose come stanno, ossia dissertazione sulla mutabilità poco intesa dai più della disciplina ecclesiastica.*—Item *Comandi chi può, abbidisca chi dee, ossia dissertazione della forza obligatoria della disciplina ecclesiastica.* Roma 1836.—Muzzarelli, *Il buon uso della logica in materia di religione*, Opuscul. *V. disciplina ecclesiastica.—Analecta juris Pontificii.* Romæ (Juillet 1856, pag. 2308).—Item *vide* dicenda *de promulgatione legis.*

(I) Pag. 126.

Pontificis jura fuse prosequitur Salzano, *Lezioni di diritto pubbl.* ecc. V. 2, Lez. III, etc.—It. *vid.* Passaglia, *Commentarius de prærogativis B. Petri Apostolorum Principis auctoritate divinarum litterarum comprobatis.* Ratisbonæ 1850.—Barruel, *Sul Papa e suoi diritti religiosi*, p. 2 et 3.—Liguori, *Dissertatio de infallibilitate Papæ. Op. Mor.* l. I, nn. 110 et seqq.—Muzzarelli, *Il buon uso della logica.* Opusc. 3 et 14. Nobis satis sit cum S. Francisco Salesio *(Delle regole della Fede)*, adnotare nomina præcipua, quibus R. Pontifex a tota antiquitate donatus fuit. Vocatur:

Petri cathedra, Ecclesia principalis, exordium unitatis sacerdotalis, vinculum unitatis, Ecclesia in qua est potentior principalitas, apostolico culmine sublimatus, dignitate Aaron a S. Cypriano; *Sacerdotii sublime fastigium* a S. Irænco; *Ecclesiæ radix et matrix* a S. Anacleto; *Sedes, super quam Dominus universam construxit Ecclesiam* a S. Damaso: *cardo et caput omnium Ecclesiarum* a Marcellino I; *Episcoporum refugium* a Synodo Alexandrina; *Summa Sedes Apostolica* a S. Athanasio; *caput pastoralis honoris, principalis apostolici Sacerdotii dignitas, caput omnium Ecclesiarum, prima Sedes omnium* a S. Prospero; *caput orbis et mundi religionis, Sacerdos magnus* ab Imper. Valentiniano; *cæteris prælata Ecclesia* a Victore Uticensi; *Ecclesia præsidens* ab Imper. Justiniano: *prima Sedes a nemine judicanda, universalis patriarcha* a S. Leone Magno; *tutissimus communionis catholicæ portus* a Synodo Romana; *fons apostolicus* a S. Ignatio; *sanctissimus Ecclesiæ catholicæ Episcopus, sanctiss. ac beatiss. patriarcha* a Synodo Sinuessana; *caput orbis Ecclesiæ* ab Innocentio; *apostolicæ cathedræ principatus, beatissimus Dominus* a S. Augustino; *pater patrum, summus omnium præsulum pontifex, summus Sacerdos, princeps Episcoporum, ordine Melchisedech* a Concil. Chalcedon.; *rector domus Domini et vineæ custos dominicæ, Christi vicarius et fra-*

trum confirmatio a Concil. Carthag.; *princeps Sacerdotum* a S. Stephano; *patriarcatu Abraham* a S. Ambrosio; *director discipulorum, conservator clavium regni Dei* a S. Cyrillo; *os discipulorum, anima Ecclesiæ, fidei basis, fundamentum confessionis Christi* a S. Chrysostomo; *hæres Apostolorum, primatu Abel, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, ovilis dominici pastor, claviger Domus Domini, pastor pastorum omnium, in plenitudine potestatis vocatus* a D. Bernardo; etc.

Quid nunc dicendum est de catholicis illis (forsan etiam Ecclesiasticis) qui certo ut R. Pontificis auctoritatem infirment, et quæ ei debetur reverentia et amor, ad nauseam usque vel ipsis laicis hominibus insinuare non desinunt, nihil humani a RR. Pontificibus alienum fuisse, sæpe etiam de pastoribus in lupos mutatis?—Audiant isti sacrilegi atque animarum fidelium interfectores clarissimum Tullium Dandolo, qui in Opere, *Ricordi inediti di Girolamo Morone Gran-Cancelliere dell'ultimo Duca di Milano sul decennio dal* 1520 *al* 1530 ecc. Milano tip. Poligiani, 1855, pag. 35, ait ad rem: «Echamos en cara del hombre las culpas del hombre; pero nos resistimos á imputar á los Papas en su calidad de Sumos Pontífices, lo que no tiene relacion con tan augusto carácter; seguros y confiados de que el Redentor no abandonó á la debilidad de la flaqueza humana su eterna verdad. Los pocos Papas que la historia nos pinta como hombres malos, ni estos siquiera se desviaron en punto de doctrina; aunque fácilmente hubieran podido (como hicieron los Patriarcas de Constantinopla) buscar entre las costumbres corrompidas el ser absueltos y justificados en el estravío de las doctrinas. Ocho solamente son los nombres que comunmente se citan en deshonor de la Tiara: Sergio III, Juan XI, Juan XII, Benedicto IX, Sixto IV, Inocencio VIII, y Alejandro VI, (sunt qui addunt Bonifacium VIII, cum Doellinger; sed *vid.* card. Wiseman, *Defensa de varios puntos de la vida de Bonifacio VIII;* Tosti, *Bonifacio VIII).* Con toda razon podrémos borrar de la fea lista á aquellos dos primeros, que la historia ha ya vindicado de las calumnias de Luitprando; algo tambien tendrémos que contestar sobre cada uno de los últimos; con todo, concedamos aquel número á los enemigos del Papado; considerando que los Romanos Pontífices han sido doscientos sesenta y uno, advertirémos que por uno malo que haya habido se cuentan pues treinta y dos de buenos, cuando en el mismo Apostolado no siendo mas que doce hubo uno que fué traidor. En seguida notarémos, que los Papas buenos fueron el decuplo mas que los malos, lo que no se encuentra en dinastía alguna de los príncipes, tanto antigua como moderna, aunque sea la mejor; son cálculos de una estadística histórico-moral, que están al alcance de cualquiera.»

(J) Pag. 127.

1. Mira sane institutio Congregatio de *Propaganda!* mirum Catholicæ veracitatis præsidium et decus! quo ex universo, quo late patet orbe, selecti juvenes excolendi confluunt. Unde veluti a salutifero fonte puritas Doctrinæ, erga Apostolicam Sedem observantia, studium Regni Dei plenius et securius hauriuntur: ubi quod, stupentibus omnibus, infra Octavam Epipha-

niæ quadraginta et amplius idiomatum quotannis exhibetur specimen, illud Actorum II in mentem revocat: *quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi et Medi et Ælamitæ et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam, Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ,... Judæi quoque et proselythi, Cretes et Arabes?* Qui percelebris hujusce institutionis genesim, indolem, statuta aliquatenus dignoscere cupit, adeat *Vita del giovane Egiziano Abulcher Bisciaral alumno del Collegio Urbano di Propaganda, scritta dal P. Antonio Bresciani.* Modena, anno 1830.—Ad imitationem Propagandæ aliæ in subsidium Scholæ habentur Parisiis, Mediolani et Jenuæ.

2. Quoad Congregationem *S. Officii*, contra quam adeo iniqui debacchantur, vide inter cæteros Bouvier. *Inst. Theol.* t. 4, *de legib.* p. 2, c. 3.—*Annali religiosi*, Roma, t. 20.—Maistre, *Del Papa.*—*Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico.*—Bergier, *Dizionario,* V. Inquisizione.—Balmes, *Il Protestantesimo* ecc. cap. 36.—Margotti, *Processo di Nuytz.*—Muzzarelli, *Buon uso della logica.* Opusc. XVI: Inquisizione.—His satis sit referre verba Lacordaire: *La Congregacion Romana del santo Oficio, tribunal el mas suave que darse pueda, es el único, que en el espacio de trescientos años no ha derramado una sola gota de sangre* (Mémoire pour le rétablisssement des Frères Prêcheurs). Attamen perditi homines quot contra ipsam confixerunt, notat Opus percel. *La Civiltà Cattolica*, vol. 12, pag. 409.—Albini, *Risposta all'Istoria dell'inquis. di Paolo Sarpi.*—Masallier., *Histoire de l'Inquisition.*—Nicolas, *del Protestantismo paragonato al Cattolicismo ne'suoi rapporti coll'incivilimento.*

Quæ contra Romanam Inquisitionem objiciunt, non illi, sed demagogiæ conveniunt: *V. Fatti atroci dello spirito demagogico negli Stati Romani.* Ricconto estratto dai processi originali. Firenze 1853.—Balleydier *Storia della Rivoluzione di Roma dal* 1846 *al* 1850. *Livorno* 1851.—*Id. Histoire des Revolutions d' Autriche* 1853.—D' Arlincourt, *L' Italia Rossa,* 1851.

3. Concilii Congregationis Decreta exhibet liber, *Thesaurus resolutionum S. Congregationis Concilii* (plurimis tomis), Romæ editus. Has resolutiones contraxit octo voluminibus Jo. Zamboni in libro. *Collectio Declarationum S. Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini.* Viennæ, 1812, typis PP. Mechitaristarum.

4. SS. Rituum Congregationis decreta sub hortatu et auspiciis Card. de Somalia, regnantibus Pio VII et Leone XII, immenso labore et patientia fideliter conscripsit ejusdem Congregationis assessor Aloysius Gardellini.—Ex qua collectione cuilibet Ecclesiastico magis utilia selegit P. Barthol. a Clantio Capucc. in Opere, *Manuale Ecclesiasticorum*, etc. Taurini (et Romæ tertio edito); de quo *V. Annali di Relig.* tom. 14, pag. 358.— *V.* plura in fine vol. *App.*

Romæ alii sunt Conventus pro bono totius Christianitatis laudabiliter sane instituti. —Est inter alios Sacra *Rota*, tribunal, ubi materiæ maxime beneficiales discutiuntur: *V.* De Luca, *Theatrum veritatis et justitiæ*, tom. 15. —Est *Fabrica*, ita dicta *S. Petri*, cui committitur cognitio onerum ac reductio Missarum: *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. ult.—Est *Da-*

taria, ubi tribuuntur gratiæ pro foro externo: *V.* Amyden, *Tractatus de Officio et jurisd. Datarii.* — Est *Pœnitentiaria*, ubi expediuntur gratiæ ac dispensationes pro foro conscientiæ: *V.* Constitutiones Benedicti XIV, *Quamvis;* it. *In Apostolicæ;* et maxime *Pastor bonus* (it. *V.* dicenda *de matrimonio*).

(K) Pag. 130.

Huc etiam faciunt verba Archiep. Hughes ad populum 18 (Vid. *Civiltà Cattolica,* vol. v, pag. 163): «Dios jamás ha permitido que los Sumos Pontífices hayan cumplido los deberes de su alta dignidad bajo la sospecha de que la autoridad humana les precisó á ello. Miradles en los 250 años primeros de la éra cristiana: casi todos fueron mártires, y en este tiempo no atreviéndose á recurrir al paganismo y á sus jueces sacrílegos, ¿dónde buscaban ellos la libertad? en las catacumbas de Roma, en los montes, en los desiertos; pero en todas mantuvieron la libertad... No digo, que su dignidad y su oficio dependan de ser ellos cabeza del Estado: aunque sea un fugitivo en los montes Apeninos, los fieles siempre le reconocerán por el Sumo Pontífice. Pero para la cristiandad es necesario que él sea independiente, y si no hay medio entre ser ó súbdito, ó Soberano, entonces yo digo que es menester que él sea Soberano.»

Id pluribus tuentur: *Civiltà Cattolica*, Serie I, vol. 2 et 4; Serie II, vol. 11; *gli ammodernatori dello stato Pontificio.* — *Il Papa Re*, Torino 1849. — De Maistre, *Del Papa*, l. III, c. 6. — Salzano, *Storia Eccles.* l. XI. — Balmes, *Il Protestantismo comparato al Cattolic.*, c. 67. — *La questione Romana discussa nell'assemblea francese in ottobre* 1849. — Id vel ipse Foscolo tuetur: *vid.* Cantú, *Storia di cento anni*, vol. 3, pag. 502. — Orsi, *Del Dominio e della Sovranità de' RR. Pontefici.* — Borgia, *Storia del dominio della Santa Sede.* — Mamachi, *Del diritto libero della Chiesa* ecc. — Zaccaria, *De rebus ad hist. et antiq. eccl. pertinentibus.* — Muzzarelli, *Buon uso della Logica*, Opusc. XVII *Del Dominio temporale del Papa.* — Margotti, *Processo di Nepomuceno Nuytz.* — *Risposta a Tommaseo* ecc. ecc.

(L) Pag. 130.

Potestas Ecclesiastica, ait A-Lapide in cap. 13 *ad Rom.* est immediate a Deo; quia Christus expresse præposuit Petrum, Apostolos et sic successive: et regnum Ecclesiæ monarchicum est, quia summa potestas uni Petro, ejusque successoribus tributa fuit. — Sunt qui cum Bellarmino tuentur Ecclesiæ monarchiam aristocratia aliquatenus temperatam esse; quod tamen alii negant cum Salzano, *Lezioni di diritto*, ecc. vol 1, l. VII.

Etiam sæcularis potestas a Deo procedit, quia natura et recta ratio suadet hominibus, ut proponantur magistratus, quibus ipsi gubernentur. Sed mediate tantum; Deus enim dedit principia justitiæ et ordinis politici, sed immediate non præstabilivit gubernii formam, neque personas gubernantium: reliquit ut id determinaretur facto aliquo societatis, ex libera hominis voluntate, nempe vel per popularem electionem, vel per successionem hære-

ditariam, quæ quidem a principio fundamentum habuit in aliquo expresso vel tacito societatis pacto. Hoc semel præstabilito, accedit Dei auctoritas, quæ pactum illud firmat, electo auctoritatem tribuens: sane auctoritas liberis hominibus præsidendi nonnisi a Deo esse potest, a quo omne dominatum est. Hinc illud Danielis ad Nabuchodonosor: *Deus tibi dedit regnum, fortitudinem et imperium.* Hinc illud Pauli: *non est potestas nisi a Deo:* in quem locum ait Chrysostomus: *quid dicis? ergo omnis Princeps a Deo constitutus est? Istud non dico; non enim de quovis Principe mihi sermo est, sed de re ipsa, id est de ipsa potestate: quod enim Principatus sint, quodque non simpliciter et temere cuncta ferantur, divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit:* non enim Princeps est nisi a Deo; *sed de re ipsa disseril dicens:* non est potestas, nisi a Deo. — *V. La republica italiana del* 1849, *suo processo.* Torino 1850, cap. 26. — Balmes, *Il protestantismo comparato al cattolicismo*, cap. 48. Origine del potere. — Salzano, *Elementi di Storia antica*, lib. 2, § 6. — *Civilità Cattolica,* Serie II, t. 1, pag. 320; e Ser. III, t. 1, pag. 57.

(M) Pag. 135.

Ut quæstio de legis subjecto diversis regnis aptari possit, non abs re erit referre, quæ habet Bouvier, *De divisione societatis politicæ*, Institutiones Philosophicæ. Parisiis 1844.

«*Monarchia* (a duobus verbis græcis *monos, solus;* et *arco, dominatio principatus* sic dicta) est societas, in qua unus totam habet auctoritatem, et vocatur rex, imperator, princeps, dux, comes, etc. — Duplex est monarchia absoluta et temperata. *Absoluta* ea est, in qua sola Monarchæ voluntas vim legis habet, et subditos tenet obstrictos. *Temperata*, quando Monarchæ voluntas intra quosdam limites determinatos coërcetur (ut nunc Sabaudiæ). Rex enim plenam non possidet auctoritatem condendi leges, tributa exigendi, etc.; sed insuper requiritur consensus per majoritatem suffragiorum expressus, utriusque conventus, scilicet conventus *Parium regni* et conventus *Delegatorum populi* (vulgo *el Senado y el Congreso de Diputados*). Hæc monarchia gallice appellatur *gobierno representativo*... (V. Taparelli, *Gli ordini rappresentativi.* — *Civiltà Cattolica*, Ser. I, vol. 4 e 5 ecc.; Ser. II, vol. 1. *Di un' apologia cattolica degli ordini rappresentativi*).

«*Aristocratia* (a vocibus *aristos, optimus;* et *cratos, potestas*) est societas in qua primates supremam auctoritatem habent sive nobilitate sive opibus sive capacitate cæteris præcellant. Tale diu fuit gubernium Venetiarum. — Si in hoc regimine quidam irrepant abusus, v. g. si primates populum opprimant, si dignos a concilio avertant, si indignos vel incapaces admittant, tunc gubernium istud vocatur *oligarchia* a vocibus, *oligos, pauci;* et *arco, potestas.*

«*Democratia*, quæ etiam in usu vulgari appellatur *Respublica*, illa est societas, in qua suprema auctoritas penes generalia populi comitia residet. Nomen accipit a verbo *demos, populus;* et *cratos potestas.* Hac gubernii forma usi sunt Lacedæmones, Athenienses, Romani, etc. — Gubernium democrati-

cum male constitutum, in quo plebs infima prævalet, dicitur *ochilogratia* a vocibus *oclos, multitudo*; et *cratos potestas*.

«Sunt adhuc gubernia, quæ vocantur *fœderata*, et coalescunt ex pluribus societatibus a se divisis, aliquo tamen vinculo unitatis inter se conjunctis, et sub hoc respectu unicam societatem politicam constituentibus. Talia sunt fœdera inter respublicas Helvetiorum, inter Principes Germaniæ, inter provincias Americæ *(los Estados Unidos)* etc.»—Porro si unum excipias *Monarcham absolutum*, cæteri omnes legislatores (etiam regnorum fœderatorum in iis in quibus simul hæc regna consociantur) suis legibus tenentur; quia iis in societati bus legislator non est homo singularis, sed communitas.— *V.* Gerdil, *Della sovranità del Sovrano e dei sudditi*. Scritto inedito. Genova 1853.— Della Margherita, *Avvedimenti politici*, c. 3: forme diverse di governo.

(N) Pag. 136.

Quod Ecclesiastici jure divino exempti sint a potestate sæculari quoad materias spirituales vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones prælatorum, etc. est certum; siquidem Ecclesiæ, non sæcularibus hæc fuit tributa potestas. Quoad loca vero atque personas Ecclesiasticas utrum exemptio a certis oneribus sit non tantum de jure humano, sed divino, quæstio est: multi affirmant cum Suarez, Azorio, Laymano, etc.—Quidquid sit, negari non potest naturali æquitati, et per consequens divinæ ordinationi consentaneum esse, ut qui sacris Mysteriis sunt deputati, non omnino in omnibus cæteris æquiparentur hominibus; quos enim in omnibus pares habemus, eos non tanti facimus, neque etiam eorum officium.

Verum enim vero vel in ipsa Republica ejus repræsentator pluribus gaudet supra cæteros: idque merito, nam illius dignitas vilesceret, si ab aliis non distingueretur. Nonne apud ipsos gentiles eorum Sacerdotes semper magno in honore habebantur? Romæ ipsi erant a juramento liberi, in Ægypto a tributis soluti, in Græcia negotiorum consultores, in Asia præsides judiciorum, in Gallia præceptorum magistri, etc.— *V.* Liguori, *Hom. Apost.* tr. xx, n. 18.

«Mientras que no es de algun modo verdadero (ad rem, *Exámen del Socialismo* ecc. tom. 2) lo que para dar consistencia á sus teorías se tomó la libertad de decir Gioberti, á saber que *la moral Evangélica es esencialmente democrática, porque está fundada en el dogma de la igualdad natural* (Apol. del Ges. Mod., cap. 1) y mientras mas bien el Evangelio establece en la sociedad espiritual, que es la sola que él tomó á su cargo constituir, las mas marcadas desigualdades entre los clérigos y los legos, entre el cuerpo que ha de enseñar y el cuerpo que ha de aprender; no se mete pero en aconsejar á las sociedades humanas un órden en preferencia de otro, una forma en preferencia de otra, á nadie da ni quita algun derecho de mandar ó de propiedad mas allá de lo que le competa por sus títulos legítimos, que son los que fundan las desigualdades naturales y civiles, sin las cuales la sociedad pública no puede existir. La moral Evangélica dada para llevar á su complemento las leyes divinas de tiempo anterior, y para hacer remozar la natura-

leza caida, es esencialmente conservadora de todos los derechos, y de todos sus límites; como naturaleza y justicia los fija, y como la ley humana los distribuye, ordena y reparte con razon legítima.»

Et in nota hæc addit: «Si el Evangelio fuese *esencialmente democrático*, repugnaria á la condicion del género humano, que aquí sobre la tierra es *esencialmente gerárquico*. Gerárquico en la division de los sexos y en la propagacion de los hijos; gerárquico en la sucesion de las generaciones, que heredan de sus antepasados bienes espirituales y temporales, y doctrinas de varias suertes; gerárquico en la diferencia de la edad, de aptitudes y capacidad entre los individuos, y de graduacion en los ingenios. Todos estos perfiles, ó elementos de gerarquía que de mil modos y en diversos respetos subordinan unos hombres á otros, el Evangelio los hizo subir de punto, y los ensalzó criando en la sociedad religiosa una gerarquía sagrada toda nueva, santificando la union social de los sexos, de modo que la santidad del matrimonio hace sagrada para la mujer la autoridad del marido, que es su cabeza, como Cristo lo es de la Iglesia, y hace tambien sagrada la autoridad de los padres sobre sus hijos: ó los sancionó, mandando que fuese respetada y honrada toda potestad y autoridad legítima, todo título respetable de ciencia, de edad, y todo derecho; de modo que cuando se encontrasen juntos muchos hombres sin estar clasificados, en seguida se clasificarian ellos mismos por sí solos, observando con la virtud y luz del Evangelio la razon de la naturaleza. Y por esto, para decir la verdad, es imposible que en la naturaleza haya democracia absoluta. Juan Müller escribia: *Jamás se vió que la democracia absoluta durase cinco minutos* entre hombres que hiciesen uso de la razon, y fuesen rectos: efectivamente, en las mismas repúblicas las mas democráticas, por poco que estén ordenadas segun la razon, el principio democrático con la gerarquía artificial que naturalmente produce, reinan solamente en la superficie, *secundum quid*, y aun en pocas cosas, pues que la vida social rueda como sobre su eje el mas estable sobre la gerarquía natural, que con la fuerza de la autoridad penetra en todas las familias, y limita todas las libertades, y despues la gerarquía católica la va robusteciendo suavemente en las naciones católicas.»

V. Thomassin, *De nova et veteri Ecclesiæ disciplina*, tom. III, lib. 1. — De Héricourt, *Compendium Thomassin.*—Bingam, *Origines et antiquitates Eccl.* tom. II, l. 5. — Natalis Alexander, *Hist. Eccl.* sæc. IV et V. — Vaudet, *Des changements opérés dans l'administratione de l'Empir*, tom. II, c. 2. —Dupues, *Traité de la Jurisp. crim.* — Bergier, *Dizionario.* V. Immunità. — Muzzarelli, *Il buon uso della Logica* ecc. Dissertaz. *Sulle immunità eccles.* — Tandem: *Dell' origine delle immunità del Clero cattolico, e d' ogni altro sacerdozio creduto dagli uomini legittimo e santo.* Libri due, Cesena 1791.

(O) Pag. 141.

Quid (quæres) *si regni usurpator illico obedientiam, fidelitatem*, etc. *exigat?*

R. Hac in re pro norma sit *Instructio* data a Pio VII, 22 maji 1809 suis

subditis in civili R. Ecclesiæ Principatus invasione: «Con esta instruccion (ita refert Bercastel, *Historia Eclesiástica*, Continuac. Vol xxxvi ed. ult.), se regulaban principalmente tres objetos: 1 el juramento de fidelidad, que el gobierno intruso exigia; 2 la aceptacion de los empleos; 3 el cantar el *Te-Deum*, que mandaban las autoridades laicas para festejar el establecimiento del nuevo gobierno.

«En cuanto al juramento. El Pontífice declaraba ilícitos los juramentos ilimitados, envolviendo infidelidad y felonía para con el gobierno legítimo. Consentia pero que se hiciese el juramento dentro los límites de una obediencia pasiva, con el bien entendido, que este su permiso jamás pudiese ser interpretado como una abdicacion de su soberanía temporal. El mismo prescribia la fórmula del juramento en los términos siguientes: *Yo prometo y juro no tomar parte en ninguna conspiracion, complot ó sedicion contra el gobierno actual: así como tambien el estar sometido y obediente en todo aquello que de ningun modo será contrario á las leyes de Dios y de la Iglesia.*

«Despues no permitia que se ejercitasen ó se aceptasen empleos, de los cuales proviniese el reconocimiento de la usurpacion: antes bien habia establecido, que los que aceptasen empleos de esta clase incurriesen en las censuras. En cuanto á los empleos que no importasen tal reconocimiento, el Pontífice consentia en que pudiesen ser aceptados, pero siempre con la condicion de obtener del Diocesano la dispensa.

«Finalmente, prohibia á los Obispos y á los otros Pastores Eclesiásticos el cantar el himno Ambrosiano, el cual atendidas las circunstancias de los tiempos, venia á ser mas bien un insulto hecho á Dios que un acto religioso.»

(P) Pag. 150.

Ad rem quoad populorum insurrectionem hæc leguntur in libro, *La repubblica italiana del* 1849, cap. 43: «Para hablar con propiedad, ninguno es Soberano sobre la tierra; es verdadera y solemne esta palabra de Alfieri: *Delante de Dios ¿quién hay que sea Rey?* La sola justicia es soberana: su luz es la norma de los derechos y de los deberes, su espada reluce sobre los pueblos y sobre los tronos, dia vendrá en que los príncipes y las naciones comparecerán á su tribunal para ser juzgados. Pero entretanto, antes que llegue aquel dia de la justicia, ¿quién llamará á cuentas á los Príncipes prevaricadores de aquella justicia en daño de los pueblos? Hé aquí la cuestion que agita la Francia, la Italia, la Alemania y el mundo entero. Busquemos la solucion.

«A todo acusado se le concede un tribunal competente, un proceso y una sentencia deliberada. A un particular no se le perjudica en un cabello siquiera sin un juicio mesurado y legal; entre las naciones mas libres el juicio es mas maduro y auténtico. Ahora pues, ¿dónde está el tribunal, dónde la ley, dónde los jueces que sentencien á los Soberanos? La edad media tenia aquel tribunal en el Pontífice, y en los asesores de la Iglesia Católica, lo que llenó de admiracion al gran Leibnitz, porque en aquel tribunal los Príncipes tenian un freno, y los pueblos una garantía; y mientras hubiese durado

aquella *dictadura*, la humanidad se hubiera visto libre de dos grandes azotes, esto es, de las guerras y de las revoluciones, en las cuales se ponen en campo de batalla, como lo acostumbran las fieras, la agilidad y la fuerza; no la justicia y las razones. El absolver á los pueblos del juramento de fidelidad, por ejemplo, á Enrique cuarto y octavo, ¿no era una garantía de libertad contra la tiranía?

«Pero aquella jurisprudencia, aunque los príncipes y los pueblos la hubiesen sellado espontáneamente, como una razon de suprema civilizacion en medio de una suprema barbarie, no era inherente á la Iglesia: era un pacto accidental de aquel tiempo, y ha pasado ya. Resta pero el principio que dicta, que todo miembro de la humanidad, inclusos los mismos Soberanos, han de ser juzgados competentemente, y segun derecho, y no con violencia. Repito pues: ¿dónde está aquel tribunal auténtico que juzgue á los Soberanos? — Se responde: que este tribunal es la nacion.

«Sea enhorabuena: porque si sobre la tierra hay un consejo ante el cual haya de comparecer un Soberano, ciertamente que este es la nacion, pues que él es Soberano por la gracia de Dios y de la nacion. Pero las sociedades secretas, las turbas facciosas y revolucionarias no son la nacion, antes bien son los antagonistas que combaten el pensamiento de la nacion, y con intrigas la seducen y la arrastran en pos de sí con la violencia: retírense, pues, estos jueces incompetentes y corrompidos, y antes de levantarse dejen que la nacion pronuncie su juicio á la luz del sol, discutiéndolo con tranquilidad y libertad. ¿Los conspiradores tienen este modo de proceder? ¿Respetan ellos la soberanía de la nacion? O mas bien, ¿no son ellos los negros demonios que dan vueltas en las tinieblas y no salen al campo hasta que han encendido el fuego que invade las naciones? Los socialistas de Francia, y los de toda la Europa ¿habian consultado la nacion antes que la precipitasen en el precipicio que la revolucion le habia preparado? Ellos son como la roca de la montaña que se desgaja, y con su caida precipita y magulla los árboles y las casas, los pastores y los rebaños. ¿Diriais entonces que los rebaños y los pastores, que las casas y los árboles fueron consultados y magullados libremente? Tal es la obra de las insurrecciones: estas magullan á las naciones, pero en cuanto á hacer las revoluciones, las naciones casi no entran por nada: el empuje de pocos las transporta, y no saben á donde. Aquí está poco mas ó menos la historia de todas las insurrecciones.

«Insistamos aun sobre este tribunal de la nacion. ¿Por qué delito la nacion podria despojar al Soberano de su autoridad y tomar las armas contra él, y contra sus defensores? Porque, á mas de las razones del derecho, se han de pesar tambien las consecuencias de una lucha civil entre los que defienden y los que repudian al Príncipe: no siendo tan fácil en cualquier estado el lograr que los hombres convengan en el modo de pensar, como lo fué en la pequeña Roma cuando fué echado el pequeño Rey Tarquirio; ni pudiendo los políticos encontrar aquella unanimidad de espíritus que se encontró en los romanos contra aquella familia soberbia y deshonesta... ¿Por qué culpa, pues, del Príncipe será justo y conveniente á la nacion el tomar las armas contra él y lanzarse ella misma á los horrores de una guerra civil? Aquí

los políticos se ponen pálidos; y aquellos mismos que defienden la soberanía del pueblo, dejándose de especulaciones, convienen con los defensores del derecho divino de los Príncipes, y niegan que las insurrecciones armadas sean honestas y convenientes en la práctica.

«Sto. Tomás, Belarmino y Suarez conceden á la nacion entera el derecho de desobedecer al Príncipe, cuando viola substancialmente el pacto fundamental del Estado, y ejerce la tiranía; pero ni ellos, ni algun teólogo de nota, tienen por lícitas las insurrecciones armadas. Suarez interpretando á Belarmino, dice tener el pueblo el derecho de defenderse en los casos extremos, pero que nunca lo tiene de tomar la ofensiva. (Suarez *defens. fidei*, lib. III, c. 3). Y Sto. Tomás tambien concede que el tirano puede ser destituido por un decreto nacional, y pone por ejemplo á Tarquinio el Soberbio y á Domiciano, cuyos actos fueron anulados por el Senado; pero no concede tal derecho, ni á los individuos, ni á las facciones, sino solamente á la nacion, y á esta aun solamente cuando la tiranía sea declarada. Dice el Santo, que los inferiores eleven legalmente sus quejas al Superior como los hebreos elevaron á Augusto las vejaciones de Arquelao, que imitaba á su padre en la maldad. Y si esto no se puede, ó no se haga caso, ni la justicia humana favorezca, Sto. Tomás lejos de autorizar que se tomen las armas, nos aconseja que recorramos al Rey de reyes, en cuyas manos está el corazon de los príncipes. Él hizo que Asuero se cambiase de cruel en manso; él echó del trono y de entre los hombres al soberbio Nabuco; él vió las desgracias de su pueblo en el Egipto, y anegó á Faraon y á su ejército en el mar; y su mano no está abreviada. Dios manda á los malos príncipes para castigo de los pueblos; cese pues la culpa de los pueblos, para que cese así tambien el azote de los tiranos. De este modo argumenta y concluye Sto. Tomas, *De Regim. Princ.* l. I, c. 6.

«Esta misma doctrina enseñó Cristo á la Iglesia, estableciendo los polos sociales en el César, y en Dios. S. Pedro manda que se obedezca al príncipe *propter Deum:* S. Pablo *propter conscientiam*, aunque los príncipes sean malos, mientras no sea malo lo que mandan. El autor de las *Constituciones apóstolicas* dice que esta es la ley de Dios: *hæc enim est Dei lex.* Tertuliano, en el mismo tiempo que los tiranos hacian relampaguear su espada sobre las cabezas de los cristianos, escribia á Scapola: el cristiano no es enemigo de nadie, ni siquiera del emperador, porque sabiendo que Dios se lo ha dado, se vé obligado á amarle, reverenciarle, honrarle y á rogar por él para que se salve.

«Pero ninguno como el grande Agustin nos pinta mas al vivo la sublime conducta de los primeros cristianos, y la sabiduría que la inspiraba: Juliano, dice el Santo, fué un emperador infiel, apóstata, injusto é idólatra. Ahora pues, los soldados cristianos obedecian al emperador infiel; pero cuando se trataba de dar culto á Cristo, no reconocian otro emperador, que aquel que está en el cielo. Cuando se queria honrar á los ídolos, los cristianos anteponian á Dios al emperador. Cuando, pero, les decia: poneos en fila, pelead, ellos obedecian: esto es, hacian distincion entre el Señor eterno y el señor temporal, y por respecto del Señor eterno obedecian y se sujetaban al

señor temporal; *Distinguebant Dominum æternum a domino temporali: et tamen subditi erant propter Dominum æternum domino temporali.» (De Civ. Dei,* l. XVIII, 53). «Heos aquí la doctrina y la práctica del Cristianismo espuesta por el mas grande ingenio que haya ilustrado la filosofía y el Evangelio: obedecer en lo bueno, y tolerar el mal.»

(Q) Pag. 153.

«*Roma* (inquit Fenelonius) *es la patria comun de todos los cristianos: todos son conciudadanos de Roma; cada catolico es Romano.*

«Los hombres políticos (ad rem episcopus Parisis, *De la Iglesia y del Estado*), generalmente acogian con gusto aquella espresion, que tanto hiere nuestros corazones católicos, el Papa es un *Soberano estrangero.* ¡Ah no, no! el Papa para nosotros ni es, ni jamás será un Soberano *estrangero;* por el contrario, él es el Soberano de cada uno de nosotros en todo lo que tenemos de mas personal, de mas íntimo; porque manda á nuestros entendimientos con su palabra, manda á nuestras conciencias con su voluntad.—El Papa ejerce esta soberanía siempre y sobre todas las cosas, ó bien por sí mismo, ó bien por medio de los Pastores, de cuya gerarquía él es el gefe. Aquella soberanía se estiende tanto sobre los cristianos dispersos en los países idólatras, como sobre los fieles reunidos en las poblaciones católicas; porque todos á pesar de cualquiera distancia y obstáculo, á pesar de cualquiera diferencia de costumbres y rivalidad de naciones, todos, sea cualquiera su idioma, pertenezcan á la clasificacion social que se quiera, todos son igualmente los miembros de un mismo cuerpo, los ciudadanos de una misma patria, los súbditos de una misma Cabeza visible, constituida para gobernar una misma sociedad, la cual, aunque es espiritual por su objeto, con todo en su existencia participa necesariamente de todas las condiciones de las sociedades humanas.»

(R) Pag. 161.

Concordata nihil aliud sunt, *quam conventiones, ac quædam veluti fœdera contracta inter potestatem civilem, et potestatem ecclesiasticam.* Licet enim discrimen utriusque innitatur jure naturali et divino positivo; non potuerunt tamen fines proprii ita unicuique adsignari, ut nullæ umquam orirentur peculiares factorum circumstantiæ, in quibus ad tollendum quodcumque discordiæ periculum, non oporteret aliquando res *ex bono et æquo* componere. Huc igitur pertinent fœdera illa, quæ ubi rite percussa sint, *Concordatorum* nomine nuncupamus, et partes secum contrahentes ita obligant, ut eorum violatio sit contra ipsum jus naturale præcipiens *pacta legitime inita semper esse religiose servanda.* Effemerides Gallicæ, quibus erat titulus *l'Avenir*, cum anno 1833 ausæ fuissent docere Concordata non esse *obligatoria*, S. Pontifex Gregorius XVI eam cito doctrinam aperte reprobavit et diris devovit. —*V. Della natura e carattere essenziale de'Concordati.* Parigi, Didot 1850.—Audisio, *Introduzione agli studi eccl.* l. IV.—*Civiltà catt.* Serie 2, vol. 11 e 12, *Concordato Austriaco.*—Wiseman, *Conferenze sui Concordati.* Milano 1856.

Si res mutuo finienda, reprobandæ appellationes sic dictæ *ab abusu,* quas nonnulli juristæ tuentur cum Natali Alexandro (*Hist.* ad *sæc.* IV). Has tunc dari asserunt, quando in causa Ecclesiastica fit appellatio ad principem sæcularem ob putatum abusum potestatis Ecclesiasticæ. Quas tamen venerandæ antiquitati ignotas, omnium perturbationum fontem, vexationum in Clerum scaturiginem, ac manifestam jurium Ecclesiæ usurpationem appellavit Leo XII Epist. ad Galliæ Regem, die 14 junii 1824. Vel ipse Fleury in hac re minime suspectus ajebat: *las apelaciones* ab abusu *han acabado de arruinar la jurisdiccion eclesiástica. — V.* Salzano, *Corso di Storia Eccl.,* l. IV, n. 7. —It. *Animadversio in Natalem Alexandrum,* loc. cit.—*Civiltà Cattolica,* vol. 7, pag. 586.—*Processo di Nuitz,* ubi inter cætera hæc habentur: «Basta un poco de buen sentido para advertir todo lo que tiene de ridículo una doctrina que erige el poder á juez de una materia que no conoce. ¿Puede el estado definir los límites de la potestad eclesiástica?... Y ¿cómo podrá pues sentenciar que estos límites fueron traspasados?... Nosotros remitimos á nuestros lectores á la obra de mons. Afre titulada: *De la apelacion* ab abusu, *su orígen, sus progresos, y su estado presente...* Con todo, aquí conviene referir un breve trozo de la carta oficial, que su eminencia el Cardenal Caprara en 18 agosto de 1803 escribió al Señor de Talleyrand para que la presentara al gobierno francés. Se sabe que Napoleon al concordato concluido con el Papa en 1801 le habia añadido por apéndice una série de artículos conocidos con el nombre de *artículos orgánicos.* El 6.° de estos artículos decia: «Se podrá recurrir al Consejo de estado en todos los casos de abuso.» El Cardenal, en nombre del Papa, rechazando tal artículo, escribia: ¿Cuáles son estos casos? El artículo no los especifica sino de un modo genérico é indeterminado. Se dice, por ejemplo, que uno de los casos de abuso es la usurpacion, ó el exceso de poder. Pero en materia de jurisdiccion, ninguno, sino solamente la Iglesia es el juez. A ella sola pertenece el declarar en que punto haya habido exceso ó abuso de los poderes que ella sola puede conferir. El poder temporal no puede decidir si ha habido un abuso excesivo de una cosa que él no puede conceder. Un segundo caso de abuso es la contravencion á las leyes y reglamentos de la república. Pero si estas leyes, si estos reglamentos están en oposicion con la doctrina cristiana, ¿será preciso que el Sacerdote los observe con preferencia á la ley de Jesucristo? el gobierno jamás tuvo una tal intencion. Se pone tambien en la clase de los abusos *la infraccion de las reglas que en Francia se hallan consagradas por los santos cánones.* Pero estas reglas debieron tener su procedencia de la Iglesia, y á ella sola toca pronunciar si fueron infringidas, porque ella sola conoce cual es su espíritu, y cuales sus disposiciones. En fin, se dice que puede hacerse la *apelacion* ab abusu en todo aquello, que pueda comprometer el honor de los ciudadanos, perturbar su conciencia, y que degenera contra de ellos en opresion, injuria, ó escándalo. Pero segun esto, si uno que es públicamente conocido por reo de divorcio, ó por hereje, se presenta para recibir los Sacramentos y se le niegan, y él entonces pretende que se le ha hecho una injuria, grita que esto es un escándalo, y por lo mismo mueve querellas, la ley le favorecerá; y con todo el Sacerdote acusado no habrá hecho mas que cumplir con su deber.

pues que jamás los Sacramentos deben ser administrados á personas notoriamente indignas.»—*V. Mem. Moden.* vol. I, pag. 107.—*Civiltà Cattolica*, Ser. II, vol. 11, pag. 329.

Agendo de suprema Ecclesiæ potestate quæstio recurrit adeo vehementer agitata olim, at ferme semper imperfecte discussa; quid nempe sentiendum sit de anteactis sæculis, in quibus aliqui Pontifices nonnumquam res ipsas civiles exterorum moderabantur? Nostrum non est hic immorari, id unum scire satis sit, veritatem suos hodie habuisse vindices, atque adeo, ut vel ex ipsis protestantibus nemo sit cui, vix a limine genuina historia salutata, palmare non sit, illa temporum iniquitate SS. Pontifices haud fines sucs excessisse, sed ipsos ea esse potestate usos, quam eis tribuebat universalis consensus.

V. Bouvier, *Instit. Theol.* t. 1, *De vera Eccl.* sub finem.—De-Maistre, *Du Pape*, t. 2, c. 9 et seqq.—*Pouvoir du Pape sur les souverains au moyen-âge* vol. un. in 8.°.—Hurter, *Storia di Papa Innocenzo* III, *e de'suoi contemporanei*. Milano 1841.—Voigt, *Storia di Papa Gregorio* XII *e de'suoi contemporanei preceduta da un'Introduzione del Can. Jager*. Mil. tip. Pirotta 1840, etc. —P. Salzano, *Corso di Storia Ecclesiastica*. Napoli 1848, vol. 4, l. XIII.—*Il Cattolico*, vol. 4, pag. 64.—Bianchi, *La Polizia della Chiesa*.—Audisio, *La Reale Basilica di Soperga*, l. IV, c. 2 etc. ubi hæc ad rem: «os pondré de manifiesto el pensamiento de un entendimiento superior, cual fué el de Leibnitz: y puntualmente por esto, porque fué superior, es el menos protestante que teneis. Haciendo él mencion del tribunal que Saint-Pierre ideó para mantener la paz universal, se esplica de este modo: «Para mí, yo pondria aquel tribunal en Roma, y querria que el Papa fuese su Presidente, como aquel que, ya otras veces en realidad ejercia el oficio de juez entre los príncipes cristianos... Este proyecto tendrá el mismo éxito que aquel que ideó el abad Saint-Pierre: pero no estando prohibidas las ficciones, ¿porqué hemos de privarnos de hacer aquella que nos conduciria á la edad de oro?» El gran Leibnitz así pensaba de aquel espíritu de conciliacion y de paz para la tranquilidad de Europa, que los Pontífices de Roma habian ya ejercido. Despues de haber citado á Leibnitz, perderia el tiempo y me cansaria en vano citando otros nombres.»

(S) Pag. 163.

Quoad mortem civilem hæc pro nostris temporibus habeto, ut notat *Giuris-prudenza degli Stati Sardi*. Genova 1651, disp. VII:

1 «En ningun pais de Europa la muerte civil se encuentra establecida con las condiciones con que existe en Francia. Entre las naciones, en las cuales el Código civil francés la habia introducido, hay la Bélgica (art. 13 de la Constit.) y los Paises-Bajos (art. 4 del Cod. civ.) que la han abolido formalmente.—En las Dos Sicilias (art. 28 y sig. del Cod. civ.) y en el reino de Cerdeña (art. 43 y sig. del Cod. civ.) no se conservó sino con diferentes modificaciones. Así, por ejemplo, en los estados sardos la muerte civil no tiene algun influjo sobre el matrimonio (como contrato) del condenado.—El nuevo

Código penal del Gran Ducado de Baden (§ 17) abrogó implícitamente la muerte civil.—La Baviera es el único estado Germánico que haya admitido la muerte civil, poniéndola como consecuencia de la pena de los hierros. (Cod. pen. de 1853).—En Inglaterra y en el resto de la Europa la muerte civil no es conocida.

2. «No es exacto que la muerte civil sea igual á la natural... Mientras vive el condenado, siempre puede tener la esperanza de una gracia, ó de un cualquier suceso que le restituya los derechos civiles que habia perdido... Los principios del derecho los mas elementares establecen igualmente una excepcion única, que la equidad debe admitir cerca los efectos de la amnistía, á saber, la excepcion que proviene de los derechos que los terceros hayan adquirido legalmente, los cuales deben ser conservados inalterables é ilesos.»

(T) Pag. 171.

Quoad dispensationes hæc perutilia sint cum Auctore libri, *Examen Raisonné* etc.—«Los rescriptos que se dicen espedidos de Roma son tenidos por nulos, cuando en ellos hay algun error manifiesto ó en los términos, ó en la construccion: *falsa latinitas vitiat rescriptum,* dicen los canonistas, fundándose en la decision del Papa Lucio III: *quibus litteris, quoniam manifestum in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* Cap. 2 de Rescript. Aquí se presentan muchas cuestiones, que nosotros vamos á examinar brevemente.

1. «*Cuando en la súplica no están puestos los verdaderos nombres y apellidos de los suplicantes, ó los verdaderos nombres de sus parroquias, ó los de sus diócesis, ¿la dispensa es nula, ó á lo menos sospechosa de nulidad?*—Si el error no recae sino sobre los nombres y apellidos de los suplicantes, y lo mismo sobre el nombre de sus parroquias, y concurren circunstancias que hacen conocer suficientemente la persona de los agraciados, el error no es sino accidental, y no anula en nada la dispensa, pues que el tal error no cambia la voluntad del Superior por lo que mira á la gracia que él concedió. *Sic communiter.* Con todo, para proceder jurídicamente, el oficial está obligado á hacer constar por testimonios las circunstancias que rectifican el error; y cuando dé cumplimiento al breve, debe dar razon del cambio del nombre que él hace. *Collet.*—Si el error recae sobre el nombre de la propia diócesis, Collet, Poncio, y algunos otros creen que el error aun no es sino accidental; pero Sanchez, Corrado, y muchos otros teólogos dicen con mucha mas probabilidad que el error entonces es esencial, y por consiguiente que es nula la dispensa que se ha obtenido: efectivamente, la dispensa viene de Roma en forma de comisionado: por consiguiente, para poder darle cumplimiento es menester ser delegado de la Santa Sede. Ahora pues, ¿cuál será el oficial delegado en este caso? no lo será el oficial de la diócesis cuyo nombre está en el breve, pues que el soberano Pontífice no intenta delegar sino al oficial de la persona agraciada; este en el caso que nos ocupa tampoco será delegado, porque para ser delegado y adquirir una jurisdiccion, no basta que el Superior quiera comunicar su poder, sino que á mas es necesario que él mani-

fiéste su voluntad en particular; y como el Papa en el breve no señale de modo alguno al oficial de la persona agraciada, se sigue que él de ningun modo es delegado: luego, etc.»

2. «*Cuando se pide una dispensa que ya ha sido negada, ¿se debe hacer mencion de esta negacion?* Si se pide al mismo superior, ó á su sucesor, no es necesario hacer mencion de que ya fué negada; ni el derecho, ni el estilo de la corte de Roma, ni la costumbre exigen se haga tal mencion; el superior es bien libre de examinar la naturaleza de los motivos que se le proponen. Pero si la dispensa se pide al inferior, por ejemplo, al Vicario General despues que el Obispo no ha querido conceder la dispensa, muchos teólogos están en que es necesario hacer mencion de la negativa del superior, y que el inferior de ningun modo puede conceder la dispensa. Nosotros, con todo, creemos con sabios canonistas que es mas probable, que aun en este mismo caso no hay obligacion de decir que la dispensa fué ya negada, y que el inferior puede dispensar (nosotros suponemos que la dispensa de ningun modo es reservada al Papa): la razon es, porque el superior por una simple negativa hecha á un particular no restringe el poder de dispensar que él concedió á su inferior; pues que para restringirse la seria necesario que el superior lo quisiese espresamente, y que manifestase esta su voluntad al inferior atendido que la jurisdiccion ni se da ni se quita sino por una voluntad espresa y notificada.

3. «*Siempre que se haya obtenido una dispensa, y se pide una segunda, ¿hay obligacion de hacer mencion de la primera?* Si la dispensa que se obtuvo primero tiene alguna relacion con la segunda, de modo que aumenta la dificultad para conseguirla, segun el derecho hay obligacion estrecha de hacer mencion de ella: así, por ejemplo, si un marido despues de haber dado la muerte á su primera mujer, mata tambien aquella con quien se le habia permitido se casara, y pide una segunda dispensa, estará obligado á hacer mencion de la primera dispensa, de otro modo la segunda seria nula. Pero si la primera dispensa no tiene alguna relacion con la segunda, de modo que no haga mas difícil el conseguirla, no hay entonces alguna obligacion de hacer mencion de la primera: si alguno, por ejemplo, fué dispensado para casarse con una parienta, y el matrimonio no llegó á efectuarse, podrá pedir una dispensa semejante para casarse con otra parienta, sin que esté obligado entonces á hacer mencion de la primera dispensa que él habia obtenido.»

(U) Pag. 180.

Circa prudentiam in evellenda consuetudine audiendus inter cæteros Benedictus XIV, qui Constitutione *Paternæ charitatis*, quoad mercatus, qui festis diebus alicubi agebantur, ait: «Quia malum universale est, ac alte radices egit, opus est prudentia et maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet: *quod possumus, exigendum est, non quod optamus.* Admonitionibus proinde uti satius videtur, quam minis; et si minæ quandoque intententur, servandum est exacte monitum sapientissimum. S. Augustini,

Epist. XXII ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum, qui agens de auferenda conviviorum licentiam totam passim Africam fœde occupante, sub inani obtentu honorandi festa Martyrum, scripsit: *Non aspere quantum existimo, non duriter; non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo; magis monendo quam minando; sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.*»

Neque etiam hic extra rem esse putamus genuinam ideam signare *tollerantiæ* et *intollerantiæ*, de qua hodie tot verba faciunt politici, ut nempe licita ab illicitis secernamus. De hac porro præstat proferre verba præclarissimi Balmes in celeberrimo suo Opere, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo en sus relaciones con la civilizacion verdadera*, ubi cap. 35 hæc notat: «La intolerancia religiosa ó teológica es el convencimiento que tienen los Católicos, de que la única religion verdadera es la Católica. La intolerancia civil consiste en echar del Estado todas las religiones que no son la Católica. Estas definiciones para quien no esté falto del sentido comun le deben bastar para persuadirse que las dos especies de intolerancia pueden hallarse separadas la una de la otra, siendo por cierto posible, que quien esté firmamente convencido de la verdad Católica sufra á los que tienen otra religion diferente, y aun á aquellos que no profesan alguna.

«La intolerancia religiosa es un acto del entendimiento inseparable de la fe, porque quien cree firmemente que su propia religion es verdadera, por necesidad ha de tener que solo ella es la verdadera, pues que la verdad es una por necesidad. — La intolerancia civil es un acto de la voluntad, que rechaza á aquellos hombres, que profesan una religion diferente; y produce diferentes resultados, segun que está radicada ó en un particular, ó en el Gobierno. Por el contrario la tolerancia religiosa es la creencia de que todas las religiones son verdaderas; lo que bien entendido es lo mismo que decir, que no hay religion alguna verdadera; no siendo posible que sean á un tiempo verdaderas aquellas cosas que mutuamente se contradicen. — La tolerancia civil es el consentimiento de que vivan juntamente en paz los hombres de religion diferente; y del mismo modo que la intolerancia, tiene efectos diferentes, segun que se encuentra ó en un particular, ó en el Gobierno.» — *V.* etiam Nicolas, *Studi filosofici intorno al Cristianesimo*, p. 2, l. II.—It. Tractatu, *De Virtutibus theologicis*, ubi de fidei impedimentis.

(V) Pag. 189.

De jejunio Ecclesiastico inter cæteros poterit videri Natalis Alexander, *Hist. Eccl.* sæc. II, diss. 4.—Bellarminus, *Controv. de bonis operib.* l. II, c. 14.—Concina, *De jejunio*, diss. 7, c. 1.—Bergier, *Dizionario* etc. *V.* Quaresima, Astinenza.—Scotti, *Teoremi*, par. 4, teor. 8; id. *Omelie*, t. I, *Dom.* I *di Quares.*; id. *Catech. medico.*—Belli, *Sul digiuno e le astinenze.* Roma 1842. —Virringh Medicus, *De jejunio et abstinentia medico-ecclesiasticis.*—Gaume, *Catechismo di perseveranza*, par. 4, lex. 33.—Dottor Pistelli, *Commentario*

fisico sull'astinenza e il digiuno. Lucca 1841.—Righetti, *Lettere sul Digiuno e la Quaresima.—Civiltà Catt.* Ser. 2ª vol. 5: *storia del Digiuno.*—Præstat hic referre quæ leguntur in Diario, *l'Armonia,* n. 25, 1852 *suplem.:* «En todas las prácticas del Catolicismo se verifica aquella sentencia de Montesquieu: esto hace nuestra felicidad aquí bajo sobre la tierra, mientras que no tiene por blanco sino el bien del hombre en la otra vida.

« Los Santos Padres acostumbraron insistir tambien sobre este punto, que el ayuno es provechoso para la salud, y que tambien tiene sus delicias. Ellos decian: el ayuno es la salud del cuerpo, la robustez de los miembros, la prolongacion de la vida, aumenta el gusto de los convites, es el condimento de los manjares, porque la comida es tanto mas suave, cuanto es mayor el apetito...

«Todos los ejemplos de una vida larga van siempre unidos á una gran sobriedad en la comida. Recordemos los mas célebres monjes de los desiertos: Antonio, Romualdo, Saba, Pafnucio, Arsenio, Eutimio, Juan el Solitario. Y bien, todos estos mortificándose con ayunos continuos, vivieron mas de cien años. Es cosa sabida que los Cartujos no comen carne, ni siquiera en las mas graves enfermedades. Cuando la Sede Romana se encontraba en Aviñon, uno de aquellos Papas mandó á decir al Prior de la gran Cartuja de Paris, que diese permiso á sus monjes de comer carne cuando estuviesen enfermos. Aquella dispensa fué tan mal recibida, que los monjes resolvieron enviar una diputacion al Papa para suplicarle que les permitiese conservar en sus propias constituciones un precepto tan antiguo. La diputacion se componia de veinte y siete monjes el mas jóven tenia ya ochenta años, y habia algunos que contaban ya los noventa y cinco. Al verles el Pontífice tan gordos y perfectamente sanos en una edad tan avanzada, desistió y les hizo volver á continuar su vida mortificada.

«Si los ejemplos de frailes no son bien recibidos, los tenemos en abundancia de médicos, que ejercitados en la abstinencia vivieron una vida larguísima. Hipócrates murió de ciento y nueve años; Galeno, bien que era de un temperamento débil, murió muy viejo, porque tenia la costumbre de jamás satisfacer del todo el apetito; Hecquet pasó de setenta y seis años no comiendo jamás de carne, y bebiendo siempre agua; y Stahal, Santorio, Cirilo, Sacco, y muchísimos otros que vivieron siempre en la abstinencia, llegaron á contar setenta y ochenta años.»—It. *Vide Armonia* anno 1855, n. 55; et anno 1856, n. 44.

(X) Pag. 199.

Quoad dispensationem in jejunio habemus tres Bullas Benedicti XIV: Bulla *Non ambigimus* ait dispensare cum integra civitate, populo vel communitate circa qualitatem ciborum Sedi Apostolicæ reservatum esse.—Bulla *Prodiit jamdudum* ait, esse *communiorem* et *magis in ratione fundatam* opinionem quæ docet Episcopum non posse neque pro particulari causa, neque una vice pro tota communitate *vel* dispensare *vel* mutare jejunium, quamvis periculum sit quod non observetur. Si tamen jejunium caderet in festum

Patroni, tunc dicit jejunium esse transferendum in præcedentem diem.— Tamdem Bulla *Libentissime* docet Episcopum petere non debere ab Apostolica Sede dispensationem circa qualitatem ciborum, nisi gravissima et urgente necessitate, et toties quoties. Nec valere quod sit usus eam impetrandi etiam a pluribus annis; aut quod pisces vel ova caro pretio vendantur; aut quod milites permanentes abstinentiam non servent; aut quod deficiant oleum et pisces, si ova et lacticinia haberi possint. Sed esse causam sufficientem morbum universalem, vel deficientiam earum rerum, sine quibus jejunium observari nequit.

In Litteris concessionis, quæ ad Ordinarium mittuntur per Congregationem S. Officii, facta nonnullorum dierum reservatione, additur: «Hará el favor de declarar la facultad que para ello ha obtenido de la Santa Sede, inculcar á sus Diocesanos la exacta observancia del ayuno de Cuaresma, y exhortarles á que compensen el mismo indulto con otras obras pias; entre las cuales seria del agrado de Su Santidad que V. R. impusiese, que cada semana visitasen alguna Iglesia, que V. R. señalase.» Hanc autem visitationem injungunt Episcopi, alii declarantes eam sub levi tantum obligare, ut legere est in Epistola Pastorali Episcopi Montis-Regalensis, anno 1844; alii vero eam simpliciter imponunt nihil declarando, uti passim fit. Hic non abs re erit, si notemus hæc duo Opuscula: 1 *Breve Istruzione sopra il digiuno Quadragesimale.* Venezia tip. Tondelli; 2 *Orazioni per la Visita settimanale da farsi in una Chiesa nel corso della Quaresima.* Venezia tip. Merlo.

Jejunium occurrens in diebus Festis Titularis vel Patroni vel nundinarum conceditur anticipari arbitrio Episcopi, uti in Papiensi, Mediolanensi, Cremonensi, Derthonensi, in Hibernia, 27 junii 1644, 21 julii 1635, 3 dec. 1672, 2 apr. 1677, 6 sept. 1698, 26 aug. 1713, 7 junii 1742. Sed tamen recurrendum primum pro casibus particularibus: ita *S. C. R.* 7 sept. 1816.

TRACTATUS TERTIUS

DE

OBLIGATIONIBUS.

DISPUTATIO PRÆAMBULA.

Q. *Quid est obligatio, et quomoda dividitur?*

R. Ad 1: Obligatio sic dicitur quasi *ligatio ob*, id est ob aliquam causam, justum nempe Superioris præceptum. Potest autem definiri: *vinculum accommodatum naturæ intelligenti, validum et internum, quo adstringimur ad aliquid faciendum vel omittendum.* Dicitur: — 1 *vinculum*, ut sic indicetur vis illa maxima, qua prædita est lex ad ligandos subditos *(A)*;—2 *accommodatum naturæ intelligenti.* Si enim creaturæ irrationales ad actum trahuntur pulsu exteriori et per impressiones corporeas, naturæ intelligentes et rationales trahi debent modo sibi convenienti, videlicet rationabili superioris ordinatione; — 3 *validum,* quod nempe gravibus ac certis rationum momentis innitatur, ut valeat nos determinare; — 4 *internum*, quo nempe ipsa conscientia afficiatur; — 5 *quod adstringimur* etc.; obligatio enim ita moraliter agit in homine, ut clare ipse perspiciat se debere aliquid facere vel omittere, ne cogatur se reprehendere et pœnis dignum judicare, si renuat.

R. Ad 2: Homo quilibet duplici sub respectu hic a nobis consideratur, vel quatenus est membrum Ecclesiæ, vel quatenus est membrum Reipublicæ. In quacumque vero societate homo sit, non debet certe ignorare quæ sui muneris sunt: *unusquisque*, ait S. Augustinus, *scire tenetur legem et statum, quem profitetur* (1). Unde Apostolus: *vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas* (2). Hoc posito, dicimus obligationem generatim acceptam aliam ligare hominem in societate Religiosa; aliam eum ligare in societate civili.

(1) *De fid. et oper.* l. I. (2) Coloss. 4.

DISPUTATIO PRIMA

DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE RELIGIOSA.

Cum obligatio afficiat ipsas hominum personas, patet totejusdem esse genera distinguenda in societate religiosa, quot in ipsa distinguuntur genera personarum; atqui in ipsa duo distinguuntur genera personarum, nempe *Laici* et *Clerici:* Clerici autem vel sunt sæculares, et *Clerici* simpliciter dicuntur; vel regulares, et *Religiosi* appellantur.

CAPUT PRIMUM

DE OBLIGATIONIBUS LAICORUM.

Q. *Quænam sunt Laicorum obligationes in societate religiosa?*

R. Omnes Laicorum obligationes in societate religiosa eo reducuntur, ut præcepta Dei et Ecclesiæ fideliter observent, si velint ad societatis ipsius scopum pervenire, qui est salus æterna.

Primo præcepta Dei, quæ quidem Decalogo continentur; Christus enim cuidam ab eo sciscitanti quid agendo vitam æternam haberet, hoc dedit responsum: *si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata* (1). Nomine autem *mandatorum* vocabantur præcepta Dei. — Secundo præcepta Ecclesiæ; aperta enim sunt illa Christi verba ad Ecclesiæ Antistites: *qui vos spernit, me spernit* (2). Et iterum: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (3). Et Tridentinum definivit: *si quis dixerit hominem... non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ...; anathema sit* (4). Unde ad rem Augustinus: *nec habebit Deum Patrem qui Ecclesiam noluerit habere Matrem* (5).

Qui autem Christi Ecclesiam vexare, ejus aspernari præcepta, ministros irridere, constitutiones proculcare, eique bellum intentare non erubescunt, audiant numquam satis laudata verba percelebris *Montalembert* (6): «Permitidme una comparacion familiar. Cuando un hombre está condenado á luchar con una mujer, sino es la mas despreciable de las criaturas, puede apostrofarle impunemente con la frente erguida y decirle: *hiere, pero te deshonras, sin vencerme.* Y bien, la Iglesia no es una mujer, pero es algo mas que una

(1) Matth. 19. (2) Luc. 10. (3) Matth. 18. (4) Sess. 6, can. 20.

(5) *De Sym. ad catech.* c. 13 Quod habet et Cyprianus.—*V.* Rigetti, *Sul digiuno.* Lett. 1.ª § 2. — *Collezione de' buoni libri.* Torino: *Fedele osservanza de' precetti della Chiesa.*

(6) *V. La questione Romana discussa nell' assemblea francese* ott. 1849.

mujer, es una madre. ¡Sí, es madre! madre de la Europa, madre de la sociedad moderna, madre de la moderna humanidad. Un hijo puede ser ingrato, desnaturalizado, rebelde para con ella; pero no por eso dejará de ser su hijo, y llega el momento en que esta lucha parricida contra la Iglesia se hace insoportable al género humano, y el desgraciado que la ha provocado cae aplastado, anonadado, ya sea por una derrota, ya sea por la reprobacion unánime de la humanidad.» *(B)*.

CAPUT SECUNDUM

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

Q. 1. *Unde oriuntur et ubi continentur Clericorum obligationes?*

R. Ad 1: Duo sunt fontes, ex quibus obligationes hauriuntur *Clericis peculiariter impositæ*; — 1 excellentia status, quem profitentur; unusquisque enim naturali jure clamante, tenetur ea peragere, quæ propria sunt sui status: status autem Clericalis est status perfectionis juxta illud Hieronymi ad Nepotianum: *propterea Clerici dicuntur, quod de sorte Domini sint, vel quia Dominus sors, id est pars Clericorum est* (1); — 2 ratio boni exempli laicis exhibendi ex illo Apostoli ad Titum: *in omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum* (2).

Diximus *Clericis peculiariter impositæ;* nam per has Clerici non liberantur a mandatis unicuique christiano communibus, si hæc ipsis conveniant. Neque enim Clerici, christiani esse desinunt: imo fortius obligantur ex eodem duplici memorato capite.

R. Ad 2: Obligationes Clericorum continentur: — 1 implicite in jure naturæ et publico, quatenus utrumque præcipit, ut omnes proprii status officia fideliter impleant; — 2 explicite præter quam in Scriptura et Traditione; continentur in Corpore Juris Canonici, in Bullis Pontificum, in Conciliis generalibus, et maxime in Tridentino. Item in Synodis Provincialibus et Diœcesanis, quæ ideo præcipue conditæ sunt. Uno verbo in omnibus superiorum statutis, atque in ipsa consuetudine legitime præscripta.

Clericorum autem obligationes aliæ sunt generales et communes; aliæ sunt speciales et propriæ. Quilibet sane Clericus dupliciter accipi potest, vel prout est saltem per primam tonsuram generali et communi Clericatus nota insignitus: et sic generalibus et communibus ligatur obligationibus; vel prout est speciali munere donatus in ordine Hierarchico: et sic nanciscitur obligationes speciales et proprias. In his autem omnibus sita est illa *vita et honestas Clericorum*, de qua sacri Canones tam gravia verba faciunt.

Q. 2. *Cujus est Clericorum vitæ et honestati generatim invigilare?*

R. Cura Clericorum vitæ et honestati invigilandi Episcopis incumbit, ut tradit Tridentinum: *Statuit sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, ludibus ac qui-*

(1) *Clerici* nomen est a greca voce *cleros*, quæ sortem significat. (2) Caput 2.

buscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerint, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si quæ vero ex his in desuetudinem abiisse compererint; ea quamprimum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas. Deo vindice, pœnas persolvant (1).

Qua in re decretoria quoque sunt verba Pii Papæ IX anno 1846 Encycl. *Qui pluribus* ad omnes Episcopos, ubi item ait: *summa cura et studio Ipsis esse elaborandum; ut in Clero morum gravitas, vitæ integritas, sanctitas atque doctrina eluceat, et Ecclesiastica disciplina ex Sacrorum Canonum præscripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur* (2).

ARTICULUS I—De obligationibus clericorum communibus (3).

In duas quasi classes dividuntur communes Clericorum obligationes: 1ª videlicet respicit quæ generaliter præscribuntur: et hæc revocantur *ad sanctitatem animi; ad exercitium ministerii et Ecclesiæ cultum; ad exterius sese gerendi methodum; tandem ad habitum clericalem;* 2ª respicit quæ generatim prohibentur: et sunt *actiones, artes et officia.* Actiones autem præcipue prohibitæ sunt *armorum gestatio, habitatio cum mulieribus, choreæ, comediæ, tabernæ, ludus, venatio* et *negotiatio.*

§ I.—*De iis, quæ Clericis generatim ac communiter præscripta sunt.*

Q. 1. *An Clerici teneantur ad vitæ Sanctitatem?*

R. Affirmative: Clerici tenentur ad vitæ sanctitatem:

Prob. 1. *Scripturis:*—In veteri Testamento Dominus de suis Ipse Ministris inquiebat: *sancti erunt Deo suo, et non polluent Nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt* (4). Jam vero, innuit Bellarminus (5), si tanta vitæ sanctitas requirebatur in illis, qui sacrificabant boves et oves, quid requiretur in iis, qui sacrificant Divinum Agnum?—Ex novo autem Testamento sufficiat gravissimum illud monitum Apostoli ad Timotheum: *manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (6) id est non ante exercitium virtutis et experimentum sanctitatis, ut exponunt Patres et Interpretes, et ratio suadet.

(1) Sess. 22, c. 1 de R. — *V. Concordatum Austriæ*, art. XI.

(2) Ex quibus constat, quam dura et atrox sit injustitia eorum, qui Episcopos debitis pœnis Clericos malos plectentes nimiæ severitatis audent insimulare. *Vid.* Benedictus XIV, Notificazione CII.

(3) *V. Specchio del Clero coll' aggiunta di un exame sui principali doveri degli Ecclesiastici.* Mil. Pogliani 1850.— Et *Appendix* in fine volum., *Avisi al Clero.*

(4) Lev. 21. (5) In Ps. 10, v. 9. (6) Ep. 1ª, c. 5.

2. *Patribus*: Hieronymus majorem in Clerico sanctitatem requirit, quam in simplici religioso: scribit ad Rusticum: *sic vive in monasterio, ut Clericus esse merearis.* Sane status religiosus est status ad perfectionem; at status Clericalis est status perfectionis.—Augustinus habet: *Clericus duo professus est, sanctitatem et clericatum* (1).—Et D. Thomas: *ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis; ita et superiores sint merito sanctitatis* (2).

3. *Conciliis:* sufficiat Tridentinum, cujus hoc est decretum gravissimum ab omnibus alta mente tenendum: *sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferant* (3).

4. *Ratione:* cur in Ecclesia Ministri sunt constituti? teste Evangelio, non alia sane de causa, quam ut sint *sal terræ* et *lux mundi;* atqui tales esse non possunt sine insigni et præclara morum sanctitate.—Deinde Ecclesiastici sunt *Doctores pietatis*, ut eos vocat Chrysostomus: sunt *Salvatores mundi*, ut eos vocat Hieronymus: sunt *januæ populis Civitatis æternæ,* ut eos vocat S. Prosper. Sed tales esse non poterunt, si sancti non sint. Unde merito concludere possumus cum D. Hieronymo (4): *clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem* (5).

Clericorum sanctitas sita est:—1 in peccatorum etiam venialium fuga: quomodo sane dici poterit filius perfecte diligere patrem, si a gravibus tantum, non vero a levibus injuriis ei irrogandis se abstineat? Adde tam excellentem esse Ecclesiasticorum electionem, *ut* (verba sunt Leonis M.) *quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita;*—2 in virtutum exercitio, præsertim vero castitatis; magna sane cordis mundities in eo requiritur, qui minister est Agni immaculati, qui *pascitur inter lilia* (6); humilitatis, quia dicente S. Bernardo, *tanto quisque debet esse humilior, quanto est sublimior* (7); obedientiæ, quia hac decet illum esse præditum, qui Sacerdotio perfungitur pro Christo Jesu, qui *est factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (8); patientiæ, quia Ecclesiasticus verus est Minister illius, *qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur* (9); denique charitatis: in Deum quidem, ita ut possint indesinenter Clerici omnes clamare: *quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram* (10)? In proximum vero; quia Clerici supremum illum Pastorem debent imitari, qui *in charitate perpetua dilexit nos* (11).

Media autem ad vitæ sanctitatem in Clerico præcipua sunt:

(1) Serm. 83 de Div.
(2) Sup. q. 35, a. 4.
(3) Sess. 22, c. 1 de R. — *Vide* Stapf, § 38.
(4) Ep. 58.
(5) V. Liguori, *Selva di materie predicabili*, p. 7, c. 3. — Clary, *Lo spirito del Sacerdozio Cristiano*. —Savoy, *Introduzione al Sacerdozio* etc. etc.
(6) Cant. 6.
(7) De 7° Dono S. S. c. 7.
(8) Philip. 2.
(9) I Petri 2.
(10) Ps. 72.
(11) Jerem. 31.

1. Frequens ad Deum oratio, a quo omnis perfectio dimanat: *invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ* (1).

2. Quotidiana rerum spiritualium ac cœlestium meditatio: hæc dicente S. Bernardo, *regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus* (2).

3. Quotidiana lectio spiritualis; ait enim idem Bernardus (3): *per eam discimus quid faceres quid cavere, quo tendere debeamus.*

4. Quotidianum conscientiæ examen, tum generale quo omnes, tum particulare, quo aliquem specialem defectum illa die commissum studiosius inquirimus ad correctionem. Hujus exercitii utilitatem vel ipsi gentiles agnoverunt: *hoc nos pessimos* faciat ait Seneca, *quod nemo iram suam respicit, nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum, nemo elatum.* Unde de se ipso ajebat: *utor hac potestate et quotidie apud me causam dico: cum ablatum est lumen, totum diem mecum scrutor, facta et dicta mea remetior* (4).

5. Sacramentorum frequentia: confessione enim peccatorum avertimur a creaturis et convertimur ad Deum. Per sacram vero Synaxim sumitur qui plenitudo est, fons et origo totius sanctitatis.

6. Custodia cordis et sensuum per cogitationem præsentiæ Dei. *Dic mihi*, perbelle ait divus Chrysostomus, *si tibi semper prope principem standum esset, an non cum timore adstares? Adeoque quando comedis, cogita præsentem Deum; adest enim: quando dormiturus es, quando irasceris, quando deliciaris, et quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum* (5).

7. Exercitia spiritualia (saltem singulo triennio), *quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel comprobatur,* uti ait Clemens IX. Salutare hoc opus etiam urget immortalis Pontifex Pius IX, Encyclica, *Qui pluribus.* Hic autem notandum, omnes qui residentiæ lege et chori servitio tenentur, semel in anno per id temporis, quo, Episcopo annuente, huic saluberrimo exercitio operam navant, ut præsentes esse censendos ex Encyclicis Clementis XI (1 febr. 1710), Benedicti XIV (2 dec. 1740), et Pii IV (25 dec. 1775) (6).

8. Denique pia ac fervens devotio in Beatam Mariam Apostolorum Regi-

(1) Sap. 7. — *V.* Liguori, *Il gran mezzo della preghiera* etc.

(2) De Cons. l. I, c. 17. — Huc optime faciunt, *Manuale Ecclesiastico proposto al Clero Novarese dal* card. Morozzo. — *Meditationes Ecclesiastiques* etc. Lyon 1836. — Croust, *Meditationes de præcipuis Fidei mysteriis ad usum Clericorum.* Parisiis 1836.

(3) Hic eminent Kempis, *De imitatione Christi.* — Rodriguez, *Esercicio di perfecione.* — Liguori, *Pratica di amar G. C.* — Ricardi, *Dei doveri e dello spirito Ecclesiastico.* — Massillon, *Conferenze Ecclesiastiche.* — *Pensieri Ecclesiastici con avvertimenti adattati ai bisogni del tempo raccolti da un Sacerdote,* Torino, Marietti 1849.

(4) *V.* Tronson, *Serie di esami particolari proposti agli Ecclesiastici.* Milano.

(5) Hom. 8 in Phil. 2.

(6) Hæc tamen permissio ab Episcopo *nullatenus concedenda erit Adventus et Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus festivitatibus. Nec umquam omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus; sed adhibito modo, ut Chori servitium nequaquam intermittatur. Et quoad Parochos, idoneis prius Œconomis ab ipsomet Ordinario approbandis relictis, qui animarum curam laudabiliter administrent:* sunt verba Clementis XI. — *Vid.* etiam *Synodus Novariensis* pag. 163.

nam (1): *in qua*, dicente S. Bernardo, *totius boni plenitudinem posuit Deus, ut proinde si quid spei nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare* (2).—Hinc versus:

Usque ora, meditare, legas, tua discute facta,
Sacra adeas, vigili præfronte incede Tonantis,
Ad pia secedas, Divam venerare Parentem.

Q. 2. *Quænam sunt Clericorum obligationes relate ad ministerii Clericalis exercitium, et Ecclesiæ cultum?*

R. Obligationes Clericorum hac de re præcipuæ sunt sequentes:

1. Ut singuli Ordinis proprii munia recte cognoscant et exerceant: ne dicantur inaniter ordinati.

2. Ut Ecclesiæ, cui addicti sunt, ex animo inserviant. Et operam præstent assiduam tum in doctrina Christiana explananda, tum in cæteris functionibus (die præsertim festo) celebrandis; nam turpe esset lucrosa quidem officia libenter obire, cætera vero prætermittere.—Nemo autem, ex Constit. *Ex quo* Benedicti XIV, sine licentia Episcopi potest Ecclesiam derelinquere, cujus servitio fuerit addictus: *Quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur,* ait Tridentinum (3).

3. Ut in sacris ipsis functionibus, præter talarem vestem, induant etiam mundum et decens superpelliceum; et prædíti sint Clericali birreto, ut rite ac decenter munere suo fungantur (4).

4. Ut sacros ritus ac cæremonias ediscant, et adamussim observent; atque in Ecclesiæ cantu sese exerceant. Teste experientia, summa reverentia Mysteriis sanctis hoc modo conciliatur (5) *(C)*.

5. Ut in scientiarum studia sibi et populis profutura summa ope nitantur. Hoc ipsius officii ratio suadet; Clerici enim super cæteros constituuntur, ut eos viam salutis edoceant: at quomodo edocebunt quod nesciunt? quomodo scient quod non ediscunt? Hinc Deus habet: *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi* (6). Et Concilium Toletanum IV: *nullus ad sacra Mysteria veniat indoctus, sed solus accedat, quem morum innocentia et litterarum splendor reddunt illustrem. Aliter ordinaturis et ordinandis imminet in posterum Dei et Ecclesiæ vindicta.* Hic etiam valde increpanda est eorum agendi ratio, qui studiis vacant in Clericatu; sed vix ad Sacerdotium evecti illis valedicunt, atque obiter munus suum obeuntes reliquum tempus inutilibus terunt nugis. Sic otio torpescunt, quod quidem est malorum fons (7). Sic et illa pauca amittunt, quæ didicerunt clerici; nam nos non aliud scimus nisi quod recordamur, nec recordamur nisi quod sæpe repetimus. Sic perpetuo ignorant alia plurima, quæ continuo occur-

(1) Righetti, *Il mese di Maria proposto agli Ecclesiastici* (sub initio).—Savoy, *Doveri Ecclesiastici*, vol. 4. (2) Serm. *Dom. infra Oct. Assumpt.* (3) Sess. 23, de R. c. 16.

(4) De birreto *v.* Raynaudus. *Tract. De pileo et cæteris capitis tegminibus.* — Macrus, *Lexicon* V. Camelaucium. — L. Ferraris, *Biblioteca* etc. V. Pileolus.

(5) Fornici, *Institutiones liturgicæ ad usum seminarii Romani.* — *Trattato delle sacre cerimonie proposto dal* card. Morozzo, Novara.

(6) Oseæ 4. (7) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. VII, n. 52.

runt addiscenda in salebroso ministerio: et hoc quidem non sine maxima animarum pernicie. Sic tandem et se ipsos et proprium munus pœnes sæculares contemptibile reddunt (*D*).—Hinc versus:

Fungere muneribus, templo famulare libenter,
Congrua sint vestis, ritus, doctrina Levitæ.

Q. 3. *Quænam Clericorum obligationes relate ad methodum sese exterius gerendi, ad spiritualem fidelium ædificationem?*

R. Obligationes Clericorum quoad methodum sese exterius gerendi ad spiritualem fidelium ædificationem sunt:

1. Ut interiorem animi pietatem exteriori agendi ratione exprimant Clerici; nam *ex visu cognoscitur vir* (1). Huc præcipue spectant illa Tridentini verba: *nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque summunt quod imitentur* (2). Unde perbelle ait Synodus Turritana (anno 1537): *liber laicorum vita Clericorum.*

2. Ut sese abstineant Clerici ab iis, quæ malum vel mali speciem aliis ingerere valeant, juxta illud Apostoli: *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* (3). Et pro nobis facit illud D. Bernardi effatum: *sicut non omne quod libet, licet; sic non omne quod licet, expedit* (4).

Q. 4. *Quænam sunt Clericorum obligationes relate ad habitum* (5)?

R. Clericorum obligationes relate ad habitum sunt:

1. Ut proprius Clericorum habitus (excepta itineris causa, aut cum quis rure versatur) censeatur vestis talaris nigri coloris zona vel globulis sic clausa, ut pars nulla vestium interior conspici valeat, addito superpelliceo in sacris functionibus peragendis.

2. Ut nemo in publicum prodeat sine decenti collari, quod linea tænia obductum sit (6). Item vestes omnes, quibus Clerici publice incedunt, debent esse coloris nigri, et vix itineris causa tolerantur suboscuræ vel nigricantes. Pileum triangulare præscribitur. Etiam femoralia genu prætergredientia hominis potius militaris et laici propria Clericis penitus interdicuntur.

3. Ut tonsuram singuli Ordini suo congruentem habeant (7): et anulum non deferant, nisi vel honoris gradum in Academia sint consecuti, vel officii ratio postulet, illumque deponant in Missæ sacrificio (8).

4. Ut in omni vestis genere neque appareat elegantia studiosius quæsita, neque conspiciantur sordes et incuria; sed in omnibus elucescat modesta quædam simplicitas, quæ Clerici animum indicet ab omni prorsus sæcu-

(1) Eccli. 19. (2) Sess. 22, c. 1, de Ref. (3) II Cor. 6. (4) Epist. 25.

(5) *V.* Gregorius M. *Dial.* l. IV, c. 40; Benedictus XIV, *De Syn.* l. XI, c. 8; *Concil. Med. Provinc.* I, p. 2, Tit. *de vestibus cler.*

(6) Animadvertendum collaria *artificiose elaborata* fuisse jampridem al invictissimo illo Ecclesiasticæ disciplinæ restauratore D. Carolo Borromeo reprobata.

(7) *V.* Thomassinus, *De Eccl. Discip.* p. 1, l. II, c. 39.

(8) De anulo, Benedictus XIV, Notificatione XXXIV. — Clericatus, *Decisiones.*

lari vanitate alienum. Quis non irrideat, quos interdum videre est, *cincinnatulos. calamistratos, et amasiunculos* Clericos, contra quos sacra ira abreptus D. Hieronymus exclamabat (Epist. ad Nepotianum): *omnis eorum cura de vestibus est, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat; et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia... tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos* (1). — Hinc versus:

Vestis, collare, et pileum, tonsuraque sunto
Longa, lino obductum, triangulare, patens.

Sed (dices) *hæc levioris sunt momenti; quia ex vulgari adagio habitus non facit Monachum.* — Respondet Tridentinum: *etsi habitus non faciat Monachum; oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant* (2). Jam vero: vel dicendum est Tridentinum, quod universam exhibebat Ecclesiam, de rebus egisse levioris momenti; vel leges ad Clericorum habitum pertinentes gravis esse ponderis. Rationem innuit laudatum Concilium: nempe Clerici tenentur ita se exterius exhibere, ut intrinsecam animi pietatem et cordis compositionem ostendant, sicque spiritualiter fideles ædificent. Atqui id per ipsum etiam Clericalem habitum obtinetur; nam ex Scriptura (3): *amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis annuntiant de illo* (4) *(E).*

Q. 5. *An peccent Clerici non deferentes habitum Clericalem?*

R. 1. Certum est Clericos beneficiatos aut in Sacris mortaliter peccare, si per notabile tempus Clericalem habitum non deferant; nam Tridentinum (Constitutionem Clementis V ea de re ampliando) ita de ipsis loquitur: *tanta aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem Clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales; pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcumque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut Dignitates aut Personatus, Officia aut Beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per publicum edictum monitæ fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum*

(1) Eidem eleganter concinebat D. Bernardus: *cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus... muliebria potius noscuntur insignia, quæ utique curiosius et sumptuosius illæ sibi præparare consueverunt, cogitantes nimirum quæ sunt mundi, quomodo placeant viris. Verum tu, Sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? Si mundo, cur Sacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis et Sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest Sacerdotium?* (De vita et mor. Episc.) (2) Sess. 14, c. 6 de Ref.

(3) Eccli. 19, *Quæ omnia urget Conc. Prov.* Vercell. habitum, 18 nov. 1849.

(4) Hanc ipsam veritatem sic philosophice explicat S. Bernardus: *ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiorum: vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est: mollia indumenta animi mollitiem indicant: non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Apologia ad Guill. Ab. c. 10. Et D. Ambrosius noluit in Clerum suum recipere juvenem, eo quod gestus ejus non esset decorus; noluit alterum sibi umquam præire, quia erat insolentis incessus: nec fefellit eum sententia; nam alter arianæ hæresi nomen dedit; alter pecuniæ studio se clericum esse negavit (Lib. *De Offic.* l. I, c. 18).

non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, et beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correptæ denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum coërceri debeant (1). Quæ sane loquendi ratio arguit peccatum grave. Imo addunt communiter, peccare graviter Clericos hujusmodi, si ad breve etiam tempus habitum clericalem dimittant aut occultent ad malum finem (2).

R. 2. Communius docent cum Holzman, Navarro, Soto, etc., simplices Clericos, qui scilicet neque beneficium possident, neque in Sacris sunt constituti *per se loquendo* non peccare, si clericalem habitum non deferant, cum hæc gravis obligatio Clericis in Sacris, ac beneficiatis tantum sit imposita (3). — Diximus autem *per se loquendo;* hodie enim suis in Synodis Episcopi id Clericis omnibus imponunt (4). Neque enim sine scandalo esse potest, quod ipsi suo statui non se conforment.

Q. 6. *An peccent Clerici, si non deferant Tonsuram?*

R. Quidam damnant de peccato mortali Clericos, qui non deferant tonsuram, ad modum quo eos damnant, si non deferant habitum clericalem, quia Lateranense Concilium sub Leone X statuit: *Clerici in Sacris constituti nec barbam nec comam nutriant: sed tonsuram deferant. Siquis contra fecerit, excommunicationem incurrat* (5). Verum, bene ait Croix, facilius peccare mortaliter qui habitum non defert, quam qui non defert tonsuram; cum in illo sit longe major inordinatio fidelibus scandalum præbens. Unde præfatus auctor nec Sacerdotem tonsuram per sex aut octo hebdomadas non deferentem damnat de mortali (6). — Non est vero certum ibi Concilium (nomine *tonsuræ*), loquutum fuisse de simplici corona hodierna; sed potius videtur locutum de abrasione comæ, quæ proprie venit tonsuræ nomine, quæque tunc temporis erat in usu (7).

Quid (dices) *de coma supposititia seu adscititia, vulgo* peluca?

Certum est non posse Sacerdotes Missam celebrare cum coma supposititia sine dispensatione Summi Pontificis. Cum enim Urbanus VIII, testante Benedicto XIV, præceperit, *ut nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine*, quæsitum est a S. Congregatione, utrum *pileoli* nomine comprehendatur etiam coma supposititia, etsi decens ac modesta? Responsum fuit *utique comprehendi.* In hujus decreti sequelam Innocentius XII per Apos-

(1) Loco cit.

(2) Si tamen Clerici pergant in regiones, in quibus Ecclesiastici viri clericalibus non soleant vestibus induti in publicum prodire, excusantur si tali usui se conforment; casu saltem, quo periculum adsit, ne ideo gravibus se exponant probis, etc. Quod non currit de illis, qui cum se itineri committunt, de facile habitum dimittunt, quocumque loco, quia hodie in omni loco irridentur Clerici. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 188; et l. VI, nn. 825 et seqq.

(4) Ut in Novariensi, pag. 165.

(5) Sess. 9. (6) *V.* Liguori, *Homo Apost. App.* 3.ª n. 50; *Op. Mor.* l. VI, n. 826.

(7) Tonsuræ ex Concilio Provinciali Mediolanensi V pro singulis gradibus ista describitur forma. Pro Minoristis in orbem ducta circa periferiam pateat unciis duabus. Pro subdiaconis duabus cum dimidia. Pro diaconis tribus. Pro Sacerdotibus demum quatuor unciis. Uncia tamen illa aliquantulum minor est hac nostra.

tolicos Nuntios jussit Episcopos admoneri, ne quemquam permitterent sine Apostolicæ Sedis privilegio Missam cum tali coma peragere.— Extra Sacrificium autem, et quoad cæteros etiam Clericos plerisque Episcopis *coma* hæc semper visa est valde indecora, ita ut propriis in Synodis (ut in Novariensi, pag. 166) illam graviter Clero suo universo ipsi prohibuerint. «Sane quid indecorum magis ac vanitosum, ait Benedictus XIV, quam ut extraneam comam capiti superinducant, qui sacræ militiæ nonnisi per comæ propriæ abscissionem adscribuntur (1)?»

Q. 7. *Quæ pœnæ in non deferentes habitum aç tonsuram?*

R. Clericus in Sacris vel beneficiatus non deferens habitum neque tonsuram, si tertio sit admonitus ab Episcopo, neque emendetur, amittit privilegium fori et canonis (2). Si vero clericus sit in minoribus, et clericalem habitum ac tonsuram non deferat, nec alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario aut alia schola de ejus licentia non versetur, privilegium fori amittit absque ulla monitione (3). Requiritur tamen sententia judicis declaratoria; cum agatur de juris acquisiti amissione (4): excipe nisi Clericus habitum ita dimittat, ut satis appareat animum clericandi dimisisse; tunc sine ulla declaratione forum amittitur. Iste tamen Clericus non ideo amittit simul privilegium canonis, aut competentiæ, uti a S. Concilii C. declaratum est (5).

§ II — *De iis, quæ Clericis generaliter et communiter prohibentur.*

Q. 1. *Quid de armorum gestatione quoad Clericos?*

R. Arma offensiva et defensiva gestare extra necessitatem Clericis prohibetur; tum quia dedecet illorum characterem, qui ad Christi exemplum debent esse mites corde, tum quia arma Clericorum debent esse spiritualia; cum eorum sit militare contra potestates tenebrarum: *Clerici arma portantes,* ita in jure, *et usurarii excommunicentur* (6). Hinc et consequenter *extra*

(1) *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 9; et *Notificatione* XXIV, n. 14. — Sunt qui irrident hanc prohibitionem, sicut et cæteras, quæ prima fronte videntur esse parvi momenti. Hi tamen novi sunt; qui enim experientia sunt magistri, hoc summopere laudant; nam a minimis incipiunt qui in maxima proruunt. — *V.* Bovicelli *Storia delle parucche.* Mil. 1720, ubi etiam de almutia, birreto, etc. Communiter docent grave esse celebrare cum coma seu capillitio ficto, sine permissione Sedis Apostolicæ: utrum autem sit etiam mortale, celebrare cum pileolo vulgo *calotta.* alii affirmant cum Armilla, quia gravem irreverentiam includit; alii negant cum Ledesma; quia non pareret tantam admirationem; sed alii tenent probabiliter cum Quarti, Layman, Sylvio, Croix, etc., id esse graviter illicitum, si fiat per totam Missam; at grave non esse, imo posse sine peccato et sine dispensatione celebrare cum pileolo (*calotta*), excepto canone, et præcluso scandalo, uti si fiat in loco privato vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta, puta ob senectutem Sacerdotis vel loci frigus, adeo ut non aliter fieri possit sine gravi incommodo.—Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 397.

(2) Ex C. *contingit* 45 *de sent. excomm.* — *V.* Liguori *Op. Mor.* l. VI, n. 827.

(3) Tridentinum, Sess. 23, c. 6. — *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. 20, n. 19.

(4) In regno Sardiniæ iis locis, ubi viget § 15 *Instruct. Benedictinæ*, Clerici qui expuncti sint a tabella, quæ in Sacristia Cathedralis apponi debet referens omnes Clericos Diœcesis, jam ipso jure privati existunt omnibus privilegiis.

(5) Glossa in c. 23, q. 5, *Miles:* et cap. *Qui malos,* habet: *Clericus immiscendo se enormitatibus amittit privilegium Canonis;* Si quis suadente... Competentem. — *V. Il Cattolico* Giorn. di Genova 1852, nn. 900, 914 et 916. — Benedictus XIV, *De Synod.* l. XII, c. 2 et 3.

(6) Decr. Greg. I. 1. t. III *de vita et honest. Cleric.* c. 2.

necessitatem ipsi per se pugnare eodem canonico jure prohibentur; cum eis potius competat proprium, quam aliorum sanguinem effundere, uti notat Angelicus (1). — Adde bellica exercitia maximas habere inquietudines, quæ a spiritualibus avertunt. Unde unanimiter docent cum Benedicto XIV, Clericos in majoribus constitutos mortaliter peccare, si militiam amplectantur (2).

Diximus: 1 *extra necessitatem;* nam necessitas legem non habet; — 2 *ipsi per se;* constat enim ex variis juris capitibus eos bellum justum posse suadere, ad strenue pugnandum hortari, et si temporalem habeant jurisdictionem, bellum indicere, exercitum conscribere, arma præbere; non tamen personaliter Ducis officio fungi; — 3 *eodem canonico jure;* id enim juri divino non repugnat. Hinc etiam Sacerdotes pugnabant in lege veteri (3) *(F).*

Q. 2. *Quid de Clericorum habitatione cum mulieribus?*

R. Quoad Clericorum habitationem cum mulieribus notatu digna sunt quæ in Nicæno 1 (anno 325) leguntur: *vetuit omnino Synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec uni pœnitus eorum qui sunt in Clero, introductam* (4) *habere mulierem, præterquam utique matrem vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt* (5). Hinc fere omnes Episcopi sapienter (6) præscripserunt, ut Clericis propriis cum iis tantum mulieribus cohabitare fas sit, quæ primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu junctæ sunt; et modo nullam occasionem præbeant scandalosæ supicioni: secus et ipsæ dimittendæ sunt, et dimittere renuentes ab Episcopo *pœnis a sacris canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur* (7). — Quod si de consanguineis nulla suspicio, videant Clerici ne suspicio de iis habeatur, quæ consanguineas invisunt: hinc Augustinus *nec cum sorore habitare consensit dicens: quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt* (8).

Ad famulas vero quod attinet, voluerunt eas compertæ omnino probitatis: debent ergo esse ætate graves, morigeratæ, honesto loco ortæ, ac illius cui inserviunt, pietatis religionisque emulatores. Imo nonnulli etiam ætatem in iis præscripserunt, annorum nempe 40 completorum: ita in Synodo Novariensi, ubi mulcta 40 libellarum in usus pios impendenda contraventoribus imponitur (9). Cujus quidem pergravis præcepti sapientiam nemo non videt: *in medio mulierum noli commorari,* ait Scriptura, *de vestimentis*

(1) 2, 2, q. 49, a. 2. (2) Notificazione CI. (3) I Macab. 10.

(4) Id est *extraneam,* uti legitur in aliis versionibus. — *V.* Pavone, *Spicilegio* etc. n. 214.—Tridentinum, Sess. 25. c. 14 de R. — Benedictus XIV, *De Synodo* l. XI, c. 4. — Bouix, *De Parocho,* part. 5.ª (5) Can. 3.

(6) Ita Synodus Novariensis, pag. 167, ubi etiam hæc leguntur: *Sacerdotes et Clerici nostri districte vetantur fœminas per vias deducere; aut quod indignius esset, porrecto brachio incedentes regere, aut sese comites illis et asseclas in deambulationibus et itineribus adjungere, nisi vere rationabilis hujus comitatus ratio aliquando appareret.*

(7) Tridentinum, Sess. 25 de R. c. 14. (8) Possidius, *Vita S. August.* c. 86.

(9) *V.* Benedictus XIV. *Notificatione* 82 et 83. — Synodus Novariensis, pag. 167; et Litteræ ad Clerum 13 nov. 1851. Præstat etiam, ut singulis annis famulæ salarium usque ad assem persolvatur, ne ipsa in superbiam efferatur, aut ne (mortuo Clerico) ab hæredibus, ut evenit, mercede sua injuste fraudetur.

enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri (1). Neque in præterita castitate quis confidat: monet Augustinus apud S. Thomam: *magnos prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi et Ambrosii* (2). Et D. Bernardus scribit: *cum fœmina semper esse et non peccare cum fœmina plus est, quam mortuum suscitare* (3). In hac re nulla cautela, nulla vigilantia satis, siquidem sub omni lapide scorpius dormit: *prima tentamenta sunt Clericorum fœminarum frequentes accessus*, scribebat ad Oceanum D. Hieronymus; *quid tibi cum fœminis qui ad altare cum Domino fabularis? te cuncti in publico et in agro... graviter lacerabunt, si contra depositum fidei cum fœminis habitare contendas.* Per gloriam ergo Dei, æternamque eorum salutem cunctos adjuramus Ecclesiasticos, ut Conciliorum statutis, Patrum monitis, ac Episcoporum ordinationibus semper obtemperantes, juniores mulieres apud se numquam detineant, eas non visitent, cum eis familiariter non loquantur, multo minus eas amplectantur aut in cubiculum suum introducant. Heu quot inde prodiere mala! quot religioni opprobria!

Q. 3. *Quid de Clericorum interessentia choreis et comœdiis?*

R. Choreis tam publicis quam privatis, et publicis spectaculis interesse Clericos passim sub obedientiæ præcepto prohibent post Tridentinum (4) Synodi omnes, ut notat Benedictus XIV, tum propter gravissimum damnum et status Clericalis dedecus, quod inde solet exoriri: tum ob periculum, cui exponitur Clericalis vitæ sanctitas (5). Imo nonnulli Episcopi suis in Synodis eo usque merito pervenerunt, ut pœnam suspensionis ipso facto incurrendæ et reservatæ inflixerint illis, qui in Sacris constituti, *vel* comœdias agere *vel* in choreis publicis saltare, *vel* deposito habitu Clericali per vias personati incedere præsumpserint. Ita in Synodo Novariensi (pag. 168): ubi etiam quoad inferiores Clericos decernitur a statu Clericali dejectio.

Hoc tamen non prohibet, quominus honestæ recreationis et exercitationis causa Clerici agant vel intersint (uti fert usus) iis repræsentationibus, quæ

(1) Eccli. 42. — *Id est*, explicat A-Lapide, *sicut tibi nihil tale volenti nascitur tinea; ita tibi nihil tale volenti nascitur a fœmina desiderium.* Sit ergo, monet Augustinus in Ps. 50, *cum fœminis sermo brevis et rigidus*, ac sola necessitate cogente. — Christum omnes imitemur, cui adeo insolitum erat cum mulieribus sermocinari, ut Apostoli mirati sint quadam die, qua ipsum viderunt cum Samaritana loquentem (*Joan.* 4). Quod utique fecit ad instructionem nostram; neque enim illi aliquid timendum erat ex tali collocutione.

Dices: *fœmina illa est vetula ac deformis.* Sed time: *diabolus pingens*, ait Cyprianus, *speciosum efficit quidquid horridum fuerit: et omnia pulchra videntur amori;* caveat ergo ne te illi familiarem quoquomodo exhibeas, vel per jocum etiam ei manum contingas, etc. Dices: *mihi est consanguinitate conjuncta.* Sed adhuc time: *diabolus enim*, ait S. Philippus Neri, *optimus logicus abstrahit a propinquitate, fœminam solam relinquens.* Dices: *sancta est.* Sed iterum time; nam mulieres *quo sanctiores, eo magis alliciunt*, ait divus Augustinus, *et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis;* unde de facili spiritualis dilectio in carnalem convertitur. Dices *vilis est;* sed time: *ancillas tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior eorum conditio, tanto facilior est ruina*, ut ait D. Hieronymus ad Nepotianum; *periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis.* — *V.* Liguori, *Selva* ecc. Parte 2ª, Istruz. 3. — Mocchetti, *Esami pratici per gli Ecclesiastici.*

(2) De modo confit. a. 2. (3) Serm. 65 in Cant. (4) Sess. 22, c. 1 de R.

(5) *De Synod.* l. XI, c. 10. — Addit hic Synodus Novariensis: *nec ea spectare audeant, aut in Ecclesiasticis ædibus fieri permittant, quamvis propinquorum laicorum nomine agerentur, sub pœna suspensionis.*

in communitatibus habentur, servatis tamen modestiæ ac temperantiæ regulis, et cæteris servandis. Cum enim res sit ex se indifferens, nil prohibet quominus illa in bonum finem dirigatur (1).

Quæres: *quomodo se gerere debeant Clerici in rebus publicis, quæ inconditos clamores et strepitum in populo excitant?* — R. Id 15 jan. 1848 declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium sic inquiens: «Si bien el clero debe alegrarse y aplaudir las instituciones útiles y sabias que se introducen en la administracion de la causa pública, sin embargo no conviene que los eclesiásticos tomen parte en las bulliciosas demostraciones populares que resultan de esto, y mucho menos deben permitir tales demostraciones en el interior del Santuario destinado á la oracion y al ejercicio de las sagradas funciones.»

Q. 4. *Quid de Clericorum ingressu in popinas atque tabernas?*

R. Ingressus in popinas et tabernas extra necessitatem Clericis omnino vetatur; ita ex Concilio Lateranensi IV: *tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.* Id vel ipse prohibuit Apostata Julianus falsorum numinum ministris: *Sacerdotem,* scribit ad Ursacium, *hortare, ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat... et qui tibi in his resistunt, expellito* (2). Et sane hoc nimium opponitur Clericali modestiæ et gravitati (3).

An (quæres) *ludus alearum Clericis sit prohibitus* (4)?—Ludus alearum Clericis saltem beneficiatis et in Sacris constitutis (5) sic expresse prohibetur in Lateranensi IV: *Clerici ad aleas, et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint* (6). Et Cyprianus multis argumentis probat, quod *indignum est, ut manus quæ Sacramenta consumunt, aleas tractent* (7). Jam vero si agatur de aleatore publico, consentiunt omnes eum peccare graviter, si in magna quantitate aleis ludat; aut in modica, sed frequenter; quia id graviter dedecet statum Clericalem, et nimium animus avocatur a divinis. Si ve-

(1) Quædam etiam sunt publica spectacula, quæ ita Clericos dedecere non videntur, ut cursus equorum, ferarum septa, gesticulatorum prestigia, extraordinarii conventus musici, etc. Hic res tota est dijudicanda ex motivo determinante, ex usu regionis, ex loco, periculo, scandalo, ex frequentia ac qualitate personæ et similibus. Hic satis sit hæc Synodi Novariensis verba proferre: *absit, ut in plateis immorentur, mimos mimasve eorumque lascivos cantus audiendi, aut indecoros gestus spectandi causa, aut noctu fidibus canendo canentesve comitando vagentur* (*pag.* 168).

(2) Epist. 49. — Ita etiam Synodus Novariensis, pag. 619.

(3) Item si proprii officii ratio aliter non expostulat, congruentius est ut Ecclesiasticus, quoad potest, ab omnibus sæcularibus conventibus abstineat, ne illud sibi contigat: *quoties inter homines fui, minor homo redii* (Kempis, l. I, c. 20. — Quod vero speciatim pertinet ad sæcularia convivia, scribit Hieronymus ad Nepotianum: *numquam petentes, raro accipiamus rogati: facile contemnitur Clericus qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat.* Vid. *Conc. Agat. in Can.* 19 dist. 34. *Conc. Laodic.* can. 35, can. *Non liceat* 42, dist. 44.

(4) Ludus alearum proprie dictus, uti docent latinæ linguæ magistri, totus situs est in pura sorte. Unde illius exitus pendet a simplici casu, quin ullam in eo partem habeat ars et industria ludentis. Talis est ludus taxillorum, vulgo *dados* etc. Juxta S. Isidorum *alea inventa est a Græcis in otio Trojani belli a quoddam milite nomine Alea, a quo et ars nomen accepit.* — *V.* Rosignoli, *Il giuoco di fortuna.*

(5) Quoad inferiores Clericos communiter dicunt Lugo, Sanchez, etc. id non prohiberi; quia quoad ipsos saltem ex consuetudine canones contrarii derogati sunt.

(6) *Can.* 10. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 893. (7) *De aleatoribus.*

ro non agatur, nisi de Clerico qui ludat raro, moderate et privatim sine scandalo, putamus cum Laymano, Sporer et aliis hunc peccare solum venialiter. Imo probabiliter ne venialiter quidem, si ludat recreationis causa, ubi non tam rigide observetur prædictus Canon; cum non videatur ex se gravis inordinatio (1). Excipe Religiosum et Episcopum, qui etiam semel tantum ludentes ludo aleatorio, nobis videntur difficulter excusari posse a peccato gravi, quia difficulter possunt excusari a gravi scandalo. Quod etiam dicendum quoad alios ludos, etsi non omnino furtuitos, si frequenter in iis Religiosi vel Episcopi versentur; cum hoc ipsis nimis indecens videatur (2).

Quid (dicis) *de ludo chartarum?* — Chartarum ludus, si sit puræ sortis et omnino aleatorius (uti v. g. vulgo *revesino, primera*) jam patet de eo idem esse dicendum quod supra de aleis. Si vero sit mixtus, qui nempe pendet partim a sorte, partim ab arte, scientia et industria ludentis (uti sunt v. g. vulgo *tarochi*) tunc dicimus Clericos sic ludentes non peccare mortaliter, nisi alicubi esset specialis prohibitio aut grave scandalum, et modo propria ministeria non negligantur. Imo ne venialiter quidem, si id agatur mera recreationis causa absque scandalo: moderate ac parvam exponendo summam, et private in domo: uti fert hodierna ferme universalis consuetudo.

In Synodo Novariensi postrema, præter taxam libellarum 15 monetæ novæ Pedemontanæ Parochiali Ecclesiæ applicandam, indicitur etiam pœna suspensionis ipso facto incurrendæ et reservatæ iis omnibus Ecclesiasticis, qui sive in cauponis quibuslibet, sive in liquorum seu potationum officinis (vulgo *café, botilleria*) ad easque pertinentibus diversoriis, tam in urbe quam extra tabulis lusoriis (vulgo *cartas, tarocchi*) vel taxillis ludentes (vulgo *á los dados*), vel digitis micantes (vulgo *á la morra*) commorari ausi fuerint (pag. 168).

Q. 5. *Quid de venatione quoad Clericos?*

R. Venatio vel clamorosa est, uti Scholæ loquuntur, quæ nempe exercetur magno clamore et apparatu armorum, canum, accipitrum, ut majores feræ capiantur, v. g. cervi. Vel est quieta, quæ nempe nullum importat clamorem, et exercetur laqueis, retibus et similibus, vel etiam armis ex Benedicto XIV (3), sed paucis adhibitis canibus, et sine ullo strepitu, ad occidendas minores feras, v. g. lepores. Clamorosa venatio Clericis absolute prohibetur, et de eo communiter accipiunt verba Concilii generalis Lateranensis IV: *venationem et aucupationem universis Clericis interdicimus, unde nec canes nec aves habere præsumant* (4). Quieta tamen venatio hodie permittitur, uti fert usus (5): modo (quod caute perpendendum) mentem a Deo non

(1) Imo in ipsis communitatibus certis anni temporibus ludi, qui sunt puræ sortis, (ut sunt ludi vulgo *á la oca, á la lotería*) publice permittuntur, si sint moderati.

(2) Ex allato Canone patet Clericos prohiberi etiam interesse illis ludis. Attamen hodie communiter docent assistentes non peccare graviter; cum ex se non videatur inordinatio gravis. Excipe nisi fortasse sint causa ludi mortalis: vel negligerent ludentes corrigere: vel nisi de tali ludo uti mortali sibi ipsi complacerent: vel nisi agatur de Episcopis, qui ex proposito et frequenter assistant; cum isti a gravi scandalo vix ac ne vix quidem valeant excusari. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* 37.

(3) *De Syn. Diœces.* l. XI, c. 20.

(4) *Can.* 15. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 191.

(5) Quod omnis venatio sit prohibita est antiquo juri conformior; cum in eo nulla habeatur dis-

distrahat neque a studio, ab oratione, a lectione spirituali et ab operibus charitatis. Hujus periculi causa venatio indiscriminatim in Synodo Novariensi (pag. 170) prohibita fuit (1).

Hic non loquimur de piscatione; cum commune sit eam licitam esse utpotequæ natura sua sit omnino quieta, nec ullibi legatur proscripta, quamquam non desunt qui eam comparant venationi.

Q. 6. *Quid de Clericorum negotiatione?*

R. *Negotiatio proprie dicta* habetur, quando aliquid emitur animo illud idem non mutatum carioris vendendi. Sub gravi vetatur Religiosis et Clericis Alexandri III decreto: *secundum instituta Prædecessorum Nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur* (2). Benedictus vero XIV Bulla *Apostolicæ* constituit pœnas inflictas adversus Clericos negotiatores extendi etiam debere ad *Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent.* Tandem Clemens XIII Bulla *Cum primum* rursus prohibuit Clericis, ne per personas interpositas negotientur; ac præsertim ne cambium activum per alios contrahant; addens quod si adsit familiæ necessitas vel si negotium obveniat aliquo titulo a laicis, Clericus adhuc negotiari non possit sine Sedis Apostolicæ in Italia, extra vero sine Episcopi licentia.

Juxta plures graviter peccat qui frequenter negotiatur, licet præciso scandalo, neque in materia gravi; *tum quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis; tum quia est ordinata ad terrenum lucrum, cujus Clerici esse debent contemptores* (3). Qui tamen bis vel ter in levi, vel semel in gravi materia negotiatur, ajunt illum peccare venialiter tantum; quia jura vetantia videntur indicare habitum. — Pœnæ in negotiatores sunt excommunicatio, suspensio ab officio ac depositio a gradu et ordine; omnes tamen ferendæ sententiæ (4).

Diximus *negotiatio proprie dicta* seu lucrativa; solet enim distingui etiam *œconomica*, qua emuntur necessaria ad sustentationem, et superflua venduntur; et *artificialis*, qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur. Harum neutra prohibita est: —non 1ª, idest œconomica; eam enim prudentia ac necessitas suggerit, et si quid inde lucretur, id per accidens evenit; —non 2ª, idest artificialis; quia ut ait S. Thomas sic agere non *est proprie negotiari, sed præmium laboris accipere* (5). Et Apostolus hoc modo victum sibi comparabat (6) unde non est verus negotiator qui emit colores, ut ven-

tinctio inter clamorosam ac quietam. Sed cum hodie inter DD. hæc distinctio sit recepta, ideo merito illius habetur ratio in quæstionis resolutione.—*V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 10.

(1) Hoc tamen periculo præcluso, hodie ab omnibus venatio quieta et in Novariensi Diœcesi habetur permissa, ipso superiore connivente. (2) Decr. Greg. I. III. t. 50, *Cler. vel Mon.* c. 6.

(3) Angelicus, 2, 2, q. 77, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 831.

(4) Hic nomine Clerici intelligitur tantum beneficiatus vel in Sacris, uti communiter dicunt Continuator Tournely, Habert, Concina ex Can. *Placuit*, 3 *q.* Item negotiatio licet Clericis, si una cum fratribus in negotium patris succedant; his enim (notat Alasia) usus et consuetudo negotiari permittunt, modo per se negotium non exerceant. (5) 2, 2, q. 77.

(6) *Act.* 18. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. 10, n. 192.—Pavone, *La luce fra le tenebre.* Dissert. 6.— Et *Append.* in fine secundi voluminis.

dat picturas; lanas, ut vendat pannum, modo non conducat alios operarios ad hoc efficiendum ; qui proprios agros colit, ut fructus vendat; qui emit animalia et ea suis in prædiis alit, ut ex fœtu, lana, lacte pecuniam conficiat, aut ut saginata vendat. Sed agros vel prædia aliena conducere in hunc finem a sæculo V prohibuit Concilium Chalcedonense; licet vera negotiatio non sit (1).

Synodus Novariensis hæc habet ad rem : « caveant Ecclesiastici viri, ne ullum mercaturæ aut negotiationis genus sive per se sive per interpositas personas exerceant ; unde nec laicorum prædia reditusve lucri causa conducant aut societatem cum conductoribus ineant, nec aliena negotia procuratoris, institorisve officio agant, aut per nundinas vel mercatus discurrant non sine gravis decoris sui detrimento. Hæc omnia Sacerdotibus singulis districte vetamus, nisi forte in gratiam propinquæ alicujus personæ ob evidentem ejus indigentiam, vel aliam justam rationabilemque causam fiant, cujus recognitionem semper exigemus, Nobisque reservamus (pag. 170.)»

Q. 7. *Quænam artes Clericis prohibentur ?*

R. Prohibetur Clericis in Sacris ac Monachis ars Medicorum et Chirurgorum ubi opus sit incisione, amputatione vel adustione, nec adsit necessitas : et quidem sub irregularitate, si inde mutilatio vel mors sequatur (2); id enim opponitur lenitati, quam jugiter omnes habere debent Clerici. Si tamen peritus non adsit et casus urgeat, Clericus sine peccato, proinde sine pœna aut irregularitatis periculo incisionem vel adustionem agere poterit. Item Ecclesiastici aliis præsto esse possunt optimis artis salutaris consiliis (3).— Omnibus autem Clericis eodem canonico jure prohibetur ars quælibet, quæ status Clericalis honestati generatim contraria censetur : uti ars macellariorum, tabernariorum, joculatorum, etc. (4).

Q. 8. *Quænam officia Clericis prohibentur* (5) ?

R. Cum nemo militans Deo implicare se debeat negotiis sæcularibus, hinc Clerici beneficiati vel in Sacris passim jure canonico prohibentur sequentia officia exercere :—1 Tutoris, Curatoris, aut Procuratoris (6) minorum, et

(1) Decr. 2ª pars, Dist. 86, c. ult.

(2) Cap. *Sententiam, Ne Clerici vel Monachi.* — Verius dicunt Tournely, Pontas, etc. quod id non currit de beneficiatis, quia in textu de illis non fit mentio.

(3) *V.* Opus a Leone XII benigne exceptum, *Il Parroco istruito nella Medicina del* dott. Barzaletti, Milano. — Antonacci, *Catechismo medico ragionato à complemento del Manuale di medicina, chirurgia, e farmacia publicato già per comodo specialmente delle missioni straniere.* Roma 1851. — Aquistapace, *Memoria diretta ad un Parroco sul bene, che può fare nelle malattie de' suoi parrocchiani.* Milano 1834. Debreyne, *Etude de la mort :* it. *La Physiologie et la Médicine dans son accord avec la Théologie*, Paris.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 189; l. VII, n. 384. — Pavone, *Spicilegio* n. 217.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 838; l. IV, n. 190.—Lucius Ferraris, *Bibliotheca canonica* etc. V. Clericus, art. 3. — Sed maxime Bouix, *De Judiciis* vol. I, ubi accurate omnia discutit tum ex jure antiquo, tum ex novo jure.

(6) Et ob hanc causam Clericus quoadusque deposita administratione, (idoneam fidejussionem de suis gestis præbeat) fit irregularis ex C. unic. *de obl. ad ration.* At si Clerus suscipit administrationem post ordinationem, etsi peccet, non tamen incurrit irregularitatem : cum hæc non inveniatur expressa in jure. Incurrit tamen suspensionem ab officio, sed nonnisi ferendæ sententiæ ex citato C. *sed nec* 4 *de Cler. vel Mon.;* a qua adhuc ex eodem textu excusat ignorantia crassa.

quodcumque aliud, quod sit ministerii publici, quodque eos obliget ad reddendas rationes de justitia vel de bonis administratis, excepto casu quo pupilli seu minores sint proximi Clericorum propinqui:—2 Judicis in causa sanguinis; item Militis; item Advocatorum, Procuratorum et Notariorum in Curiis sæcularibus, excepto casu, quo Clericus agat causam *vel* suam *vel* suæ Ecclesiæ *vel* egeni *vel* personæ sibi in quarto gradu conjunctæ;—3 administratoris bonorum personæ laicæ privatæ non miserabilis cum obligatione reddendi administratæ substantiæ rationes. Cæterum non auderem damnare de mortali Clericum, qui ob talem procurationem sua ministeria non negligeret; maxime si id non faceret avaritiæ causa, sed ad decentius statum suum et familiæ conservandum: jus enim loquitur tantum de eo qui ita se immergeret in hujusmodi procurationibus, ut sua ministeria cogeretur negligere (1).

Synodus Novariensis habet: *ecclesiasticorum nemini fas sit in occupatione vili, aut in curanda re familiari, aut domus gubernatione famulari, vel in aliqua arte sæculari, præsertim inhonesta, aut sordida versari; vel forensi causarum, litiumve patrocinio se dedere. Quotics vero honestum aliquod officium in laicorum domo suscipere voluerint, licentiam ab Episcopo obtineant* (2) *(G).*

ARTICULUS II—De obligationibus clericorum in ordine hierarchico.

Obligationes Clericorum speciales in ordine Hierarchico tot sunt, quot in ipso sunt Clericorum gradus. Nostrum non est de omnibus agere; sed nonnullis traditis de Episcopis, erit de cæteris tantum.

§ 1—*De Episcopis ac Vicariis Generalibus.*

Q. 1. *Quænam sunt Episcopi obligationes?*

R. Plurimæ ac gravissimæ sunt Episcopi obligationes; cum ipsi commissa sit gubernatio totius Diœcesis (3). Unde merito ajebat D. Augustinus: *Episcopatus nomen est oneris, non honoris* (4). Nos præcipuas (hisce versibus) indicabimus obligationes ex S. Alphonso (5), quem Pius VII appellabat *illustre Episcopalis ordinis decus:*

Sanctorum ad Sancta, ad Curas, sacrumque Tribunal
Delige promeritos, expellas fortiter, audi,
Vise Diœcesim, incolito, sal esto jubarque.

(1) C. *sed nec* 4 *ne Cler. vel Mon.*

(2) Pag. 170. — *V.* Marinoni, *Speculum asceticum.* — Salamo, *Regula Cleri.* — Abelly, *Sacerdotalium meditationum sylva.* Paris 1837.

(3) *V.* Opus a Benedicto XIV commendatum, *Icnografia, ossia piano o pianta della vita e dei doveri del Vescovo.* — Clary, *Lo spirito dell' Episcopato cristiano, e principali doveri* Napoli. — Abelly, *Episcopalis sollicitudinis Enchiridion.* — Bolgeni, *L' Episcopato.* — Maraviglia Episcopus Novariensis, *De legibus prudentiæ episcopalis.*

(4) L. XIX, de *Civ Dei* c. 19. — *V.* Salzano, *Lezioni di diritto* etc. vol. II.

(5) *Hom. Ap.* tr. 7, nn. 47 et seqq. — It. *Riflessioni a' Vescovi per la pratica di ben governare le loro Chiese.*

1. Oportet ut Episcopus ad altaris ministerium dignos dumtaxat eligat, qui sint bonitate positiva præditi ac debita scientia instructi. *Accurate investigandum*, ait Angelicus, *num videlicet Dei causa tantum, aut potius suæ commoditatis gratia ad Ordines capessendos aspirent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, Sacris inhiantes, et honores ab hominibus expetentes: quisquis talis est non Dei filius, nec ovilis Christi idoneus pastor futurus, sed mercenarius est* (1). « Vobis summopere cavendum (ita Episcopos alloquitur Pius IX sua prima Encyclica *Qui pluribus* 9 nov. 1846) ne cuipiam juxta Apostoli præceptum cito manus imponatis (I Tim. 5); sed eos tantum Sacris initietis Ordinibus ac sanctis tractandis admoveatis Mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu et sapientiæ laude spectati, vestris Diœcesibus usui et ornamento esse possint; atque ab iis omnibus declinantes, quæ Clericis vetita; et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinæ, *exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (I Tim. 4); cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianæ Religionis institutionem fingant, excitent, atque inflamment; *melius enim profecto est,* ut sapientissime monet immortalis memoriæ Benedictus XIV (Bulla *Ubi primum*), *pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles; quam plures qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri.* »

2. Ut bonos Confessarios et Parochos eligat, ipsis continuo invigilando: *unus Confessarius, qui sit ignarus aut moribus pravis, potest totam regionem perditam facere*, ait D. Alphonsus: quod magis currit de Parochis, ut patet. Loquendo autem de eorum electione affirmat: *pro certo habendum Parochum probum uno mense utiliorem esse populo, quam Parochus doctior, sed minus probus toto anno.*

3. Ut omni sollicitudine vigilando in custodia gregis Christi oves proprias a venenatis pascuis avertere satagat: et quoniam hac in re *tacere* (ex S. Hilario Pictaviensi) *diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio* (2); *et veritas cum minime defenditur, opprimitur* (ex S. Felice) (3), murum æneum, et columnam ferream se se constituat pro domo Dei contra vaniloquos et seductores (4).

4. Ut continuo meminerit, se pro bono Diœcesis, non pro se positum Episcopum, nempe omnium patrem atque magistrum. Ideoque *accessum ad se patentem assidue tenere debet subditis;* verba sunt S. Alphonsi; *et præcipue Parochis et Vicariis Foraneis, quos statim ad sui præsentiam admittere tenetur.* Item et cæterorum de Clero sollicitam curam gerere, ne verificetur illud D. Bernardi: *insolentiæ Clericorum mater est negligentia Episcoporum* (5). Ipsis autem Episcopi provideant *non coacte, sed spontanee secundum*

(1) 2, 2, q. 189 a. 1.— Dices: *qui Episcopus potest certior fieri de recta candidatorum intentione, de eorumque in bono perseverantia?* R. Sanctus Alphonsus Liguori, *Opuscolo, Degli abusi nel prender le Messe* ecc. n. 41): « En este mundo de tinieblas cada uno sabe que los hombres no pueden obrar, sino de una manera humana. No se podrá tener una certidumbre física de la buena intencion con que se obra; pero podrá tenerse la certidumbre moral, y esta basta para tranquilizar la conciencia de los Obispos. Lo mismo debe decirse de la perseverancia. »

(2) *Exhort. ad certand. pro fide*, n. 1. (3) S. Felix III, dist. 83, Decr. 1, p. 1.ª

(4) Pius IX, Brevi 22 aug. 1851. (5) Ep. 152.

Deum...; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo (1). Hinc D. Hieronymus ad Nepotianum postquam sic Clericum est allocutus: *esto subjectus Pontifici tuo et quasi animæ parentem suscipe*, addit: *illud etiam dico, quod Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non dominos; honorent Clericos, quasi Clericos, ut et ipsis a Clericis, quasi Episcopis, honor deferatur.*

5. Ut totius Diœcesis visitationem frequentius quoad poterit, et cum debita diligentia persolvat, prout districte præcipit Tridenti num (2). *O quot perturbationibus occurritur a Prælato circumeundo, et propriis oculis res inspiciendo* (3); et personaliter oves suas cognoscendo, pascendo, corrigendo, ad fervorem excitando; earumque necessitatibus auctoritate, consiliis, et eleemosynis prospiciendo!

6. Ut in Diœcesi resideat; secus quomodo poterit recte gregi suo providere? Et hoc quidem strictius debet ipso Parocho, cum sit pastor principalis: hinc in ejus ordinatione ipsi consignatur anulus, ut illum gerendo consideret, se non esse amplius sui juris, sed Ecclesiæ suæ sponsæ, cui perpetuo assistere debet: quod quidem adeo solemne est, ut ipse sine justa causa ac Pontificis venia nequeat Episcopatum deserere et renuntiare, neque etiam ad religionem ingrediendam (4). Tridentinum tamen Episcopis concedit, posse quolibet anno abesse tres menses a Diœcesi, ex causa tamen æqua, ait Concilium; *ergo animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur*, uti declarat Benedictus XIV Bulla *Ad universæ* (5).

7. Ut cunctis in omnium virtutum genere bonum exemplum præbeat: *Episcopus enim*, ex S. Alphonso, *est illa lucerna a Deo super candelabro posita, ut luceat omnibus qui sunt in domo Domini.*

Q. 2. *Quomodo se gerere debet Episcopus cum suo Clerico, qui declaret se ad aliquod religiosum Institutum vocari?*

R. Certum est, Episcopum non posse impedire suum Clericum a religione approbata ingredienda, et etiam contradicente Episcopo, Clericum Religiosum fieri posse: quod intelligitur non tantum de religione vitæ contemplativæ, sed etiam activæ. Hoc jure definitum est (6); et fuse probatur a Benedicto XIV Bulla *Ex quo*, 14 jan. 1747: *sane obligatio voti perpetui præfertur omni aliæ obligationi*, ut ait Angelicus (7). Attamen si Clericus habeat curam animarum, antequam regimen Ecclesiæ dimittat, debet Episcopo consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum natura fert, aperire: in quo non

(1) I Petr. 5. (2) Sess. 24, c. 3, de R.

(3) Liguori, *Hom. Ap.* tr. 7, n. 60 et 64. — *V.* Gavanti, *Episcopus Institutus*. — Crispino, *La Visita Pastorale*. — Piasecius *Praxis Episcopalis*.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 76.

(5) « Episcopi temporibus a Tridentino præscriptis, scilicet Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus tenentur quidem apud suam Cathedralem Ecclesiam residere, ita ut aliter suæ obligationi non satisfaciant, nisi munia Episcopalia in sua Diœcesi eos alio vocent. Cæterum non incidunt in pœnas a S. Synodo (c. 1, sess. 6 etc.; c. 1, sess. 23 de R.) Episcopis non residentibus inflictas. Sic declarasse S. Congregationem C. refert Fagnanus, l. III, Decr. in c. qualiter q. de Cler. non resid. n. 39. » — Ita Ferraris, *Bibliotheca canonica juridica, moralis, theologica, ascetica* etc. etc. V. Episcopus, a. 3.

(6) C. *Duæ sunt leges caus.* 19, *quæs.* 2; *Conc. Toletanum*, n. 633 etc.

(7) 2, 2, q. 189, *V.* Liguori, *Op Mor.* l. IV, n. 74.

tam officio et honestati, quam naturalis legis præcepto satisfaciet. Quoad alios vero Clericos et beneficiatos pertinet, etsi ipsi quoque ex officio et honestate teneantur Episcopum certiorare; non peccant tamen si id omittant ob metum reverentialem, ne forte ab ejus desiderii implemento revocentur.

Sed dices: *si omnes se clauserint, quis sæculares homines lucrifaciet?* Respondet divus Hieronymus ad Vigilantium: *Rara est virtus, nec a pluribus appetitur*. Adde: Episcopus ex ipso Benedicto XIV potest revocare suum Clericum a Religione etiam post professionem, si inde grave detrimentum obveniat Ecclesiæ cui erat addictus (1). Insuper statuit laudatus Pontifex, beneficium illius qui religionem est ingressus, non vacare nisi post professionem; et interim beneficiatum fructus illius lucrari, ac si legitimo impedimento detineretur (non vero distributiones, si beneficium sit chorale): quin imo siquis forte Religionem ingressurus beneficium dimitteret, vel etiam si tempore novitiatus ejus dimissionem expleret, nihilominus omnia in suspenso remanere deberent, neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem (2).

Q. 3. *Quid de Vicario Generali Episcopi?*

R. Vicarius Generalis Episcopi, qui et Officialis vocari solet (3), in iis quæ jurisdictionis sunt, censetur una persona cum Episcopo. Unde in arbitrio quidem est Episcopi illum sibi non constituere; sed semel ab ipso constitutus Vicarius, *per se loquendo* habet a jure ordinariam, et liberam potestatem gerendi quæ potest ipse Prælatus, et alios etiam delegandi. Hinc dispensat in proclamationibus matrimonii, fert censuras, approbat ad Confessionem, absolvit percussorem Clerici, etc.

Diximus *per se loquendo;* nam excipiuntur ea, quæ peculiare mandatum postulant, et quæ uni Episcopo jure servantur. Hinc non potest sine speciali mandato cognoscere causas criminales, in quibus gravius in reum est animadvertendum (4); nec conferre beneficia (5), neque in iis permutandis, uniendis, erigendis consensum præbere (6): sed instituit præsentatos a patronis, et judicat causas beneficiarias de jurepatronatu, et ejus quasi possessione (7). Non visitat Diœcesim, neque Synodum cogit (8); non indicit

(1) Addit Card. Gousset, *Theol. Mor.* n. 538: «Lo que se ha dicho es aplicable solamente á los Clérigos que quieren entrar en un órden religioso. Esto no obstante, atendido que es de mucha importancia el sostener las congregaciones seculares debidamente aprobadas, cuyos individuos son destinados á Misiones estranjeras, á la direccion de Seminarios ó á la educacion de la juventud, un Obispo se espondria al peligro de contrariar los designios de la divina Providencia, poniendo obstáculo á la vocacion de un Sacerdote que desease entrar en una de estas congregaciones, si por otra parte fuese tenido por digno y capaz. El Episcopado es fiador de todo lo que interesa á la Iglesia.»

(2) Sententia communiter recepta docet, vota simplicia quæ emittuntur in societate Jesu post biennium novitiatus non inducere per se beneficiorum vacationem; quia tamen ex Statutus ejusdem societatis antequam ista vota emittantur, ecclesiastica beneficia sunt dimittenda, ideo si minus propter professionem, at propter renuntiationem vacare intelliguntur. *V.* Rigantius, *Comment. in regulas Cancellariæ Ap. Reg.* 46.

(3) Officialis proprie est qui habet jurisdictionem contentiosam. (4) Cap. 2 *de Off. Vic.* in 6.

(5) Cap. 3 *de Offic. Vic.* in 6. (6) Cap. 5 *de rer. perm.* (7) Cap. 3 *de Inst.*

(8) S. C. C. 4 dec. 1655. Hoc tamen potest Vicarius Romani Pontificis ex Benedicto XIV. *De Syn.* l. II, c. 3.

collegium Canonicorum (1); non absolvit a casibus quæ a jure uni Episcopo reservantur (2): neque tollit irregularitates ex delicto occulto (3); non concedit litteras dimissorias, nisi Episcopus diu in longinquo versetur (4); non dispensat in juramentis, nec in votis; item neque in statutis Episcopalibus et Synodalibus; quia ut communiter dicunt, in generali commissione non includitur facultas dispensandi, nisi specialiter committatur (5). Demum nihil potest, uti patet, eorum quæ sunt ordinis Episcopalis.

Q. 4. *Quid de Vicario Generali Capitulari?*

R. Vacante Sede Episcopali, nativo et proprio jure ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis (6) venit ordinaria Episcopi jurisdictio, atque ejus est judicare, condemnare, leges ferre ac cætera agere, quæ ordinariæ sunt jurisdictionis. Sed Capitulum tenetur intra octiduum eligere Vicarium Capitularem (7): et recte eligitur etiam extraneus a Capitulo, si nemo ex Canonicis habeatur aptus. Semel autem electus amplius dimoveri non potest, nisi a Congregatione Episcoporum, probata causa; totamque ordinariam Episcopi jurisdictionem accipit (cujus nullam omnino partem sibi Capitulum reservare potest (8). Hinc ipse solus judicat causas matrimoniales, cognoscit de hæresi, absolvit a censuris, concursus indicit, vota ac juramenta dispensat, visitat Diœcesim elapso anno ab ultima visitatione, et celebrat Synodum Diœcesanum post annum luctus, etc. (9).

Quamvis vero jurisdictio Vicarii Capitularis latius pateat jurisdictione Vicarii Generalis Episcopi, attamen multa et ipse Capitularis non potest, vel quod non habet potestatem, vel quod ei sacri canones modum constituerunt. Hinc non visitat Monasteria exempta (10); non confert beneficia, quæ uni Episcopo reservata sunt (11); non concedit non arctatis dimissorias, nisi post annum luctus (12): non dat Indulgentias (13); neque potest facere quæ sunt ordinis Episcopalis, etsi ad ea gerenda vocare possit exteros Episcopos. Item prohibetur aliquid innovare : ideo non potest aliquid de juribus Ecclesiæ detrahere, bona Ecclesiastica permutare, dividere, alienare (14). Tandem tene-

(1) Trident. sess. 25, c. 6 de R. (2) Cap. *de pœn. et rem.* in 6.
(3) Trident. sess. 24, c. 6 de R. (4) Cap. 3 *de temp. ordin.* in 6.
(5) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. II, n. 57; et tr. v, n. 42; et Benedictus XIV, *De Synodo*, l. II, c. 8.
(6) Hoc etiam habet Capitulum Cathedrale, ut sit senatus Episcopi, quem proinde adjuvare tenetur, quoad potest, tum opere, tum sermone. Imo jure nonnulla sunt, ad quæ agenda de necessitate Episcopus Capituli modo consensum, modo consilium habere debet: sic requiritur Capituli consensus, cum agitur de alienatione bonorum Ecclesiæ, vel beneficiorum unione ; requiritur vero ejusdem tantummodo consilium, si agatur de electione examinatorum prosynodalium, de Seminarii administratione, etc.
(7) Trident. sess. 24, c. 16 de R. — Si tamen Episcopo datus sit ab Apostolica Sede Vicarius, is, etiam illo mortuo, officium retinet; *v.* De Petra, *Const. Apost. ad Const.* 2 Leonis IX, sect. 5, n. 42.
(8) Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. II, c. 9.
(9) Ventriglia, *Praxis rerum notabilium præsertim fori Ecclesiastici.* — Marchetti, *Praxis Vicarii Capitularis.* — Ferraris, *Bibliot. Can. V.* Vicarius Capitularis.
(10) Trident. sess. 25 *de Regul.* c. 9.
(11) Cap. *Illa* 2, ne sede vac.
(12) Cap. *cum nullus* 3 *de temp. ord.* — Cæterum *V. De Ordine* c. 4, a. 2, n. 17.
(13) Benedictus XIV, *l. cit.*
(14) Innocentius III, c. *Novit ille* 1, *Ne Sede.*

tur Vicarius futuro Episcopo de sua administratione rationem reddere, et si deliquerit, Diœcesanum potest ab ipso puniri (1) *(H)*.

§ II.—*De obligationibus Canonicorum.*

Q. 1. *Quænam sunt Canonicorum obligationes?*

R. Canonicorum obligationes tres sunt præcipuæ:

1ª Ut resideant in propriis Ecclesiis, cum revera talis sit canonicalium beneficiorum natura. *Non liceat,* ait Tridentinum, *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt* (2): et postea in non residentes pœnas decernit (3). Ubi notandum non omnes simul Canonicos abesse posse, diebus permissis, sed tantum tertiam partem; nam vacationes conceduntur Canonicis, non vero Capitulo: unde Ecclesia convenienti servitio numquam est destituenda.

2ª Ut Missam unam quotidie celebrent pro fundatoribus et Ecclesiæ benefactoribus in genere, a qua quidem neque immemorabilis consuetudo excusat: idque sane sub gravi præceptum est, cum res gravis sit. Ita Benedictus XIV Constitutione *Cum semper*. Ita pluries sacra Congregatio statuit; ac ultimo Leo XII a Capitulo Cenomanensi consultus eo sensu respondendum esse jussit. Missæ porro omnes Canonici interesse debent (4).

3ª Ut omnes choro intersint ad psallendum, statis horis: *omnes compellantur*, inquit Tridentinum, *in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare* (5). Unde in sententia veriori mortaliter peccant qui absunt notabiliter ultra dies permissos; nam assistentia est de primaria institutione beneficii ipsius: errant ergo Canonici illi qui se tutos in conscientia putant, quia si ad libitum absunt a choro, distributiones etiam amittunt; obligatio enim chori est a distributione ipsa independens: est tamen commune, tres vel quatuor dies non constituere materiam gravem. Canonici vero, qui sine justa et gravi causa non intersunt choro, distributiones lucrari non possunt, etiamsi consocii eas iisdem condonent: hanc pœnam expresse statuit Tridentinum *(I)*.

Insuper in delinquentem statuit: *primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum Constitutiones procedatur,* nempe expolientur tertio an-

(1) Tridentinum, Sess. 24, c. 16 de R.

(2) Sess. 24 c. 12 de R.

(3) Hinc a Laurenio, Lottario, Pickler, etc. residentia definitur: *præsentia personæ, seu commoratio assidua in loco beneficii, seu apud Ecclesiam, ad effectum illi personaliter deserviendi*. Quod quidem est ipsi Tridentino conformius; supra enim citatis verbis duo videntur absolute Canonicis præscribi et residentia in loco et interessentia choro. Sunt tamen qui cum Scarfantonio tenent Canonicos curam animarum non habentes posse diu noctuque moram trahere extra locum proprii beneficii, modo horis congruis accedant ad Ecclesiam pro servitio. Et Zamboni hac de re refert declarationem S. C. C. 28 febr. 1795.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 314.

(5) Sess. 24, c. 12. de R. Quoad absentes *Vid.* de non residente Parocho.

no ipsis beneficiis. Ubi notandum, esse quidem pœnale, quod debeant privari dimidiis vel omnibus fructibus, et ideo non ante sententiam solvendis; sed distributiones, et fructus absentiæ respondentes, statim amittuntur; nam residentia est conditio, sine qua nemo illa facit sua (1).

Q. 2. *Quænam sunt justæ causæ, quæ excusant a choro?*

R. Præter menses unicuique Canonico a Tridentino vel consuetudine permissos, tres sunt constitutæ causæ a Bonifacio VIII (2), quæ excusant a chori assistentia, quin fructus amittantur aut distributiones.

1ª *Infirmitas*, si nempe sit gravis vel gravis fieri possit per accessum ad Ecclesiam:—2ª *rationabilis corporis necessitas*, sub qua intelligitur timor, sed prudens, gravis damni in vita, honore, vel bonis;—3ª *Ecclesiæ utilitas*, modo sit gravis judicio Episcopi vel Capituli, et sit Ecclesiæ propriæ vel universalis, aut totius Diœcesis. Hinc communiter (3) habentur uti præsentes Vicarius Capitularis; item Canonicus Curatus, dum tamen in Parœciæ cura versatur; item Pœnitentiarius, dum in sua Ecclesia confessiones audit; item Theologus die, quo fidelibus sacram Scripturam exponit; cujus quidem expositionis necessitas hodie maxime percrebuit ad retundendam malorum audaciam: *qui* (dicente Pio IX Encyclica *Quibus quantisque*, (20 apr. 1849) *hæreticorum hominum vestigiis inhærentes, suprema auctoritate omnino despecta, plane non dubitant sacrarum Scripturarum verba, testimonia, sententias privato proprio pravoque sensu invocare, interpretari, invertere, detorquere.*

An (quæres) *sua obligationi faciant satis Canonici, qui choro quidem intersunt, sed minime canentes, vel canentes voce tantum submissa?*—Canonici qui cum aliis non psallunt, etsi recitent Psalmos submisse, non satisfaciunt choro, nec lucrantur distributiones, neque fructus præbendæ respondentes. Servitium enim chori in eo consistit, ut Clerici conveniant simul ad psallendum (4). Idque definitum est a Benedicto XIV, 1744, Bulla *Cum semper*; et 1748 alio Brevi declaravit contrariam consuetudinem abusum et corruptelam (5).—Aliter esset, ut docent valde probabiliter et communius Concina, Lessius, Salmanticenses, Sanchez, Suarez, etc. siquis choro non addictus suam partem submisse recitaret, alteram partem canentem audiendo. Quia loquendo in generali, non requiritur ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero; cum jam per se una pars unum corpus cum altera constituat, et sic invicem omnes communicent, neque adsit positiva lex contraria.

§ III — *De Vicariis Foraneis et Parochis.*

Q. 1. *Quinam dicuntur Vicarii Foranei?*

R. Vicarii Foranei sunt Præsbyteri illi, quos in oppidis Diœcesis Episcopi

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 675; et l. IV, n. 129. Et *H. Ap.* tr. 13, n. 51.

(2) Cap. *unic. de Cler.* non resident. in 6.

(3) Hac in re sunt etiam inspicienda uniuscujusque loci statuta, consuetudines, vel privilegia. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.* l. XIII, c. 9; et *Notif.* 107. — Pavone, *Spicilegio* ecc. nn. 113 et 226. — L. Ferrari, *Bibliot.* ecc V. Canonicatus, Canonicus, a. 9. — Et Appendix in fine volum. V. *Canonicus.*

(4) Clement. I. III, t. IV *de cel. Missæ*, c. 1. Et Trident., Sess. 21, c. 3; et 22. c. 3 *de R.*

(5) *V.* Synodus Novariensis pag. 173 et seqq. quoad speciales obligationes.

solent constituere ad certos actus, certasque vices pro bono Diœcesis regimine. *Foranei* autem dicti sunt, quasi *foris* constituti. De iis D. Carolus hæc habet: *ut Episcopus in urbe etiam externum gregem facilius quasi præsens intueri et curare possit, deligat aliquot probatos Sacerdotes, quibus singulis, imposito Vicarii Foranei nomine, tribuat certas regiones Diœcesis suæ* (1).— Ex actis Ecclesiæ Mediolanensis, ex Conciliis Provincialibus, ex Synodis Diœcesanis atque ex natura rei ipsius obligationes Vicariorum Foraneorum præcipuæ sunt:

1. Ut diligenter in omnes Clericos Vicariatus inquirant, utrum ea quæ de vita et honestate Clericorum præscripta sunt, observentur? Utrum Parochi muneri suo satisfaciant? Utrum altaria et Ecclesiæ rite ac decore ubique teneantur? Bona Ecclesiastica, beneficia et legata bene administrentur, et onera impleantur? etc. Quotannis vero (omni posthabito respectu) Episcopum certiorem faciant de omnibus.

2. Ut delinquentes, si quos invenerint, admoneant et corrigant; ac si de re gravi agatur, neque monitiones et correctiones profuerint, Episcopo vel ejus Vicario Generali rem totam significent.

3. Ut Sacerdotes ac Clericos inferiores Vicariatus fato functos Curiæ Episcopali denuntient. Et ubi Parochus aliquis supremum diem expleverit, cito Vicarius Foraneus in eam Parœciam se conferat; ejus curam committat idoneo Sacerdoti audiendis Confessionibus approbato, donec rei certior efficiatur Episcopus. Dein inventarium bonorum ac rerum Ecclesiæ mobilium rite conficiat; scripturas, libros et alia ad Parœciam pertinentia in tuto reponat.

4. Ut dissidia, si quæ sint in Vicariatu, maxime si inter viros Ecclesiasticos, componere studeant, si possint. Si vero nequeant, judicis personam agant, servatis tamen in jure dicendo limitibus, quibus coërcetur eorum potestas (2).

5. Ut suo tempore Congregationes indicant, iis præsint, atque omnia præscripta adimpleant, *tum* quoad functiones celebrandas, *tum* quoad casus resolvendos, *tum* quoad refectionem sumendam, etc.

6. Denique ut cum ad octiduum abesse voluerint a Vicariatu, si animarum curam gerant, discessum et absentiam Pro-Vicario, vel antiquiori Vicariatus Parocho significent.

Q. 2. *Quot sunt Parochorum obligationes* (3)?

R. Parochorum obligationes sic enumerantur et dividuntur, ut aliquæ respiciant proprios et personales eorum mores, aliæ residentiam in parœcia servandam, aliæ referantur ad Ecclesiam parochialem et functiones sacras,

(1) Acta Med. Eccl. p. 1, h. t. — Et Synodus Novariensis, p. 181 etc.

(2) Ubi notandum ex C. 3 *de appell.* in 6° a Vicario Foraneo ad Episcopum dari appellationem cum sit aliud tribunal; at *ordinarie* non datur appellatio a Vicario Generali. Diximus *ordinarie*, nam aliquando potest etiam Vicarius Generalis Episcopi recusari ob aliquam specialem qualitatem illi inhærentem, ob quam videatur suspectus, et tunc causa probanda est coram Episcopo, ex cap. *Si contra de offic. deleg.* in 6. — *V.* Sanchez, *Consilia moralia*, l. VI, c, 8, dub. 3.

(3) Quod disputatur de Parochis, idem fere valet de aliis omnibus in cura animarum, ut de vicariis perpetuis, seu coadjutoribus titularibus, qui utique animarum habent curam, cum dependentia tamen a Parocho.

aliæ tandem ad populum et gregem ipsis commissum. — De Parochis sic Episcopos omnes alloquitur Pius P. IX Encyclica. *Qui pluribus:* «neque vero ignoratis majori diligentia Vobis in illorum præcipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiæ Dei dispensatores plebem sibi concreditam Sacramentorum administratione, divini Verbi prædicatione ac bonorum operum exemplo continenter pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum, Parochis officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi et christianam laxari disciplinam et Religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi.»

Ex quibus patet, tantum onus a nemine inconsiderate sumendum, quippe quod tot scateat obligationibus, totque consectariis: ne tauro se onoret qui non potest portare capellam; ne quis majora conetur, quam patitur sua facultas (1). Etsi tamen Parochorum officium salebrosum sit; non ideo eos nimium terrere debet, qui recta intentione, sufficienter instructi ac superiorum consilio illud suscipiunt. Et putamus æque culpandam et illorum temeritatem, qui indebite ad hoc munus se accingunt; et illorum nimiam timiditatem, qui satis apti, prudentum judicio, pedem subducunt: qui ergo sunt Dei, animum addant; dabit enim virtutem qui imposuit onus. Neque sane Christus illos deserere vult, qui ita proprius ejus personam gerunt, et diu noctuque insudant in dominico campo, tot adversa in Dei gloriam continuo sustinentes *(J)*.

N. 1 — *De Parochi moribus et residentia.*

Q. 1. *Quænam sunt Parochi obligationes relate ad mores proprios?*

R. Parochi obligationes quoad personales ejus mores colligimus ab *Actis Ecclesiæ Mediolanensis*, et ex ipsa officii natura. Sunt:

1. Ut Parochus secum quotidie in animo reputet, se onus sustinere Angelicis humeris formidandum. Nec tamen animo concidat: sed Deo se totum submittat eique placere studeat, ob oculos sibi proponens mercedem, quam pastoribus laboriosis pollicetur Pastor pastorum Christus Dominus, qui sic inquiebat: *siquis mihi ministrarerit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis* (2).

2. Ut sciat, se boni Rectoris officio haud posse satisfacere, si quam aliis inculcat pietatem, ipse non exprimat in se factus *forma gregis ex animo* (3). Observat enim Concilium Urcellense: *magis oculis, quam auribus credunt homines.* Et D. Thomas: *cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, et omnia spiritualia ab eo exhibita* (4). Et D. Bernardus habet: *bonus si fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est: si malus fuerit, tentator* (5).

(1) *V.* Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Eccl.* c. 2: necessità di una vocazione speciali per entrare nel ministero pastorale. — Segneri, *Il Parroco istr.* c. 4. (2) Joann. 12.
(3) I Petr. 5. (4) Supp. q. 34, a. 4. (5) Serm. 71 in Cant.

3. Ut constantem studiis sacris operam impendat, ne errare contingat cum tanto ovium suarum detrimento. Item Congregationibus a Vicario Foraneo indictis semper intersit: atque in sua etiam Parœcia, si quatuor saltem sint Sacerdotes, eas teneat de rerum sacrarum studiis exercitationes, de quibus tam gravis sermo est in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis*. Istæ enim mirifice inserviunt (si rite habeantur) ad mutuam in Domino charitatem fovendam, ad fervorem augendum, abusus tollendos et disciplinam incorrupte servandam; ædificationi populo sunt, ipsis Ecclesiasticis maximo profectui (1).

4. Ut in omni agendi ratione maximam prudentiam præseferat, sciens non omnia semper expedire, quæ licent et in se bona sunt. Unde sit cautus ac modum servet, *tum* in abusibus evellendis, ne eos volens auferre, augeat (2); *tum* in propriis juribus defendendis, ne dum minimum curat, quod est majus et substantiale deserat ac pessumdet; *tum* in novis atque extraordinariis pietatis operibus inducendis, si promovendo quod perfectius est, certo periculo exponat quod est de necessitate. — Item maxima cautela opus habet in re sua familiari; cum enim in eum sint omnium oculi, rem suam domesticam ita instituat, ut nec tenacitatis nec prodigalitatis, vel incuriæ accusari queat: caveat, ne nimia sollicitudine erga suos prematur, adeo ut magis videatur temporalem nepotum, quam spiritualem populorum curam habere, mercatus indecore frequentando, et lucra diu noctuque honestis inhonestisque modis quæritando. Domesticis (præsertim si mulieres sint, quæ adeo sunt loquaces) ne fidat, nec cum illis familiariter utatur.

5. De nullo sinistre loquatur; sed omnibus bene velit: omnes sine ulla acceptione divites ac pauperes paterne audiat, patienter sustineat, cum iisque, quoad res tulerit, leniter agat (3). Caveat toto cœlo, ne suum antecessorem quoquomodo incuset vel notet; nemo enim magis contemnitur quam qui contemnit: omnes Ecclesiasticos (etiam sibi subditos), ac civiles potestates, Clerum universum, ac maxime viciniores Parochos plurimi faciat: honoret et honorabitur. Sic demum fiet, ut sibi omnes conciliet animos, adeo ut liberrime postmodum valeat bono Parœciæ providere *(K)*.

Ut continuo recordetur eorum, quæ agit, consectaria; etenim neque bonus neque malus Parochus, ubi ex hac vita decedit, totus moritur; sed ejusdem opera quasi viva quædam semina in novos semper multiplicatosque fructus conscendunt. Hæc modo non curantur; ast ultima judicii die omnia coram omnibus aperta erunt: hinc qui Parochus non intime commovetur, dum tanti spectaculi quod certe impendet, attente meminerit (4)?—En versus:

Impiger atque pius, studiis incumbe, tuorum
Prudens, detrahe numquam, post tua fata corusca.

(1) S Alphonsus id quoque valde commendat, *Homo Apostolicus*, tr. VII, n. 57. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXII, CI et CII. — Et Synodus Novar. p. 35.

(2) *V.* de consuet. evellenda, tract. *De Legibus* in fine.

(3) *V.* Binet, *Dell' arte di governare: qual è il governo migliore, se il severo o il dolce?* Op. tradotta dal P. Bresciani. Torino tip. Marietti 1843.

(4) *V.* Stapf. *Th. Mor.* t. I, § 152.

Q. 2. *An Parochi teneantur ad residentiam?*

R. Affirmative: Parochi tenentur ad residentiam, et quidem sub gravi. Constat apertissime ex Tridentino; postquam enim definiit residentiam esse graviter Episcopis præscriptam, declarat idem esse affirmandum *de Curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent* (1). Adde: Parochus eo ipso, quod spirituale Parochiæ regimen in se suscepit, strictam contraxit obligationem per se ipsum incumbendi in salutem animarum, quæ sibi commissæ sunt: quod assequi non valet sine personali residentia. Quare ex pluribus decretis S. C. C. uno ore definiunt Canonistæ, Parochum teneri ad residentiam, etiamsi haberet Parœciam tenuem; et quamvis tres tantum, vel quatuor remanerent incolæ. Imo neque abesse posse ob intemperiem, vel aëris insalubritatem; neque ut grammaticam doceat in civitate, licet aliunde idoneum relinquat Vicarium (2).

Quamvis adsint qui dicunt Parochos ad residentiam obligari dumtaxat de jure Ecclesiastico; nos tamen dicimus cum communi Parochos obligari etiam de jure naturali et divino. Satis constat ex Tridentino, in quo si non expresse definitum, suppositum tamen videtur uti certum his verbis: *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera pastoralia munia incumbere (quæ omnia ab iis nequaquam præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt); sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant* (3). — Huc facit illud D. Petri: *pascite, qui in vobis est, gregem Dei* (4). Idque clarius declaravit Benedictus XIV bulla *Ubi primum*, in qua ait residentiam *vi muneris* esse servandam.

Sub qua pœna (quæres) *tenentur Parochi ad residentiam?* — Præter peccatum mortale, quo Parochi contra residentiæ legem graviter delinquentes cöinquinantur, amittunt etiam ipso facto et absque prævia judicis sententia omnes fructus, qui irregulari eorum absentiæ respondent. Hos porro fructus Tridentinum erogari jussit vel fabricæ Ecclesiæ propriæ, vel pauperibus loci; fructus enim beneficiorum dantur vi pacti impliciti Parochos inter et Ecclesiam, atque sub tacita conditione residentiæ, qua non impleta, illi nequeunt ullo modo eos sibi vindicare (5). — Crescente vero Parochi contu-

(1) Sess. 23, c. 1 de R.

(2) *V.* Ferraris, *Bibl. Can.* V. Parochus. — Benedictus XIV, *Notificatione* XVII.

(3) Loc. cit.

(4) Ep. I, c. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. 1V, n. 121.

(5) *Sess.* 23, c. 1 *de R.* Et S. C. Congregatio ait quod hæc restitutio fieri debet *alia declaratione non secuta*, ac quacumque *compositione remota*. Hic duo notanda sunt: — 1 est differentia inter restitutionem faciendam ob omissionem Horarum, et ob omissionem residentiæ; nam illa potest fieri quibuscumque pauperibus et in fabricam domus beneficii, sive in emendis aut meliorandis agris beneficii ex Bulla Pii V: ob omissionem autem residentiæ restitutio fieri omnino debet in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes loci illius ex Tridentino; — 2 non satisfacit pastor non residens appli-

macia (Garcias vult ad sex menses), *liberum erit Ordinariis* (verba Tridentini) *per censuras ecclesiasticas et sequestrationem et subtractionem fructuum, etiam usque ad privationem compellere* (1). Pœna autem privationis olim obtinebat ipso facto; sed post Tridentinum fieri debet per sententiam, ut delinquentis contumacia convincatur. Itaque contumax Parochus citandus est vel per edictum ad januas parochialis Ecclesiæ adfixum, vel personaliter, arbitrio Episcopi: sufficit autem unum edictum, nec postea expectandum est per sex menses; sed sufficit expectare ut elabatur assignatus terminus, sicut quando citatio fit personaliter. Hoc totum eruitur ex Concilio (2).

Quid vero (inquies) *si contumax ille Parochus sit simul etiam Canonicus?* — Cum nempe contra Canonicos non residentes ita ex jure sit procedendum, ut citatio fiat personaliter, si locus domicilii non ignoretur etsi penes Indos (dummodo facilis habere possit accessus): ac primo anno privandus medietate fructuum, secundo sequatur privatio alterius, nec ipsa tandem canonicatus possessio tollatur, nisi tertio anno completo (3); nonne erit eadem indulgentia procedendum etiam contra Parochum contumacem, si iste sit simul Canonicus? Nobis videtur contra hunc procedendum esse perinde ac si esset simpliciter Parochus, nulla habita ratione Canonicatus adnexi, dummodo Canonicatus non distinguatur ab ipsa præbenda parochiali; sed sit unum et idem cum ea. Ratio potens est, quia Tridentinum non loquitur tantummodo de Parochis simpliciter, sed loquitur etiam de illis omnibus, *qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent;* est enim idem officium et eadem obligationis natura, sive beneficium parochiale sit etiam canonicale, sive non; ergo sub eadem juris dispositione censeri debet: *nec jus divinum et naturale* (inquit ad rem laudatus Garcias) *attendit subtilitates, sed effectum et substantiam* (4).

Q. 3. *Ad quamnam residentiam Parochi tenentur?*

R. Parochus ex natura sui officii, et S. Concilii Congregatione, debet habitare in domo suæ Ecclesiæ, si ibi adest; si non adest, debet residere in alia domo, quæ sit intra limites Parœciæ, et ita propinqua Ecclesiæ parochiali, ut commode ei possit inservire, et parochiani facile possint ad ipsum recurrere (5). Ex quo deducitur:

1. Vi hujusmodi residentiæ, uti communiter docent, teneri Parochum quoad potest, per se ipsum exercere munera principaliora, uti sunt prædicatio verbi Dei et administratio Sacramentorum; ideo enim ex Tridentino

cando restitutionem in Missis vel aliis suffragiis pro animabus Purgatorii illius loci, quia revera istæ animæ non amplius dici possunt pauperes illius loci. — *V.* Liguori, *Op. M.* l. IV, n. 128.

(1) In sententia Garciæ (*de Benef.* p. 3, c. 2, h. 139) potest Episcopus pro arbitrio procedere, etiam posthabitis censuris, ad sequestrationem et subtractionem fructuum; servato tamen ordine juris.

(2) *V.* Fagnanus, in cap. *Ex tuæ, de Cleric. non residentib.* n. 31.—Bouix, *De Parochis*, pars 5, c. 2.

(3) Tridentinum, *Sess.* 24, c. 12 *de Ref.*

(4) De Beneficiis, p. 3, c. 2, n. 164.

(5) *V.* Appendix in fine volum. V. *Residentia.* Cæterum quacumque domo habitet Parochus ratione vel circumstantiarum vel legitimæ consuetudinis, semper curare debet, ut parochiani facilem ad se accessum habeant. Sciat autem ipsos ægre ferre petulantiam domesticorum, qui curiosius inquirunt, notant, scrutantur omnes ad Parochum accedentes.

ad personalem obligatur residentiam. Potest quidem pro meliori Parochialium officiorum implemento (non autem pro majori sua commoditate et libertate) unum aut plures habere Vicarios seu Coadjutores, quibus munera magis laboriosa committat, uti esset v. g. divinorum officiorum celebratio in Oratoriis. Sed legitimo cessante impedimento, omnia principaliora quoad potest, debet præstare per se ipsum. — Quoties vero nominatim atque rationabiliter a Parochianis vocetur, statim ire tenetur; cum ipse sit eorum rector. Secus si ei sufficit, quod per alium laboret, sufficere quoque debet, quod per alium manducet: *qui per Vicarium servit, per Vicarium remunerabitur*, ait ad rem S. Bernardus (1). Sentit Hurtadus non esse tutum in conscientia Parochum, qui degens in Parœcia per duos menses Sacramenta per seipsum non ministraret, nisi in ea constitutus esset alius Vicarius perpetuus, ut dicunt Salmanticenses cum Barbosa et Garcias.

2. Parochum illum graviter peccare, ac teneri ad fructuum restitutionem, perinde ac si non resideret, qui resideret quidem in Parochia, sed inutiliter atque otiose; nam ei fructus non dantur, nisi sub conditione residentiæ utilis et fructuosæ ipsimet Ecclesiæ. Adde: ipsum Tridentinum postquam declaravit Parochos ad personalem residentiam teneri, sic ait: *ubi injuncto sibi officio fungi teneantur;* ergo si injuncto sibi officio minime funguntur, non censentur implere residentiam præscriptam, ideo nec facere fructus suos; cum non de materiali residentia Concilium sit allocutum, bene vero de formali, quæ nempe cum proprii muneris implemento jungatur. Adde: Benedictus XIV, Bulla *Grave*, aperte declaravit non esse veram et proprie dictam residentiam, nisi ea sit formalis seu utilis.

An (quæres) *qui non residet, vel materialiter tantum teneatur ad integram fructuum parochialium restitutionem absentiæ respondentium, etiamsi alia munia implere curet?* — R. Qui non residet, aut nonnisi residet materialiter teneri ad integram fructuum restitutionem, si alia munia impleat, probabiliter negant Barbosa, Bonacina, et Viva cum communi, ut hic asserit. Nam fructus non dantur pro solo residentiæ onere: sed etiam ob alia, nempe ob Horas, Missam, etc. Unde videtur juri naturali consentaneum, quod qui duplici onere gravatus est, non debeat privari mercede utrique assignata, eo quod unum omisit: si tamen aliud adimplevit. Neque sane Tridentinum clare contrarium expressit: unde est benigna interpretatione donandum.

Q. 4. *Quænam causæ excusant a residentia?*

R. Tridentinum ob quamlibet *honestam causam* Parochis omnibus liberam facultatem facit discedendi a propria Parœcia duorum mensium spatio (2), his adnexis conditionibus et quidem sub gravi, cum agatur de præcepto gravi: 1 ut causa discessus ab Episcopo cognoscatur et approbetur; 2 ut Vicarius idoneus ab ipso Ordinario approbandus cum debita mercedis assignatione relinquatur. Si tamen gravis occurrat causa quæ dilationem non patia-

(1) Epist. 4. — Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 127, dub. 2.

(2) Est sane naturæ consentaneum, ut quilibet munere aliquo donatus animum aliquando relaxet, ac suas ferias habeat, ut sic vires resumat. Neque ideo violatur jus divinum residentiæ; residere enim est præceptum affirmativum, quod ideo non obligat semper et pro semper, ut observat Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIV, n. 15.

tur, Parochus (relicto semper Vicario illo idoneo) discedere poterit etiam absque Episcopi licentia, quia *necessitas non habet legem.* Sed quam primum fieri poterit, totius rei certiorem faciet Episcopum, nisi brevi temporis intervallo sit reversurus. Ita definiit sancta Congregatio Concilii.

Item excusari poterit Parochus saltem a mortali ex parvitate materiæ, si, inconsulto Episcopo, discedat per modicum tempus, v. g. per unam hebdomadam, et juxta alios etiam per duas; modo tamen non relinquat infirmos in articulo mortis, et Vicarium substituat. Episcopi tamen complures in Synodis (ut in Novariensi pag. 185) consuevere præscribere, ut Parochus ultra triduum abesse nequeat absque licentia Vicarii Foranei, semper autem idoneo Sacerdote relicto. Vicarius vero Foraneus ultra octiduum non poterit licentiam hanc elargiri, sed ea erit ab Episcopo vel Vicario Generali in scriptis impetranda (1). Audiendus hic Eminentissimus Card. Gousset (2). « No basta estar en la parroquia en los Domingos y fiestas de precepto; y ausentarse de ella todos los demás dias, moralmente hablando, porque siempre hay algo que hacer en favor de los parroquianos: cada dia el ministerio del Sacerdote puede ser necesario á los fieles. No basta tampoco pasar en la parroquia las noches y parte de la mañana: ni puede estar seguro en conciencia el que sin motivo legítimo se ausenta de ella todos ó casi todos los dias, ó tres ó cuatro veces la semana, partiendo por la mañana y no volviendo hasta la tarde: además del peligro de dejar morir á los enfermos sin Sacramentos, pierde el tiempo, se pone en estado de no cumplir exactamente sus deberes, y escandaliza á los pueblos. Una vida tan disipada es incompatible con el espíritu eclesiástico, con el amor al retiro, á la oracion y al estudio tan necesario á todos los Sacerdotes, y especialmente á los que están encargados de la direccion de las almas.»

An (quæres) *sint legitimæ causæ, quibus ex Episcopali licentia Parochus abesse possit a Parœcia ultra bimestre?* — Tridentinum statuit, Parochos non posse abesse ultra bimestre, nisi *ex gravi causa, et cum Episcopi licentia* (3), et quidem *licentia expressa*, ut ait Sacra Concilii Congregatio. Pro causa a Concilio adsignatur: — *charitas christiana*, uti si agatur de componendis litibus, præsertim inter potentes; aut de liberando aliam Ecclesiam ab hæresi, vel ab aliis enormibus sceleribus; — 2 *necessitas urgens*, nempe ipsiusmet Parochi: v. g. si immineat periculum mortis, sed particulare illius (4); vel si ab inimicis vexetur, quo casu S. C. Congregatio concedit sex

(1) Invaluit usus ut quandoque concedatur viva voce, et hæc concessio sufficit, modo de voluntate Episcopi constet. Ferraris, Reiffestuel, aliique notant non sufficere, ut licentia fuerit petita, nisi sit obtenta; atque Episcopo eam negante, ad superiorem est recurrendum, vel residentia tenenda. Coninchius vero cum aliis dicit, sufficere licentiam tacitam, saltem si talia occurrant signa, ut constet Episcopum actu revera consentire.

(2) *Teolog. morale* Dell' Ordine n. 725.

(3) Qui ultra bimestre abest etiam cum causa, sed ea non sit ab Episcopo approbata, adhuc habetur uti transgressor a Tridentino et Benedicto XIV, qui inde non *facit fructus suos*, ut ajunt. Cæterum nescirem condemnare Parochum, qui ex causa evidenter justa discederet, et œconomum idoneum alias jam approbatum ab Episcopo, et qui actu jam reperiretur, in Parochiæ servitio relinqueret. Ita alt S. Alphonsus, *Homo Ap.* tr. VII, n. 21.

(4) S. Thomas, 2, 2, q. 185, a. 5.

menses; — 3 *obedientia debita*, si v. g. Parochus ab Episcopo vocetur ob gravem causam in casu aliquo particulari. Declaravit tamen S. Concilii Congregatio, quod Episcopus non potest uti opera Parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ diœcesis, nisi pro tempore illi permisso duorum mensium: unde nec potest illum sumere in Vicarium Generalem, præsertim si Parochia extra civitatem sit; — 4 *evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas*, si nempe contingat abesse vel ut Synodo assistat, vel ut S. Scripturam, Theologiam aut Jus Canonicum doceat, prout probabiliter tenent Barbosa, Gonzales, Roncaglia, etc.; vel ut se aut suos aut Ecclesiam in negotio gravi apud Regium Tribunal defendat. Attamen Benedictus XIV Bulla *Ad Universæ*, anno 1746 dicit, si agatur de lite propriæ familiæ, non esse concedendos nisi *menses conciliares*, nempe duos tantum.

Quid (dices) *de tempore pestis?* — Cum ætate Gregorii XIII nonnulli docuissent Parochos tempore pestis excusari a residèntia, tum quia sani Parochos fugerent, tum quia etiam Parochi omnes morerentur, facta hujus doctrinæ relatione ad Pontificem Maximum, ipse decrevit (6 dec. 1576): *Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis Ecclesiis: et si non residerint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini* (1). Quæ verba, uti notat Benedictus XIV, de formali residentia, sive utili sunt accipienda (2). Sane tunc maxime suarum ovium urget necessitas: unde omni modo eniti debent Parochi, ut ipsæ visitationem Dei patienter, ac salubriter sustineant (3). Die autem 18 idem Gregorius declaravit: *decretum factum in Parochis multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt; tamen posse Episcopos in locis tutioribus* (Diœcesis) *manere, et inde providere*. Et sane Episcopi se habent uti causæ universales, qui *per* substitutos, scilicet Parochos operantur (4) *(L)*.

Q. 5. *Quale absentiæ tempus requiritur in Parocho ad inducendam gravem restitutionis obligationem?*

R. Si Parochus abest sine causa, communiter Doctores (ex quibus in moralibus res est resolvenda) censent absentiam ultra 15 vel 20 dies materiam gravem constituere; ideoque tunc obligationem adesse restitutionis sub gravi. Si vero Parochus abest cum causa, sed absque Episcopi consensu, tunc censet Viva, quod si tantum abest per duos menses a Tridentino concessos, ad nullam ipse teneatur restitutionem fructuum. Id non videtur nobis improbabile omnino; quia Concilium jus naturale interpretando illud tempo-

(1) *Sess.* 23, c. 1 *de R.*

(2) *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 19. Tanta utique obligatio non urget pro Vice-Parochis; at probrosum sane, si ipsi fugerent, vel Sacramenta ministrare renuerent: charitas urget omnes, maxime illos, qui deputati sunt. Episcopus hosce, sicut et omnes beneficiatos potest obligare (etsi non sint in cura animarum), ut tempore pestis, contagii, vel epidemiæ resideant, si generatim jam residere teneantur; quia tunc maxime urget ratio. Imo et cæteros Ecclesiasticos adstringere potest, si necessitas urgeat: sane eo in casu jam ipsi obligantur residere ratione charitatis: porro quando necessitas sit vel non sit impellens, maxime est Episcopi judicare.

(3) *V.* Liguori, *Discorsi da farsi in occasione d' flagelli.* — Ricardi, *I flagelli di Dio;* id. *Sentimenti di pietà pel buon uso de' flagelli di Dio.* Lugano Veiad. 1844. — Muratori, *Del governo della peste, e della maniera di guardarsene.* — *Raccolta di vari mezzi e preghiere per essere preservati dal serpeggiante colera-morbus.* Torino.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 233.

ris spatium non reputat grave cum causa: cum ad id revera non requirat causam gravem (1).

N. II—*De Parochi studio relate ad Parochialem Ecclesiam, ac functiones sacras.*

Q. 1. *Quæ Parochi obligationes relate ad Ecclesiam Parochialem?*

R. Quoad Ecclesiam suam Parochi hæc maxime debent:

1. Ut decorem domus Dei *(quam decet omnis sanctitudo in longitudinem dierum* (2) impense curent: ideo efficiant, ut templum, altaria, supellectilia, et cætera ad usum sacrum congruo decore niteant; ac reparentur quæ reparatione indigent. Quod quidem de omnibus Oratoriis ac Capellis quæ in Parœcia sunt, dicendum. De novo autem sine Episcopi licentia non permittant excitari; item curent, ut erecta decenter et juxta Ecclesiæ regulas depingantur.

2. Ut inventarium bonorum ad Parœciam pertinentium conficiant (3). Libros, instrumenta omnia, Reliquias sacras, Indulgentiarum litteras, Superiorum decreta, et similia in apposito archivio clave munito conservent. Id enim multum interest Ecclesiæ ac communi bono.

3. Ut bona et jura suæ Parœcia diligenter tueantur; sciant enim etiam hac de causa in beneficii consecutione juramentum emisisse. Neque ægre ferant, si ideo aliquas expensas debeant; id enim est de natura rerum humanarum, ut identidem vel hominum vel temporum injuria deficiant (4). Unde si expensæ prudenti judicio extraordinariæ non sint, non ideo videtur onerum Parœciæ postulanda imminutio; sicuti neque onera augeri solent, etsi augeantur proventus (5).

4. Ut curent, quantum in illis est, eligere Ecclesiarum administratores seu ædituos (vulgo *obreros)* qui sint probi ac providi viri, qui utiliter negotia gerant. Præscriptam regularitatem in omni administrationis officio attente ac sollicite servent; opportunas habeant convocationes; et invigilent, ut nihil de bonis Ecclesiæ distrahatur, et maxime ut thesaurarius fideliter reditus notet, atque custodiat (6).

Quæ omnia Synodus Novariensis confirmat addens hæc specialiter:—1 ut novæ imagines in Ecclesia etiam Regularium publicæ veneratioui non proponantur sine Episcopi licentia, et nisi præmissa consueta benedictione;—2 ne quid novi operis vel ædificationis sine ea licentia in sacris ædibus fiat.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, nn. 123 et 127.

(2) Ps. 92.— *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* c.—Synodus Novariensis, pag. 209.

(3) *V.* Bulla *Cum primum* Pii V anno 1556; Bulla *Provida* Sixti V, anno 1587; et Instructio Benedicti XIII *in appendice Concilii Romani.* — Laurenius, *Forum beneficiale,* par. I, q. 446.

(4) Probrosum, si Parochus diligens esset in temporalibus defendendis, deses in spiritualibus studendo. *V.* Segneri, *Prediche al Palazzo Apostolico,* Pred. XI.

(5) Quoad restaurationem Ecclesiæ et domus parochialis *vid.* Tridentinum, *Sess.* 21, c. 7.— Benedictus, XIV, *Notificatione* c.—Barbosa, *De officio Parochi* etc.

(6) Ut omnem suspicionis notam a se avertant Parochi, ne sint faciles apud se Ecclesiæ proventus custodire; sed Paulum imitentur, qui collectas eleemosynas (II Corint. 8) ab aliis retineri voluit. (V. De legibus ubi *de oblationibus*).

Quæ item permissio requiritur, si quæ proveniant Ecclesiæ bona, ut de illis utiliter disponatur;—3 ne in templum segetes, ligna, aut res aliæ sacris usibus non addictæ inferantur. Item ne ibidem, aut in atrio vel portico ulli fiant profani cœtus: nec res venales exponantur, licet nomine Ecclesiæ vendantur;—4 ut viri seorsim a mulieribus quantum fieri potest ex antiqua consuetudine in templo consistant;—5 ut scamna seu subsellia in Ecclesiis non collocentur, non obtenta facultate ab Episcopo;—6 ut excepta nocte Nativitatis ac Commemorationis Defunctorum, conventus nocturni in Ecclesia penitus interdicantur. Sed fores (ex ipsa S. C. Congregatione) claudantur desinente die, nec mane aperiantur nisi lucescente ipsa aurora;—7 ut identidem Parochi sermonem habeant fidelibus de cultu locis sacris exhibendo, minas in profanatores alte memorantes (1).

Q. 2. *Quanta esse debet Parochi cura quoad functiones sacras?*

R. Si cupit Parochus populum suum sanctis functionibus ad salutaria excitari hæc maxime curare debet:

1. In omni Ecclesiæ supellectili decentiam; *nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis* (2); et quomodo ea potest populus revereri, quæ non reveretur Sacerdos? Neque inopiam suæ Ecclesiæ accuset Parochus: *nos*, ait Benedictus XIV Constitutione *Annus*, die 18 febr. 1749, *decentiam et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt.*

2. In cantu religiosam observantiam; hic enim in divinis officiis semper fuit in usu (3); illiusque efficaciam vel ipse fassus est Plutarchus, dum ait: *canere pium est, et præcipuum hominum munus erga Deos* (4).—*Nequaquam igitur mirandum*, ait D. Gregorius, *si sanctissima Dei Ecclesia hoc quoque adjumento a natura ipsa commendato, et divinitus instituto, filiorum suorum animos ad Dei ministerium cum voluptate peragendum excitare voluerit* (5). —*Cantus*, addit D. Bernardus, *in Ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros solicitat, peccatores ad lamenta invitat; nam quantumvis dura sint corda sæcularium hominum, statim ac dulcedinem Psalmorum audierint, ad amorem pietatis convertuntur* (6). Neque officit, quod non omnes intelligant quæ cantantur: *intelligunt tamen*, ait Angelicus (7), *propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei: et hoc sufficit ad devotionem excitandam.*

3. In omnibus cæremoniis diligentiam; his enim rite peractis, *quasi signis*, ait Bona (8), *excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores*, etc. (9).

(1) Pag. 61 et 210 etc. Nihil prohibet quominus in sacrariis vel Ecclesiis hominum benemeritorum collocentur effigies, modo fiat ad modum monumentorum, non vero sacrarum imaginum cultui expositarum; ita Romæ fit.

(2) Cap. *Reliqui* 2 *de cust.* Eucharistia.

(3) Exod. 15, Num 21; Jud. 5, 15; I Reg. 18; Ps. 12 et 26, etc. *V.* Gaume, *Catechismo di perseveranza* p. 4, lez. 10.

(4) Lib. *de Music.*

(5) *In Isagog. liturg.* c. 13.

(6) *Ad Soror. de modo bene vivendi* c. 52, n. 122.

(7) 2, 2, q. 91, a. 2.

(8) In div. Psalmod. c. 19, n. 1, § 3.

(9) *V.* De Sacram. ubi *de cæremoniis.*

4. Parocho cordi esse debent etiam religiosæ laicorum Sodalitates, earum zelum excitando, concordiam fovendo, illasque patienter sustinendo; per eas enim mirifice Dei cultus augetur et propagatur. «Por medio de ellas, *(ad rem Scotti)*, se fortifica el vínculo de fraternidad tan recomendado á los cristianos. Se hacen las oraciones en comun, que tienen mayor eficacia para mover á Dios: y todos unánimemente á la vez alaban al Señor, de lo que resulta su mayor gloria y nuestra mayor utilidad. Se excitan recíprocamente los fieles á la frecuencia de Sacramentos ordinariamente prescrita por sus reglamentos. Se dispierta una santa emulacion que contribuye á aumentar la piedad. Se dan y reciben de contínuo ejemplos de probidad, de modestia, de caridad; y es bien sabido que por medio del ejemplo se forman las buenas costumbres (1).» Hinc nil mirum si Concilia eas ubique erigendas curaverint, si eas Ss. Pontifices indulgentiis cumulaverint: imo si vel ipsa civilis auctoritas eas defendendas susceperit *(M)*.

Hac de re hæc specialius ait Synodus Novariensis:—1 Ne in sodalium numerum referantur fidei rudimentorum nescii, notorie criminosi aut infames; item neque qui est de aliena Parœcia sine venia Episcopi; item neque adolescentes nondum decennes. Ante 16 autem annum nemini sit jus ferendi suffragia in comitiis. Habitum de ritu benedictum, præsente Parocho vel alio Sacerdote ab illo deputato, accipiat candidatus solitis precibus;—2 sine Episcopi facultate nullus Sacerdos Capellani munus assumat apud quamcumque confraternitatem. Semel autem ac legitime electus, ne benedictiones aliasque functiones Parochiales exerceat sine Parochi licentia; item funus ne comitetur licet Confratrum ad sepulchrum cum stola;—3 piæ exercitationes in propriis Oratoriis ne habeantur tempore, quo functiones Parochiales habentur. Quod si in Parochiali Ecclesia convenire soleant confratres, sine cantu Officium persolvant, si ideo perturbentur confessiones excipientes, aut Sacrum agentes: et hac de re contumax 15 libellas monetæ novæ Pedemontanæ Parochiali Ecclesiæ solvere compellatur. Sacras functiones rite peragant, ac processionibus sexdecim saltem confratres cum habitu intersint, non computatis qui sexdecim annis minores sunt;—4 in electione Officialium, Priorum, et Administratorum ut assistat Parochus, ab Episcopo jam delegatus est, si alteri expresse hoc munus non sit commissum: Item in Diœcesi proprius Parochus est specialiter deputatus, ut administratorum bonorum rationes accipiat, ac cognoscat (pag. 204, 371, 375, 389).

Q. 3. *An Parocho liceat in templum inducere vexilla profana, ibique celebrare solemnitates clamorosas ad solum finem celebrandi festa sæcularia, atque in rebus pure politicis?*

R. S. Congregatio Episcoporum et Regularium respondit, *negative* (15 jan. 1848) ad Vicarium Capitularem Januensem, eumdemque admonuit, ut prudenter suis Ecclesiasticis persuasum faceret: «Cuán impropio sea de la santidad del Templo de Dios dar lugar á fiestas clamorosas, con el solo obje-

(1) *Tcoremi*, pag. 4, tom. 7. — *Vid.* Bassus, *Tract. de Sodalitiis*. Romæ 1767. — L. Ferrari. *Bibliotheca Canonica* etc. V. Confraternitas. — Canestri, *Giurisprudenza Canonica e civile dei Parrochi del Piemonte*, tit. 7. — *Concilium Provinciale Mediolan.* V.—Et Appendix in fine secundi volum. V. *Confraternitas*.

to de solemnizar cambios en el órden político, introduciendo banderas profanas en un lugar donde no habian sido colocadas otras, que las tomadas de los enemigos de la Iglesia en señal de accion de gracias al Altísimo. »

Quomodo (quæres) *se gerere debet Parochus circa publicas preces ab auctoritate civili præscriptas* (v. g. Te-Deum, processiones solemnes, *et similia) ob habitam a Principe victoriam, vel aliam publicam popularis lætitiæ causam*? —R. Benedictus XIV Bulla *Quemadmodum* 1743, expresse prohibuit, ne iis per Parochum fiat locus sine Episcopi consensu, declarans nullius ponderis hac in re Magistratuum Civilium ordinationes: quia Deus *imperium Principi commisit, Episcopis autem quæ sunt Ecclesiæ, concredidit* (1).

Hic duo ex Synodo Novariensi notanda:—1 ne Parochi novas supplicationes sine licentia Episcopi agant: numquam eas habeant noctu, nec longiores sine causa, neque extra Parœciæ limites;—2 ne aliquem eremitarum habitum induere permittant sine Ordinarii licentia quotannis, vel quæstoris eleemosynarum exercere munus, maxime si fiat musicis concentibus (pag. 192).

N. III — *De Parochi cura relate ad populum* (2).

Q. 1. *An debeat Parochus oves suas cognoscere?*

R. Tenetur utique Parochus vi præcepti divini oves suas agnoscere, nempe indolem, statum ac necessitatem, si velit illud sibi accommodari: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas* (Jo. 20). Patet ex verbis Tridentini: *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere*, etc. Sane quomodo ipsis poterit providere, si eas nesciat? Quare Parochus debet cum suis parochianis paterno affecto colloqui, patres ac matresfamilias prudenter interrogare circa liberos, servos, ancillas, operarios; ac videre utrum singuli præcepto Paschali satisfaciant et diem festum sanctificent, etc. Caveat tamen, ne audiat ancillarum dicteria, et fastidiosas aliarum fœminarum loquacitates; sed ita se gerat, ut omnes oves suas perfecte agnoscat, quin ullam vel temeritatis vel imprudentiæ notam incurrat *(N)*.

Q. 2. *Quanta est obligatio in Parochis prædicandi Verbi Dei?*

R. Maxima profecto est obligatio in Parochis prædicandi Verbi Dei, quemadmodum deducitur ex Tridentino: *mandat S. Synodus pastoribus et sin-*

(1) Episcopi Provinciæ Vercellensis Lit. 18 nov. 1849 monenda censuerunt hac de re: «1 non licere Parochis quidpiam ad res ecclesiasticas non pertinens publice populo in Ecclesia denunciare absque Episcopi venia, exceptis casibus extraordinariis, in quibus ejusdem impetrandæ tempus non suppetat, quod prudenti Parochorum judicio tunc relinquitur;—2 nec posse illos ob causas mere civiles religiosa officia extraordinaria celebrare absque impetrata simili venia, nisi forte de solemnibus officiis agatur, quæ ob eamdem causam jam fuerint in Ecclesia Cathedrali celebrata;—3 nec etiam posse indulgere, ut in Ecclesiis Parochialibus aliisve in quibus Ss. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, qualescumque civiles conventus congregentur sine prævia Ordinarii facultate. Sacri tamen Præsules congregati iisdem annuere permittunt ob gravem et urgentem causam, si agatur de aliis Ecclesiis et Oratoriis, dummodo cum primum licuerit totius rei certiorem Episcopum faciant.»

(2) Obligationes præcipuas sequens exhibet versus:

Corripe, nosce, doce, solare, precare, ministra.

gulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis (1). Et merito sane; *fides ex auditu* (2). Unde Apostolus Timotheum suum monebat (3): *prædica verbum, insta opportune, importune.* Hinc commune est atque receptum a mortali non excusari

1. Qui per tres menses etiam discontinuatos vel per se vel per alios non prædicant. Imo rationabiliter dicunt Barbosa, Roncaglia et Salmanticenses, eum quoque graviter peccare, qui per integrum mensem non concionatur (4): imo etiam minus temporis spatium sufficit profecto ad constituendum mortale, si populus prædicatione graviter egeat. Ex quo patet quam absurda sit et Canonum dispositioni contraria illa quorumdam consuetudo, qui ferias sibi sumunt certa anni parte (vulgo *vacaciones*), etiam a prædicatione verbi Dei (5).

2. Qui prædicationem agunt capacitati audientium minime proportionatam, adhibendo nempe conciones ita ornatas, ut major audientium pars eas non valeat intelligere. Hinc Tridentinum Parochis expresse præcipit, ut plebes pascant *pro earum capacitate.* Hinc Regnans Pontifex Pius IX Encyclica *Qui pluribus* 1846, die 9 novembris, *ne Dei sermo*, qui vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (6) *ad animarum salutem est institutus, hoc vitio infructuosus evadat*, vult ut omnes divini Verbi præcones iterum atque iterum commoneantur. Hac de re quot damnabuntur Parochi! Hos Avila proditores vocat animarum, qui se ipsos prædicant (7), et quorum prædicatio non pascit fidem (8).

3. Qui nullam aut fere nullam præparationem præmittentes ita loquuntur, ut omnia sine ordine, multa inutilia, alia falsa proferentes in auditoribus fastidium, in sanctum ministerium contemptum excitent. *De his ut plurium verificatur*, ait Acquensis Episcopus, *quod quidam de suo Parochoajebat, referente perdocto Riccardi: Curatus noster, dum super ambonem ascendit, nescit quid erit dicturus; dum dicit, nescit quid dicat; et finita oratione, ignorat quid dixerit* (9). Sane requiritur magnus labor in concionibus efformandis,

(1) *Sess.* 22, c. 8.—Hoc iterum exprimitur *sess.* 24, c. 4 *de R.* ubi habetur prædicandum esse etiam tempore Quadragesimæ et Adventus, si ita oportere duxerit Episcopus. De concionatoribus Quadragesimalibus *vid.* Benedictus XIV, *Notific.* XXVII; et *Synodus Novariensis* pag. 52 et seqq.

(2) Rom. 10. (3) I Tim. 2. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 269.

(4) Si Parochus transitorie infirmatur, excusari potest. Si vero infirmitas videatur perpetua, officio cedere, vel coadjutorem ab Episcopo petere debet. Habenda est ratio majoris vel minoris necessitatis juxta omnium vel quorumdam ignorantiam, aut vitia; at ubi non reperiuntur qui in tali sint spirituali indigentia!

(5) Synodus Novariensis Parochum prohibet accedere ad solemnitatem, si inde concio vel catechesis omittenda sit. Hac de re nullam feriam permittit: *pag.* 102 et 42. Et notat Gury, Parochum qui pias lectiones habet, non obire munus suum; quia lectio non est prædicatio, nisi aliter facere non possit. Tunc vero identidem per alium debet populo sermones habere, vel Episcopum de impedimento monere. (6) Hebr. 4.

(7) *V.* Liguori, *Istruzione sulla predica.*

(8) *V.* Muratori, *l'Eloquenza popolare.* —Mullois, *Corso di Sacra Eloquenza popolare, ossia saggio sul modo di parlare al popolo.* Torino 1855.

(9) Hæc habet in *Encyclica præfixa kalendario* anni 1847.

ut perspicuitatem, ordinem et Evangelicam simplicitatem valeant præseferre ac fructus facere (1). Eleganter dotes prædicatoris numerat Augustinus: *oportet igitur eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere, ut instruat, et declarare ut teneat, verum etiam flectere ut vincat* (2); et D. Bernardus vult ut prædicatio nostra sit *delitiosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinam* (3).

Q. 3. *An Parochi teneantur sub gravi catechizare?*

R. Affirmative: Parochi omnes sub gravi tenentur catechizare. Habet Tridentinum: *Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque Parochiales vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent per se vel per alios idoneos (si legitime impediti fuerint) diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sui et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annuntiando quoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare; et virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant* (4). Signanter quoad puerorum instructionem habet quod Episcopi *saltem diebus dominicis et aliis festis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt: et si opus fuerit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus* (5).

Imo hoc munere Parochis omnibus nil sanctius, nil inviolabilius esse potest: semel enim hoc despecto, nulli in Parœcia mores, nulla religio, nulla fides; cum sine tali instructione neque ipsa christiana vita institui possit. Illud *opus sanctissimum* appellat S. Pius V Const. *Ex debito;* et Benedictus XIV Const. *Etsi nemine* 7 febr. 1742 vocat opus *maximi momenti, maxime necessarium,* requirens *omnem curam et diligentiam.* Tandem Pius Papa IX Encyclica *Nostis* 8 dec. 1849, ut impiorum fraudes, quibus vel ipsam catholicam fidem funditus evertere conantur, in irritum cadant, hoc præcipue inter cætera commendat et præcipit, ut omnes Ecclesiastici, illi præsertim qui sunt in cura animarum *majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianæ plebis instructionem incumbant.*—Huic ergo assidue insistendum est, maxime quia fidei veritates et multæ et intellectu difficiles sunt, quæ nisi sæpissime inculcentur, repetantur, satis animo non imprimuntur. Quilibet ergo Parochus illud Pauli sibi aptare debet: *necessitas*

(1) *V.* Audisio, *Lezioni di sacra eloquenza.* — Avvisi interessanti sulla predicazione della parola di Dio. Roma 1843. *Tip. della Propag.* — Lezioni di sacra predicazione per la scuola del Seminario d'Oristano. *Cagliari* 1841. — Segneri, *Il Parroco istruito.*

(2) De Doctr. Christ. l. IV, c. 13. (3) Serm. 67 in Cantica.

(4) *Sess.* 5, *cap.* 2 *de R.* Dicente Concilio, *si legitime impediti fuerint*, docet cl. Alasia, curam animarum habentem teneri per se ipsum ad explicandam Doctrinam christianam, et solo legitimo impedimento superveniente, excusari. Quod ait non ita rigorose currere de explicatione Evangelii; nam de hac Concilium simpliciter dicit *per se, vel per alios.*

(5) *Sess.* 24, c. 4 *de R.* Proprie loquendo triplex est Parochorum obligatio circa verbum Dei: una prædicandi, nempe divinam legem populis enunciandi; altera pueros instruendi; tertia fideles in christiana Doctrina erudiendi. De prima loquitur Tridentinum, sess. 22, c. 8; de secunda, sess. 24, c. 4 de R.; de tertia, sess. 5, c. 2 de R. — V. *Specchio del Clero* p. 344.

enim mihi incumbit; væ enim mihi est, si non evangelizavero (1)! *(O).*

Neque instructionis locum tenet concio matutina; sunt enim diversa munera, ac *duo potissima onera a Tridentina Synodo Curatoribus animarum imposita festis diebus,* uti ait laudatus Benedictus. Adde concionem jam supponere fidelem primis fidei rudimentis informatum ; cum hæc nonnisi leviter atque cursim in concione attingantur.—Neque ab hoc gravissimo munere Parochus liberatur ob exiguum numerum audientium, qui plerumque ex Rectorum negligentia dimanat: etsi unus tantum ex suis audiat, Parochus imitetur Christum, qui pro una Samaritana sermonem habuit (2).—Neque excusatur ideo, quia alii supplent ; nam ipse ordinarie tenetur qui est Parochus. Neque valet proferri immemorabilis consuetudo contraria ; quæ enim sunt de necessitate salutis, non præscribuntur: hinc summi Pontifices hanc non sane consuetudinem, sed corruptelam et abusum dixerunt eliminandum omnino. Ita citatus Benedictus XIV (3).

Hinc patet gravissime peccare Parochum, si notabiliter negligens sit in pueris catechizandis, in scholis visitandis (4), in rudibus instruendis: vel si munere catechizandi aut concionandi aliis justa de causa commisso, non vigilet, an omnia convenienti modo fiant (5). Imo catechizandi necessitas tanta est, ut si Parochus advertat parentes aut dominos non curare, ut filii aut famuli catechesibus intersint, teneatur cum Episcopo ex ipso Tridentino de opportuno remedio consilium capere (6).—Tanta est, ut non solum Curatores animarum, sed ipsi Clerici, ac simplices Sacerdotes hac in re operam suam Parochis commodare teneantur: quod si neglexerint, puniendi.—Imo tanta est, ut siqui parochiani ob longam loci distantiam ad Parochiam convenire nequeant in festis, teneatur Sacerdos in illorum Oratoriis celebraturus christianæ Doctrinæ summam illis tradere (7).

Quid (dices) *si adsint rudes, qui nequeant Ecclesiam adire, quia custodiunt domum aut greges, si in gravi necessitate spirituali reperiuntur?*—Si Parocho maxime molestiæ futurum foret eo adire ob talium rudium multiplicitatem, curet saltem eos instruere tempore præcepti paschalis, aut cum accedunt ad confirmationem, aut matrimonium.

Quid (subjunges) *si parochus habeat in parœcia surdos-mutos?*—Parochus tenetur ipsis providere, imo quo miserior est illorum conditio, eo industrior sit oportet pastoris charitas et industria (8). *(P).*

(1) I Corinth. 9. (2) Joann. 4. (3) *Notificatione* IX et X.

(4) Cum etiam parva Parœcia totum Parochum occupet, ipse non debet magistri munus exercere sine Episcopi licentia. Ita *Sinod.* Novariensis, pag. 186.

(5) *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. VII, nn. 35 et 55. (6) Sess. 24, c. 4 de R.

(7) *V.* Benedictus XIV Constitut. *Etsi.* — It. Instructio Clementis XI ad Episcopos. Et hæc omnia iterum atque iterum urget Novariensis Episcopus. *Lit.* 13 julii 1852. Quæsitum fuit a S. Congregatione Concilii: 1 *an Clericos tam minorum, quam majorum Ordinum ad officium ludimagistri exercendum a communitatibus conductos Episcopus cogere possit, ut pueros rudesque scholares Doctrinam christianam edoceant:* 2 *an idem cogere possit ludimagistros laicos itidem a communitatibus conductos;* 3 *an ad idem cogere possit magistros sive Clericos, sive laicos a nemine conductos:* 4 *qua pœna præfatos ludimagistros cogere possit?* S. C. C. 17 julii 1688 respondit: *posse prius hortando, postea præcipiendo.*

(8) Ad rem Alphonsus noster, *Homo Apost.* tract. ult. n. 41: « cum (confessarius) aliquod jam

Q. 4. *An præstet, ut Parochus interdum sanctas Missiones accersat?*

R. Præstat sane, ut Parochus interdum Missionarios vocet: ad spirituale enim fidelium bonum magnopere conferunt sacræ Missiones; nam vix dici potest quam fructuosa sit assidua Verbi Dei prædicatio, frequentes ad Ecclesiam conventus, tot preces in quas universus populus erumpit, ad divinam gratiam efflagitandam, ad mores in melius commutandos ac scandala extirpanda. Imo *cum in regione reperiuntur*, ait Alphonsus noster (1), *notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, Parochus tenetur curare, ut Missio eo adveniat. Ille Parochus qui Missionem non curat, suspicionem ingerit suorum morum.*—Merito ergo a Pio VI Bulla, *Auctorum fidei, propositio* n. 65 Synodi Pistoriensis *enuntians irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt Exercitia vel Missiones... forte numquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura*, damnata fuit *ut temeraria, malesonans, perniciosa, mori pio salutariter per Ecclesiam frequentato et in Verbo Dei fundato injuriosa (Q).*

Q. 5. *Quid de Parochorum obligatione corrigendi oves suas?*

R. Parochi tenentur sub gravi corrigere oves suas in peccato mortali, vel in proximo ejusdem periculo existentes, etiam cum discrimine vitæ propriæ: et non solum in extrema, sed in gravi quoque earum necessitate spirituali, si quæ adsit spes emendationis, juxta illud: *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (2). Qui in hoc deficit Parochus, timeat illam Domini exprobationem: *si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (3). Hæc autem gravissima obligatio oritur tum ex officio, quo Parochi præditi sunt; tum stipendio quod recipiunt, ideoque est obligatio justitiæ. Ita communissime; unde negligentes tenentur de restitutione. Neque tantum obligantur ad impedienda gravia, quæ vident peccata; sed etiam ad inquirendum, num aliquis in iis versetur. Parocho enim commissa est salus uniuscujusque ovis: *illud, quod debetur alicui determinatæ et certæ personæ, sive sit bonum corporale sive spirituale, oportet quod ei impendamus, non expectantes quod nobis occurrat; sed debitam sollicitudinem habentes ut eum inquiramus. Unde sicut ille, qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quærere ad hoc, quod eum corrigat de peccato:* ita Angelicus cum communi (4).

Si quis vero sit incorrigibilis, et pravo suo exemplo sit aliis occasio ruinæ spiritualis, Parochus talem non ideo corripere desistat: *dixisti semel et non*

perceperit ejus (nempe muti et surdi) particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere: sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quamdam moralem certitudinem haberem de sua dispositione: » quæ quidem certitudo de facili haberi potest, si surdus-mutus instructus sit in aliquo ex tot Institutis quæ ideo aperta sunt; quod quidem curandum est. *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti*, Esame XX.

(1) *Homo Apost.* tr. VII, n. 31. (2) Joann. 10.

(3) Ezech. 33. — Vid. *Metodo per la direzione delle anime*, art. Avvertimenti.

(4) 2, 2, q. 33, a. 2, ad 4.

audivit? ait Chrysostomus (1), *dic bis et ter et toties, donec persuaseris.* Saltem inserviet correctio ad hoc ne Parochus ab aliis subditis male audiat; cum videant scandalum durare, et pastorem obdormiscere. Ex quo etiam evenire potest, ut alii quoque in peccata inducantur, cum scient se id posse impune.—Quod si Parochus videat se nihil proficere, et malum sit grande; contumaces Episcopo indicet (ut etiam monet Synodus Novariensis) (2); nihil enim intentatum relinqui debet ad bonum animæ curandum. Neque valet dicere id fieri plerumque inutiliter, cum nequeat Episcopus malo occurrere; id namque nostrum non est tam facile judicare: plures etenim illi suppetunt corrigendi modi, et quod subito non potest, poterit agere tempore opportuno: saltem hæc notitia inserviet Episcopo pro regimine Ecclesiæ suæ, et ipsi Parocho inserviet pro consilio ac securitate.

Hæc autem Parochi obligatio extenditur maxime ad Sacerdotes, si quos habeat in Parœcia. Circa eorum mores videlicet tenetur attente invigilare, et si quem viderit minus recte se gerere, eum cito debet corripere in spiritu primum lenitatis; quod si monitiones non prosint, ne communicet peccatis alienis, et graves Heli ærumnas incurrat, eumdem Episcopo denuntiabit (3). Nemo enim ita in Ecclesia sancta Dei nocet, ut mali Ecclesiastici, qui exemplo suo alios ad malum trahunt: *quidquid feceris,* ait D. Hieronymus ad Heliodorum Ecclesiasticum, *id sibi omnes faciendum putant.* Quod si tanto malo radicitus occurrere velint Parochi, invigilent quammaxime in omnes qui sunt in Parœcia, Clericos: per gloriam Dei, ac suam populorumque salutem caveant, ne boni testimonii fidem pro Ordinibus faciant iis, quos nec graviter nec honeste vitam agere deprehendunt; eosque in antecessum moneant, ut videant quid agant, ne postea inaniter conquerantur rejecti. *Maximo, quo possumus, studio* (ad rem Benedictus XIV) *Vicarios Foraneos, ac Parochos hortamur, ne testimonia ordinandis temere impertiant; ut Deum solum, non hominum gratiam, ac benevolentiam sibi ante oculos ponant, cum de virtute illorum testantur... Rei gravitas ac magnitudo, Sacerdotis dignitas, qua ipsi præditi sunt, munus quo funguntur, et jusjurandum, quo fidem polliciti sunt Episcopo ordinanti ac cæteris in ejus locum subrogandis, id postulare omnino videntur* (4).

(1) *Homil.* XXI *in Matth.* (2) Pag. 189.

(3) Est etiam grave Synodi Novariensis monitum, pag. 189.

(4) *Notificatione* LXXXII. Audiendum etiam gravissimum monitum S. Alphonsi *Homo Ap. tr.* VII, n. 33: « Debet Parochus apud Episcopum impedire, ne habitus clericalis conferatur adolescentulis aut pueris, qui suis moribus non sunt aliis exemplo; aut saltem indolem ecclesiasticam non præseferunt. Nam si ipsi tacent, et sinunt eos induere habitum clericalem, illi postea adolescerent in otio, et cxui habitu erubescentes, per fas et nefas quamquam vitiis onusti niterentur ordinari, et Religioni magnæ essent pernicici, cui in principio facile Parochus potuisset occurrere; post vero desperabitur remedium. » Velle enim eos postmodum corrigere, esset lapidem verberare, in aqua scribere, aquam e cribro haurire, apud firmum aromata spargere, dormienti loqui, surdo canere, æthiopem lavare, flagellare mortuum. Si lupi sunt, mutabunt pilum, non mentem. — « Quid miserius, iterum S. Alphonsus, esse potest, quam cernere Clericos, qui vix bis aut ter in anno confessi sunt et communicaverunt, Parochi fidem audacter præsentare qualibet hebdomada aut bis in mense fuisse confessos et communicatos! De hujusmodi Parochis dicendum est defecisse a fide: nam certe de omnibus flagitiis, quæ committunt isti sic sine Dei vocatione promoti, et de omnibus iis, quorum ipsi aliis causa sunt, Parochus sibi Deum vindicem facit. » Quare, ut securius in sa-

Q. 6. *Quænam Parochorum obligationes quoad Sacramenta?*

R. Parochi tenentur Sacramenta sub gravi ovibus suis administrare: 1 quoties urget commune præceptum illa suscipiendi; 2 quando idipsum exigit privata alicujus necessitas, vel utilitas; ideo enim Parochi constituti sunt, ut prospiciant bono spirituali, saluti ac profectui suarum ovium. Quod quidem melius assequi non valent, quam sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, *per quæ* (ex Tridentino) *omnis vera justitia vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur* (1).

Hic speciatim loquendo de Pœnitentia, dicimus, quod Parochus tenetur illam ministrare toties quoties pœnitentes confiteri etiam ex devotione petunt, nisi intempestive et nimis frequenter vellent audiri; aut nisi essent alii Confessarii, et ipse esset legitime impeditus.—Quoad Communionem pariter commune est, Parochum teneri ad illam ministrandam quoties rationabiliter et opportune postulatur; dum pastor non solum debet prospicere, ut ejus oves præcepta impleant, sed etiam ut in virtute ac robore proficiant. Hinc ex Decreto Sacræ C. C. 1679 approbato ab Innocentio XI pastores ob justas causas possunt quidem Comunionem taxare alicui subdito in particulari, non tamen præscribere dies Communionis pro omnibus generatim. Quare patet delinquere Parochum illum qui ægre fert, si qui intra hebdomadam velint communicari, et diu eos expectare facit, sicque a sacra mensa sensim sine sensu avertit (2).

Sed (quæres) *an Parochus teneatur omnia Sacramenta administrare suis parochianis tempore pestis?*—Rogante D. Carolo, S. C. C. respondit: *Parochus suis parochianis peste laborantibus teneri administrare dumtaxat duo Sacra-*

cris Ordinationibus procedat Episcopus, monet Sanctus, ut præter attestationes Parochorum, alias abeat a pluribus personis fine dignis: *vid.* infra ubi *de Dotibus inferiorum Clericorum.*

Hic etiam monendi Parochi, quoad proclamationes quæ pro Ordinibus fiunt. ut eas nempe non agant perfunctorie; sed de gravitate rei semper fideles præmoneant, deque obligatione strictissima, qua quisque obstringitur, ut si quid grave sciat contra ordinandos, id in Domino manifestet. Vid. *de Ordine*, ubi de ordinandorum probitate.

(1) Sess. 17.

(2) *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. VII, n. 24 et seqq..; l. VI, n. 58 *Op. Morale.*—Tunc subditi rationabiliter petunt extra necessitatis casum vel præcepti: 1 si periculum aliquod prævideant; vel in tentatione versentur, et gratia Sacramenti opus habeant; 2 si festum notabile per susceptionem Pœnitentiæ et Eucharistiæ colere, Indulgentiam lucrari, aut devotionem statui suo congruentem exercere velint. Merito etiam observat Gury, peccare graviter pastores non tantum sine ratione ministerium suum denegantes; sed etiam qui se morosos ac difficiles sæpe præbent: quia tali modo fideles a Sacramentis deterrentur, idemque est in praxi, ac si Sacramenta ipsis denegarent. *V.* Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti stese in esami pratici.* Esam. XIX *Della SS. Eucaristia*, sapienter scribit: « Para procurar la frecuencia de Sacramentos, Párrocos, Coadjutores y aun simples Sacerdotes, sentaos en el confesonario aun en los dias feriales. No os hagais rogar, no permitais que los penitentes se cansen aguardándoos. En las fiestas sobre todo sentaos en el confesonario antes de amanecer. Si no hay penitentes todavía, recitad el Oficio divino y esperadles. Es mas justo y mas conforme á nuestra caridad y á nuestro celo, que nosotros esperemos á los penitentes, que no el que estos nos esperen á nosotros. Jesucristo aguardó á la Samaritana en el pozo de Sicar (*Joann.* v, 5). Muchas personas, viendo que cómodamente pueden confesarse, se acercarán á recibir el sacramento de la penitencia. Sacerdotes que no seais confesores, distribuid la sagrada Eucaristía cada media hora, y de este modo el Párroco y los confesores no habrán de abandonar el confesonario, etc. »

menta, nempe Baptismum et Pœnitentiam; posse autem ministrare vel per se vel per alium idoneum, ut Parochus possit audire Confessiones sanorum; quia alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes. Hanc responsionem confirmavit Gregorius XIII, die 12 octobris anno 1576. Imo ipsa Congregatio declaravit mentem Pontificis fuisse prohibendi, ne Parochi per se ipsos etiam volentes dicta Baptismi et Pœnitentiæ Sacramenta ministrarent, idque ad commodum et favore Parochianorum, qui adhuc sani extarent (1).

Verum est opinio valde gravis complurium, Parochum per se vel per alium teneri tempore pestis, etiam extra casum absolutæ ac particularis necessitatis, etiam cum vitæ periculo, non solum Baptismum et Pœnitentiam sed ipsum Viaticum et Extrema Unctionem suis Parochianis administrare; cum ob periculum corporis non videantur tanto bono privandæ animæ. Adde scandalum oriri, si in his Parochus renuat: hinc merito notant, quod in citati Decreti renovatione loco *dumtaxat*, appositum fuit *omnino;* ne scilicet viderentur cætera Sacramenta excludi (2). Imo censet Benedictus XIV cum Ballerini supradictum S. Congregationis responsum nequaquam fuisse transmissum, cum nullum extet hac de re indicium; frustra ergo illud ab adversariis citatur.—Unum excipiunt casum, si nempe Parochus sit solus, et sani Baptismi et Pœnitentiæ Sacramentis omnino indigerent, neque inveniri posset qui ipsis ea ministraret. In hoc siquidem tenore rescriptum fuisse ajunt Vicario Apostolico Algerino.

Q. 7. *Quid de Parochi obligatione orandi pro ovibus suis?*

R. 1. Certum est teneri Parochos pro ovibus suis orare frequenter, ut supremæ benedictionis effusio in illas pro cujusque necessitate descendat: *neque*, ait Apostolus, *qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (3). Imo expedit summopere, ut Parochus cum suis Parochianis simul publice oret in Ecclesia; tum quia obtinebitur, ut fideles addiscant quomodo orandum: tum quia, ubi plures sunt in Christi nomine congregati, Christus est *in medio eorum* (4). *Sane modus orationis communis præstantior est,* ut scribit S. Cyprianus, *et efficacior particulari; quia majori innititur charitati, et unioni amoris cum omnibus proximis* (5). *Eximus in cœtum,* habet Tertulianus, *ut Deum quasi manu facta precationibus ambiamus, Deum orantes: hæc vis Deo grata est* (6). *Multi animi*; ait D. Ambrosius, *cum congregantur unanimes, magni fiunt, et multorum preces impossibile est contemni* (7).

R. 2. Speciatim vi præcepti divini, ut Tridentinum docet, qui curam animarum habent, tenentur pro populo Sacrificium offerre: *omnis namque pontifex... pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (8). Quoties vero id debeant, controversiam definivit Benedictus XIV Bulla *Cum semper,* 19 aug. anno 1744, ubi sancitum est omnes Parochos sive sæculares sive regulares, etsi deputati sint ad tempus

(1) Sic refert Fagnanus, t. 3 in c. *Clericos de Cler. non resid.*
(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 233. — Benedictus XIV, *De Syn.* l. XIII, c. 19.
(3) I Cor. 3. (4) Matth. 18. (5) L. V *de cant. et allel.* c. q.
(6) De Orat. Dom. (7) De Pœnit. (8) Hebr. 5.

(Vice-Parochi), teneri applicare Missam pro populo saltem dominicis ac cæteris festis de præcepto, *licet* congruis redditibus destituantur, *licet* adsit immemorabilis consuetudo contraria, imo *licet* ipsis diebus permissum sit opera servilia exercere (1). Unde regula nata est: *toties tenetur Parochus applicare quoties tenetur populus audire.*—Verum tunc temporis præter eos, qui nunc celebrantur dies, alii festi erant, qui postea a Pio VI, 1786, et Pio VII, 1814 suppressi fuerunt (2). Hinc quæstio, an adhuc pro iis festis *reductis* vigeat obligatio Missam populo applicandi. Pluries interrogata S. C. C., pluries respondit nostris et alienis (ultimo Episcopo Novariensi) obligationem adhuc vigere, facta gratia a Pontifice, ut pro præteritis omissis celebretur ab unoquoque una Missa, supplente ipso Pontifice de thesauro Ecclesiæ pro cæteris. Quæ quidem certissima obligatio ex ipsis reductionis Brevibus colligitur; cum in iis habeatur, nihil quoad cætera esse innovandum, uti eadem S. Concilii Congregatio a Pontifice specialiter deputata declaravit, signanter 18 oct. 1818 *(R)*.

Quid (quæres) *si Parochus infirmetur, et nequeat per se Missam pro populo in festis celebrare; tenebiturne per alium?*—Nos censemus affirmandum: nam ista obligatio applicandi populo Missæ fructum, est simul personalis (quia si potest per se, nequit celebrare per alium, cum sit ipse Parochus): et realis, cum sit una ex suis obligationibus a Tridentino indicatis. Sicut ergo Parochus impeditus prædicare vel Sacramenta administrare per se, tenetur hæc agere per alium; ita impeditus Missam per se ipsum applicare, tenetur per alium (et quidem præscripta die) applicare Sacrificii fructum, qui est pabulum utilius, quod fideles juvare potest (3).

Quid (addes) *si Parocho exhibeatur eleemosyna pro Missæ applicatione in festo?*—Si Parochus ita pauper est, ut congruos ad sustentationem fructus non habeat, potest cum Episcopi consensu eleemosynam acceptare, celebrando pro populo in hebdomada (et tunc etiam anticipando, cum jam sit dispensata dies). Ita citata Encyclica Benedicti XIV, et Rescriptum S. C. C. 28 nov. 1761.

Q. 8. *Quæ Parochi obligationes erga pauperes et infirmos?*

R. Ad 1: Ex Tridentino Parochus debet *pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere* (4); necesse ergo est (monet sanctus Carolus), ut *inquirat studiose de pauperibus suæ Paræciæ, præsertim puellis ægrotis, senio confectis aliisque personis temporali, vel etiam spirituali misericordia indigentibus, quibus ipse pro viribus opitulari, et alios suo exemplo et hortatu ad id officium incitare studeat* (5). Sed maximam curam gerere debet eorum, qui mendicare rubore impediuntur; alioquin non erit pater pauperum. Videat ne illud Gregorii M. verificetur: *mirandum sane, si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet* (6). Vix autem dici potest, quam Parocho noceat nota tenacitatis.

(1) Etiam Episcopus, et quidem plusquam Parochus, tenetur in festis pro totius Diœcesis ovibus Missam aplicare. *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. VII, n. 65.

(2) Quinam isti sint, notantur in Kalendario Diœcesis Novariensis hoc signo ✝: *vid.* etiam Appendix VII in fine voluminis.

(3) *V.* Bergier, *Dizionario* Appén. V. Messa. — Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 325.

(4) Sess. 23, c. 1 de R. (5) *In Act. Eccl. Mediol.* p. 1. (6) L. IV, ep. 30.

R. Ad II: Nullibi potest splendidius probari Pastoris charitas et sollicitudo, quam ubi quis e suis infirmetur (1); dicit enim Rituale, hanc esse præcipuam ejus munerum partem: quare vult, ut etiam non accersitus infirmum adeat. Neque semel, sed crebro infirmum debet invisere (2); benevolis suasionibus consolari; piis etiam, quoad potest eleemosynis recreare; tempestive Sacramentis munire; cæterisque officiis juvare. Idque eo magis, quo ingravescit morbus, ac periculum mortis imminet (3); nam tempore mortis, a qua salus æterna pendet, infirmi vires debiliores sunt, inferni vero fortiores: tunc venit *diabolus habens iram magnam sciens, quod modicum tempus habet* (4). Si quod autem in Parœcia hospitale sit, non pigeat Parochum crebrius visitare infirmos qui in eo morantur, ut videat si quid eis desit, ac quoad potest, provideat. Tenerrimæ erga illos charitatis viscera induat, sciens fortasse non unum adesse, qui consoletur illos ex omnibus caris eorum; et forte qui eis subveniunt, ad id non christiana charitate ductos esse, sed sola mercede temporali *(S)*.

Quoad funera in Novariensi Synodo hæc habentur (pag. 218 et seq.): — 1 ante solis ortum et post occasum ne mortuus efferatur, inconsulto Episcopo. In defuncto autem ducendo via procedatur, quæ recta et brevior sit, nisi forsan admodum brevior: tunc enim jussu concessuve Parochi licebit paulo longiori via funus ducere; — 2 si defuncti ædes procul ab Ecclesia distent, et asperis aut aquosis itineribus sit ineundum, non tenetur Parochus eo ire. Si ædes plus milliarii dimidio ab Ecclesia dissitæ sint, cadaver ad aliquod Oratorium deferatur vel ad alium non incongruum locum juxta consuetudinem, ubi defunctus levetur; — 3 Ecclesiastici ad funus acciti veste tallari et superpelliceo sint induti, nec super illud pallium gerant, nisi forte frigus aut pluvia id cohonestet, et tunc ipsi pro bireto galerum adhibeant. E templo autem nemo degrediatur, aut sibi oblatum cereum extinguat, nisi exequiis solutis; — 4 Caveat Parochus sub gravibus pœnis ab Episcopo ei infligendis, ne funus deneget vel differat ob dilatam eleemosynæ solutionem aut præcognitam illius obtinendæ difficultatem. Defuncti autem pauperes sine sumptibus, duabus saltem candelis, et gratis omnino sepeliantur, nisi usus sit, ut aliqua societas pro ipsis solvat; — 5 siquis in villa, ad quam rusticandi causa se contulit, moritur, ibidem tumuletur; si autem ex accidenti seu repente in aliena Parœcia occubuerit, poterit ad domum propriam transferri, quin aliquod emolumentum solvatur. Quod si in Parochia, ubi sic mortuus est, sit sepeliendus, proprio Parocho dimidium emolumenti tradatur: qui tamen si funeri intersit, jus stolæ non habet. Attentis vero hodiernis moribus, si aliqua Sacramenta in Parœcia ubi decessit, defunctus receperit, tunc non potest transferri illius cadaver, nisi funus utroque Parocho comitante et divisione spolii peracta. Defuncti autem Parochi funeribus præ-

(1) Præstat, ut Parochus (maxime si alius non sit in Parœcia Sacerdos) suis indicet quo circiter pergit dum exit domo, ut in necessitate, statim vocari possit. Alicubi uno vel altero campanæ ictu vocatur.

(2) *V. Synod. Novar.* pag. 190.

(3) *V.* Liguori, Opuscul. *Il Sacerdote provveduto per l' assistenza ai moribondi.* — Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti*, Esame XXIV: Regole cogli *infermi, moribondi e morti.*

(4) Apoc. XII.

sit Vicarius Foraneus, eoque absente, Provicarius: ubi tamen sunt Parochus et Coadjutor Titularis, is qui superstes fuerit, id munus obire poterit. Omnes illius Vicariatus Parochi ad hoc funus conveniant, nihilque exigant; — 6 infantes sine Baptismate defuncti in loco profano ideo parato sepeliantur; at pueri baptizati septennio nondum expleto in communi cœmeterio, sed speciali in loco; in utero vero matris obeuntes infantes, idem cum ea, cujus sunt partes, sortiantur sepulcrum, quo nec privandi sunt ii, de quorum Baptismi valore dubitari contingat; — 7 siquis a legitima auctoritate obtineat, ut in Ecclesia sepeliatur (1), hæc cautio adhibeatur, ut os sepulcrale ab altaris scabello tribus saltem cubitis distet duplici integro solidoque lapide, qui strato bene cohæreat, claudatur, calce etiam ad rimas adhibita obstruatur; — 8 sine Episcopi licentia, ne fiat funebris laudatio in Ecclesia; neque in ea vel cœmeterio ponatur monumentum, vel inscriptio (2); — 9 Parochi tum ipsi se, tum oves suas sæpius excitent, atque accendant ad orandum pro defunctis: hoc enim sanctum et salubre est (3).

Scholium. — *De Parochorum Coadjutoribus, de Vice-Parochis, Œconomis Parochialibus, et Capellanis militum.*

Q. 1. *Quid de Parochorum Coadjutoribus?*

R. Duplicis sunt generis Parochorum Coadjutores: — 1 qui vel ex beneficii fundatione, vel alio nomine habent, ut Parochos coadjuvent, quin curam animarum habeant: et dicuntur etiam *Capellani*. Hos præter ea quæ Ecclesiasticis omnibus sunt communia, residentiæ lege merito adstrictos vult Synodus Novariensis (4), ut sic Coadjutoris munere rite fungi possint; — 2 qui etiam animarum curam habent, licet tota in uno Parocho sit ministerii principalitas, ideoque et tota ratio reddenda in casibus occurrentibus. Isti appellantur *Coadjutores Titulares*, qui generatim iisdem, quibus ipsi Parochi, obligationibus tenentur: et insuper reverentiam et obedientiam suis principalibus præstare.

Titularium Coadjutorum officia sic exponit ultima Synodus Novariensis (pag. 360): — 1 quod pertinet ad animarum curam obligantur in solidum una cum Parocho, a cujus nutu omnino pendent. Eadem residentiæ lege tenentur, neque possunt vel una die abesse, quin moneant principalem; — 2 in absentia Parochi absque alio mandato, jure proprio omnia munia valide et licite exercere possunt et debent; semper tamen una excepta Matrimonii celebratione, et Missæ applicatione pro populo. Poterit tamen Parochus alium

(1) *Regulæ pro loco sepulturæ V. in Synodo* p. 387; et taxa pro funeribus in civitate et suburbiis, pag. 379.

(2) Ne permittantur inscriptiones, quas aliquando videre est, sive in parvulis capellis, sive in cœmeteriis, quæ risum movent aut etiam scandalum. Sed eæ sint ad artis atque veritatis regulas compositæ et ab ecclesiastico Superiore approbatæ. — *Vid.* Notari, *Trattato dell' Epigrafia latina ed italiana.*

(3) Præstat porro, ut qua par est reverentia ac gravitate, defunctorum Officia persolvantur: si enim præcipitanter, distracte ac negligenter, nedum suffragio sint fidelium contemptum provocant ac Dei maledictionem. — Quoad funera *vid.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXVI et LXX. — Ferraris, *Bibl. Canon. V. Sepultura.* (4) Tit. *de Par.*

vocare Sacerdotem; sed absque læsione aliorum jurium Coadjutoris. Etiam Parocho æquiparantur in Congregationibus, excepto insigni diverso;— 3 Coadjutores concurrere debent in tertiam partem impensarum visitationis Episcopalis; sed gaudent tertia parte emolumentorum a Baptismis, funeribus, officiis, aliorumque e stola provenientium. Si tamen plures sint Coadjutores, dimidium erit Parochi, dimidium inter ipsos Titulares dividendum. Hic quoque excipiuntur quæ titulo matrimonii proveniunt vel attestationum vel aliarum functionum, quæ uni Parocho cedunt, cum obligatione tamen libros Parochiales procurandi. Cæterum compartibus liberum est quoad hæc emolumenta et onera temporalia secum una convenire (1).

Q. 2. *Quinam dicuntur Vice-Parochi* (2)?

R. Vicarii Parochorum, seu Œconomi-Parochiales dicuntur Presbyteri illi, qui Parochorum vices in Parœciis gerunt. Isti vel ab ipsis Parochis constituuntur de sui voluntate; cum nempe officia per se sua non valentes implere, Coadjutorem sibi ipsi adsciscunt, Ordinario consentiente et approbante; et *mercenarii* appellantur ex pacta mercede. Vel constituuntur ab Ordinario, et *Vice-Parochi* dicuntur. — De Vicariis Parochialibus priori sensu acceptis hoc dicendum occurrit, et Parochos ad eos sibi adjungendos teneri, si per se non valeant omnia munia implere (3): et ipsos adjunctos teneri sub gravi, et ex justitia Parochos juvare in iis, de quibus conventum est; cum ideo ipsi stipendio conducti sint.

Duplici modo Vice-Parochi ab Episcopo constituuntur: 1 Si Parochi imperiti cognoscantur, vel si ob vitæ turpitudinem et scandala potius destruere, quam ædificare aperte judicentur, tunc Ordinarii etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, illis Vicarios deputant, qui officia Parochialia impleant et de Præbendæ Parochialis reditibus vivant: ita Tridentinum (4); 2 vacante quocumque modo Ecclesia Parochiali, debet Ordinarius ex eodem Tridentino vix nuntio vacationis accepto, idoneum in ea *Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur* (5). Officia autem omnium Vicariorum Parochialium sunt pene omnia quæ jam supra de Parochis explanata fuerunt, cum eorum vices gerant. Hoc insuper qui vices tenent defuncti Parochi advertant: caveant ne proprio nomini potius quam Religionis bono studeant; ne ut sibi populum benevolum faciant et ideo propriam causam agant, vel cum eo indecore consocientur, vel ei nimium indulgeant, vel nova ac eidem placentia tentent: maxime caveant, ne de ipso Parocho venturo parum reverenter loquantur: nam inde divisiones, contentiones et schismata. Væ illis, per quos tantum scandalum venit!

Si Parœciæ vacatio contingat ob Parochi obitum, Vicarius Parochialis, ex Synodo Novariensi: — 1 indicere debet preces fundendas ab universo populo, ut Deus beatam requiem defuncto elargiatur, et alium fidelem Pasto-

(1) Si Parochus moritur, non ideo Coadjutor in ipsam ordinariam Parochi jurisdictionem succedit; neque enim per alterius mortem natura ejus beneficii mutatur; sed Episcopi delegatione opus habet. (2) *V.* Devoti, *Inst. Canon.* Par. 1.ª

(3) Tridentinum, sess. 21, c. 4 de R. — *Vid.* Benedictus XIV, *Notificatione* XCIV.

(4) Sess. 21, c. 6 de R. (5) Sess. 24, c. 18 de R.

rem mittat; —2: die quo pro novo Parocho eligendo habebitur concursus, teneturexponere SS. Sacramentum, et populum hortari ad preces coram eodem fundendas (pag. 194).

Ipsi Capellani militum seu castrenses variis pro officio suo recte implendo ligantur obligationibus.

§ IV — *De Presbyteris simplicibus ac cæteris Clericis.*

Qui titulo patrimonii ad Presbyteratum promoti nullum possident Beneficium, quo munus peculiare iisdem imponatur, dicuntur *simplices Presbyteri*. Qui nondum Sacerdotes sunt, *Clerici inferiores*. His præter generales obligationes, et proprio Ordini congruentes, aliæ specialius inhærent (1).

Q. 1. *An simplices Presbyteri teneantur Ecclesiæ, cui addicti sunt, inservire, atque ad salutem fidelium incumbere?*

R. Tenentur certissime, idque probatur:

1. *Ex Scriptura*: Apostolus scribit: *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant et errant* (2). Christus ipse de Sacerdotibus omnibus ait indiscriminatim: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (3). Ergo si Sacerdotes constituuntur a Deo, ut ad gloriam ipsius et ad salutem animarum incumbant; si a Christo missi sunt, ut succedant in ejus officium, certum est hanc eis obligationem inhærere.

2. *Ex Tridentino*, quod declarat Sacerdotes non ordinari, nisi propter Ecclesiæ necessitatem atque utilitatem (4). Atqui nullam prorsus utilitatem Ecclesia perciperet a Sacerdotibus, nisi tenerentur gloriæ Dei et animarum saluti operam dare, unusquisque pro modo sibi convenienti: nempe prædicando, Sacramenta ministrando, Confessiones excipiendo, fideles instruendo, corrigendo, pro iis orando, etc.

3. *Ex peculiaribus cujuscumque Diœcesis Statutis;* cum nullus sit Episcopus, qui suis Ecclesiasticis districte non præcipiat, ut utiliter in operibus ministerii occupentur. Si autem omnes fideles Episcopalia mandata revereri debent, quanto magis Sacerdos? Hinc S. Ignatius genuina Epistola ad Smyrnæos ait: *omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem..... Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant..... Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit...; quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum..... Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est:*

(1) *V.* Liguori, *Regolamento di vita per un Sacerdote secolare:* it. *Regole di spirito per un Sacerdote che attende alla perfezione.* — Perrodin, *Essai sur les caractères ecclésiastiques*, etc. Lion, 1839. — *La vita del Sacerdote, vita di fede.* Torino 1844. Etiam Synodus Novariensis his omnibus sua munia aperit atque urget: districte præcipit, ut omnes Sacramenta frequentent. — Mentali orationi incumbant. — Studiis vacent. — Ecclesiæ cui addicti, sedulo inserviant, maxime vero in doctrina fidei pueris tradenda. — Ne publicam concionem habeant sine Episcopi licentia, si nondum sint diaconi. — Ne in vili occupatione versentur; sed ab omnibus caveant, quæ eorum statum dedecent. — *Vid.* pag. 42, 52, 161 et seqq.

(2) Hebr. 5. (3) Joann. 20. (4) Sess. 23 *De Sacramento Ordinis.*

qui contra Episcopum aliquid agit, diabolo præstat obsequium. Et Cyprianus ad Jursenses: *revereamur omnes Episcopum ut Jesum Christum.*

4. *Ex lege charitatis;* sane spiritualis populi indigentia hisce maxime temporibus percrebuit, et universalis est. Adde scandalum in fidelibus, si Sacerdotes desides viderint, aut parum curantes quæ sunt Dei. Ne simus ex iis, quibus, ut ait D. Bernardus, magis placet quies propria, quam utilitas aliena (1); nos enim sumus ad alios *(T)*.

Q. 2. *An simplex Sacerdos teneatur se aptum reddere ad excipiendas Sacramentales fidelium Confessiones?*

R. Non est dubium, quin etiam simplex Sacerdos teneatur se aptare ad Confessiones, si in loco versetur, ubi incolæ gravi laborent necessitate spirituali, ut fere ubique laborant, hodie præsertim, cum Religiosorum Instituta temporum iniquitate minorata sint; cur enim Sacerdotes duplicem illam potestatem et sacrificandi et a peccatis absolvendi in Ordinatione consequuntur? nisi ut et Eucharistiæ et Pœnitentiæ Sacramenta ministrent (2)? — Ergo, ne dicantur *in vacuum gratiam* Dei recepisse, in gravi saltem populorum necessitate (qualis ætate nostra ubique invenitur) se habiles reddere tenentur ad hanc quoque potestatem exercendam.

Hinc non videmus quomodo Sacerdotes, qui ob desidiam ab hoc onere se subtrahunt, possint esse tuti in conscientia, et excusari ab exprobatione Domini, et a supplicio inflicto servo illi otioso, qui talentum abscondit (3): *notent hoc*, inquit A-Lapide, *qui ingenio, doctrina aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem ob desidiam vel metum peccandi; ab his enim rationem reposcet Christus in die judicii.* Et Benedictus XIV aperte docet: *non esse immunem a gravi culpa eum Sacerdotem, qui semel probatus ad Sacramentum Pœnitentiæ, deinde (postquam desiit facultatis acceptæ designatum tempus) recusat Confessarii munus exercere, ne cogatur ad novum examen accedere* (4) *(U)*.

Q. 3. *An simplex Sacerdos debeat sub gravi Missam celebrare?*

R. Sunt qui negant teneri simplicem Sacerdotem ad celebrandum, præciso scandalo, vel alia necessitate (5); cum nullum adsit hac de re positivum præceptum neque divinum neque humanum. Sed S. Thomas affirmat: *quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum juxta illud Apostoli* 1 *Cor.* 6: *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (6). Confirmatur illis Christi verbis: *hoc facite in meam commemorationem* (7); quæ verba Tridentinum declarat verum continere præceptum (8). Nos huic sententiæ uti longe communiori et tutiori subscribimus; maxime cum evenire non possit, ut Sacerdos negligens Missæ celebrationem in anno, non det ætatis nostræ fidelibus grave scandalum.

(1) Epistola ad Ogerium, cujus quidem improbat abdicationem curæ pastoralis, etsi piæ quietis amore factam.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 625. — Careno *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti*, Esame XVIII.

(3) Matth. 25. (4) *Notificatione* XCIV.

(5) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XCIV circa finem. (6) 3 p. q. 82, a. 10.

(7) Luc. 22. (8) Sess. 22, c. 1. — Liguori, *Op. Mor.* l. II, n. 313.

Quoties vero in anno Sacerdos simplex teneatur celebrare, Benedictus XIV ait, dari obligationem sub peccato singulis dominicis ac festis celebrandi; sed non vult definire, an sit sub veniali, vel mortali (1). At Ligorius noster habet multo probabiliorem sententiam docentem, Sacerdotem *per se loquendo* non teneri sub mortali pluries, quam ter aut quater in anno, id est in solemnioribus festis celebrare: at nesciret a culpa leve excusare Sacerdotem, qui quotidie celebrare posset (aliquo forsan die excepto ob reverentiam), tamen sine justa causa (nempe tantum ob desidiam) abstineret; Sacerdos enim non tantum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiæ et populi christiani, cujus minister et intercessor est constitutus. — Juverit duo hic proferre decreta S. C. C. (2): primum latum mense nov. anno 1696 habet, mortaliter peccare et ab Episcopo posse puniri, qui saltem ter vel quater in toto anno non celebraverit: aliud latum mense febr. anno 1717 dicit, Episcopum non posse obligare Sacerdotem ad celebrandum omnibus diebus dominicis et festis solemnioribus, alia ratione præclusa.

Q. 4. *Quid maxime curandum est, ut Ecclesiastici omnes in suo munere utiliter laborent?*

R. Ut susceptæ pro Ecclesia curæ secundissimos habeant exitus, summa extet concordia opus est, consensusque animorum inter omnes de Clero: præstat sane, ut quos una simul in defensione sui Nominis adunavit Deus, unam colant et fidem mentium et pietatem actionum, scilicet *eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam* (3). Etenim *frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (4). Qui ergo quærit quæ sunt Christi, non quæ sua sunt, cæteris se consociat, cum agitur de divina gloria tuenda, neque pertinaciter suum sensum sequitur, qui debet sanctam unitatem curare: quomodo stabit populorum religio, si ejus ministri se invicem mordent? De primis ipsis Ecclesiæ temporibus S. Chrysostomus ajebat: *si dissensio fuisset in discipulis illis, omnia peritura erant* (5). At quia conjuncti fuerunt notum est *veteres illos catholicæ fidei propugnatores* (ut verbis utamur Pii Papæ IX, die 9 dec. 1854 in Concistorio habitis, allocutione *Singulari) de pertinacissimis hæresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum et cum Apostolica Sede tamquam cum Duce suo conjuncti milites, firmo animo erectoque in certamen descendissent (V).*

Q. 5. *Quænam sunt præcipuæ dotes inferiorum Clericorum?*

R. Duo præcipua Clerici inferiores præseferre debent ut Sacris Ordinibus digni habeantur, scientiam nempe et bonitatem (6): — 1 *scientiam:* ignorantia enim in Ecclesiasticis non solum sibi, sed aliis etiam nocet: et huic quidem nullum remedium, ait Salesius, si tales ignorantes Clerici fiant Sacerdotes; nam, accepto Sacerdotio, difficulter cogi poterunt ad studendum. Experientia testis est. Neque doctrinam potest supplere pietas: *zelus absque scientia*, ait D. Bernardus, *dum prodesse festinat, invenitur obesse* (7); —

(1) *De Sacr. Miss.* l. VI, c. 1, n. 9.
(2) *V.* Monacelli, p. 1, t. 5, fer. 9, n. 15.
(3) Philip. 2
(4) Prov. 18.
(5) *Hom.* 82 *in Joann.*
(6) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tract. VII, n. 48.
(7) *De Conv. ad Cler.* n. 38.

2 *bonitatem:* ubi notamus, quod Episcopus non debet tantum acquiescere soli bonitati negativæ, nempe quod nihil sciat mali de Clerico; sed oportet ut ejus bonitatem positivam cognoscat. Hinc Tridentinum ait eos tantum debere assumi ad sacros Ordines, *quorum probata vita senectus sit*, nempe qui sint senes in virtute (1). Quæ bonitas sita est in frequentia Sacramentorum, in zelo Religionis, in fervore devotionis: sed maxime in cordis munditie ac castitate justa illud Bernardi: *nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cujus castitas ante susceptum Ordinem fuerit approbata* (2). Et illud Gregorii M.: *ne unguam ii, qui ordinati sunt, pereant, prius aspiciatur, si vita eorum continens ab annis plurimis fuit* (3).

Ad quæ quidem consequenda opportunum remedium, ne dicam (hac temporum calamitate) necessarium, sunt ecclesiastica Seminaria. Sane cum omni tempore *adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a teneris annis ad pietatem et Religionem informetur (antequam vitiorum habitus totos homines possideat) numquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret* (4); quid hac nostra tempestate dicendum foret, in qua tot tantaque sunt ad malum incitamenta, si juvenes Clerici sibi ipsis relicti essent? nonne mundus totus in maligno positus est? Recte ergo Pius Papa IX hortatur Episcopos: *Pergite igitur, Venerabiles Fratres, omnem impendere industriam atque operam, quo sacræ militiæ tyrones a teneris annis, quoad fieri poterit in ecclesiastica Seminaria recipiantur: atque inibi tamquam novellæ plantationes succrescentes in circuito tabernaculi Domini, ad vitæ innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur: simulque litteras, et minores majoresque disciplinas, præsertim sacras, addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cujusque erroris periculo alienam* (5). Hinc male de illis Clericis ominari cogimur, qui Seminarium habent uti terram devorantem habitatores suos, regulas aspernantur, atque in terra Sanctorum iniqua agentes infinitos prætextus congerunt, ut a Moderatorum suorum oculis se subducant *(X)*.

Q. ultimo. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum Clerico in occultis*

(1) Sess. 23, c. 12. *Circa spiritum et mores*, ait D. Alphonsus loco cit., *parum tutus est ille Episcopus, qui attestationibus Parochorum confidit: hæ plerumque fiunt ob humanos respectus. Propterea Episcopi zelantes non firmare solent supplices libellos, nisi prius secreto certi facti fuerint de eorum morum probitate a pluribus personis fide dignis, quæ noscunt subjectum. Advertatur hoc attente, quia hoc est medium valde efficax, imo necessarium Episcopo, ut tutam faciat suam conscientiam in Ordinationibus quas habet. Ex his enim secretis cognitionibus Episcopus potest certus fieri non solum si clericus ludis, insolentiis, pravis consuetudinibus sit aliis scandalo; sed etiam si positive vitam spiritualem agit, Ecclesias, orationem, Sacramenta frequentando, si solitarie vivit, aut saltem cum bonis sociis comitetur, si studio dat operam, si modesto habitu et sermone incedit, et hujusmodi. Et si forsan notitiam habeat de scandalo positivo alicujus, tunc non debet sibi satis esse ordinariam probationem exigere, sed multorum annorum resipiscentiam observare debet; cum suspicio rationabilis tunc suboriatur, quod omne ab eo simulatione fiat ut Ordines assequatur.* — *V.* Specchio del clero, etc., pag. 538.

(2) *De Conv. ad Cler.* c. 21.

(3) Epistola 42.

(4) Verba Tridentini, sess. 23, cap. 18 de Ref. de erect. Seminar.

(5) *Encycl.* ad Italiæ Archiep. Ep. 8 dec. 1849; et 9 nov. 1846.

peccatis lasciviæ habituato (1), *qui ad sacros Ordines aspirat, quin prius sufficiens exhibuerit emendationis experimentum?*

R. Ex communi sententia Clerico in peccatis luxuriæ habituato *regulariter loquendo* absolutio deneganda est (licet aliunde ad Confessionem sit dispositus per cordis dolorem ac propositi firmitatem), si velit ordinari ante sufficientem probationem. Quare? quia clamat recta ratio, clamat Pontificum ac peritorum auctoritas, quod Clericus iste non tantum a culpa mortali debet esse immunis; sed etiam bonitatem vitæ excellentem et habitualem præseferre; atqui talem bonitatem non habet pœnitens, qui pravo illo habitu etiam post absolutionem irretitus existit. Ergo absolutionis ejusdem prorsus est judicandus indignus, si tali sit animo comparatus, ut velit ad sacros Ordines ascendere, quin prius sufficienti probetur experimento. — Aliud profecto est magnam possidere bonitatem, aliud simpliciter esse in statu gratiæ: magna videlicet illa vitæ bonitas haberi non potest, nisi longo temporis spatio juxta illud vulgare proverbium: *nemo repente fit summus.* Adde prudentem timorem, ne is se iterum peccato commaculet; cum adeo illum habitus proclivem fecerit, cujus quidem ratio omnino habenda est in re tanti momenti.

Diximus *regulariter loquendo;* quia potest casus contingere, in quo talis Clericus tanta compunctionis gratia a Deo donetur, ut dignus statim sacri Ordinis existimetur; nam gratia non ligatur tempore. Tempus enim ideo creditur signum sufficiens, quia creditur signum firmæ voluntatis: at Deus unico instanti voluntatem nostram libere mutare potest omnipotenti gratia sua, atque de sui abundantia supplere bonitatem, quæ Clerico deest. Hoc tamen non ita facile credendum est: sed potius est præsumendum Deum gratiam suam conferre modo ordinario; unde si quod citatur exemplum, ex D. Bernardo, *non tam exemplum dicendum est, quam miraculum.* — Quare concludimus quoad praxim, quod magna semper cautela est adhibenda in istis Clericis absolvendis, quorum frequenter malus exitus deploratur cum maximo Ecclesiæ detrimento. Ideoque cum ipsis potius rigorosius est agendum (2): et sane deliberandum est diu quidquid statuendum est semel. *Utinam qui contineri non valent,* ad rem D. Bernardus, *perfectionem temerarie profiteri, aut cælibatui dare nomina vererentur: sumptuosa siquidem turris est, et verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quam uri; et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in Cleri sublimitate et deterius vivere et districtius judicari* (3).

Sed (inquies) *quanto temporis spatio extra casum extraordinarium probandi sunt recidivi?*

Non una regula est, uti notat Benedictus XIV (4): id quippe a multis pendet circumstantiis, a frequentia relapsus, ab inclinatione, indole, a conati-

(1) Ponimus quod talis habitus sit occultus; si enim publicus est, Clericus esset omnino repellendus ob publicum scandalum, ex supra dictis a S. Alphonso.

(2) *V.* Liguori, *Dissertatio ac de re* (a Benedicto XIV commendata *De Syn.* l. XI, c. 2 et 3) *in Opere Morali* l. VI, nn. 63 et seqq. — Rulfus, *Male assueti congruo virtutis experimento nondum probati ad Ss. Ordines, et Clericalem militiam inepti, Dissertatio.* Taurini 1787.

(3) De conversione ad Clericos, cap. 20.

(4) *De Syn.* l. XI, c. 2.

bus, etc. Sanctus noster generatim requirit *longi temporis, saltem plurium mensium, probationem* (1). B. Leonardus de rigore minime suspectus, requirit *unius anni, vel duorum* spatium (2). Imo quoad illum, qui in secretas incontinentias secum ipse quandoque relabitur sive in Seminario sive tempore feriarum, etiamsi antea non adeo inveteratam relabendi consuetudinem habuerit, sunt qui arbitrantur spatium duorum annorum perfectæ continentiæ communius nimium non esse; infausta enim experientia constat juvenes peccato incontinentiæ olim habituatos, in illud facillime iterum atque iterum prolabi, etiam post notabilia intervalla (3). Quidquid tandem sit, Clericum qui sacris proximum Ordinibus in impudicitias relabitur, non satis emendari sentio: de eo dubitarem, an bonus futurus sit sæcularis; quomodo igitur bonus erit Clericus, Sacerdos, Parochus? Utinam vero Confessarius pie severus illi aperte ac fortiter diceret: *non licet tibi.* Sed proh dolor! Clerici hujusmodi quærunt et nanciscuntur Confessarios loquentes sibi placentia, qui ad sacros ipsos Ordines admittunt sub spe futuræ emendationis; at nonne dixerim cum certitudine pejoris depravationis? ita est, luctuosissima experientia teste.

An (addes) *quod dicitur de vitio turpi, idem sit affirmandum de aliis vitiis sanctitati clericali oppositis?*

Affirmative, servata proportione; nam et per alia vitia semper illa positiva bonitas excluditur, quæ Ordinibus prærequiritur. Juvenes igitur ebriosi, superbi, elati, iracundi, leves, rebus externis dediti, raro bene recollecti, circa pietatem indifferentes, in studiis negligentes, scientias ecclesiasticas fastidientes, libros profanos magis amantes, sæpe moniti et non emendati, numquam sancti erunt Sacerdotes: ab Ordinibus maneant exclusi. Ideo Seminariorum Directores enixe a Deo petere debent auxilium, quo in re tanti momenti recte judicent: item fortitudinem, qua indignos perseveranter repellant, eos in antecesum præmonentes, ut sibi opportune ac tempestive provideant. Ne cedant verbis, quæ transeunt; sed inquirant facta, quæ permanent: en peritorum consilium; credant ergo expertis, et falsa eos pietas non decipiat cum tanto catholicæ Ecclesiæ damno.

(1) *Homo Apost.* tract. ult. n. 16.

(2) *V.* Discorso mistico, morale, ecc., n. 6, ubi de istis habituatis habet: «Antes de ser promovido al Subdiaconado, y con mas motivo, si fueseis Diácono, antes de recibir el carácter sacerdotal, probad durante uno ó dos años el vivir castamente... Atended bien: si vuestro ánimo no se presta á vivir casto, la vida eclesiástica no se hizo para vos; y el alzacuello que ós circuye la garganta se convertirá en un collar de hierro candente por toda una eternidad en el infierno: meditadlo bien.

(3) *De hoc præciso casu* hæc scribit cardinalis Gousset (*De l' Ordre* n. 658): Si el sugeto ha solamente reincidido una ó dos veces, mas por fragilidad que por intencion deliberada, mientras esté arrepentido de su falta, pensamos que en el intérvalo de seis meses entre la última falta y el Subdiaconado se puede considerar como suficiente. Sin embargo, generalmente hablando, hay necesidad de un año cuando menos, si ha reincidido con facilidad y no ha hecho esfuerzos para resistir.— Diximus *de hoc præciso casu;* si enim agitur de eo, qui inveteratam habuit consuetudinem relabendi, et maxime si cum aliis peccata luxuriæ consummavit, vel omnino eum a sacro ministerio excludit, vel non admittit nisi post longissimam probationem omni exceptione majorem.

CAPUT TERTIUM

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM (1).

Monachi et Regulares non hic considerantur prout Clericali sunt insigniti dignitate; sed prout ipsa Monachorum qualitate sunt præditi. Unde sit:

ARTICULUS I—De natura, origine et præstantia status religiosi.

Q. 1. *Quid est Status Religiosus?*

R. Status Religiosus si in natura sua generatim accipiatur, non aliud indicat, quam illum quemcumque vivendi modum, in quo homines voluntarie se offerunt divino cultui, se ipsos nempe erga Deum obligando ad aliquam consiliorum observationem. Sic nomen istud complectitur eos omnes fideles, qui ex aliqua tantum parte, v. g. per solum votum castitatis, Dei servitio specialiter consecrantur. Usus tamen invaluit, ut hoc ipso nomine stricte sumpto (quasi per *antonomasiam*) indicaretur solum illud *stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum pro suis iis fidelibus utriusque sexus, qui certa sub regula, sub proprio superiore, et in data communitate tendere volunt ad perfectionem christianam per tria vota perpetua, paupertatis, castitatis et obedientiæ.* His verbis continetur status Religiosi definitio strictiori sensu.

Dicitur 1 *stabile vitæ institutum*, ut indicetur illa animi constantia, quæ iis necessaria est, qui vivere volunt in statu perfectionis;—2 *ab Ecclesia approbatum;* status enim Religiosus est sacra quædam communitas, in qua debet esse jurisdictio spiritualis: hanc porro sola Ecclesia tribuit. Licet autem hæc approbatio olim concederetur ab ipsis Episcopis pro Diœcesi propria, nunc non potest nisi a R. Pontifice obtineri, ut statutum est in Lateranensi Concilio sub Innocentio III; —3 *pro fidelibus utriusque sexus;* nam tam ipsos viros, quam ipsas fœminas complectitur; —4 *certa sub regula, sub proprio superiore, et in data communitate:* secus non haberetur status ille specialis qui a se existit;—5 *tendere volunt ad perfectionem christianam per tria vota:* quibus verbis et finis et medium habetur peculiare, quo fideles utuntur in illo statu. Ex quibus colligitur tria hæc requiri: —1 *vota prædicta;* neque refert quod sint simplicia, quia adhuc homo per illa potest se Deo perpetuo mancipare. Hinc Gregorius XIII bulla *Ascendente* declaravit veros Religiosos in Societate Jesu etiam illos, qui hæc vota solum emittunt (2); —

(1) *V.* Rotarius, *Theol. Moralis Regularium.* —Hyac. Donato, *Rerum regularium praxis resolutoria*, 1691. —Liguori, *De statu Religioso*, in *Op. Mor.* l. IV, nn. 1 et seqq. —Suarez, *De statu Religioso* etc. —Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico,* § 301 et seqq. Padova 1846.

(2) Hodie in Gallia Monialium vota non habentur ut solemnia, prout respondit S. Pœnitentiaria ad Episcopum Bouvier 2 jan. 1836. Sic voluit Ecclesia ob ocurrentes perturbationes. Hoc tamen non currit quoad viros, qui adhuc possunt in illo regno vota solemnia emittere: neque obstat civilis lex, qua omnes cives sunt habiles ad possidendum; lex enim civilis non potest per se solemnitati votorum obstare. Sic a Gregorio XVI (vid. *Ami de la Relig.* 7 sept. 1840) vota Religiosorum a S. Benedicto ibi fuerunt declarata solemnia.

2 *Ecclesiæ approbationem :* unde qui vovent tantum coram Confessario vel Episcopo stricto sensu non erunt religiosi ;— 3 *traditionem suo superiori factam, qui eam acceptaverit ;* sic enim habetur perfectus contractus.

Q. 2. *Quænam origo Status Religiosi ?*

R. Cum distinctione : vel Status Religiosus accipitur generatim pro quocumque vivendi modo, quo homines Dei specialiter se offerunt obsequio : vel stricte pro vero cœtu ac stabili instituto peculiari. — Si 1, sententia est omnium Catholicorum, uti ait Suarez, illum fuisse ab ipso Christo immediate traditum ; patet enim ipsum non semel ad tria illa vota exhortatum esse (1). Unde sub hoc respectu status ille est a divino jure (non quidem præcipiente, sed consulente) : et ab ipsa Apostolorum ætate viguisse tradunt eruditi. — Si 2, varias quasi illius ætates nobis pandit historia : primo videmus *Ascetas* sic dictos a græca voce *asceô,* quæ indicat *exercitationem*, quia durioribus regulis exercebantur.

Ab istis Monachorum origo deducta est : ipsis enim fideles non pauci adhærendo, a civium societate se subducere cæperunt, et vitam agere solitariam sub certa regula ac superiore, in cœlestibus occupati, quibus porro *Anachoritarum, Hæremitarum, Monachorum* et *Cœnobitarum* nomina adhæserunt (2) : fuerunt præcipui auctores, Paulus, Pacomius, Macarius, Antonius, Hilarion, etc. in Syria præsertim ac Palæstina, quos omnes jampridem Ecclesia venerata est. S. Basilius Monachorum institutum a mera contemplatione ad ministeria spiritualia fidelibus impendenda traduxit. — S. Athanasius ab Oriente in Occidentem invexit sæculo IV : et sic in totam Italiam, cæterasque Nationes permeavit : sicque pedetentim venere *Benedictini* a S. Benedicto, *Dominicani* a S. Dominico, *Franciscani* a S. Francisco, etc. — Demum temporum decurso factum est ut Religiosi, qui prius extra urbes et oppida morabantur, in ipsa loca frequentiora inducerentur, quod quidem ob fidelium bonum tradit evenisse Doctor Seraphicus (3) : *Sedes Apostolica,* ait, *vocavit nos in adjutorium tam Cleri quam populi, ut per officium prædicationis et Confessionis subveniamus animabus, et onus pastorum sublevando alleviemus.*

Origo autem Monialium cum ipso Religiosorum ortu conjuncta est. Et constat ex primis Ecclesiæ sæculis fuisse Virgines, quæ se Deo consecrabant

(1) Hæc notata habentur apud Mattheum : *Vade, vende quæ habes* (c. 19). — *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum Cœlorum* (ibid). — *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me* (c. 16.)

(2) Anachorita est a græco *anachôreô*, separari : Hæremita a græco *hêremos*, solitudo : Monachus a *monos*, solus, et *echô* habere, quasi solus vitam habeat : Cœnobita vero a *coinos* commune, ac *bios* vita.

(3) In *Opusculis.* — Unusquisque autem Ordo locum elegit juxta propriæ vocationis indolem. Hinc illud :

Bernardus valles, colles Benedictus amabat,
Oppida Franciscus, magnas Ignatius urbes.

Religiosi proprium Ordinem opere teneant, cæteros charitate : *quid ad vos de aliis servis?* ait D. Bernardus contra derogantes aliis Ordinibus (*Apolog.* ad Guill. Abbat.) *suo domino stant aut cadunt : quis vos constituit judices super cos?..... qui in Regula gloriamini, cur contra Regulam detrahitis?* etc.

per consiliorum executionem, quæque *Sanctimoniales* antonomastice dici cæperunt (1).

Q. 3. *Quænam est Status Religiosi præstantia atque utilitas?*

R. Quanta sit, vel ab ipso fine patet Status Religiosi: *Monasteria*, ad rem ait Stapf (*Theol.* § 554 et 555), *non tantum hominibus, qui se ad sublimiora vocatos sentiunt, certum perfugium præbent...; sed etiam mundo viva identidem vitæ sanctioris exempla proponunt, atque suis tum precibus tum sacris functionibus publicæ saluti insignem plane operam navant. Ne quid de illis dicam quorum præcipuus labor est erudire juventutem, assistere infirmis, aliisque tum spiritualibus tum corporalibus operibus misericordiæ insudare. Ipsi adversarii negare nequeunt, quam præclare Monachi... de posteritate meruerint* (2), *utpote quorum indefessis conatibus non tantum christianam Religionem, sacras æque ac profanas scientias, artes liberales; sed ipsam quoque terræ fertilitatem debemus, ut adeo ipso opere comprobaverint quod Apostolus inquit:* pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ (I Tim. 4). *Est ergo pessima eorum illatio, qui dum unum alterumve Monachum degenerem vident, totum mox collegium, vel omnino universum Regularium statum contemnendum ducunt.*—Probrosum sane, ut Catholici nonnulli a protestante Leibnitio veritatem ediscant; ait enim: *fateor mihi semper religiosos Ordines qui in sola catholica Ecclesia reperiuntur, mire probatos fuisse.* Hinc nil mirum, si contra nefanda pseudo-philosophorum et politicorum improperia, quibus in religiosos debacchati sunt, innumeri apologiam invincibiliter texerint *(Y)*.

Q. 4. *Quid de eo, qui alium abstrahit a Statu Religioso?*

R. Distinctione opus est: vel quis alium a statu Religioso abstrahit vi, fraude et dolo; dumtaxat precibus ac consiliis.

Si 1, peccat graviter contra justitiam, *tum* in seductum, quia illum injuste privat magno bono; ideoque sub gravi tenebitur et ex justitia vim, fraudem et dolum tollere, et in pristinam libertatem illum reponere (qui si renuat, ipsi imputandum); *tum* in Religionem, et quidem non solum si sermo sit de professo (cum tunc jus jam adquisiisset Religio), sed probabilius etiamsi agatur de simplici novitio; nam quisque jus habet, ne vi aut dolo impediatur a consecutione boni: ideoque impediens etiam Religioni damnum resarcire debet juxta æstimationem commodi, quod inde Religio percepisset (3).

Si 2, qui id facit absque causa, quamvis non sit obstrictus onere restitutionis, quia tunc alter sciens ac volens Religioni renuntiat; attamen peccat

(1) *V.* Scotti, *Teoremi* p. 2 *Riflessioni in favor delle Monache.* — Bergier *Dizionario* V. *Religiosa.* —Benedictus XIV, *Notificazione* XXIX, ubi de origine Monialium, ac puellarum educatione in monasteriis.

(2) *V. Lettres de Sheffanacher Docteur Allemand a un gentilhomme et a un magistrat protestant augmentés de plus savantes dissertationes sur toutes les utiles controverses* par A. B Caillan Chanoine du Mans et de Cahors. — *Vid.* etiam *Annali Religiosi di Roma* t. XV, fasc. 44. — *Memorie di Religione.* Modena, vol. 1, 3, 5, 11, etc.

(3) Non tamen ad damnum compensandum tenetur se vel alium adducere ad Religionem; hac enim in re est attendenda ratio vocationis, non compensationis. Adde id non haberi uti medium ordinatum ad restitutionem.

mortaliter, cum charitas id prohibeat. Imo Tridentinum eos excommunicationi merito subjicit, *qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo sine justa causa impedierint* (1). Qui vero id facit cum causa neque peccare, neque ad ullam restitutionem teneri dicendus est: imo rem laudabilem facit. Erit justa causa:—1 si illius parentes graviter indigeant: ipsa enim natura impellit ad eis subveniendum; —2 si matrimonii promissione obligetur et defloratio contingat: tunc enim ipsa persona remanet obstricta;—3 si in Religione, ad quam aspirat, disciplina recta non vigeat, in qua videlicet nedum augeatur Christi Jesu charitas perfectionis vinculum, foveatur potius amor sæculi, externorum appetitus, vel inanis gloriæ cupiditas, provocationis ac invidiarum scaturigo: item si optimum sit Institutum, sed non habeat aptas vires ad illud aspirans;—4 si tales habeat vitæ mores, ut Religioni detrimento potius, quam decori et utilitati futurus esse rationabiliter prævideatur. Idem dicatur, si abductus credebatur aptus, sed talis non sit; nam præsumptio cedit veritati: unde in hoc casu retrahens licet peccaverit ex malo, quem gessit, affectu; non tamen teneretur ad restitutionem.

Q. 5. *Quis de iis, qui alios ad Religionem inducunt?*

R. Cum Angelico Doctore: *inducentes alios ad Religionem non solum non peccant, sed magnum præmium merentur...; Danielis XII dicitur, quod* qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Posset tamen contingere circa hujusmodi inductionem triplex inordinatio: Primo quidem, si violenter aliquis alium ad Religionem cogeret; quod prohibetur in Decr.* XX, *q.* 5 *(cap.* Præsens). *Secundo, si aliquis simoniace alium ad Religionem trahat muneribus datis, ut prohibetur in Decr. ibidem, q.* 2 *(cap.* Quam pios). *Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in sæculo, nutriens eum ad Religionem; vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. Tertio, si mendaciis eum alliciat; imminet enim sic inducto periculum, ne cum se deceptum invenerit, retrocedat: et sic fiunt* novissima illius hominis pejora prioribus, *ut dicitur Lucæ,* XI, 26 (2).

ARTICULUS II—De vocatione et novitiatu.

Q. 1 *An detur ad Statum Religiosum vocatio?*

R. Certum est dari vocationem Dei ad statum Religiosum plerumque per internas inspirationes, aliquando etiam exterius, quomodo Christus vocavit adolescentem illum divitem in Evangelio: *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus* (3). Sane constat omnia in ordine naturali a Deo gubernari modo singulis entibus proprio; ergo a fortiori in ordine supernaturali. Imo Sancti censent, vocationem istam semper esse a Deo: *Religionis propositum* (ait Seraphicus), *nec carne nec sanguine suggeritur, sed ab illo*

(1) Sess. 25, c. 18 de R. — Quoad eos autem qui impediunt viros, *V.* Bulla Julii II *Inter cæteros* 1512; Leonis X *Etsi a summo* 1513; Clementis VII *Exponi nobis* 1524; it. *Religionis zelus:* Sixti V *Pontifex Romanus* 1586 etc.

(2) 2, 2, q. 189, a. 2. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 662. (3) *Matth.* 19.

inspiratur, de quo dicit Joannes: non potest homo accipere quidpiam, nisi datum fuerit ei de Cœlo. Accedit ratio: hæc vocatio non est a natura, cum abhorreat a castigatione carnis; non a dæmone, cum neminem ad bonum ex bono fine inducat. Restat ergo, ut sit a Deo.

Ordinaria signa vocationis hæc sunt præcipua. Primum signum consistit in fine: *primum signum* (ait S. Bernardinus Senensis) *est voluntas bona* (1). Secundum in aptitudine, quæ sita est in indole recta, in animo obedientiæ jugo submisso, in scientia relative sufficienti et in carentia defectuum, qui Instituto eligendo repugnent. Tertium in inclinatione naturali, constanti ac recta, ut patet: non tamen obstaret aliqua titubantia præterita ex dœmone, vel naturæ repugnantia orta.—Alia signa sunt a posteriori, effectus nempe vocationis ipsius: v. g. jucunditas mentis ex consideratione Religionis, propositum cavendi a circumstantiis peccatorum, Sacramentorum frequentia, etc.; sunt enim veluti preludia illius status. Imo et occasio mala potest esse, aliquo sensu, vocationis inductivum, ut dehonoratio, egestas quæsita, etc. Deus enim scit ex malis bona facere. Ita plurium Sanctorum vocatione contigisse legimus: *sæpe evenit*, ait Macarius (2), *ut Deus tribulationibus hominem exagitet, ita ut siquis omnia sibi infeliciter procedere videt, ita secum ratiocinari incipiat: quandoquidem in mundo consequi non possum quæ volebam, ecce mundum relinquo et ad Deum accedo* (3).

Quid (quæres) *si vocatio dubia sit?*—Si dubium circa vocationem sit grave, est diutius examinandum, ferventius orandum, ac donec majus lumen effulgeat, expectandum; nemo enim ad statum superiorem temere ascendere debet. Diximus, si dubium sit grave; secus despiciendum est, ut docet Angelicus (4).

Q. 2. *Quid de ingressu in Religionem?*

R. Religionem ingredi alii prohibentur, alii tenentur. Prohibentur indigni, non vocati, qui non sunt sui juris, ut conjuges matrimonio consummato, servi domini servitio mancipati (5). Tenentur vero qui sunt vocati, secus frustra daretur vocatio: item qui Religionem voverunt, ut promissa impleant.

An (quæres) *peccet qui vocatus ad Religionem vocationem negligit?*—Distingue: vel iste persuasum habet fore ut si contemnat vocationem, de qua est moraliter certus, damnationem incurrat tam ob cognitam fragilitatem, quam ob carentiam mediorum peculiarium; vel credit se æque ferme posse in sæculo salutem assequi. Si 1, non poterit a mortali excusari; cum scienter salutem suam in tantum periculum conjiciat. Si 2, dicimus eo in casu vocationem negligere non esse per se peccatum, cum consilia non obligent ad culpam: ratione tamen periculi æternæ salutis, cui ille se exponit negligendo divinum beneplacitum, videtur non posse excusari ab omni culpa. Quod

(1) Finis hujusmodi duplex: unus generalis, qui est fuga a mundi illecebris, desiderium sanctitatis. Alter particularis, idest proportionatus ordini qui eligitur. Ordines videlicet distinguuntur in *activis, contemplativis* ac *mistis:* primis eminet charitas ac studium in proximos; in secundis amor solitudinis; in aliis complexus utriusque. In omnibus tamen semper est amor Dei.—Iniquum Tamburinistarum systema quoad Instituta Religiosa fuit damnatum Bulla *Auctorem Fidei* sub n. 80 et seqq. (2) Hom. 32. (3) *V.* de Oblig. filiorum.

(4) 2, 2, q. ult. a. 10.

(5) *V.* quoad Parochus et Episcopos, c. 2, a. 2, § 1.—Quoad filios *disp. seq.* c. 2, § 1 et 2.

autem ejus discrimini se committat, non videtur nobis dubitandum ; quia in sæculo non habebit illa peculiaria auxilia, quæ in Religione præparaverat illi Deus : verum non audemus absolutum proferre judicium quoad peccati gravitatem (1).

Q. 3. *An debitis gravatus possit Religionem ingredi ?*

R. Quoad praxim, ait Patuzzi, omnium fere Religiosorum Ordinum lex est, ut nullus ad habitum recipiatur, qui vel sit obnoxius rationi reddendæ, vel ære alieno obstrictus : idque merito ad evitanda plura incommoda. Excipiunt, ut pro certo docent cum Suarez, si debita, quibus quis gravatur, sint incerta quoad personam, ita ut restitutio fieri debeat pauperibus ; nam etiam dato quod incerta debeantur pauperibus de jure naturali præsumpto, res æquivalenter obtinet ad mentem dominorum, si ea remittantur, ut quis possit Religionem ingredi ; cum semper dentur ad pias causas : nihil sane adeo pium est, quam se suaque omnia Deo perpetuo dicare (2). Quod communiter adhuc concedunt, saltem pro foro interno, si debita sint ex contractu pure liberali ; quia in hoc semper subintelligitur conditio : *nisi meliorem statum elegero.*

Si agatur de debitis ex contractu oneroso, et res resolvatur ex Theologorum principiis, utrum debitis gravatus possit Religionem ingredi, tres habemus sententias.—Prima absolute negat cum Valentia, Alasia, et aliis, debitorem Religionem ingredi posse ; quia est contra naturale præceptum justitiæ lucrum spirituale quærere cum damno creditoris ac consilium curare, et sic præceptum negligere.—Secunda absolute affirmat, licet solutio fuerit juramento promissa, uti ait S. Antoninus. Hanc ipse Angelicus docet, qui habet : *persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ ; unde licite potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare ; nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret unde debitum reddat* (2, 2, q. 189, a. 6). Tertia sententia probabilior cum Patuzzi, Sanchez, Salmanticensibus, Navarro, Azorio etc., affirmat posse debitorem ingredi, casu quo aliunde diu debeat in sæculo manere ; nam tunc solutio haberetur uti moraliter impossibilis. Neque quis etiam in contractu oneroso censetur se cum onere tam exorbitanti velle obligare, ut debeat negligere statum suum ; habentur enim circumstantiæ nimium immutatæ. Si vero possit brevi debita solvere, puta intra biennium vel triennium, tunc vel brevi illo temporis spatio nullum eidem imminet probabile periculum incidendi in peccata mortalia aut suam amittendi vocationem, vel imminet aliquod periculum hujuscemodi. Si 1, debet per id tempus in sæculo manere et debitis satisfacere ; cum in hoc casu talis solutio non solum sit ei moraliter possibilis, sed etiam facilis. Si 2, potest *cito* petere Religionem ad animæ detrimentum et æternæ salutis jacturam evitandam, quippe cuilibet rei semper est præferenda ; neque creditor potest esse in hoc casu rationabiliter invitus. Hæc quoad jus naturale.

Hac tamen de re, ad omnes abusus præcavendos, sciendum est, Sixtum V Bulla *Cum de omnibus* 1587 declarasse ad Religionem non esse idoneos debitores illos, qui bona sua dilapidaverint, vel qui deponere debeant rationes, antequam debita solverint aut rationes ipsas reddiderint. Clemens ve-

(1) V. Liguori, *Homo Apost.* tr. XIII, n. 26. (2) Liguori, *Homo Apost.* tr. XIII, n. 27.

ro VIII Const. *Suprema* 1600 sustulit quidem inhabilitatem illam, sed reliquit prohibitionem. Hæc tamen sunt intelligenda :—1 de iis qui in sæculo manentes possunt creditoribus satisfacere; secus inutiliter morarentur:—2 de iis qui *magnis* debitis sunt gravati, ex *propria culpa;* quia Bulla loquitur *de ingenti ære gravitatis, qui dilapidaverint bona sua* :—3 ad Moniales non est Bulla extendenda, neque ad gravatos debitis incertis: siquidem *in odiosis stricta* interpretatio semper est adhibenda, ac testantur alio Decreto ita declarasse Sixtum V :—4 denique præceptum intelligendum est de reddendis rationibus valde litigiosis, intricatis, fraudulentis et causam litibus præstituris; nam de his tantum Pontifex loquitur. *V.* Liguori, *Opus. Mor.* l. IV, n. 71, et seqq.

Q. 4. *Ad quid tenetur qui Religionem vovit?*

R. Tripliciter potest quis Religionem vovere: vel in genere, id est quamcumque Religionem, vel in specie, v. g. religionem Prædicatorum; vel in individuo, v. g. tale Monasterium in particulari:—1 qui vovit Religionem in genere tenetur diligenter aliquam inquirere, in qua vigeat disciplina, ut *vota sua Domino reddat* (1). Quod si inventa, ab ea rejiciatur, probabilius aliam inquirere debet mediocrem adhibendo diligentiam, si spem habeat quod recipiatur; quia votum illius est generale de aliqua Religione ex approbatis assumenda;—2 qui vovit Religionem in specie, aliquam illius Ordinis tenetur ingredi: et ubi ab una repellatur, alias domus tentare debet, quamdiu spes aliqua efulgeat, et agatur (uti communiter dicunt) de monasterio sito in propria natione vel provincia (2); tunc enim non est exorbitans et extraordinarium illuc petere; porro qui aliquid promissit, tenetur mediis ordinariis curare promissum ;—3 qui eam vovit in individuo ita determinando locum, ut alium non intendat, si in domum præfixam non posset admitti, liber esset; quia sub hac tantum conditione se ligavit (3).

Sed (quæres) *an vovens Religionem peccet graviter, si post ingressum egrediatur?*—Affirmative, si non habeat gravem causam (quod probabilius valet, licet animum profitendi non habuerit): nam votum Religionis non tam respicit ingressum, quam professionem; hæc enim est illius complementum illius vera ratio. Si vero a Religione ejiciatur uti ineptus, v. g. ob inscitiam, infirmitatem, tunc si adhibet sufficientem diligentiam, ut se reddat habilem eum probabilius liberant ab omni obligatione (sed mediocrem diligentiam adhibere debet, juxta quod supra dictum est, in alia Religione inquirenda); eo enim in casu fit votum impossibile.

Q. 5. *Quid de probatione ante professionem?*

R. Audiatur Tridentinum: *in quacumque Religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem amittatur; professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem* (4). Hæc autem probatio *Novitiatus* nomine

(1) Ps. 115.

(2) Si agatur de fœmina sic vovente, docent ipsi esse extraordinarium, quod debeat quærere monasterium extra patriam longe a suis: ita Palaus. Toletus, Salmanticenses, Garcias, etc.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 72. (4) Sess. 25, c. 15.

appellatur, qui incipere solet ab eo puncto, quo quis in statu novitiorum admittitur ad probationem; tunc enim celebratur quidam veluti contractus inter futurum religiosum et ipsam Religionem, per quem mutuo conveniunt de sumendo experimento de se invicem.—Communiter sentiunt Novitiatum inchoari posse ante annum ætatis 15: quod obiter Tridentinum videtur insinuasse, cum professio debeat esse continua ac conjuncta cum probatione.

Hæc quoad viros: quoad mulieres vero ex declaratione S. C. statutum est, ut ipsæ habitum non suscipiant ante annum 12 completum (1).

Quæres: *Qualis esse debet annus probationis?*—Uti certa tenenda est sententia quæ requirit annum integrum ac continuum. Licet enim Tridentinum has particulas non posuerit in suo decreto, putandum est tamen fuisse locu-

(1) Attente hic recolatur Constitutio *Sacræ Congregationis Regular.* sic in scripta: *Decreto dello Sacra Congregazione sopra lo stato de' Regolari risguardante l' ammissione de' Novizi all'abito e la professione, promulgato per comando di S. Santità il nostro Pontefice Pio* IX, *Dat. in Roma* 25 *genn.* 1848; ubi videre erit leges sapientissimas. — *V. Il Cattolico, giornale Religioso Morale.* Lugano 1848, tom. 30, pag. 232 et 253. — It. *Amico Cattolico.* Mil. vol. XVI, pag. 17 et 158.

Hic satis sit adnotare præcipua: — 1 In quocumque Ordine, Congregatione, Monasterio, Instituto, etc. etsi non emittantur vota solemnia, nemo ad habitum est admittendus absque testimonialibus Ordinarii tum originis, tum loci, in quo Postulans post expletum 15 annum ætatis ultra annum moratus fuerit. Testimoniales litteræ erunt de ætate, moribus, vita, fama, educatione, scientia, etc. — 2 Qui duplici scrutinio, modo præstabilito agendo, non fuerit probatus, ad habitum nullo prorsus modo admittatur in quocumque Ordine, Congregationem etc. — 3 Superior religionis quolibet semestri ad Sacram Congregationem super statu regularium summarie referat de singulis Novitiis ad habitum receptis, de ætate, patria, moribus, necnon de actis confectis pro receptione, etc. — 4 Prope terminum cujuscumque trimestris Novitiatus magister Novitiorum Provinciali agendi rationem cujusque Novitii scripto referat; — 5 duobus mensibus ante professionem Provincialis Novitii voluntatem diligenter exploret; et per secreta suffragia interroget cæteros de domo, an ad professionem admitti possit; hancque relationem examinatoribus communice, ut et illorum suffragia habeat. Quæ omnia sicut et cætera in prædicto Decreto præscripta sub pœna gravi sunt observanda.

Ad rem Concilium Provinciale Vercellense, habitum 18 nov. 1849, § 5: « testimoniales litteras, quas SS. D. N. Pius PP. IX Decreto dici 25 jan. elapsi anni ab aspirantibus ad religiosam professionem impetrandas præscripsit, Præsules summa cum circumspectione elargiendas esse censent. Eapropter ad uniformitatem servandam constituunt, ut una saltem proclamatio in cujusque Parœcia præcedat, periculum vero super scientia in scriptis simul ac verbis exigatur, et litteræ ipsæ expediantur juxta formam, quam hisce actis adjectam communi calculo probaverunt. »

Quoad Instituta illa, in quibus fieri solent vota solemnia, Summus Pontifex Pius P. IX, sub die 19 martii anni 1857, per S. Congregat. Regularium præcepit hæc duo (non obstantibus quibuscumque in contrarium et accurate observatis Decretis diei 25 januarii anni 1848):

1. «Concluido el tiempo de prueba y el noviciado, segun las prescripciones del S. Concilio de Trento, las constituciones apostólicas y la regla de la Orden aprobada por la S. Sede, hagan los novicios los votos simples despues de haber cumplido los 16 años establecidos por el mismo Concilio: los legos y conversos hagan los votos cuando lleguen á la edad prescrita en la Constitucion de Clemente VIII, que comienza *In Supremo.* »

2. «Los profesos pasados tres años á contar desde el dia en que habrán hecho los votos simples, siempre que se encuentren dignos, sean admitidos á los votos solemnes, á menos que en algun lugar, como ha sido concedido á algunos Institutos, fuese admitida la profesion de votos simples por un tiempo mas largo. El Superior general y aun el Provincial podrán por justas y razonables causas diferir la profesion de los votos solemnes, pero no mas allá de veinte y cinco años cumplidos. Si en el Órden ó Instituto no hubiese Provinciales, se concede la facultad de diferir la profesion de los votos solemnes al Superior de la casa del noviciado, pero con el consentimiento del Maestro de novicios y de dos religiosos mas que tengan algun grado en el Instituto. » (*Vid.* Epistol. sub die supra cit. firmato *A. Arcivescovo De' Filippi Segret.* ecc.)

tum juxta jura antiqua; atqui jura antiqua loquuntur de anno integro, atque continuo (1).

ARTICULUS III—De professione religiosa et effectibus.

Q. 1. *Quid est professio religiosa?*

R. Novitiatum rite completum sequitur professio, quæ definiri potest: *promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certæ Religioni ab Ecclesia probatæ cum solemni votorum emissione.* Conditiones præcipuæ ad valorem professionis ex Tridentino et jure Canonico sunt:—1 *aptitudo vorentis:* nempe ut sit baptizatus, nam cum Religio sit Ecclesiæ pars, nemo ei potest incorporari, si non sit istius membrum; ut non sit alterius juris, secus non posset se Religioni tradere; ut compleverit annum 16, et per annum integrum cum habitu religioso in probatione fuerit; ut nullo impedimento ligetur, quod Ordini substantialiter opponatur; ut verum habeat profitendi animum;—2 *libertas;* nemo enim invitus perpetuis et gravibus obligationibus adstringendus;—3 *consensus*, id est acceptatio expressa vel tacita Superioris Ordinis juxta statuta; ita enim perfectus habetur atque firmatus contractus (2).

Professus potest reclamare de nullitate suæ professionis, sed debet intra quinquennium reclamare: quo elapso, non ampliusauditur, nisi a Sede Apostolica restituatur, ut ajunt, *in integrum* (3).

Q. 2. *Quinam sunt religiosæ professionis effectus?*

R. Effectus hujusmodi plures sunt: alii *gratiosi,* alii *onerosi.* Inter gratiosos adnumeratur: 1 remissio peccatorum quoad pœnam, si professus sit in gratia; nam hic est actus se totum divinis obsequiis mancipandi, qui excedit omne genus satisfactionis (4); 2 extinctio votorum ante emissorum (5): 3 cessatio irregularitatis ex defectu natalium (6); 4 solutio sponsalium, ac matrimonii rati (7); 5 et quidem præcipue numeratur exemptionis privilegium (8).—Inter onerosos effectus præcipuus est obligatio tendendi ad perfectionem.

(1) Accedit consuetudo, et ratio tum legalis, tum philosophica: *Legalis,* quia commune est inter jurisperitos quod, quando lex taxat vel tempus vel pretium vel quidquam aliud hujusmodi, censetur constituere talem mensuram præcise ac sine divisione. *Philosophica,* quia etiam philosophi volunt mensuram consistere debere in indivisibili.

(2) Quoad mulieres declaravit insuper S. C. ut nemini detur habitus ante 12 annos: item ut antequam suscipiatur habitus et antequam emittatur professio, debeat Episcopus aut ejus delegatus voluntatem uniuscujusque puellæ explorare; secus graviter peccaretur, etsi professio esset valida. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 4.

(3) Processus autem fieri debet a Prælato locali simul et ab Ordinario Diœcesis cum assistentia defensoris professionis: professus autem, licet habeat in sui favorem primam sententiam, non ideo potest egredi; sed expectare debet appellationem faciendam a defensore. Quod si jam fugam arripuerit, a judicio repellitur, donec resumat habitum. Ita Benedictus XIV Bulla *Si datam hominibus.*

(4) S. Thom. 2, 2, q. 189, a. 3.

(5) Decr. l. III, t. 34, c. 4 etc.

(6) *V. De irregul.*

(7) *V. De matrimonio.*

(8) *V.* Pavone, *Spicilegio* ecc. nn. 162 et seqq. — Liguori, *Op. Mor.* l. IV, nn. 60 etc. — Gury, *De Statibus partic.* c. 4.

Quid (dices) *de privilegio exemptionis?*—Hoc privilegium in eo consisistit, quod Regulares a jurisdictione Episcoporum sint exempti, et Sedi Apostolicæ immediate subjecti. Hoc jure factum esse nemo Catholicus inficiari potest; nam habent quidem Episcopi completam in propria Diœcesi jurisdictionem; sed R. Pontifici subordinatam (1). Cæterum animadvertere est quæ Tridentinum præscripsit (2), pro quibuscumque abusibus præcavendis; quos tamen buccina ac sesquipedalibus verbis canonistæ nonnulli e schola Wanespeniana exaggerant more suo: 1 ut Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus Monachos extra claustra visitet, corrigat si deliquerint, et ubi opus sit, puniat; 2 ut Sacramentorum administrationem, curam animarum et alia id genus quæ regulares habent cum exteris, Episcopus dirigat; 3 ut neque in suis sine Episcopi benedictione, neque in aliis Ecclesiis sine Episcopi licentia ad populum prædicent Verbum Dei; 4 ut in censuris evulgandis, servandis festis, et eorum ritibus custodiendis, cæterisque ad publicam divini cultus politiam spectantibus Episcopo Diœcesano Regulares omnes omnino pareant. —Sed hic de *Ordinibus* et *Confessionibus* excipiendis speciatim dicendum est.

Q. 3. *A quonam Episcopo licite ordinantur Regulares?*

R. Regulares debent suscipere Ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Monasterium ubi commorantur. Id constat ex Bulla Benedicti XIII *In suprema*, ubi contrarii privilegii revocatio jam pridem facta a Gregorio XV, et a Clemente VIII expresse confirmatur. Imo notandum S. Congregationem de mandato Clementis VIII jussisse, ut si Episcopus loci non habeat Ordinationem, Superior possit quidem dare litteras dimissorias ad alium Episcopum; sed cavere debeat, ne ex industria ideo differat subditorum suorum Ordinationes. Attamen Benedictus XIV duas addidit conditiones:—1 ut in tali casu nequeat Religiosus ab alio ordinari, nisi præseferat attestationem Vicarii Generalis vel Cancellarii vel Secretarii ejusdem Episcopi de impedimento. Alias ordinans et ordinatus incurrit pœnas in ordinantes sine dimissoriis;—2 ut talis Regularis examinari debeat ab Episcopo ordinante. Si tamen Monasterium sit in loco nullius Diœcesis, poterunt ejusdem Religiosi ordinari ab Episcopo viciniori; contraria enim lex utpote odiosa de casu ad casum non est extendenda (3).

Quoad novitios autem Regularium, Suarez tenet eos ordinandos esse ab Episcopo originis vel domicilii; cum nondum dici possint veri regulares et subditi, quippe qui adhuc possunt ad sæculum transire. Alii autem cum Fagnano putant eos posse utique ab ipso novitiatus Episcopo ordinari; cum novitii ibi degentes jam habeant animum perpetuo manendi. Utraque sententia est probabilis (4).

An (quæres) *Abbates possint tonsuram et minores Ordines conferre?*—Tridentinum sustulit, quam antea habebant sive sæculares sive regulares Ab-

(1) *V.* Thomassinus, *Dis. Eccl.* l. III, p. 1. — Ughellius, *Italia sacra*, t. 4.

(2) Sess. 6 de R. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 56 etc.

(3) *V.* Benedictus XIV, *Notific.* XXIII. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 764 et 768.

(4) Secundæ sententiæ duas addimus conditiones: 1 ut novitius per notabile tempus jam manserit in novitiatu; 2 ut juramentum præstet se animum habere ibidem quantum in se est manendi perpetuo; tunc enim videtur verificari conditio domicilii.

bates, generalem hac de re facultatem (1): solummodo permisit regularibus, ut ipsi ea utantur pro solis suis subditis. Si tamen eam adhuc in alienos exercerent, esset valida, licet illicita; nam talis potestas concessa est in corpore juris: per prohibitionem autem non videtur hæc radicaliter ipsis sublata, sed tantum illius exercitium interdictum. Sic S. C. C. ex Benedicto XIV (2).

Q. 4. *Quid de facultate absolvendi quoad Regulares?*

R. Plura hac de re a Canonico jure, a variis Pontificum Constitutionibus ac consuetudine constituta sunt (3). Præcipua adnotabimus:—1 Regulares ad excipiendas Confessiones sæcularium indigent Episcopi loci approbatione; non vero ad excipiendas Confessiones suorum religiosorum vel illorum sæcularium, qui sunt de familia in suis monasteriis et continui commensales: ad id sufficit approbatio Prælati regularis;—2 Superiores Regularium, vel ab ipsis delegati, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus et censuris non reservatis Pontifici: et quod currit de professis subditis, valet etiam de novitiis, ita ut isti absolvi possint a casibus ab Episcopo reservatis etiam *ab homine* incursis vel ante ingressum in Religionem;—3 Prælati religionum possunt sibi reservare casus, si cupiunt, sed uti decrevit Clemens VIII 29 maji 1593 tantum undecim, et non ultra sine consensu Capituli generalis pro tota religione, aut provincialis pro provincia. Casus determinati sunt: 1 apostasia; 2 egressio nocturna et furtiva a monasterio; 3 sortilegium: 4 peccatum mortale contra paupertatem; 5 furtum mortale de bonis monasterii: 6 peccatum carnale opere consummatum; 7 perjurium in judicio; 8 cooperatio in abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto: 9 occisio vel gravis percussio; 10 falsificatio manus vel sigilli Officialium monasterii: 11 malitiosum impedimentum, retardatio aut aperitio litterarum superiorum ad inferiores, vel contra. Superiores autem locales a reservatis non valent absolvere; sed Generales tantum et Provinciales, ab iisque deputati: ita S. C. C. 13 martii 1601 (4);—4 olim Mendicantes gaudebant privilegio, quo poterant absolvere sæculares ab omnibus casibus et censuris reservatis tam a Pontifice quam ab Episcopis. Sed Decreto Clementis VIII 1602, confirmato a Paulo V 1617, et Urbano VIII 1627 limitata fuit dicta potestas, et statutum fuit, ne Regulares existentes extra Romam et intra Italiam possint absolvere sæculares nec a casibus Bullæ *Cœnæ*, nec a percussione Clerici, nec a duello, nec a violatione immunitatis, nec a violatione clausuræ monasteriorum monialium ad malum finem, nec a simonia confidentiali in beneficiis, nec denique ab omnibus casibus, quos specialiter sibi reservant Episcopi: ita etiam ex Bulla Gregorii XIII *Cum a Sacra* et ex propositione 12 damnata ab Alexandro VII;—5 Religiosi peregrinantes, si habeant socium sui Ordinis de necessitate debent ipsi confiteri, si socius ille sit Confessarius: si vero nec talem habeant socium, nec alium confessarium idoneum sui Ordinis, bene possunt

(1) Sess. 23, c. 10.

(2) De Synodo Diœc. Lib. X. — Quoad diversas Abbatum species *Vid.* Salzano, *Lezioni di diritto* ecc.

(3) *V.* L. Ferraris *Bibliot. Canon.* V. Approbatio. — Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 575 et 599: et maxime l. I de privilegiis, nn. 95 et seqq.; it. *Homo Apost.* tract. xx, n. 95 etc.

(4) Item declaravit 7 julii 1617, Prælatos non posse infligere censuram super alio casu hic non contento, licet eum non reservent; quia hoc esset Decretum Pontificium eludere.

confiteri etiam alteri Sacerdoti idoneo sive regulari sive sæculari: et in hoc omnes conveniunt. Advertit tamen Busembaum cum Laymano et Rodriguez, quod hoc non procedit quoad peccata in Ordine illo reservata, a qua taliter assumptus Confessarius nequit absolvere;—6 Regulares aliæque personæ exemptæ non incurrunt episcopalem reservationem; nam Episcopus non potest suam reservandi peccata potestatem exercere nisi in subditos; quare regularis iste qui ex superioris sui licentia vel ex privilegio a jure concesso sua peccata confitetur sacerdoti sæculari diœcessano, poterit absolvi a reservatis Episcopo, etsi talis confessarius non sit approbatus pro reservatis. Esto quod reservatio directe afficiat confessarium; quod enim nihilominus valeat absolvi Regularis, privilegium est. Ubi tamen Regularis in iis delinqueret in quibus Episcopo subditur et casus Episcopi reservatus esset, tunc nequiret absolvi, nisi ab habente per Episcopum facultate in reservata, ut declaravit Gregorius XV, Bulla *Inscrutabili*.

Q. 5. *Quantanam est obligatio perfectionis in Religioso?*

R. Etsi Religiosus vi professionis non teneatur actu esse perfectus; tenetur tamen actu ad perfectionem tendere per media ipsi in sua religione ordinarie exhibita, cum teneatur servare statum suum, qui status est tendentium ad perfectionem. Hinc graviter peccat qui de ea nullo modo curat, multo magis si suo exemplo alios religiosos inducit ad disciplinæ relaxationem. Quod si ita animo sit effectus, ut intendat quidem servare mandata sub gravi obligantia, sed non alia, licet communius ac probabilius eum a gravi excusent si sola attendatur obligatio tendendi ad perfectionem (nam sic jam videtur satis tende posse ad illam); difficulter tamen videtur posse excusari ex alio capite, prout scite ait Sanchez, nempe ratione periculi labendi in gravia, ratione scandali et hujusmodi. Quidquid sit, merito a gravi non excusant Superiorem, qui negligit corrigere defectus leves in suis subditis, si complures sint et tales, qui disciplinam in communitate relaxare valeant pedetentim; licet enim quilibet Religiosus non deficiat in gravi violando regulam levem, deficit utique Superior, cum inde relaxetur disciplina.—Quod etiam dicendum est de Superioribus aliarum communitatum (1).

Cum perfectionis media præcipua sint tria illa vota, quæ ipsius professionis naturam constituunt, ideo hic erit de singulis. Fatendum autem est tria vota paupertatis, obedientiæ et castitatis congruentissime a Christo adsignata fuisse pro constituenda status religiosi essentia; persona enim hominis tria principaliter habet, ad quæ omnia ad ipsam pertinentia referuntur, animam, corpus et bona externa; atqui hæc tria perfecte consecrat per vota *(Z)*.

§ I — *Votum Paupertatis.*

Q. *Quid de voto Paupertatis?*

R. Religiosus ex voto paupertatis ad hoc obligatur, ut nihil habeat *proprii in particulari ad disponendum ex bonis temporalibus* sive mobilibus sive

(1) *V.* Liguori, *La Monaca santa. — Istruzioni pratiche intorno ai principali doveri degli Ordini religiosi.* — Rodriguez, *Esercizio di cristiana perfezione.*

immobilibus. Ait enim Tridentinum (1): *nemini Regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere.*

Diximus 1 *proprii;* nam voto paupertatis non repugnat, quod Religiosus possit Ordinis nomine ad Superioris nutum bona administrare; — 2 *in particulari;* nam ex Tridentino (2). Ordines possidere possunt in communi, exceptis Franciscanis, Minoribus Observantibus ac Cappuccinis, quos insuper contendunt neque earum rerum habere dominium, quæ usu consumuntur; sed illud esse penes Sedem Apostolicam, quatenus nempe illud Pontifex revocare valet pro nutu (3); — 3 *ad disponendum;* nam de essentia voti non est, ut dominium abjiciatur; sic ex Bulla *Ascendente* Religiosi S. Jesu post emissa vota simplicia vere sunt religiosi, et tamen retinent et acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, quoadusque emittant vota solemnia ac publica. Tantum non habent jus actuale de illis pro arbitrio disponendi et utendi: atque in hac abdicatione proprie sita est essentia paupertatis religiosæ (4); — *ex bonis temporalibus,* quia bonorum spiritualium, v. g. famæ, honoris religiosi dominium retinent. Idem dicunt de Reliquiis sacris. Idem de manuscriptis, tum quia sunt partes ingenii licet alieni, ideo quid spirituale; tum quia pertinent ad scientiam, quam non respicit paupertas; tum quia ita fert consuetudo ubique recepta (5) *(A A).*

An (quæres) *Religiosus possit aliquid possidere de licentia Superioris?* Ad præscriptum Tridentini, non potest (6), siquidem nulla datur licentia ea de re. Sed contraria consuetudo ferme ubique viget; unde hodie probabilius existimamus rigorem Tridentini (7) temperatum fuisse: atque ideo vi hujus consuetudinis (ubi adest) posse Religiosum de Superioris consensu peculium habere, ut sibi provideat ad usus necessarios vel honestos; sub conditione tamen, quod paratus sit bona hæc ad nutum Superioris abdicare (8). — Hic

(1) Sess. 25, c. 2 *de Regul.* (2) Sess. 25, c. 3 *de Regul.*

(3) C. *Exiit qui sem.* 2, *de verb. sign. V.* Continuator Tournely. Salmanticenses, etc.

(4) Aliter est, si res spectetur juxta Jus civile et externum: *Vid.* ubi *De testatore.*

(5) *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. XIII, n. 7. (6) Sess. 25, c. 2 *de Regularib.*

(7) Id confirmari posse videtur ex Brevi Benedicti XIII *Postulat,* ubi de Religiosis ad dignitatem promotis ait: *quod omnia mobilia seu immobilia cujuscumque generis, quæ eos tempore suæ promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis duntaxat manuscriptis propriis, Superiori locali resignare teneantur.*

(8) Hæc adnotamus præcipua quoad praxim: — 1 permittunt communiter, ut religiosus possit elargiri cui voluerit suas *pitanzas,* quæ limitate ei præbentur, ut ova, carnes, etc., nisi Superior id expresse vetet; — 2 facit contra paupertatem qui accipit ab extraneo pecuniam ad libitum impendendam in opera pia, quia esset actus proprietatis sic agere. Secus est, si jam opera pia sunt determinata a donatore; tunc religiosus non esset nisi canalis donatoris; — 3 Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis æquiparantur. Unde hæc ratio habenda est in computanda gravitate, si nempe furtum fiat de bonis Monasterii; — 4 Generatim non peccat graviter religiosus clam accipiens rem aliquam a sua communitate, v. g. librum, ad usum proprium, non tamen in perpetuum; quia Prælatus censetur tantum invitus quoad modum; — 5 Sine Prælati licentia generatim non peccat graviter religiosus res ad usum vel etiam ad non usum suum extraneis mutuando, modo sit tutus de restitutione facienda, nec tali mutuo grave damnum inferat communitati; — 6 Peccat contra paupertatem, qui sine facultate, saltem præsumpta, Superioris aliquid emit etiam pro communitate; quia agit ut proprietarius. Non est peccatum sub con-

etiam notandum, quod tale votum comitatur etiam assumptum ad Episcopatum, uti tenent communiter, adeo ut Episcopus Regularis testari non possit; cum usum, non proprietatem bonorum habeat (1). Unde S. Thomas ait: *Religiosus, qui fit Episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiæ, ita nec a voto paupertatis, quia nihil debet habere tamquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ: similiter etiam non absolvitur a voto obedientiæ; sed per accidens obedire non tenetur, si Superiorem non habeat* (2). Ratio est quia vota personalia comitantur personam; quare quæ talis acquirit, ea non sibi, sed suæ Ecclesiæ acquirit.

An (addes) *Religiosus possit accipere vel dare sub licentia præsumpta?*

Affirmative, si licentia revera præsumi possit de præsenti, et causa sit; nam tunc religiosus in virtute vera cum dependentia agit. Idem dicunt de licentia interpretativa, quæ etsi non ei sufficiat ad valide contrahendum; sufficit tamen ad hoc, ut proprie non agat suo nomine, ideoque ut non peccet contra paupertatis votum. Imo sine Superioris licentia, et etiam contra ipsam potest accipere vel dare, si periculum non patiatur moram; *quia necessitas non subditur legi* (3).

§ II — *Votum Castitatis ac Clausuræ.*

Q. 1. *Quid de voto Castitatis ac Clausuræ?*

R. Ad 1: Ex voto castitatis religiosus obligatur ad se abstinendum ab omni voluntaria delectatione venerea tam interna quam externa; ac proinde si contra fecerit, duo peccata committit, luxuriæ ac sacrilegii. Et probabilissime etiam peccat contra cummune bonum, si periculum sit, ne ideo infametur religio.

Ad 2: Lex clausuræ, quæ tam viros quam mulieres (licet diversimode) respicit, duplex quasi est: una, quæ religiosorum egressum e claustris, altera, quæ estraneorum ingressum in claustra intuetur.

Q. 2. *An liceat religiosis e claustris egredi?*

R. Vel agitur de religiosis viris, vel de religiosis mulieribus:

1. Quoad viros habet Constitutione *Nullus* Clemens VIII: *nemo religiosorum audeat egredi e conventu, nisi ex causa et cum socio et de licentia singulis vicibus impetrata a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius: licentiæ vero generales exeundi nulli concedantur.* Suarez censet grave sine licentia in omni casu egredi, quia consuetudo est, ut talis egressus graviter puniatur. Sed communiter ac rationabiliter alii tenent id, si fiat semel aut iterum, secluso scandalo ac contemptu, nec fiat

ditione licentiæ obtinendæ aliquid accipere, vel donare, modo res recuperari et dari possit, si licentia negetur; quia actus reapse est suspensus; — 7 Si habeat licentiam dandi aliquid Paulo, et det Petro, non peccat religiosus, nisi Superior dederit licentiam pro Paulo, ob peculiarem circumstantiam, alioquin negaturus. *V.* Croix, Lugo, Sanchez, Suarez, Sylvius, S. Antoninus, etc.

(1) Est autem probabilissimum Episcopum Regularem non teneri regulis sui Ordinis, ut eruitur ex C. *Statutum*, caus. 18, q. 1; ajunt tamen probabilius, ad omnia teneri illium Regularem, qui ad parochiam tantum sit promotus, ubi non dispensetur. (2) 2, 2, q. 88, a. 11.

(3) S. Thomas, 1, 2, q. 96, a. 6.

noctu, non esse nisi leve; quia id ex se profecto leve est, nec aliunde de gravitate constat.

2. Quoad Sanctimoniales arctissima est hæc lex, quam tulit Tridentinum: *nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio etiam per breve tempus quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo probanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus* (1). — Imo neque id licet etiam causa translationis ad aliud monasterium ejusdem ordinis, vel alterius strictioris observantiæ sine licentia Sedis Apostolicæ, uti declaravit S. C. (2). Pius vero V excommunicationem papalem inflixit in Moniales clausuram violantes (3), et in receptatores vel adjuvantes. Statuit legitime non licere, *nisi ex causa magni incendii aut infirmitatis lepræ aut epidemiæ a monasteriis exire; sed neque in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licebit.* Ad incendium communiter revocatur bellum imminens, inundatio fluminis, ruina ædificii.

Q. 3. *An exteri claustra ingredi possint?*

R. Vel agitur de claustris virorum vel de claustris monialium:

Si 1, generatim numquam vetitum fuit admittere in claustra religiosorum *viros* etiam laicos. Verum etsi regula nihil injungat, munus erit superioris, ut non omnes et ita frequenter laici admittantur; quia esse non potest sine quietis ac pacis turbatione. — Diximos *viros;* mulieres enim ea ingredi (si excipiantur Reginæ ac fundatrices) sub pœna excommunicationis ipso facto ac reservatæ prohibuit Pius V tum Constit. *Decet,* tum Const. *Regularium.* Ipsi vero religiosi, qui eas admittere præsumunt, ipso facto pœnam privationis officiorum, inhabilitatis et suspensionis a divinis incurrunt.

Si 2, Tridentinum Monalium septa ingredi omnibus indiscriminatim prohibuit *sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicatione ipso facto incurrenda* (4). Quæ tunc erit reservata, si ingressus sit ad *finem malum* (id est libidinosum in sententia nostra) (5) ex S. C. sub Clemente VIII. Hæc licentia tantum in vera necessitate est danda ex eodem Tridentino, et quidem in necessitate monasterii; nam id permittitur ob illius utilitatem tantum. Est autem hæc necessitas late accipienda, pro qualibet nempe rationabili causa; in stricta enim necessitate lex humana jam cessat per se, si alia adjuncta non sint.

§ III — *Votum Obedientiæ.*

Q. 1. *Quid de voto Obedientiæ?*

R. Tali voto religiosus obligatur ad omnia quæ præcipit Superior *secundum regulas ac constitutiones,* sive præcipiat directe et explicite, ut sunt ea quæ expressa habentur in regula, v. g. silentium, abstinentia tali tempore; sive præcipiat indirecte et implicite, quæ nempe in regulis satis continentur, v. gr. pœna in transgressores statuta ad earum observantiam legitime condita,

(1) Sess. 25, c. 5 *de Regul.* (2) *V.* Suarez, *De oblig. et st. relig.* l. I et VIII.

(3) Non datur parvitas materiæ, etsi egressus fiat uno passu tantum. Ita communiter et merito Theologi. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 37. (4) Loc. cit.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, nn. 221 et seqq.

et quidquid pertinet ad officia communitatis rite obeunda. Ratio est quia religiosus, se obligando ad constitutiones, se implicite etiam obligavit ad ea quæ ad hunc finem conducunt. Ordinarie tamen peccata contra obedientiam non habentur ut mortalia, nisi agatur de re gravi, vel de gravi scandalo, vel nisi præcipiat Superior *in virtute sanctæ obedientiæ, in nomine Domini* etc.

Diximus *secundum regulas ac constituliones;* non enim obligatur iis, quæ sunt vel contra regulam (nisi adsit legitima dispensatio), cum debeat esse rationabile illius obsequium; vel supra regulam, uti essent magnæ macerationes; nam id non esset fragilitati humanæ satis attemperatum. Quod autem regulæ jubeant obedire in omnibus, id præcise non est de obligatione voti, sed de obedientiæ perfectione (1).

Quid (quæres) *si Superior præcipiat assistentiam peste infectis?* — Tenentur Religiosi obedire, si infecti sint ejusdem ordinis; quia pertinet ad bonum commune, ut sibi invicem membra subveniant. Secus si agatur de aliis, qui non sint in necessitate (semper intellige, si constitutiones id non præcipiant); nam nulla adest ratio, cui tam gravis obligatio innitatur (2).

Scholium. — *De Religiosis ejectis et fugitivis* (3).

Q. *Quid de ejectione, apostasia, et fuga a Religione?*

R. Ejectionis nomine intelligitur: *perpetua separatio Religiosi a suo ordine facta auctoritate judicis.* Ad extremum hoc remedium veniendum est tantum in extremis (4): esset 1 si religiosus in gravi ac pernicioso crimine existens notorie incorrigibilis æstimetur etiam post longam saltem unius anni pœnitentiam in jejunio et carcere; 2 si diu tolerari non possit sine ordinis infamia; 3 si in admissione impedimentum essentiale, vel valde grave reticuerit, v. g. lepram (5). — Apostata a Religione est qui post emissam professionem deserit ordinem, excusso jugo regularis disciplinæ. — Fugitivus vero ille dicitur, qui recedit a claustro vel timens sævitiam prælati, vel sibi vivere volens.

Ejecti obligantur ad votum castitatis: quoad paupertatem ejus quod acquirunt, habent usum: quoad obedientiam ac cæteras regulas, liberi sunt; nam istæ non respiciunt, nisi regulariter viventes, a quorum porro consortio ipsi juridice avulsi sunt. — E contrario apostata ac fugitivus omnibus legibus obligantur; cum adhuc sint et esse debeant de familia. Ita communiter.

Synodus Novariensis pag. 198 et seqq. de religiosis ac monialibus quædam specialia habet, atque eis injungit.

(1) Quoad obedientiam *cæcam*, ut vocant. *vid. de Rest.* Append. *de obed.*

(2) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIII, nn. 18 et seqq.

(3) *V.* Raynaudus, *De Apostasia a religiosis Ordinibus.* Romæ 1648.

(4) Urbanus VIII 1644 declaravit neminem (excepto e Societate Jesu) posse expelli, nisi sit incorrigibilis, sed tantum posse puniri jejuniis et carcere. Quod semper observandum est cum Monialibus incorrigibilibus. — Liguori, *Hom. Ap.* tr. XIII, n. 4; it. *Op. M.* l. IV, n. 79.

(5) Ejecti Episcopo subluntur, qui eos tamen ad Ordines promovere non potest. — *V.* Ferraris *Bibl. Canon.* etc. V. Ejicere.

DISPUTATIO SECUNDA

DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE CIVILI.

Homo in civili societate constitutus, vel aliquo munere publico insignitus est ad publicum bonum ; vel vitam agit privatam. Ex duplici hac conditione duplex obligationum species in societate civili: aliæ quæ hominem ligant publico munere in ipsa donatum, et obligationes publicas nuncupamus; aliæ, quæ ligant eum in vita privata easque appellamus obligationes privatas.

Obligationes publicæ exhibent: 1 obligationes Principum et Subditorum; 2 obligationes personarum ad Forum spectantium, quæ publicam justitiæ administrationem habent; 3 obligationes Medicorum, Chirurgorum et Pharmacopolarum, qui munia exercent publicum bonum proxime afficientia. — Item obligationes privatas in tres species dividimus, cum tres sint species privatarum societatum : est *paterna* quæ exhibet obligationes parentum ac filiorum (cum vero tutores ac magistri habeantur uti patres respectu minorum ac discipulorum, ideo istorum obligationes huc revocamus); *conjugalis*, quæ exhibet obligationes mariti et uxoris; *herilis*, quæ tandem exhibet obligationes dominorum ac famulorum.

CAPUT PRIMUM

DE OBLIGATIONIBUS PUBLICIS.

Q. 1. *Quænam sunt Principis obligationes?*

R. Obligationes Principis præcipuas hi versus habent :

Justam, felicem, tutam tibi perfice gentem;
Sponsæ adsis Christi; dignos arcesse ministros.

1. Nempe Princeps bonum exemplum quoad mores ac Religionem subditis præbeat. Experientia constat subditos ad imitandum Regis exemplum, in iis præsertim quæ favent cupiditatibus, maxime ferri. Ex quo vulgare illud : *Regis ad exemplum totus componitur orbis*.

2. Publicæ felicitati prospiciat mediis justis et convenientibus et opportunis: *aufer impietatem de vultu Regis, et firmabitur justitia thronus ejus* (1). Ex hoc capite graviter peccaret, si rei publicæ ignaros, imperitosque præficeret, si subditos plus æquo gravaret, etc.

(1) Prov. 25.

3. Subditos ab hostibus, et ab injustis vexatoribus omnimode tueatur; quia bonus Princeps esse debet veluti pater vigilantissimus respectu totius populi sui; ideo enim constitutus est Rex.

4. Quod omnium caput est, Catholicæ Ecclesiæ potenti patrocinio suo adsit, et omnia tam spiritualia, quam temporalia ejus jura tueatur (1): *non enim sine causa* (Princeps) *gladium portat; Dei enim minister est* (2). Neque, posthabita Religione, prosperabitur regnum; nam historia nos docet, *ex depressa sæpius sacrorum Antistitum auctoritate, et ex crescente in dies multorum contumacia in divinis et ecclesiasticis præceptis impune violandis, factum fuisse ut minueretur pariter populi obsequium erga civilem potestatem* (3). Sane: qui Deo malus est, cui bonus (4)? Hinc Leo M. scribit *regiam potestatem non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Ipse Tullius ait: *omnia Religione moventur* (5).

5. Tandem suos sibi ministros et consiliarios eligat, qui tum scientia, tum pietate præstent: *consilium impiorum longe sit* ab eo (6); *quis enim,* ait D. Ambrosius, *in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?.... An eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi? et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat* (7)? Experientia teste, mala consilia Reges ac regna pervertunt *(BB)*.

Q. 2. *Quænam obligationes Subditorum?*

R. Obligationes subditorum sunt sequentes præcipuæ: — 1 ut Principibus eorumque repræsentantibus exhibeant tum honorem, juxta illud: *Deum timete, Regem honorate* (8); tum obedientiam; nullum sane in Principibus esse potest jus imperandi, quin etiam sit in subditis obligatio obediendi; — 2 ut fidelitatem erga eosdem servent; si enim Principes tenentur subditos omni via tueri, æquitas exigit ut subditi ex parte propria fideles se eisdem exhibeant; — 3 ut justa tributa persolvant (9), quia hæc Regibus necessaria sunt, ut valeant Magistratus instituere, milites alere, et alia præstare ad publicam utilitatem (10). Hinc ille versus:

Regibus obsequere, esto fidelis, solve tributa.

(1) *V.* Liguori, *Mezzi per indurre i sudditi ad essere obbedienti a Dio* ecc.; It. *Aggiunta di alcune massime concernenti il buon goberno del regno.* — Mendo, *Il Principe perfetto.* — Scotti *Teoremi di politica cristiana;* per totum. — Stapf, § 506. — *Pontificale R.* de consecratione Regum.

(2) Rom. 13. — *Civiltà catt.* v. x, p. 248. (3) Pius IX, *Encyclica* 1849.

(4) *V.* Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo,* cap. 68.

(5) Oratio 5 in Verrem.

(6) Job, 21. — Et Prov. 11: *salus autem, ubi multa consilia:* it. Prov. 12.

(7) *De Offic.* l. II. — Puffendorff de ministris habet: *cauti sint et circumspecti; inania a solidis, vera a fabulosis discernere callidi, secretorum tenacissimi; adversus quaslibet corruptiones obstinati.* — V. Solaro Della Margherita, *Memorandum Storico-Politico,* c. 17; ed *Avvenimenti politici.*

(8) I Petr. 2. (9) De Tributis erit tract. *De Rest.* disp. 1, c. 1.

(10) *V.* Liguori, Opuscol. *La fedeltà dei vassalli verso Dio li rende fedeli anche al loro Principe.* — Gualco, *L'autorità Sovrana.* Genova 1840.

ARTICULUS II — De personis ad forum spectantibus.

§ I — *De obligationibus Accusatoris et Rei.*

Q. 1. *Quisnam accusare in judicio tenetur?*

R. Accusator dicitur qui crimen superiori uti judici defert, ut reus puniatur, cum obligatione probandi delictum, et pœnam incurrendi nisi probet. Accusatio fieri debet in scriptis exprimendo nomen accusatoris, rei, delicti; item tempus, horam, locum, etc. Accusatio differt a denuntiatione tam juridica, quæ est delatio facta superiori uti judici, sed absque obligatione delictum probandi; quam evangelica sive paterna, quæ fit superiori uti patri, nempe ad rei emendationem simpliciter. Hoc posito, accusare tenentur in judicio: — 1 fiscales, custodes agrorum, et alii qui a Republica, vel a dominis ideo stipendium accipiunt: qui si negligant, tenentur compensare damna ex eorum negligentia Reipublicæ vel dominis obvenientia; — 2 quilibet privatus, quando agitur de communi damno vitando, et crimen probari potest; unusquisque enim uti pars communitatis tenetur illius bonum pro viribus tueri etiam cum suo damno (1): *si crimen,* ait D. Thomas, *fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris: puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem seu spiritualem* (2).

Diximus: 1 quando agitur *de communi damno;* nam raro tenemur, si res sit de damno privato; tum quia accusatio sine gravi incommodo esse non potest; tum quia alioquin tribunalia essent plena accusatoribus cum Reipublicæ perturbatione. Diximus 2 quando *et crimen probari potest:* aliter sufficit rei denuntiatio, ut ita judex monitus vigilet. Imo communiter videntur concludere satis nunc esse delictum denuntiare; ne metu pœnæ incurrendæ, si illud sufficienter non probetur, deterreantur homines a criminum manifestatione (3).

Animadvertendum ex Synodo Novariensi esse reservatam *juratam falsi in judicio depositionem, aut veri reticentiam factam ab accusatore vel teste: item inductionem falsi testis jurati in judicium* (4).

An (quæres) *possit Clericus accusare coram Judice laico malefactores?*

R. Cum Dei ministros non oporteat litigare; ideo generatim a jure Canonico prohibentur Clerici ac Religiosi accusare (5). Excipiunt tamen, si accu-

(1) *V. Civiltà Cattolica,* Ser. 1ª, v. XI, art., *il denunciatore e la spia.*

(2) 2, 2, q. 68, a. 1. — Contra bonum commune sunt hæresis, rebellio, monetarum falsificatio, homicidia et furta ab assassinis ac grassatoribus: aliqui addunt suffragiorum subornationem in cathedris et in aliis electionibus.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 237. — Si delictum redundat in damnum solius delinquentis, debet præmitti correctio juxta Evangelium. *Homo Ap.,* tract. XIII, n. 74. — Jure Canonico generatim illi accusare nequeunt qui arcentur a testimonio ferendo: *Vide* Schmalzgrueber, In tit. I: lib. V. Decretal. Quinam autem repellantur in jure civili vide *Cod. civilis procedurœ civilis et criminalis.*

(4) Pag. 132. — *Quod pœnalis hispanus* in istos quoque animadvertit.

(5) Can. *Sicut,* causæ 2, q. 7.

sent reum ad hoc ut proprium damnum præcaveant, vel ut sibi resarciatur; tunc potest Clericus ac Religiosus malefactorem accusare etiam coram Judice laico. Hinc Bonifacius VIII: *si Prælati, aut Clerici propter metum hujusmodi (quia judex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere deprædandi.* Quod licet non solum in causa propria, sed etiam propriæ Ecclesiæ, vel cognatorum ad quartum gradum, vel etiam domesticorum (1).—Debet tamen Clericus et Religiosus ad vitandum irregularitatis periculum præmittere coram Judice protestationem, se non agere ad vindictam, neque ad pœnam sanguinis; bene vero ad solum sui, vel suorum defensionem et justitiæ triumphum (2). Quæ protestatio si omittitur, etsi per oblivionem inculpabilem, adhuc irregularitas incurritur; quia oblivio excusat a culpa, non ab hac irregularitate, quæ inducta est lenitatis causa (3).

Q. 2. *An reus Judici interroganti teneatur crimen confiteri?*

R. Reus in civilibus a re, quæ petitur; in criminalibus qui crimen admisit, appellatur. Porro reus judici legitime et juridice interroganti tenetur utique sub mortali respondere, veritatem candide aperiendo (nisi agatur de crimine capitali, aut alio valde gravi); Judex enim habet jus veritatem hanc a reo petendi: ergo repugnat esse simul in reo jus eam negandi. Hinc Benedictus XIV Const. *Paterna charitas* anno 1749 generatim docet negandam esse absolutionem reis renuentibus; cum multum ac semper pertineat ad commune bonum, ut dignoscantur et puniantur. Quod saltem de præsenti casu est accipiendum, maxime si pœna, quæ timetur, sit ecclesiastica; quia hæc est medicinalis.

Quid (dices) *si sit sermo de crimine capitali, aut alio valde gravi? teneturne in conscientia reus legitime interrogatus illud confiteri?*—Tunc est distinguendum: vel bonum publicum aliquam in illa veritatis inquisitione partem habet, v. g. si agatur de crimine perduellionis: vel habet nullam, v. g. si agatur de cognoscendo auctore mortis alicujus personæ privatæ et vilis, quæ sit sine consectariis. Si 1, tenetur reus veritatem dicere; quia bonum publicum bono cujuscumque privati semper est præferendum; et idem dicendum, si non sit spes pœnam evadendi; cum cesset ratio delictum celandi. Si 2, satis probabile est etiam intrinsece (quamvis contrarium ex dicta ratione habeamus uti probabilius) reum ad criminis confessionem minime teneri. Quia dura omnino esset lex, qua quis, cessante causa boni publici, teneretur sub peccato seipsum ad mortem vel aliam pœnam gravissimam condemnare, crimen suum ex se manifestando, quod tamen alias plane maneret occultum (4).

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, n. 468. (2) *C. Prælatis de hom.* in 6.

(3) Non incurritur irregularitas, si protestatio fiat post accusationem, tamen ante sententiam: item valet si ficte sit posita; nam lex non respicit animum interius, sed factum externum. Ita Concina, Filliucius, Suarez, etc.

(4) Nec dicas, ipsum bonum publicum semper et in quolibet casu vim suam habere: tunc enim dicendum esset, reum ne posse quidem e carcere fugam arripere, cum æqualis sit ratio utriusque casus. Omnes tamen conveniunt, uti par est, quod si reus sit in bona fide, et difficile inducatur

Quid (quæres) *si Judex non interroget legitime, nec juridice*?—Hoc in casu ait D. Thomas, *non tenetur ei accusatus respondere; sed potest vel appellatione, vel aliter licite subterfugere: mendacium tamen dicere non licet* (1); Judex enim non habet auctoritatem, nisi quando et legitime et juridice interrogat. Sic non interrogaret legitime, puta si pro eo casu non sit a principe deputatus; non interrogaret juridice, si v. g. aliqua semiplena probatio non præcesserit, neque extet infamia, aut aliud manifestum criminis indicium, quod in loco sit accusationis virtualis.—Imo si agatur de re gravi, et rationabiliter reus dubitet, an interrogetur legitime ac juridice, non tenetur respondere, ut absolute docent Layman, Lessius, Lugo, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez aliique; quia ipse possidet vitam et famam suam: ac proinde jus habet utramque sibi conservandi, donec sibi constet de legitima interrogatione.

An (inquires) *reus teneatur revelare socios sui criminis*?—Si bonum commune revelationem expostulat, reus ad illam tenetur; quia bonum commune semper est præferendum bono privato: item est de bono gravi alicujus innocentis; quia in pari causa ejus conditio melior est. Si vero neque bonum commune, neque bonum grave innocentis id postulet, tunc si socii sunt omnino occulti, ita ut nullis nec indiciis nec testimoniis cognosci et convinci possint, reus non tenetur eos revelare; quia in hoc casu adhuc ipsi retinent jus ad propriam famam. Secus si non sint omnino occulti: erunt revelandi ob rationem oppositam, cum Judex tunc legitime interroget *(CC)*.

Q. 3. *An reus, qui vere deliquit, possit a carcere fugere*?

R. Si carcer reo jam est per sententiam adsignatus ad pœnam, nefas videtur fugam arripere, quia in executione sententiæ reus tenetur obedire. Quidam excipiunt, si ipse in carcere privetur necessariis ad sustentationem; vel si carcer sit saluti corporis nimis noxius, aut animæ periculosus; quia tunc videtur supra vires aliquem obligari ad se minime liberandum, cum id possit sine vi.—Si vero carcer non sit reo per sententiam adsignatus, tunc ipse poterit fugam arripere, modo id fiat sine corruptione ministrorum, sine damno alicujus, uno verbo sine mediis per se malis; ratio est, quia ante Judicis sententiam nemo tenetur solvere pœnam (2).

§ II—*De obligationibus Judicum* (3) *et Testium.*

Q. 1. *Quid requiritur in Judice, ut recte munere suo fungatur*?

R. Judex est persona publica legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam administret, atque in delinquentes pœnas decernat. Sic dicitur vel quia jus dicit, vel quia partium jura disceptat juxta legum præscripta. In eo requiritur:

ad crimen fatendum, Confessarius cum relinquere debet in sua bona fide ad vitandum formale peccatum.

(1) 2, 2, q. 69, a. 1. — Liguori, *Opus Morale*, l. IV, n. 197.

(2) Idem est, si quis fuerit damnatus ad mortem, vel ad aliam pœnam gravissimam, modo illi ad pœnam hanc non fuerit adsignatus carcer; quia sententia non damnat reum ad non fugiendum, sed ad non resistendum ministris cum sententiam exequuntur.

(3) Hic vid. *Civ. Catt.* v. x: pubblicità della discussione ne'giudizi.

1. *Scientia sufficiens* earum rerum quæ ad proprium officium pertinent, et sine quarum cognitione munus suum exercere recte non valet, uti est notitia juris communis et patrii, ac consuetudinum locorum: *erudimini,* inquit R. Psaltes (1), *qui judicatis terram.*—Ignarus Judex non potest absolvi nisi illico discat, aut officium paratus sit dimittere.

2. *Recta intentio et animi fortitudo,* ita ut nec odio nec amori nec promissionibus nec precibus nec minis cedat, sed solum conscientiæ suæ dictamen sequatur, clamante Ecclesiastico: *noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua* (2).

3. *Sollicitudo* in causis expediendis; hoc enim et æquitati convenit et rigori (3). Quare peccat mortaliter sententiam differendo sine justa causa per multum temporis spatium; et tenetur compensare damna, quorum per injustam illam dilationem est auctor (4).

4. *Sententiæ prolatio* juxta legis præscripta; Judex enim non est dominus, sed executor legis: et *si in omnibus, maxime tamen in jure æquitas spectanda est* (5).—Has obligationes sequens exhibet versus:

Jura sciens, purus, fortis, vigil, efferat æquum.

Ad quid (quæres) *tenetur Judex, qui injustam tulit sententiam?*—Vel Judex injustam tulit sententiam aut dolo aut magna imperitia aut negligentia in causa discutienda; vel id fecit per oblivionem inculpabilem et ex humana fragilitate. Si 1, cum sit in culpa, patet damnum partis læsæ ipsum in se transtulisse et teneri ad restitutionem; nam tenetur ex quasi-contractu cum privatis ad munus suum rite adimplendum: unde si delinquat, violat non solum justitiam legalem, sed etiam commutativam. Si 2, non obligatur quidem in conscientia ad restitutionem in propriis, quia culpam non commisit; sed tenetur in conscientia (si commode potest) errorem emendare, v. g. monendo partem læsam, ut per apellationem vel aliter sibi consulat; alioquin ipsius error fieret voluntarius.

Q. 2. *An Judex possit condemnare reum, quem privata scientia scit talem revera esse; sed juridice probetur innocens?*

R. Non potest Judex eum damnare, qui juridice probatur innocens, etsi privata scientia eum reum esse cognoverit; quia Judex personam publicam agit, et ideo sequi debet scientiam publicam et procedere juxta publice allegata et probata, præsertim in favorabilibus. Ita S. Thomas cum communi Doctorum (6).

(1) Ps. 2. (2) Ecclesiast. 7. (3) Cap. 2 *de sent. et re jud.*

(4) *Lites interest reipublicæ quanto citius finiri; etenim non solum consumuntur familiæ in expensis et jurgiis, verum etiam in illis distenti publicis muneribus vacare et aliorum hominum commodo deservire prohibentur.* Ita Rota Rom. Decr. Recent. 146, *n.* 6, p. 1. Et ipse Justinianus Imperator *L. properandum ff.*: *de judiciis* conquerebatur, quod *lites fierent pene perennes et vitæ hominum modum excederent.* Unde Tridentinum volens providere ait (Sess. 25, cap. 10 de Ref.): *admonet S. Synodus tam ordinarios, quam alios quoscumque judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant* etc.— *V.* Muratori, *Dei difetti della Giurisprudenza,* cap. 14.

(5) L. 9 *de reg. jur.*

(6) 2, 2, q. 67, a. 2. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIII, nn. 67 et seqq.

Quid (dices) *si Judex privata scientia certo sciat, reum esse innocentem, qui tamen juridice probatur nocens?*—Si agitur de causa criminali et pœna corporali, res non est ita certa. Alii dicunt cum D. Thoma, Alasia, Cajetano, Paludano, Sanchez, Soto et aliis, posse, imo debere a Judice reum illum condemnari, caso quo nulla supersit via eum liberandi, v. g. impediendo accusationem, suspendendo judicium, remittendo causam ad superiorem, etc. Nam judicii norma non pendet a privata Judicis scientia. Sed alii valde probabiliter id negant cum D. Bonaventura, Lessio, Navarro, Pontas, Stuardi, et fuse probat Holzman; ratio quia directe occidere innocentem est per se et intrinsece malum: unde contendunt eo in casu saltem esse desistendum a judicio.—Si vero agatur de causa civili et pœna pecuniaria, tunc Judex procul dubio judicare debet secundum allegata et probata, postquam alias vias tentaverit ad innocentiam detegendam. Ratio discriminis est, quod Respublica non habet dominium directum vitæ et corporis subditorum, ideoque non potest directe occidere innocentem; habet tamen supremum dominium bonorum ideoque potest subditos suos iisdem privare, quando bonum publicum id requirat ad pacem et tranquillitatem regni, et ne forma publicorum judiciorum cum scandalo subvertatur.

An juratus (juez de hecho) *dare possit votum contra accusatum, juridice quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit?*—Negat Gury: quia hoc videtur contra mentem legis (1); jurati enim pronuntiare debent tantum circa factum, ac juxta intimam convictionem, quam de ejus existentia habent: nec tenentur legalem reddere sententiæ rationem; ergo votum dare debent juxta quod in conscientia habent, non aliud inquirentes.

Quomodo (quæres) *se gerere debet Judex in causa, in qua, perpensis omnibus, æqualis est probabilitas ex utraque parte?*—Si causa est criminalis, Judex debet semper judicare pro reo; quia est regula juris *nemo præsumitur malus, nisi probetur: et in dubio semper reo favendum est.* Si causa est civilis, tunc si una pars bona fide jam possidet rem, de qua est controversia, favendum est possidenti; quia in dubio *melior est illius conditio:* si neutra pars rem possideat, res erit ex æquo dividenda, excluso quocumque Judicis arbitrio; quia ipse non est rerum dominus, sed solum distributor juxta partium jura: jura autem hic æqualia sunt ex hypothesi.

Q. 3. *An liceat Judici dona accipere a litigantibus?*

R. Cum distinctione: vel agitur de donis gravis momenti, quæ quidem aliquo modo saltem indirecte videntur exigi, aut in quibus videre est aliquod corruptionis periculum. Vel agitur de levibus tantum munusculis sponte omnino oblatis, in quibus nullum est corruptionis periculum, quæque neque directe neque indirecte exiguntur.

Si 1, nefas est accipere sive pro sententia justa, quia ea jam proferri debet ex officio; sive pro injusta, quia hæc non est proferrenda: quo in casu etiam

(1) Jurati sunt (vel esse debent) probi viri, qui ex quocumque cœtu assumuntur ad pronunciandum, num in tali scripto, imagine, vel incisione aliquid contineatur contra mores, vel personas: juramentum emittunt de voto dando conscientiose.—*V. Civiltà Cattolica*, vol. 10, pag. 621, art. *Il giury.*

qui munera tribuit, peccat quia cooperatur injustæ acceptioni.—Si 2, non videtur id posse reprobari, maxime accedente consuetudine; cum enim ea ex sola urbanitate offerantur, quasi inurbane refutarentur. Probat jus Canonicum, ubi recipi posse dicitur *forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus* (1). Attamen pro praxi aperte dicimus, quod semper consultius erit, ut Judex nihil accipiat; tum quia partes non omnino sponte offerunt; tum *quia dona excœcant oculos judicum* (2), et iterum: *qui odit munera, vivet* (3) habet Scriptura.

Hinc merito jure civili Judici ac cæteris officialibus publicis quidpiam accipere a litigantibus prohibetur sub gravibus pœnis (4).

Quid (dices) *si Judex dona jam acceperit?*—Judex si dona pro sententia justa jam accepit, tenetur acceptum restituere; quia nullum habet titulum retinendi. Si pro sententia injusta accepit, est probabile eum teneri ad restitutionem; quia actio peccaminosa nullo pretio digna est: sed opinio probabilior et communis docet contrarium cum Cajetano, Croix, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Vasquez et Viva. Ratio potior hæc videtur, quod nempe lex naturalis omnino velit ut in quocumque contractu oneroso, *do ut des, facio ut facias*, quando una pars opus suum præstiterit quod ex justitia præstare non tenebatur, teneatur omnino et altera præstare suum (5).

Quid (addes) *si Judex aliquid accipiat pro expedienda causa unius præ causa alterius?* — Verius tunc Judex tenetur ad restitutionem, cum id non sit pretio æstimabile: etenim ex justitia, id est vi officii sui tenetur æqualiter causas expedire eorum qui æqualiter jus habent. Excipe laborem extraordinarium præstitum, ad quem quidem ex munere suo non teneretur.

Q. 4. *Quid de Judicis inquisitione?*

R. Inquisitio judicialis definitur: *actus judicis ad detegendum, an aliqua persona aliquod delictum patraverit, ut si illud patraverit, puniatur tum ad publicam delicti vindictam, tum in exemplum aliorum.* Triplex distinguenda est inquisitio: alia *omnino generalis*, si nempe in genere inquiratur an subditi servent leges, et crimina evitent; alia *omnino specialis*, qua de certa persona et de certo crimine quæritur, v. g. an Petrus commiserit furtum; alia est *mixta*, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona, ut si quæratur quis fecerit istud homicidium; vel an Petrus servet synodales constitutiones.

Potest Judex sine ulla causa et præcedenti occasione, sed sola ratione officii sui instituere *inquisitionem generalem;* quia ita exigit bonum Reipublicæ, neque alicui irrogatur injuria (6). Licet autem quorumdam detegantur delicta, id contingit per accidens ac præter intentionem, cui incommodo prævalet bonum commune. Sed non potest instituere *inquisitionem specialem*, nisi præcesserit vel semiprobatio, vel infamia judicialiter contestata, vel clamorosa insinuatio, idest rumor multorum de crimine et de criminoso;

(1) Bonifacius VIII, l. I, t. 3, c. 11, § *insuper* in 6.

(2) Ecclesiast. 20. (3) Prov. 15. (4) Leyes 8 et 9 tit. 1, Lib. 11, Nov. Rec.

(5) Obstrictus tamen semper esset ad restituendum parti læsæ, casu quo causa movens, nempe donans, non restitueret. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 712.

(6) Ex c. 1 *de offic. judic.*

sic enim exigit ordinis publici conservatio et fama subditorum (1). Quoad *mixtam* autem distinguendum est: inquisitio generalis quoad personam, specialis vero quoad delictum, ut si quæratur quis patraverit tale homicidium, licita est; nulli enim irrogatur injuria, et publico bono providetur. At inquisitio specialis quoad personam, generalis quoad delictum, v. g. an Titius aliqua crimina pertraverit, judicialiter non potest fieri, cum hoc esset sine causa infamare (2).

Q. 5. *Quid de probationibus in judicio?*

R. Probatio est *rei dubiæ seu controversæ per legitima argumenta ostensio:* quæ argumenta potissimum desumuntur ex locis extrinsecis, ut testibus, instrumentis. Probatio alia est *plena*, quæ tantam fidem facit Judici, ut sufficiat ad decisionem causæ: hanc faciunt testimonium duorum, instrumentum authenticum, Jusjurandum ad relationem partis præstitum, etc. Alia est *semiplena*, quæ facit Judici aliquam fidem, sed non sufficientem ad causæ decisionem: hanc inducunt, v. g. unius testis depositio, scriptura privata non authentica, comparatio litterarum, levis præsumptio, etc.; et hæc dant locum juramento suppletorio et cum aliis adminiculis faciunt plenam probationem (3).

Q. 6. *An Judicis sententia obliget?*

R. Si Judicis sententia est injusta, non obligat in foro conscientiæ. Est commune cum S. Thoma; nam sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem justi judicii. Diximus:—1 *si est injuxta;* si enim justa est, obligat profecto, cum sit legitimum superioris præceptum:—2 quod, injusta, non obligat in foro conscientiæ; nam in foro externo servanda esset, si exterius uti juste prolata habeatur: idque ad plurima scandala cavenda atque incommoda (4).

Q. 7. *An Judex possit litem facere propriam per cessionem litigantis?*

R. Cum distinctione: vel agitur de lite et juribus litigiosis, quorum definitio non pertinet ad forum ubi Judex munus suum exercet; vel de lite et juribus litigiosis, quæ pertinent ad forum ipsius judicis.—Si 1, utique judex potest litem facere propriam, cum nulla lex id prohibeat, ac quoad hoc ipse habeatur uti persona privata.—Si 2, non potest.

Q. 8. *Quid de Testibus dicendum occurrit* (5)?

R. Testes in genere sunt personæ idoneæ, quæ ad fidem alicujus rei adstruendam adhibentur: præcipui alii sunt *testamentarii* qui in testamento, alii *instrumentarii* qui in instrumento, alii *judiciales* qui in judicio adhibentur. Necessario juramentum prærequiritur in depositione testium, adeo ut, in tertii præjudicium, nulla fides adhibeatur testi qui non sit jurisjurandi

(1) Ex c. 21 et 23 *de accus.*

(2) Si tamen inquisitio non sit ad pœnitentiam sed simplicem emendationem, id est si inquisitio specialis sit paterna, non judicialis; licita est. Constat ex universali consuetudine: patet enim quod Episcopi eorumque visitatores in Diœcesis visitatione (quam ordinarie nonnisi paterne faciunt), de Parochis et aliis clericis in specie inquirere et indagare soleant, quomodo se gerant, an leges observent, etc. Quod valet etiam de superioribus sæcularibus. *Bouix.*

(3) *V.* Maschardus, *De probationibus.* — Maschat, *Jus canon.* v. I, l. XI, t. 19.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 215.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, nn. 255 et seqq.

religione coarctatus. Testes dicuntur *contestes*, si concorditer deponant super eodem facto; *singulares*, si ipsi in testimonio non concordent.

Ad testandum neque omnes, neque in omnibus rebus, neque eodem semper numero ordinarie assumuntur homines. *Non omnes:* sic excluduntur infames, qui in materia civili falsum jurejurando deposuerunt, etc. (1). *Non in omnibus rebus:* sic v. g. regulariter non admittuntur testes circa conventionem de re excedente libellarum 300 valorem. *Non eodem semper numero;* nam aliquando unus testis sufficit; uti si agatur vel de impediendo matrimonio illegitimo (2); vel de levioribus infligendis pœnis, uti cum mulctatur fur sylvarum; vel de perito in sua arte, id enim expedit bono publico. Aliquando autem plures testes requiruntur; ut contingit in testamentis. Verum ordinarie duo testes sufficiunt in omni causa; nam ex Angelico ad humanas actiones probandas sufficit certitudo moralis. Hinc illud: *duorum hominum testimonium verum est* (3).

Tenetur quilibet testari:—1 ex charitate, cum nempe id necessarium est ad avertendum grave vel proximi vel Reipublicæ dámnum;—2 ex præcepto, cum judex legitime et juridice interrogat; præceptum enim justum obligat in conscientia. Porro judex censetur *legitime* interrogare, si de ea re interroget quæ esse possit materia ejus judicii. Unde ex hoc capite non teneris respondere, si te interroget de auditis in Confessione, aut si deberes testificari in tui vel tuorum damnum; nam præceptum humanum regulariter non obligat cum tanto incommodo. Censetur interrogare *juridice*, cum adest semiplena probatio, v. g. vel unus adest testis de visu aut de auditu proprio, vel adest notorietas aut infamia criminis aut manifestum indicium, vel si accusator se offerat ad delictum pluribus testimoniis probandum (4).

Sed (quæres) *an etiam Ecclesiasticus possit citari ut testis coram Judice laico?*—Habita licentia a proprio superiore, ut ita salventur, si qui vigent Canones (5), utique Clericus potest citari ut testis coram judice laico (6); ne scilicet in defectu pereat justitia. Hinc testimonium ferre munus publicum habetur. Juramentum autem de veritate dicenda emittet Ecclesiasticus non tactis Scripturis more laicorum, sed tacto sibi pectore more Sacerdotali. Cæterum hic animadvertendum est, quod si Clericus citetur uti testis in causa criminali (ad vitandum irregularitatis periculum) debet præmittere protestationem præscriptam a Bonifacio VIII, sé nempe id non agere nec ad vindictam nec ad pœnam sanguinis, sed tantum vel ad defensionem sui aut suorum, vel ad veritatis manifestationem ac justitiæ publicæ utilitatem.

Q. 9. *Quibus in casibus testis peccat in judicio?*

(1) Ley 8, 10, 14 et 15, tit. 16. Part. 3. — Ley 18, 19 et 20 ejusd. Part. etc.

(2) C. *Præterea* 2 *de spons.*

(3) *Joann.* 8. Canonico jure, tit. 20, lib. II, Decret. plures excluduntur a testimonio ferendo, ut furiosi, impuberes, cœci, pecunia corrupti, infames, criminosi, perjuri, excommunicati, viles, parentes, conjuges in invicem, famuli, fœmina, socius criminis, etc.; quæ tamen omnia habent suam exceptionem.

(4) Hæc omnia æquivalent semiplenæ probationi, qua interveniente, delictum non amplius dicitur secretum; ac proinde Judex habet jus, ut testis veritatem candide aperiat ad bonum publicum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 265. (5) Ex Cap. *Nullus* 22, can. 22, q. 5.

(6) *V.* Ferraris, *Bibliot. Concion.* etc. V. *Testis*, art. 1; et V. *Juramentum*, art. 2, n. 44.

R. Peccat in judicio testis: 1 si affirmet quod ignorat; nam esset mendacium perniciosum: vel si veritatem aperiat quam celare deberet; hæc enim imprudentia vergit in damnum alterius; 2 si pretium pro dicenda veritate acceptet; cum eam gratis dicere omni jure teneatur. Quod si testis cum damno alterius falsum deposuit si id fecit ex ignorantia invincibili, ex inadvertentia, aut oblivione inculpabili, tenetur quod dixit, retractare, ac damnum eo quo potest modo impedire, non vero illatum reparare, nec grave detrimentum subire ad tollendam causam inculpabiliter positam; cum nulla ratione peccaverit, neque aliquid sit consecutus. Si vero id fecit scienter, tenetur testis non solum reparare omnia damna, quæ jam evenerunt; sed etiam damnosum testimonium ex justitia revocare cum pari suo damno: ergo etiam cum periculo vitæ, si accusatus vi testimonii falsi ad mortem fuerit condemnatus. Ratio, quia in pari causa melior est conditio innocentis.

Hic notandum, jus civile graviter animadvertere in falsos testes.

Q. 10. *An teneatur ad restitutionem testis, qui Judici legitime interroganti veritatem celavit dicens*, se nihil scire?

R. Affirmant Salmanticenses, Sanchez, Sotus, aliique teneri ad restituendum cui venit damnum, testem qui in judicio veritatem celavit; quia ex justitia ob bonum publicum tenebatur veritatem fateri. Sed Lugo, Molina, Raynaldus cum aliis id negant, quod merito Lessius putat probabile; quia revera testis non tenetur veritatem deponere, nisi *vel* ex præcepto judicis, *vel* vi præstiti juramenti. Tacendo itaque veritatem non peccavit contra justitiam (1); sed tantummodo contra obedientiam, vel etiam contra religionem (2). Quod valere dicunt probabilius, etsi testis juraverit se dicturum veritatem; nam jurando non intendit se ligare, nisi religionis vinculo. Imo hoc idem verius, ac communissime adhuc obtinere ajunt de eo, qui sine causa se occultat ante citationem. Imo communius et probabilius etiam post citationem; nam *ante* sola charitas, *post* etiam obedientia; in neutro tamen casu obligat commutativa justitia. Attamen in foro externo qui hæc agit, punitur; cum ideo justitia legalis impediatur (3).

Q. 11. *Quid* (dices) *de illo, qui scripturam, chirographum aut epocham supponit vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus suum certum prosequendum?*

R. 1: Nullatenus iste peccat contra justitiam commutativam, et proinde ad

(1) Intellige commutativam; utique enim peccaret contra legalem; quia quilibet civis utpote pars societatis tenetur quantum in se est publico bono prospicere: facit autem ad publicum bonum ut impii puniantur. Imo vel contra ipsam commutativam justitiam peccaret, qui veritatem non deponeret, casu quo fuerit vocatus ad testificandum de contractu cujus fuit testis: tunc enim ipse assumendo testis officium, sese implicito pacto obligavit ad testificandum, quando ipsius testificatione contrahentes indigerent.

(2) Dispar autem est conditio judicis a teste; judex enim ex quasi-contractu cum Republica inito tenetur ratione oficii sui et ex justitia justam sententiam ferre, et ideo si negligat, tenetur ad restitutionem. Testis vero non ex justitia commutativa, sed tantum ex obedientia et Religione tenetur ad illud officium, vel ex justitia legali. Neque suo mendacio aliquod positivum impedimentum posuit, sed simpliciter impedimentum non removit: unde damni non est vera ac positiva causa, sed negativa tantum.

(3) *V.* pro Hispan. Reg. Decr. 11 Sept. 1820, restaur. 30 Aug. 1836.

nullam restitutionem tenetur; cum ejus jus sit certum; 2 peccat saltem venialiter in omni casu, ratione mendacii; quia utcumque res se habeat, chirographum quod exhibetur, diversum ab illo est, quod in judicio fidem facere debet; 3 potest aliquando peccare graviter contra charitatem erga seipsum, se exponendo proximo periculo gravissimarum pœnarum, si falsitas detegatur, quod facile evenire potest.

§ III — *De Advocatis, Procuratoribus, Referentibus, Secretariis et Notariis.*

Q. 1. *Quænam sunt Advocati obligationes?*

R. Advocatus vel causidicus ille est, qui suum litigantibus præbet auxilium vel consilio vel voce vel scripto.

In Advocatis, ex justitia tum legali erga societatem, tunc commutativa erga litigantes, requiritur:—1 scientia sufficiens, ne se periculo exponant graviter nocendi;—2 justitia causæ, nam injustum est injustitiam tueri;—3 vigilantia ac diligentia, ideo enim conducti sunt, ut utiliter negotium gerant, —4 pretium justum, nam excessus in omni re malus est. Unde si a lege sit taxatum, illud tenendum: sin autem, prudentum judicio et proborum consuetudini erit accommodandum. Qua in re hoc etiam observamus, quod ipse Advocatus aliquando teneatur gratis patrocinari, nempe in extrema cum gravi suo incommodo, in gravi vero necessitate proximi cum aliquali suo incommodo: ratio est lex charitatis. Hinc illud: *qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses* (1). Quamquam sapienter a lege suus pauperibus Advocatus designatus est.—Hinc illud:

Sit sapiens, justus, vigilans, pretio moderatus.

Ad quid (quæres) *tenetur Advocatus antequam causæ patrocinium suscipiat?* —Advocatus antequam patrocinium suscipiat, tenetur accurate perpendere causæ æquitatem et probabilitatem. *Æquitatem;* iniquum enim esset tueri injustitiam: *probabilitatem*, ne temere clientem ignarum periculo litis amittendæ exponat. Quare concludimus, Advocatum teneri ad restitutionem, si cum falsa promissione vel inani victoriæ spe sumptibus clientem involvit. Quod etiam dicendum, si statum causæ, seu illius amittendæ periculum ei indicare neglexerit, quo cognito, cliens non litigaret; deficeret tunc Advocatus in eo, ob quod stipendium accipit.

In ipsa vero causa tractanda hæc agere debet Advocatus:

1. Debet illam adhibere curam, quam in simili negotio adhiberent viri prudentes ejusdem conditionis absque ulla personarum distinctione. Hinc si differat causæ expeditionem cum clientis sui præjudicio, vel plures acceptet quam possit expedire, peccat profecto, et tenetur ad restitutionem. Nam ex stricto justitiæ præcepto debet clientis sui bono providere tempore et modo congruo.

2. Tenetur veritatem in omnibus sequi; nam mendacium semper peccatum est. Quare peccat si producat scripturas falsas, vel testes corruptos: item si falsas proferat leges, vel usu jam abrogatas, vel eas in falsos sensus detor-

(1) Prov. 24.

queat. S. Thomas tamen docet non peccare Advocatum, si adversario in causa manifeste justa aliquid prudenter occultet (dummodo nulla utatur falsitate, allegando v. g. falsa, vel mendacium proferendo); quia esset sinere, ut ipse se decipiat (1).

3. Tenetur rationes et fundamenta clientis, quem juste defendit, et secreta causæ adversario caute celare. Quod si ea patefecerit, et ideo cliens causam suam amiserit alias eam victurus, teneretur ad restitutionem; quia contra officium fecisset.

Sed (quæres) *an Advocatus in causa dubia possit tam actoris, quam rei partes suscipere?* — Si causa est civilis, potest utique tam actoris quam rei partes suscipere; uterque enim habet jus rationes suas in judicio proferendi: ecur ergo facultatem non habebit Advocatus eosdem patrocinandi? Si vero causa est criminalis, non licet ei partem tueri actoris contra reum; in dubio enim judex non potest decernere pœnam adversus reum; ergo neque Advocatus eamdem prosequi: alioquin ad iniquam sententiam impelleret. — Est autem communius cum Lorca, Lugo et Sanchez, quibus et nos adhæremus, posse Advocatum causam etiam minus probabilem defendere; tum quia hæc opinio potest in decursu disquisitionis judiciariæ evadere probabilior, uti sæpe contingit; tum quia multoties opinio, quæ Advocato apparet minus probabilis, potest judici probabilior apparere (tenetur tamen Advocatus admonere clientem de minori suæ causa probabilitate, si adhuc velit litem prosequi). Sed notandum, quod hæc doctrina currit tantum, si probabilitas sit juris; nam in dubio facti, jam erit eo ipso certum jus rei, et per consequens non poterit contra illud Advocatus præstare suum patrocinium (2). Cæterum in causa criminali reum potest defendere, etsi ejus crimen certo cognoscat; sicut enim reus pœnam quam meruit, tuta potest conscientia a se declinare, donec convincatur; ita licet Advocato quærere média, ne convincatur, dummodo tamen neque mendacio neque aliis fraudibus utatur.

Ad quid (quæres) *tenetur Advocatus, qui causam injustam agit?*

Statim ac Advocatus cognoscit injustitiam suæ causæ, debet clientem admonere et eum deserere, ne illius injustitiæ cooperetur: quo in casu neque potest compositionem suadere; cum ea non habeat locum, nisi in re dubia (3). — At si nihilominus causam injustam egerit, tenetur compensare

(1) 2, 2, q. 71, a. 3. Hic autem notandum, quod non ideo tenetur Advocatus restituere, quia fraudulenter egit; potest enim nihilominus causa sua esse justa. Quo in casu peccaret quidem fraudulenter agendo, ac injuriam irrogaret reipublicæ pervertendo ordinem judicii, sed nihil deberet alteri parti, cum de facto pars contraria non fuisset injuste læsa.

(2) Duplex potest esse dubium in causa: facti et juris. Dubium facti est, si dubitetur v. g. an homo fuisset sui compos, cum testamentum confecit; an Titius commiserit tale delictum, etc.: et pro hujusmodi dubiis sunt plures juris naturalis et positivi regulæ observandæ, v. g. in dubio favendum est reo potius quam actori. Dubium juris est, quando dubitatur quid præcipiat jus in tali casu; an lex extendatur necne ad casum ipsum; etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 222 et seqq.

(3) Posset tamen compositionem suadere adversario, si Advocatus prævideat quod suus cliens ipsum erit vexaturus; esset enim ei suadere redemptionem ab injusta vexatione. Non tamen posset adversario injustitiam causæ sui clientis aperire, ut docet Angelicus 2, 2, q. 71, a 2, nisi forte adversarius capite plectendus esset, et cliens contra ipsum injuste procederet.

damna omnia quæ inde utrique parti obveniunt: parti quidem contrariæ restituere tenetur ex peccato commissionis quia illi fuit causa positiva damni; suo autem clienti, si erat in bona fide, ex peccato omissionis, quia ex officio eum monere tenebatur de causæ injustitia. Si tamen cliens sit in mala fide, tunc hic tenetur primum restituere uti mandans; et si non restituat, tenebitur Advocatus secondo loco, uti executor.

Q. 2. *Quænam sunt obligationes Procuratorum?*

R. Procurator ille est, qui litigantes mandato et nomine causam in judicio prosequitur. In ipso (sicuti in Advocatis) requiritur *scientia*, *justitia*, *fidelitas*, *diligentia* et *justum pretium*. Hinc maxime peccare dicendus est Procurator:—1 si litem suscipiat injustam; vel plures causas procuret quam possit opportune expedire; vel si plus mercedis accipiat quam mereatur;—2 si reo vel actori suadeat, ut veritatem neget, aut si incuria sua vel culpa causa perdatur; — 3 si tribunali vel foro sine legitimo impedimento non intersit, cum debet; vel litigantes inducat ad compositionem injustam; aut differat causam, vel judicem pervertat, vel terminos petat superfluos; — 4 si falsos testes adhibeat, etc. In his enim omnibus deficit in officio proprio; ideo tenetur de damnis. Hinc versus:

Injustus, mendax, deses, fraudator agendo.

Q. 3. *Quænam sunt obligationes Referentium in judicio* (1)?

R. Referentes vel Ponentes ii sunt, quibus litis examen committitur, ut illam judicibus referant definiendam. Debent autem primo recte scire quæ ad munus proprium pertinent: deinde necessariam adhibere diligentiam, ut iisdem faciant satis; alioquin ipsis merito imputabuntur obventura damna, cum voluntarie tantum munus susceperint imperiti. Ponentes in his maxime deficiunt: — 1 si ex ignorantia male referant, aut quidquam ad causæ substantiam in relatione prætermittant; — 2 si nitantur magis unius, quam alterius partis rationes explicare; vel si sententiam alterutri manifestent, antequam legitime edita sit, si inde oriantur damna.

Q. 4. *Quænam sunt obligationes Secretariorum?*

R. Secretarius dicitur qui legitima auctoritate est deputatus, ut scripto referat testimonia, judicum sententias, cæteraque omnia quæ in tribunalibus peraguntur: unde patet quantæ prudentiæ sit Secretarii munus; est enim ipse quasi dextera Judicis. Porro præter scientiam muneri suo necessariam, tenetur Secretarius: — 1 inviolatum (ut ipsum nomen indicat) secretum servare, qua de causa et juramentum emittit; — 2 sine Judicis præcepto et processum litis et aliud quidquam, quod ad eumdem pertineat, partibus non aperire; — 3 testium depositiones fideliter transcribere: et graviter peccaret, si quid in iis recipiendis ipse per se augeret, detraheret vel immutaret in re gravi ad causæ substantiam pertinenti (2).

Q. 5. *Quænam sunt obligationes Notarii seu Tabellionis publici?*

R. Notarius dicitur qui legitime est institutus ad scribenda et notanda acta vel instrumenta quæ sive in judicio sive extra fidem faciunt. Notarii mu-

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 227.

(2) *V.* Parisis, *Istruzioni per la gioventù impiegata nelle Segreterie.* Roma 1781.

nus gravissimum est; cum ei publica fides sit commissa. Huc autem præcipuæ illius obligationes reducuntur:

Expertus, fidus, diligens Notarius esto.

1. *Expertus:* unde peccat graviter contra justitiam, si ex officii sui ignorantia vel negligentia solemnitates necessarias omittat, adeo ut actus nullus evadat; 2 *fidelis:* unde graviter item contra justitiam peccat, si juramentum violet vel secretum, si in depositione testium aliquid addat aut detrahat gravis momenti; 3 *diligens:* unde graviter peccat, et de restitutione tenetur, si acta negligenter custodiat, vel si differat absque justo impedimento causæ expeditionem; vel si efficiat, ut processus et causa ad alios judices aut referentes deveniat, quam fori ordo expostulet. — Hæc enim omnia, quæ ex publico et gravissimo officio suo cavere tenetur Notarius, contingere non possunt sine gravi aliorum detrimento. Quare si culpabiliter in his deficiat, tenetur per se sub gravi ad restitutionem ut injustus damnificator, aut cooperator.

ARTICULUS III — De medicis et pharmacopolis.

Q. 1. *Quænam sunt Medicorum obligationes* (1)?

R. Grave, nobile, ac delicatum munus medicis incumbit; cum ipsa hominum vita ejusque sospitas iis concredita sit. Quanta ergo scientia, probitate et charitate indigent, ut gravissimas sui officii partes rite impleant! Nempe sedulo Medici curare debent, *tum* ut morborum ac medicamentorum vim agnoscant; *tum* ut cum fastidiosis ægrotis patienter agant; *tum* ne arcanis suæ fidei concreditis abutantur; *tum* ne Dei et Ecclesiæ præcepta parvi faciant. *Medicus sit christianus*, en prima Medicorum obligatio ex celebri physico Hoffmann (2).

Quandonam (quæres) *Medicus delinquit in officio suo?* — Vel propter periculum gravis damni, vel propter illud quod infert plerumque irreparabile, Medicus gravissime peccat:

Doctrina, curaque, carens pietate, revelans.

1. Nempe peccat si absque sufficienti scientia gravis morbi curam suscipiat; vel si insolito morbo grave item et speciale studium non impendat: vel

(1) Quod dicitur de medicis, id ipsum valet in sua arte de chirurgis.

(2) *V* Angeli. *Il medico giovane al letto dell'ammalato.* — Scotti, *Catechismo medico*, p. 3, c. 9; it. *Omelie ai giovani studenti.* — Sava, *Sui pregi e doveri del Medico.* Milano 1845. Medici quo in sua arte sapientiores, eo sunt religiosiores: Ad rem celebris Medicus Broësiches: *tanta est inter Deum, Religionem et medicinam connexio, ut sine Deo et Religione nullus exactus Medicus esse queat.* Sane medicina a Deo est (*Eccli.* 36): ac ne dum materialismum inducat, imo Dei providentiam mirabiliter commendat, tum in herbarum virtute quam inquirit; tum in admiranda humani corporis structura, cui studet: unde quidam anatomiam Dei existentiæ et sapientiæ evidentem demonstrationem appellat. — *V.* Moserus, *De Medicis sanctis.* — Albertus, *De convenientia medicinæ cum Theologia practica.* — Matthias, *De habitu medicinæ ad religionem.* — Chiappa, *Della vicendevole dipendenza tra la morale e la medicina.* — Devay, *De la physiologie humaine et de la médicine dans leur rapports avec la religion chrétienne, la morale et la société.* Paris 1840.

si medicamenta nondum probata cæteris jam probatis et probabiliter utilibus experimenti gratia præferat; — 2 si cognito infirmi periculo, studiosa cura illi non adsit, aut Medicos alios vocari non sinat; — 3 si quid suadeat Dei pietati contrarium, ut si sine necessitate a jejunio liberet et vetitos cibos permittat; — 4 si morbos pudendos cum ægri infamia pandat sine causa, etc. (1).

Certum autem et commune est quando desperatur de infirmo: 1 esse applicandum remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur, ut infirmo, modo quo potest, provideatur; 2 si remedium sit dubie profuturum et certo non nociturum, adhuc applicandum esse; habetur enim tunc aliquid spei, nihil vero timoris. Quando autem dubitatur, an remedium profuturum sit, an nociturum, sententia quæ nobis videtur satis probabilis, et fortasse etiam probabilior, docet illud applicari posse *(ad ejus tamen salutem curandam)*, siquidem agitur de infirmo sine spe. Nam conformius est prudentiæ et voluntati ipsius infirmi applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis (2). — Diximus *ad ejus salutem curandam;* non enim id fieri posset ad experimentum faciendum pro aliis infirmis: est illicitum quærere experimentum in alterius vita.

Q. 2. *An Medicus debeat infirmum monere de Confessione?*

R. Si agitur de morbo mortali, utique Medicus tenetur vel ipso jure naturali infirmum monere de Confessione sacramentali peragenda; unusquisque enim tenetur, cum potest saltem sine gravi suo detrimento, periculum æternæ damnationis a proximo suo removere (3). Imo etsi morbus hic et nunc non sit mortalis, attamen Concilium Lateranense IV sub Innocentio III celebratum anno 1215 præcipit districte (et ideo sub gravi) omnibus Medicis, ne infirmos in curam recipiant, nisi prius confiteantur (4). S. Pius V Constitutione *Supra gregem* data anno 1566, confirmans tale præceptum, insuper jussit ut Medici non antea infirmi curationem suscipiant, quam eum admonuerint de Confessione peragenda. Eis etiam prohibet, ne eum ultra tres dies invisant, nisi scripto Confessarii resciant, eum esse confessum. Statuit etiam, ut Medici antequam Doctoratus gradum consequantur, jurent se tale præceptum esse observaturos.

Porro communior sententia, cui consentit Benedictus XIV (5), vult quod

(1) Peccant item si jactent se peritos, cum non sint; vel curationem protrahant lucri causa; vel pauperem in periculo curare negligant.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. I, n. 46; et l. IV, n. 291.

(3) *V. Continuazione delle Mem. di Religione.* Modena, tr. XVII, art: Riflessioni del dott. Ermen. Pistelli sopra l'officio di far noto agli infermi il pericolo di morte.

(4) C. *Cum infirmitas* 3 *de pœn. et rem.*

(5) *Notificatione* XXII. Hæc sententia (notentur hæc verba S. Alphonsi. *Praxis Conf.* n. 57) mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis Medicorum etiam timoratæ conscientiæ, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter jam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus juramentum præstitum juxta Bullam, innixi doctrinæ plurium auctorum sentientium, quod prefatum juramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine receptum est. Cæterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem medici illi, qui omittunt monere infirmos (maxime spectatæ dignitatis), cum jam infirmitas est periculosa. Hos porro vult Sanctus noster, ut Confessarius interroget ac moneat, *non obiter, sed cum calore; nam ex hoc pendet salus spiritualis Medici, et omnium infirmorum qui sub ejus*

præfatum præceptum, etsi non obliget in quocumque morbo levi (quod esset ridiculum ex Suarez) neque tamen intelligendum est urgere dumtaxat in morbis actualiter periculosis; sed etiam in illis, qui judicantur posse in posterum periculosi fieri. Nam Innocentius, uti se exprimit, hoc dedit præceptum, ne infirmi si monerentur in morbo mortali, facilius mortis periculum incurrerent: ergo supponit esse monendos antequam morbus mortalis evadat. Adde quod in morbo jam nunc mortaliter periculoso talis obligatio oritur ab ipso jure naturæ. Utinam autem Constitutio hæc observaretur ab omnibus! quot infirmi, exclamat S. Alphonsus, damnationem vitarent, qui ob Medicorum oscitantiam Confessionem procrastinando, inconfessi, aut male confessi decedunt (1)!

Sedulo est animadvertendum ad hujus præcepti implementum sufficere: —1 si Medicus moneat infirmum per alios; jam enim totus finis obtinetur. Ita Mazzotta, Suarez, Vega, Viva, etc.;—2 si habeat aliorum testimonium, qui sint fide digni, infirmum nempe confessum esse. Ita Barbosa, Diana, Sanchez, etc.; — 4 si moraliter certus sit infirmum esse in bono statu. Ita Fagnanus, Sylvius, aliique cum S. Antonino; nam tunc cessat periculum male moriendi. Si tamen infirmus monitus de Confessione, nolit obstinate eam peragere, et esset in periculo si a Medico desereretur, adhuc potest cura eidem exhiberi. Ratio quia Pontificis decretum non adversatur charitati, quæ favet etiam obstinatis quoad potest: et hoc esse commune docet Benedictus XIV.

Q. 3. *An infirmus teneatur Medicum vocare eique parere?*

R. Ad vitam, ejusque sospitatem tuendam ipsa natura nos impellit (2). Ubi ergo sanitas nostra turbatur, ordinarie loquendo satis non est morbum patienter ferre; sed casu, quo per remedia simpliciora morbus non pellatur, tenemur Medicum adhibere cum possumus, ejusque præscriptionibus obtemperare. si extraordinariam molestiam non importent. Hinc Scriptura: *honora Medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus... Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa* (3).

Diximus 1 *ordinarie loquendo;* non enim peccaret (ut dicunt Cajetanus, Navarrus, Sanchez et Viva) qui medicinam respueret, si id faceret ad se mortificandum, neque adsit periculum mortis, neque ideo propria munia negligat; —2 *casu quo per remedia simpliciora morbus non pellatur;* in pluribus enim natura ipsa per convenientem *diætam*, ut dicunt, vel per remedia vulgaria (4) convalescit. Neque nos delicatulos, ac meticulosos esse de-

cura erunt. — Imo ubi viget Concilium provinciale Romanum celebratum sub Benedicto XIII, lata est excommunicatio Episcopo reservata in Medicos, *si tertiam post infirmi visitationem ab infirmi cura non abstinent, usque dum infirmus ipse Pœnitentiæ non susceperit Sacramentum* (tit. 32, c. 1): non viget apud nos.

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 182; et l. VI, n. 664.

(2) Eph. v, 29.

(3) *Eccli.* 38. Est contra Anabaptistas, qui usum medicinæ a Deo reprobatum docent. Vid. *A—Lapide* in hunc locum. — Et Stapf, t. 2, § 284. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 30, 372.

(4) Cavendum, ab illis pseudomedicis huc illuc cursitantibus, qui superstitiosa remedia vendunt, vel etiam sine pretio suppeditant, ac plebem insigniter decipiunt, ejus integritati ac religioni insidiantes.

cet; qui enim medice vivit, miserrime vivit; — 3 *si extraordinariam molestiam non importent;* nam nisi rationes speciales occurrant, tenemur tantum ad remedia quæ communes vires non superant. Aliquando optimum esset usurpare illud Gagliuffi:

Quis pulsat? Medicus. *Quid vis?* Tibi ferre salutem.
Cras, si me audieris convaluisse, redi.

Q. 4. *Quandonam Pharmacopola peccet in officium suum?*

R. Pharmacopola, qui artem periculis plenam exercet, maxima cautela opus habet ex vi officii sui. Hinc patet ipsum peccare: — 1 si absque scientia et diligentia medicamenta conficiat; vel si unum medicamentum pro alio cum gravis damni periculo porrigat; — 2 si medicamenta suppeditet ad procurandum abortum, aut vendat remedia inutilia; vel plus justo pro pharmacis exposcat (1); etc.

CAPUT SECUNDUM

DE OBLIGATIONIBUS PRIVATIS.

ARTICULUS I — De obligationibus in societate paterna.

§ I — *De obligationibus parentum et filiorum.*

Parentes debent filiis suis amorem et educationem: 1 *amorem* internum, efficacem et ordinatum, ita ut eos ex corde diligant, et eorum bonum curent; 2 *educationem* tum quoad corpus tum quoad animam. Ratio hujusce obligationis in ipsis naturæ visceribus fundatur: sane quisque se diligere debet; ergo et parentes filios, qui sunt veluti aliquid sui, caro de carne sua (2).

Q. 1. *Quænam obligationes parentum ad filios quoad corpus?*

R. Parentes tria debent filiis suis quoad corpus, nempe:

1. *Providentiam vitæ.* Ex quo capite tenentur ab ipso conceptu sedulam prolis curam suscipere, illudque omne avertere, quod ejusdem vitæ obesse possit. Hoc vel ipsa natura docet: *nam filius*, ut ait Angelicus, *est aliquid patris* (3). Hinc peccant mulieres uterum gerentes, si nimis gravia ferant pondera, vel immoderato labori vacent; si currant vel saltent, si intemperanter bibant vel comedant, ita ut se periculo abortus exponant (4). Peccant.

(1) Gregorius XIII Const. *Officii nostri* omnem vetuit societatem Pharmacopolas inter et Medicos aut Chirurgos. Hic *vide* Cod. pœn. Hisp. ab art. 337 ad 340.

(2) *V. La famiglia cristiana, ovvero ammaestramenti e regole del viver cristiano per ogni stato di persone secolari* proposti da S. Carlo, dal b. Valfrè, dal v. Strambi, *diretti specialmente ai padri e madri di famiglia.* Novara Tip. Vescovile Miglio. — Chassay, *I doveri delle donne nella famiglia:* item *Manuale della donna cristiana.* — Fenoglio, *La vera madre di famiglia.* Milano Tip. Pogliani 1856.

(3) 1, 2, q. 100, a. 5.

(4) Peccant etiam mariti, qui uxores percutiendo aliisque modis vexando, in abortus periculum impellunt.

si non caveant, ne quid mali quomodolibet filiis eveniat per aquam, ignem, bestias, ferrea instrumenta, vel nimium ploratum, etc.

2. *Providentiam victus*, nempe omnia pertinentia ad cibum, vestitum, habitationem, medicinam etc.; qui enim dederunt *esse*, illud pro posse conservare tenentur (1). Nec refert, quod proles sit spuria; de jure naturæ est, ut pater alat filium quocumque modo genitum.

3. *Providentiam status*, nempe filiis de futuro statu providere, ita ut honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint. Patet ex allata ratione; *nec enim debent filii parentibus*, ait Apostolus, *thesaurizare*, *sed parentes filiis* (2). Quare dicendi sunt peccare parentes: 1 qui sine gravissima ac impellenti causa prolem exponunt locis piis (3), cum sit contra pietatem: vel extra domum ejiciunt, cum non possint adhuc sivi providere: vel cogunt ad mendicandum, aut vilem artem exercendam ipsis haud convenientem; 2 qui non adhibent diligentiam saltem mediocrem, ut acquirant bona quibus filii alantur, habeantque hæreditatem sibi convenientem; 3 qui recusant constituere patrimonium filiis, qui ad Ordines promoveri cupiunt, aut filiabus absque justa causa congruam dotem denegant, v. g. quia Religionem ingredi velint, vel quia ipsis invitis nupserint, etiam indignis, cum jam ætatem 25 annorum excesserint: si autem ante illam ætatem nupserint, diversa sunt opiniones: sed nobis probabilior videtur opinio Sanchez, et aliorum qui dicunt patrem teneri saltem ministrare alimenta, licet illæ indignis nupserint.

An (quæres) *mater teneatur lacte proprio prolem alere?* — Affirmative nisi habeat justam excusationis causam, v. g. infirmitatem, debilitatem; quia ad hoc natura evidenter impellit. Licet autem probabilius mater non teneatur nisi sub veniali prolem suam lacte proprio nutrire, cum ejus obligatio gravis huc respiciat, ut proles bene alatur; tenetur tamen semper sub mortali bonam ei nutricem quærere, si hoc per se onus non sustineat; lactis enim qualitas plurimum confert ad salutem ac mores (4).

Q. 2. *Quænam obligationes parentum ad filios quoad animam?*

R. Obligationes parentum ad filios quoad animam sunt:

1. Curare, ut filii vix nati Baptismatis gratia regenerentur: hoc primum

(1) Ex c. *de eo qui duxit* etc.

(2) II *Cor.* 12. Si filius debita, ut vivere posset, contraxit, ea solvere pater tenetur. *Collet.* «Los padres que por avaricia mantienen á sus hijos con mucha estrechez, pecan solo venialmente con tal que no les falte lo necesario para ser mantenidos y educados decentemente y segun lo reclama su posicion.» *Examen raisonné* etc. In procurando filiis vitæ statu, maxime matrimoniali, multa attendere debent parentes, præsertim ut ejusdem temperamenti et ætatis (quantum potest) sint nupturi. Quot enim ex disparitate matrimonia infelicia, cum nempe robustus infirmum aut debilem, juvenis non juvenem ducit, præsertim si uxor senior sit! Hoc matribus per Confessarios singulariter inculcandum. *Goritia.*

(3) Ex Layman. et Salmanticensibus probabiliter est justa causa illegitimitas prolis. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 336 et seqq.

(4) Excusant etiam fœminam nobilem ob consuetudinem Salmanticenses, Navarrus, etc. *Vid.* Benedictus XIV, *De Synodo* l. XI, c. 7. — Conte Benven. di S. Rafaele. *Ragionamento intorno all' obbligo di allattare i propri figliuoli.* — *Précis de physiologie humaine pour servir d' introduction aux études de la Philosophie et de la Théologie Morale*, suivi d' *un Code abrégé d' hygiène pratique*. Ouvrage spécialement destiné au Clergé et aux Séminaires par Debreyene Docteur en médecine. Bruxelles 1845. — Roberti, *Opere* vol. 3.

est omnium spiritualium bonorum omnino necessarium; parvulorum autem vita variis periculis obnoxia est. Plures Synodi Diœcesanæ prohibent illud differre ultra triduum sine Episcopi licentia, comminata etiam excomunicatione, si ultra octiduum differatur (1). Item curare debent parentes, ut filios vix usu loquelæ præditos vel per se, vel per alios edoceant præcipua christianæ Doctrinæ capita, Diœcesis Catechismum adhibendo, ut instructio securior et uniformior sit *(DD)*. *Parochi*, ait Benedictus XIV, *gravibus solidisque argumentis parentibus ostendant in manifesto perpetuæ damnationis periculo versari, si liberos suos Religionis elementis erudire negligant* (2). Item curare, ut a primis annis, a quibus cæteri pendent, non solum catecheses, sed etiam Sacramenta, et alias functiones frequentent: *Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum* (3); nam (pergrande consectarium!) *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (4). — Hinc peccant graviter parentes, qui ut sumptibus parcant, educationem spiritualem filiorum prorsus negligunt; qui pro famulatu penes pravos dominos eos collocant, pluris facientes pecuniam quam animam (5); qui eos mittunt ad scholas hæreticorum, vel aliorum magistrorum, qui sint impii moribusque perditi: videant, quæso, quam terribilem rationem sint Deo reddituri, qui de manibus eorum animas filiorum repetet; neque enim ignorare possunt quantum instituta exemplaque præceptorum in adolescentium animos influant *(EE)*.

2. Iisdem bono exemplo præesse: *mementote* (en gravissima verba, quibus monet parentes D. Hieronymus) *mementote vos magis exemplo docere filios, quam voce* (6). Plures Synodi, ut Novariensis, *reservant consensum dictis vel factis a parentibus libere præstitum, ut filia alteri copiam sui faciat, si hæc inde sequatur.*

3. Delinquentes corripere; nam *qui parcit virgæ, odit filium suum* (7). Cavere tamen debent, ne in corrigendo modum excedant vel in blasphemias prorumpant, quod majoris essent nocumenti.

4. Eos a fallacibus mundi illecebris, pompis atque voluptatibus avertere; et præcipue a locis suspectis, a clandestinis conventiculis, a colloquiis amatoriis atque periculosis, quæ maxime haberi solent cum personis diversi sexus. Unde parentes monet Apostolus: *educate illos* (filios) *in disciplina et correptione Domini* (8).

(1) Uti Novariensis, *pag.* 28. (2) *Notificatione* XIX. (3) Eccli. 7. (4) Prov. 22.

(5) « Aunque un hijo esté sirviendo, sus padres conservan siempre sobre él sus derechos y la obligacion de velar sobre su conducta.» *Examen raisonné.* — *V.* Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l' educazione religiosa*, cap. XVII.

(6) *Epist. ad Lætam.* — *V.* Muzzarelli. *Delle cause dei mali presenti*, pag. 114.

(7) Prov. 13; *Vid* Eccli. 30.

(8) *Ephes.* 6. — Contra tales parentes filiorum suorum peremptores vult S. Alphonsus, ut Confessarius sit *inflexibilis in eis deneganda absolutione;* vix enim dici potest quod inde mala! quibus si principio non obstent, sero inutiliter medicinam parant. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* tract. ult. n. 3; et *Append.* IV, n. 6.

Curent etiam parentes, quos libros eorum filii evolvant; nam corrumpunt bonos mores libri pravi. Neque illis omnia indulgeant in victu atque vestitu; secus eos dilicatulos, difficiles, superbientes, atque pervicaces habebunt: experientiam interrogent. Hinc ad rem Quintilianus: *utinam liberorum nostrorum mores non ipsi nos perderemus! infantiam statim deliciis solvimus; mollis*

5. Ipsis libertatem relinquere circa status electionem: *non tenentur*, ait Angelicus, *nec servi Dominis nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda* (1). Ratio est: homo non hominum, sed Dei voluntatem sequi debet qui in omnium corda diversi status semina jecit: dein quod liberum linquitur a Deo, uti est maxime consiliorum observatio, ab homine ligari non debet (2). Hinc graviter peccant qui filios invitos cogunt etiam indirecte ad statum perpetuum, vel e contra injuste retrahunt, licet sine vi: peccant autem parentes tum contra pietatem, cum ex officio teneantur filiorum utilitati incumbere; tum contra charitatem, cum impediant alterius bonum. Ubi insuper notandum, quod ex Tridentino excommunicatur ipso facto (sed absque reservatione), tum qui cogunt mulieres ingredi monasterium et profiteri, tum *qui sanctam virginum vel aliorum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo sine justa causa impedierint* (3). Attamen non negamus, quod parentes complures e Religione filios suos avertentes valeant a mortali excusari, saltem ad aliquod breve tempus ratione ignorantiæ vel inadvertentiæ, quæ facile in eis esse potest ob vehementem carnis affectionem erga suos (4). —Hinc versus:

Invitum natum haud cogas amplectere statum:
Exemplo et voce corripe, flecte, doce.

Q. 3. *Quænam sunt obligationes filiorum erga parentes?*

R. Præcipuæ filiorum obligationes erga suos parentes sunt *amor*, *reverentia* et *obedientia*: quæ tria parentibus debentur, etsi hi sint sine merito ac virtute; nam ratio horum non est meritum aut virtus, sed pietas: amor nempe debetur ratione causæ, reverentia ratione præeminentiæ, obedientia ratione regiminis.

1. *Amor:* filii nempe tenentur parentes amore prosequi tam interno, hoc est bene iis velle; quam externo, omne nempe malum et injuriam ab iis propulsando, benevolentiæ signa iisdem exhibendo, in necessitate tam spirituali quam corporali constitutis subveniendo. *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis quomodo et illi tibi* (5). —Qui in his graviter deficit, graviter peccat: uti esset si parentibus ægrotantibus, indigentibus ac senio confectis opem non ferat; si eos male et irreverenter habeat, quia v. g. hebetes, amentes, præ ætate delirantes, vel ebrii sunt; si in mortis articulo constitutis, ut Sacramenta opportune recipiant, non studeat; si jam defunctis exequias fieri juxta propriam conditionem haud curet; etc. *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix; fili, suscipe senectam patris tui et non contristes eum in vita illius: et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua; eleemosyna enim patris non erit in obli-*

illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. «¡Cuántos males no ocasiona esta debilidad y amor parricida de los padres!» *Examen raisonné.*

(1) 2, 2, q. 104, a. 5.

(2) *V. Il Cattolico, Giornale Religioso*, t. XXV, pag. 217, anno 1845. Lugano.

(3) Sess. 25, c. 18 de R. (4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 339; et l. VI, n. 850.

(5) Eccli. 7.

vione... pro peccato matris restituetur tibi bonum, legitur in Scripturis (1). Sane: *da parentibus quidquid habes,* inquit divus Ambrosius, *nondum das quod debes, quia debes quod es* (2).

2. *Reverentia:* filii nempe tenentur parentibus reverentiam profiteri tam internam, quam externam. Interna in eo consistit, ut filius parentes agnoscat tamquam superiores, et inde timorem reverentialem erga eos ex corde gerat. Externa consistit in manifestatione interioris per verba, signa et facta juxta illud: *in opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum* (3); *maledictus qui non honorat patrem suum et matrem suam* (4). Contra hanc obligationem graviter vel leviter pro ratione materiæ peccant filii: 1 *verbo,* si asperis, et inurbanis verbis, si contumeliis et maledictionibus parentes afficiant:—2 *signo,* si iis illudant risu vel subsannatione, aut si torvis oculis eos aspiciant, ita ut videantur eos odio habere, etc. (5);—3 *facto,* si parentes deliberate et cum sufficienti advertentia etiam leviter verberent; vel etiamsi manum dumtaxat attollant, aut instrumentum sumant ad percutiendum. Imo quibusdam in Synodis peccatum hoc merito reservatur (6) *(FF).*

3. *Obedientia:* filii nempe tenentur parentibus obedire in *omnibus rebus honestis,* ita ut omnis inobedientia contra expressa parentum mandata sit ex genere suo gravis. Hinc Apostolus sic filios alloquitur: *filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino* (7). Hinc graviter peccant; si in re gravi spectante ad mores, ad animæ salutem et domus gubernationem, parentes audire nolint, nisi inconsideratio vel ætatis defectus eos excusent. Item si operam dare nolint litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absumant et expensas dilapident, si domum paternam sine causa contra prohibitionem deserant. Item si quæ ad bonum regimen pacemque familiæ multum spectant, exequi recusent, vel si omnia nutu proprio administrare velint, spreta parentum auctoritate præsertim si arroganter respondeant: *non faciam, attende tibi; tædium et fastidium affers mihi* (8), etc.—Diximus: *in omnibus rebus honestis;* sicuti enim pater inhonesta vel a lege prohibita, v. g. furtum, præcipere non potest; ita nec filius patri talia præcipienti potest obtemperare. Quia scriptum est: *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Iterum: *qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* (9).

(1) Prov. 19: Eccl. 3. (2) L. 8 in Luc. (3) Eccli. 3. (4) Deut. 27.

(5) Item si ad dignitatis locum evecti aut divites facti, parentes ex superbia vel despiciant, vel negligant, vel nosse recusent, vel erubescant, ut non raro evenit.

(6) Imo graviter peccant, si parentes in judicio accusent de crimine licet vero; id enim refugit ipsa natura. Unde dicitur: *ne glorieris in contumelia patris tui* (Eccli. 3). Excipitur dumtaxat casus perduellionis in Deum per hæresim, vel in Principem per conjurationem aut proditionem, quando damnum non possit aliter impediri: nam publicum damnum est privato anteponendum.—*V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. VII, n. 1. (7) Coloss. 3.

(8) Non raro tamen in praxi a mortali excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligentiam humanam, et sæpe ob materiæ parvitatem, vel ob defectum rigorosi præcepti in ipsis parentibus. Audiatur Sporer: *ex aliqua negligentia vel socordia fragilitatis humanæ, juvenilis præsertim, præceptum paternum transgredi semel, iterum, aut sæpius (non tamen sæpissime et ordinarie) tunc enim accederet virtualis saltem contemptus et pertinacia, non censetur peccatum mortale inobedientiæ. Cum obedientia paterna tali modo non censeatur læsa graviter quamvis etiam sic merito paternæ punitioni subjacere debeant* etc. (9) Act. 5, et Matth 10.

Regula pro Confessariis. Sæpissime ex declaratione in tribunali non cognoscunt Confessarii quousque filii sint erga parentes rei, quia vage se accusant: unde fit quod sæpe absolvantur quorum agendi ratio et loquendi modus horrorem incuteret, si videretur et agnosceretur. Noscenda ergo est ipsorum filiorum indoles et educatio, et præsertim interrogandi quid dixerint, quid fecerint, et quidem quomodo et quo spiritu. Experientia constat paucas esse materias præsenti difficiliores, sæpissimeque post interrogata remanere dubium an mortaliter an venialiter solum peccaverint filii: et consequenter an absolvi possint, cum ordinarie hæc peccata sint consuetudinis. Itaque ad gravitatem peccati odii, irreverentiæ, injuriæ in parentes mensurandam, non sufficit æstimare ipsum actum secundum se præcise ex natura sua, ex suo objecto et intentione agentis; sed debet insuper attendi effectus exacerbationis, contristationis in parentibus causatus, dum prævisus fuerit (1). Hinc quandocumque filius vel filia sine justa causa deliberate aliquid agit vel omittit, etsi per se malum non sit; ex quo tamen scit parentes graviter offendendos aut forte etiam peccaturos nimia ira, indignatione, blasphemiis, etc. ipso facto peccat mortaliter contra amorem, reverentiam et obedientiam parentibus debitam. Etiam in dubio, an sit justa causa aliquid agendi ex quo parentes offendendi sint, tenetur filius abstinere, quia in tali dubio stat possessio et obligatio reverentiæ. Quando tamen justa causa omnino urget aliquid agendi, et constat offensionem parentum ex mera eorum morositate, melancholia, vel etiam malitia irrationabili orituram, non peccant filii illud agentes, idque maxime in sequenda vocatione divina (2).

Q. 4. *An filii circa status electionem debeant parentes consulere?*

R. Quæstio est potissimum de statibus, qui fixi sunt et immobiles, ac maxime de statu conjugali, vel religioso eligendo.

1. Si agitur de *statu conjugali*, tres sunt sententiæ principales: Prima sententia, quæ etiam communior, docet filios teneri sub gravi consulere parentes et illorum consilium sequi; quia illi habent hac in re majorem experientiam, quam juvenes. Huc facit illud: *judicium patris audite, filii* (3): quare ipsos non consulere est contemnere et offendere in re ex se gravi. Secunda sententia tradit, teneri filios sub gravi consilium petere ex allata ratione, non tamen sequi; cum in hac electione filii sint sui juris. Tertia tenet, quod filii, si contrahant inconsultis vel invitis parentibus, peccant dumtaxat leviter: nam obsequium, quod hac in re parentibus denegant, eos

(1) Bene, ait Roncaglia, non excusari a mortali qui matrem vocat *loca*, *borracha*, *animal*, *bruja*, *ladrona* et similia; qui vero diceret tantum *vieja atolondrada*, *ignorante* et similia, puto non posse de se absolute damnari de mortali, nisi parens ideo graviter offendatur. — Filius autem clam maledicta aut convicia in parentes conjiciens, non peccat graviter; cum non adsit tunc neque contumelia neque irreverentia, siquidem absentes sunt. Excipe nisi filius eis malediceret animo malevolo aut cum magno contemptu, nempe si malediceret coram aliis eo fine, ut illi dein parentibus deferant, vel forte saltem præsumendo quod deferrent. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 334.

Ad rem etiam Gousset: «Para juzgar de la naturaleza del pecado que se comete faltando al respeto que se debe á los padres, conviene tener en cuenta los usos y costumbres del pais, la condicion de los padres y la educacion de los hijos. Una educacion tosca y descuidada puede disminuir la injuria hecha á los padres y por consiguiente la malicia del pecado.

(2) *V. Examen raisonné ou décisions Théologiques.* Lyon. (3) Eccli. 3.

nempe non audiendo, gravem culpam non importat; cum eorum consiliis non adstringantur (1).

2. Si agitur de eligendo *statu religioso,* quamvis filii regulariter debeant parentum consensum humiliter expostulare, benedictionem impetrare, imo usque ad pubertatem expectare, ipsis renuentibus; ordinarie tamen loquendo, certum videtur eos neque teneri neque expedire, ut parentum suorum consilium interrogent; tum quia parentes plerumque hac in re nullam habent cognitionem et experientiam; tum quia parentes ob proprium commodum de facili mutantur in hostes (2). Audiatur Angelicus (3): *dicitur Proverbiorum* 25: causam tuam tracta cum amico, et secretum extraneo non reveles; *propinqui autem carnis in hoc proposito amici non sunt, sed potius inimici secundum illud, quod habetur Micheæ* 7: inimici hominis domestici ejus. Hoc idem observat D. Bernardus dicens (4): *sæpe parentes ita se in hac re cæcos exhibere, ut malint filios suos cum seipsis perire, quam salvari procul a se. Oh durum patrem! oh sævam matrem! (GG.)*

Sed (dices) *quid si parentes sint in necessitate?*—Vel talis parentum necessitas communis est; vel est gravis. Si 1, tunc potest filius ingredi Religionem; quia non tenetur se privare gravi bono, ut tale afferat parentibus suis auxilium, sine quo ita vivere possunt, ut grave non patiantur incommodum.—Si 2, tunc adhuc poterit filius eam ingredi, casu quo in sæculo manens tali necessitati subvenire non possit; nam frustra detineretur in sæculo. Quod si potest subvenire, tunc audiatur D. Thomas: *aut ipse qui habet propositum intrandi Religionem, videt in sæculo non posse vivere sine peccato mortali; vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animæ suæ providere quam corporali necessitati parentum, non tenetur in sæculo remanere* (5). Secus, uti patet, tenetur in sæculo remanere.

Quænam (dices) *gravis parentum necessitas filium retrahere valeat a Religione?*—Audiatur Angelicus: *si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire et alia opera perfectionis prætermittere, et peccaret eos dimittendo. Si vero sine ejus obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem honorifice, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere.*

Quid (addes) *si filii jam sint professi, tenenturne e Religione egredi ut parentibus subveniant?*—Tenentur utique in extrema parentum necessitate, quæ nullam agnoscit legem; et egressi, ex Decreto Benedicti XIV 1745, subduntur Ordinario loci. Sed in gravi parentum necessitate probabilius non

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 849; et *Homo Apost. tract.* XVIII, n. 10.

(2) Concilium Toletanum X, c. ult.; et Tiburtinum, can. 24. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 335; et l. IV, n. 68.

(3) Opusc. 17, c. 10. — Hic notandum quod thesis Pseudosynodi Pistoriensis asserens *Sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus et accuratio major desideranda fuisset* (sub n. 81) *proscripta est uti scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.* (4) Ep. 3. — *V.* Hallier, *De Sacris Ordinationibus,* ubi fusius in tomo 1.

(5) Quodl. 10, a. 9. — *V.* Liguori, *Opuscoli relativi allo stato religioso.* — Lessius, *De statu vitæ eligendo.* — Pinamonti, *La vocazione vittoriosa.* — Rosignoli, *La saggia elezione.* — P. Natale, *Il Paradiso in terra* ecc.

tenentur; de hac habet Angelicus: *ille, qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo: unde non debet occasione sustentationis parentum exire e claustro* (1).

Q. 5. *Quid sibi invicem debent consanguinei collaterales et affines?*

R. Consanguinei collaterales et affines sibi mutuo debent amorem, honorem et in necessitate subsidium; idque lege non tantum charitatis, sed etiam pietatis, cum inter se speciali nexu aut carnis aut affinitatis cohæreant; etsi tamen unio ac dependentia inter illos non sit tanta, prout est inter parentes et liberos. Hinc colligit Henno prædictæ cognationis circumstantiam ut quæ speciem mutat, aperiendam esse in Confessione, quoties agitur de gravi injuria, detractione, contumelia, odio, percussione et similibus. Hoc tamen restringit ad primum et secundum gradum, extra quos putat circumstantiam cognationis inducere peccatum solum veniale. Sicut si injuria fiat concivibus nostris, censent communiter talem circumstantiam non addere novam malitiam mortalem (2).

Q. 6. *Quæ obligationes filiorum erga genitores ex jure civili?*

R. Obligationes filiorum erga genitores ex jure hispano sunt: *—1 ut ipsis exhibeant honorem et reverentiam;—2 ut iis si indigeant, alimenta suppeditent;—3 ut matrimonium inire non audeant neque adoptionem acceptare sine eorum consensu, idque sub gravissimis pœnis ut videbitur in Append. in fine huj. vol.;—4 ut paternam domum non relinquant sine consensu patris sub cujus potestate manent dum sunt *minores*, et qui, virtute hujus patriæ potestatis, filios corripere et moderatim punire potest (3).*

§ II — *De obligationibus Tutorum et Minorum, Magistrorum et Discipulorum.*

Q. 1. *Quisnam venit nomine tutoris atque minoris?*

R. Olim impuberes cum desinebant esse sub potestate patris, apellabantur *pupilli* (4). Facti puberes, *minores* dicebantur usque ad annum 20^{m}: quo completo, *majores* evadebant. Qui patris loco deputabatur ad tuendam pupilli personam et bona, dicebatur *Tutor*, *Curator*, cui cura committebatur bonorum et personæ minoris. Hodie tamen jure civili communi, omni alia distinctione sublata, qui nondum complevit 21^{m} annum, dicitur *minor;* tali autem ætate completa, *major;* et cui cura minoris committitur, *tutor* appellatur.

* Curator autem ex jure civili hispano non amplius deputatur, nisi quibusdam in casibus, v. g. absenti; minori habilitato ad bona sua administranda; hæreditati jacenti; filio mox nasciturο (5).*

(1) 2, 2, q. 101, a. 4.

(2) Quod etiam extendunt ad patrinos; nam hodie vix ac ne vix quidem hæc circumstantia particularis attenditur. Non tamen ad tutorem et minorem, cum adhuc in viridi sit mutua tutoris ac minoris obligatio erga se invicem. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 340.

(3) *V.* Ley 9, tit. 8, part. 4. et ley 18, tit. 18 ejusdem part.

(4) Impubes dicitur qui minor est annis 14, si masculus; 12 si fœmina: qui vero minor septennio, dicitur infans, quasi *fandi impos.*

(5) Ley 4, tit. 16, part. 4. — Ley 14, tit. 16, y ley 2, tit. 17, part. 6.

Cum porro minorum tutela sit officium publicum ad publicum bonum conducens, sed pluribus gravissimis curis refertum, neque omnes eam respuere, neque omnes eam sumere possunt vel tenentur. Sunt nempe alii, quibus illa de jure competit, et dicuntur *nati-legitimi:* ut mater (quæ tamen illam acceptare non tenetur ; at si renuat, officium nihilominus sustinere debet, quoadusque tutor nominetur), ascendentes paterni et materni: his nemo melius bono filiorum potest providere. Alii sunt, quibus ea interdicitur, cum illi juridice vel utiliter nequeant incumbere: uti religiosi professi, mulieres, interdicti, minores, infames. Alii, quibus ea libera relinquitur vel ob honorem, vel quia aliis curis sunt gravati, uti sunt ordinati in Sacris, milites in actuali servitio, qui annum 65^m^ compleverint, qui quinque filios legitimos habent, qui non est neque affinis neque consanguineus minoris, etc. Cæteri renuere non possunt absque probata causa. In qualibet autem tutela protutor est etiam eligendus, cujus est vices tutoris supplere in defectu.

Cessat tutela:—1 minoritate cessante, uti patet;—2 si moriatur tutor, vel removeatur, dispensetur aut renuntiet; vel juribus civilibus privetur; vel ultra annum carcere includatur. Vel, si sit mater, ad alias nuptias transierit;—3 morte ipsius minoris, vel illius habilitatione; ad quam quidem deveniri potest, si ipse minor compleverit 18 annos, et capax habeatur.

Q. 2. *Quænam sunt obligationes tutorum et minorum?*

R. Ad 1: Tutores imprimis tenentur in conscientia et vi quasi contractus curam gerere minoris, ejus personam tueri, imbuere bonis moribus, christiane educare vel per se vel per alios, et omnem impendere operam suam, ut artem sibi convenientem ipse ediscat:—Bona vero ejusdem temporalia tenentur curare, fideliter diligenterque administrare uti bonus paterfamilias, cujus gerunt: et in tali administratione adamussim se conformare debent dispositionibus legum civilium eam in rem editarum. Hinc ad majorem securitatem juramentum prærequiritur a tutoribus emittendum coram judice de re fideliter administranda; inventario etiam omnium bonorum confecto intra decem dies a sua nominatione. Et tenentur de damnis, si quæ ipsorum culpa in ea administratione obvenerint. Prohibentur cum minore contractum inire, vel illius nomine absque *auctorisatione* transigere. Finita tandem tutela, omnium actorum rationem reddere obstringuntur.

R. Ad 2: Cum tutores vices agant parentum respectu minorum, satis est, si dicamus, minores erga tutores ligari ipsis obligationibus, non ita tamen strictis *amoris, reverentiæ* et *obedientiæ,* quibus filii ligantur erga parentes. Id etiam præcipit jus civile, adeo ut tutor possit petere minoris reclusionem, si in eum graviter delinquat (1).

Q. 3. *Quænam sunt Magistrorum obligationes* (2)?

R. Qui nobile alios edocendi munus suscipiunt, tenentur gravi tum officii tum stipendii ratione:

1. Idoneam ad munus quod suscipiunt, scientiam callere, ne ipsis errare contingat cum maximo discipulorum damno: *discas quod possis docere, ne*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 341 et 917. — *V.* Ley 9, tit. 16. part. 6. — Ley 15, tit. 16, part. 6. — Ley 19, ejusd. tit. et part. — Ley 2, tit. 7, lib. 3, del Fuero Real, etc. etc.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 361.

sis miles priusquam tyro, et prius magister sis quam discipulus, ait D. Hieronymus (1).

2. Doctrinam rectam discipulis tradere, idest S. Scripturæ, Patrum traditioni, Pontificum oraculis et Conciliorum definitionibus consentaneam. Novas autem docendi methodos sequi poterunt magistri; sed in iis quæ ad Religionis et morum doctrinam pertinent, debent ab omni novitate se prorsus abstinere. Unde ajebat Petrus Blessensis: *non de corde tuo vaticinari præsumas; sed juxta sacri eloquii doctrinam universa discas, et doceas orans cum Propheta:* juxta eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum *(ubi nota), non supra, non extra, non contra* (2) *(HH).*

3. Tenentur doctrinam tradere discipulorum intelligentiæ accommodatam: et methodo convenienti eam exponere, ita ut eorum animi non obtuantur, neque fastidio afficiantur. Secus ut quid verba facerent?

4. Tenentur semina christianarum virtutum teneris eorumdem animis pedetentim inserere (3); et circa ipsorum mores attente invigilare (4). Non tam enim agitur penes nos de efformandis philosophis quam christianis, qui cuncta proprii status officia recte implentes ad æternam patriam perveniant. Cum autem hac præsertim in re præcipua persuadendi via sit exemplum, necesse ideo est, ut magistri in primis sint a vitiis alieni, et in virtutibus emineant: *magister totus vocalis prodeat, gressus et motus, vocalia sint universa*, ait S. Hieronymus (5).

Quæ omnia etiam Synodus Novariensis (pag. 31) præcipit, ac vult *ut Ecclesiastici hoc munus suscepturi bonum vitæ testimonium exhibeant. Item ut Parochi super ipsos sedulo invigilent.*—Magistri obligationes paucis excipe:

Doctus, recte, apte doceat, bona semina mittat.

Q. 4. *Quænam sunt obligationes discipulorum?*

R. Discipuli obligantur tum sibi, tum præceptoribus, tum Deo. Tria nempe discipuli debent:—1 sibi studium et laborem assiduum: scientiæ enim et artes non addiscuntur, nisi per magnos labores atque longam studiorum assiduitatem juxta illud vulgatissimum: *gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo;*—2 Magistris reverentiam, docilitatem, gratitudinem. Hoc ipsis gentilibus erat officium ineluctabile: *discipulos id unum moneo*, ait Quintilianus, *ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament, et parentes non*

(1) Ep. ad Rusticum.

(2) Epist. 111. — Gaume, *Il Verme roditore delle società moderne, ovvero il paganesimo nell' educazione.* Torino, 1856, Tip Cerutti. — Hinc omnes Doctores atque Magistri publici cujuscumque disciplinæ, ex mente Tridentini (Sess. 25, c. 2 de R.), et ex Constitutione *Sacrosancta* Pii IV, tenentur antequam comissum sibi docendi munus aggrediantur, fidei promissionem emittere juxta formulam ab ipso Pio præscriptam. Quæ quidem professio quantum ætate nostra adhuc sit necessaria, nemo est qui non videat. Non tamen ubique est in usu.

(3) Ex Constitutione Benedicti XIV *Etsi minime.* Quod si non agant, cogendi, ut declaravit S. C. C, 17 julii 1668.

(4) Aliquando etiam coram lege civili tenentur de damnis suorum alumnorum.

(5) *V. Le dodici virtù di un buon maestro.* Tip. Marietti, Torino. — Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l' educazione religiosa.—La scuola di filosofia e di religione, e modo di insegnarla* ecc. Roma 1822.—*Amico Catt.* vol. 7, *sull' educazione.*

quidem corporum, sed mentium esse credant;—3 Deo pietatem; scriptum est enim: *initium sapientiæ timor Domini* (1). Id numquam satis juvenibus prædicabitur: nam tota moralis hominum existentia in hac vita et salus æterna in altera, generatim pendet a primis adolescentiæ annis juxta illud: *bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua* (2). *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (3) *(II).*

ARTICULUS II—De obligationibus in societate conjugali et herili.

Q. 1. *Quæ sunt mariti et uxoris obligationes mutuæ* (4)?

R. Conjuges sibi mutuo debent societatem, amorem ac fidem:

1. *Societatem;* unde tenentur simul habitare juxta illud: *dimittet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (5): electio vero domicilii pertinet ad maritum, cum familiæ caput sit (6). Hoc etiam civili lege sancitum est.—2 *amorem;* dicit enim Apostolus: *viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea* (7). Et etiam mulieres hortatur, ut *viros suos ament* (8). Hinc peccant si rixas, jurgia et odia in se invicem excitent, aut foveant; vel si conviciis atque maledictionibus se invicem afficiant.—3 *fidem;* nempe conjugalem, juxta illud: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.... Nolite fraudare invicem* (9).

Hæc porro officia iis imponit non solum natura societatis conjugalis et Sacramentum, sed etiam lex civilis.

Q. 2. *Quænam sunt speciales obligationes mariti et uxoris?*

R. Ad 1: Maritus tamquam caput tria uxoris suæ curare debet, nempe animam, corpus et mores:

1. *Animam:* adeo ut peccet graviter si uxori permittat, ut legem Dei et Ecclesiæ transgrediatur; tanto magis si impediat ab illius observantia. Non enim hoc esset ipsam diligere uti se ipsum.—2 *corpus:* nempe tenetur uxorem secum retinere, et alere secundum statum suum, tum ex debito amoris conjugalis, tum ex officio capitis familiæ, tum ex justitia ratione dotis, tum ex civili ipsa lege (10).—3 *mores:* tenetur nempe uxori invigilare, benigne compati, amicis suasionibus potius, quam rigidis verbis imperare. Etsi vero aliquando conveniat fortiter cum ipsa agere; semper tamen habeatur ratio illius Marci Aurelii: *uxor monenda sæpe, reprehendenda raro, violentis manibus tractanda numquam.* Uno verbo vir tenetur uxorem suam habere uti sociam, non vero uti ancillam; Deus enim dedit mulierem viro non in vile mancipium, sed *in adjutorium simile sibi* (11); atque ideo eam traxit de latere, non de pede.

(1) Ps. 110. (2) Jer. *Thr.* 3. (3) Prov. 22.
(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 351. et seqq.
(5) Matth. 19. (6) *V. De matrimonio*, ubi de *effectibus*.
(7) Eph. 5. (8) Ad Tit. (9) I Cor. 7.
(10) Quod si ipsa a marito discesserit sponte sua et sine causa, cessabit in marito hoc onus. Item est si in adulterium lapsa sit, et aliunde habeat ut vivat. (11) Gen. cap. 2.

R. Ad 2: Uxor specialiter ad hæc tenetur erga maritum suum (1):

1. Ei ex corde obedire in iis, quæ ad familiæ administrationem pertinent et propriæ conditioni conveniunt (2), unde ait Apostolus: *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.*—Non licet itaque mulieri agere expensas contra mariti voluntatem, quæ communem fœminarum sui status consuetudinem excedant, nisi eas agat ex paraphernalibus bonis (3).—2 ei ex animo placere: sit mansueta, lenis, patiens: omnem garrulitatem, procacitatem et suspicionem circa fidem sedulo avertat. Ex his enim sensim sine sensu evenire solent mutuæ aversiones, sine fine altercationes, fractio fidei, scandala, ac demum divortia (4).—3 ei indigenti de suo providere; hoc enim ad debitum conjugalis amoris pertinet. Quod etiam civili jure præcipitur, ut nempe concurrat ad maritum alendum propriis bonis, si indigeat.

Q. 3. *Ad quid tenentur Domini erga famulos suos?*

R. Hæc præcipue servare tenentur domini circa famulos suos:

1. Illos instruere, inquit enim Apostolus: *si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (5). Qui ergo dominus sollicitus non est, ut famuli rudimentis fidei imbuantur, nec tempus ad hoc conveniens concedit; qui eos ad catecheses et conciones sacras opportuno loco et tempore non mittit, iste profecto suorum domesticorum curam non habet.—Sic etiam graviter peccat, si absque justa causa famulos impediat diebus festis a Missa audienda; si opera servilia iisdem imponat; si jubeat ea, quæ sine gravi peccato præstare non possunt (6).

2. Illos corripere, si opus sit; domini enim vices gerunt parentum cum famulis et sunt caput totius familiæ, quam debent recte dirigere. Unde peccant gravissime domini, qui non monent, vel incorrigibiles non dimittunt famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes et perversitatis præbentes exempla (maxime filiis ac filiabus, quorum ætati tanta reverentia debetur); sed iis quidquid lubet indulgent, dummodo labores rite præstent, imo perversis principiis eos imbuunt, imo ipsorum conscientiæ ac religiositati irrident, imo eos seducunt, vere animarum interfectores (7).

(1) *V.* Mellini, *La donna forte.* Modena.—Et S. Chrysostomus. *Homil.* XXVI *in I ad Cor.*

(2) Ephes. 5.

(3) Quare mulier nobilis ac dives cogi nequit ad officia famulæ, uti esset verrere domum, cibos coquere, etc.

(4) Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, præsertim si uxor in maritum invehat, quia mulieres ordinarie sunt procaces: melius est, re dissimulata, ipsi commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et majorem sollicitudinem pro viro: sicque pluribus medetur malis. Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur, id agat, dum maritus est bene affectus. Leniter auter agat semper: quod si non juvat et agatur de re gravi, curet ut per Parochum vel alium virum prudentem maritus admoneatur. *Gury.—V.* Augustinus, *Confess.* l. IX, c. 9.

(5) I Tim. 5.

(6) Sciant domini eo magis suos famulos fore in re domestica diligentes, quo magis erunt in Religione fideles. Sane qui Deo nequam est, cui bonus erit? Qui vero e contrario Deum diligit, ejus leges curat, quæ debitam subjectionem erga majores tuentur.

(7) « Como los criados están en cierto modo bajo la tutela de sus amos, cometen estos mayor pecado conduciéndoles al mal, que si estraviasen á personas estrañas. » *Exæmen raisonné.*— Sæpe in confessione hanc circumstantiam tacent heri, quæ proinde petenda est.

3. Illos amare, et quidem amore tam interno quam externo: ideoque eos benigne alloqui, convenienter alere, plus æquo non gravare laboribus, scientes eos confratres suos esse, unum omnium esse Dominum spem atque metam, *ex eisdem seminibus ortos, eodem frui cœlo, æque spirare, æque vivere atque mori* (1). Unde ait Scriptura: *si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic cum tracta; noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi* (2).

4. Illos justo pretio numquam fraudare, legitur enim: *dignus est operarius mercede sua* (3). *Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt* (4). Pretium justum censetur quod communiter in illis locis dari solet, vel quod uno recusante, statim ab alio admittitur: hoc tamen habet latitudinem. — Hinc versus:

Instrue, corripe, ama, mercedem pandito servis.

Quid (quæres) *si famulus ad annum conductus per mensem ægrotet, vel sine causa ante annum discedat?* — In primo casu ex justitia ei integrum non debetur salarium, uti docet verior et communior sententia; cum non præstiterit servitium integrum: excipe, nisi aliter se habeat consuetudo (5). Non tamen tenetur servus operas suas supplere; quia tota promissio tempori determinato affixa est. — In alio casu, licet servus non recte agat, per se tamen aliquid ei debetur, ut communius dicunt; cum servitus exhibita mereatur utique mercedem suam: excipe adhuc, nisi ideo domino damnum obvenerit, vel aliter se habeat mutua conventio.

Q. 4. *Quænam sunt obligationes famulorum erga dominos?*

R. Famuli tenentur dominis ea generatim præstare, quæ filii parentibus, amorem nempe, reverentiam, obedientiam et fidelitatem.

1. *Amorem;* quia sibi sunt loco parentum: quo quidem sincero amore etiam dominorum filios prosequi tenentur. — Hac in re delinquunt illæ ancillæ, quæ vix ab oculis parentum subductæ filios adhuc tenellos despiciunt, vexant, atque uti extraneos habent.

2. *Reverentiam;* clamat enim Apostolus: *servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur* (6). Hinc peccant graviter, si occultos et graves dominorum defectus manifestent, si gravibus injuriis eos afficiant, v. g. diabolos, canes, etc. appellando (7); vel si eos graviter irrideant, aspernentur atque sinant, ut in propria præsentia illorum honori graviter detrahatur.

3. *Obedientiam;* nam prima lex famuli est voluntas domini. Unde sic eos alloquitur Princeps Apostolorum: *subditi estote in omni timore dominis, non*

(1) Ita Seneca (Epist. 47), ubi laudat amicum Lucilium, quod cum servis familiariter agat vivatque. Et invehit in consuetudinem multorum, qui servos suos superbissime et crudelissime tractant. (2) Eccli. 4 et 33. (3) I Tim. 5. (4) Eccli. 34.

(5) Imo dominus ne tenetur quidem ad expensas infirmitatis, ut probabiliter tenet Lugo contra alios, modo famulus non sit in necessitate, nec aliter se habeat consuetudo. *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III; nn. 342 et seqq. it. n. 864. Hic tamen juverit proferre illud Plinii juvenis (ep. 19, al. 114): ægrotanti famulo *tanto major humanitas exhibenda est, quanto nunc illa magis eget.* — *V.* Zacchia *De salario, seu operarii mercede.* Roma 1658. (6) I Tim. 5.

(7) Diana excusat a gravi peccato talem contumeliam, si ex ira et indeliberatione proferatur: et revera tunc hæ voces non habentur communiter ut graves injuriæ.

tantum bonis et modestis, sed etiam discolis (1). Hinc plus minusve pro materiæ qualitate peccant famuli, qui cum aliquid sibi non gratum præcipitur, obmurmurant, insolenter respondent, vel simulant se jam illud fecisse, etc.

4. *Fidelitatem* in servitio: ideo enim stipendio conducti sunt, ut fideliter serviant, strenue laborent, res domini curent, ac nihil surripiant; sed ea omnia studiose compleant, quæ muneris sui sunt. Unde Apostolus vult *servos dominis suis subditos esse in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes; sed in omnibus fidem bonam ostendentes* (2). — Hinc versus:

Dilige, et obsequium, famulatum redde, fidemque.

An (quæres) *possint absolvi famulæ cum heris peccantes, si jam aliis vicibus cum eis peccaverint?* — R. Si illæ bis vel semel tantum peccaverint, et post admonitionem Confessarii occasionem tollere curaverint, tunc absolvi possunt, secus si occasionem removere neglexerint. Quare numquam eas absolverem, si peccatum fuerit frequens, nisi exhibeant extraordinaria dispositionis signa, et aliunde sint in gravi necessitate, quatenus nempe sine gravi incommodo nequeant proprio statui alio modo providere: quamquam et in hoc casu ego experimentum quærerem (3) *(JJ)*.

Scholium. — *De obligationibus Superiorum et Inferiorum generatim erga se invicem.*

Q. *Quænam sunt speciales Inferiorum atque Superiorum obligationes ad invicem?*

R. Ad 1: In humana societate (præter quos numeravimus) sunt qui aliis præstant vel potestatis, vel dignitatis vel peculiaris alicujus muneris et officii, vel etiam solius ætatis nomine. His respective debetur *honor* ratione sublimitatis, *pietas* ratione propinquitatis, *reverentia* ratione ætatis, *observantia* ratione potestatis, *obedientia* rationi officii, *tributa* ratione stipendii. Hinc generatim dicitur in Scripturis sanctis: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit..., reddite ergo omnibus debita... cui timorem timorem, cui honorem honorem* (4).

R. Ad 2: Vicissim superiores sive ecclesiastici sive sæculares tenentur inferiorum bonum curare; cum potestas sit in subditorum utilitatem ipsis a Deo tributa. Hinc Scriptura: *rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illorum habe* (5).

Hic tamen non est omittenda specialis illa obligatio, quæ omnes laicos premit erga Clerum ac maxime Parochos suos, a quibus habent quidquid habent de bonis animæ: — 1 eis debent amorem: sunt enim spirituales ipsorum patres: *per hos Christum induimus, et cum filio Dei sepelimur*, ad rem ait Chrysostomus (6), *et membra beati illius capitis efficimur*; — 2 obedientiam juxta illud Apostoli Pauli: *obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (7): —

(1) Epist. 1, c. 2. (2) I Tim. 2. Quoad furta famulorum *V. de restit.* c. ult.
(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 439. (4) Rom. 13.
(5) Eccli. 32. (6) L. III *De sacerd.* (7) Hebr. 13.

3 reverentiam, et quidem maximam, cum sit maxima pastorum dignitas; at quo major dignitas, eo major debet esse reverentia; — 4 subsidia; nam *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (1).

Quæ autem debet Clerus universus, ac maxime Parochus fidelibus, jam satis abunde docuimus in prima hujusce Tractatus parte.

ADNOTATIONES.

(A) *Pag.* 233.

« Kant, gran corifeo de los panteistas modernos... viendo que su razon especulativa no servia para nada en la vida positiva, recurrió á la razon práctica para encontrar en ella un *regulador imperativo* de las acciones y del libre albedrío segun las ideas del deber y del derecho. Él dijo que esta razon práctica tiene por base ciertos conocimientos prácticos *a priori*, que en cuanto á nosotros nos determinan, *no aquello que es, sino aquello que debe ser*, y forman la ley moral (la obligacion), que tiene su fuerza de las leyes que ella misma se da, y no induce al sugeto á la obediencia con el pensamiento de un ser, y de una autoridad, y fuerza superior, no con el temor del mal, ó con la esperanza de la felicidad; sino *con el puro respeto á aquella ley;* de modo que en résumen, aquella ley no es mas que una abstraccion, una vana tendencia al sumo bien, del cual no sabe decirnos ni donde está, ni en que cosa se encuentra, ni que pasos se han de dar para conseguirlo, y por último viene á ser un empirismo en cuanto no se ponen por regla de la vida real, positiva, esterna aquellos preceptos de razon práctica, que se formulan en la llamada *razon jurídica*, esto es en las leyes positivas, religiosas, y sociales. Habiendo Kant declarado de este modo la razon autónoma, esto es, *que para sí ella es la legisladora, que depende solamente de sus propias leyes*, las escuelas tedescas adaptaron esta teoría, y de aquí es, que Ficthe no considera el deber (la obligacion) sino como *una ley que el* yo *se impone á sí mismo, y esta ley consiste en respetar el derecho de otro.* — Segun Hegel, la moralidad es *una armonía del hombre con la naturaleza; y la voluntad es el fin moral de sí misma, ó la ley de la moralidad.* — Schelling dice, *que si Dios*

(1) I Cor. 9. «La reputacion de un Sacerdote, de un superior eclesiástico es muy delicada: es muy fácil herirla. ¡ Cuán culpables son los que con bromas, mentiras y á veces con calumnias, denigran á un pastor y le hacen incapaz de producir el bien que podria!» *Examen raisonné.* — Nuestro Señor, *ait Gousset*, nos manda obedecer aun á los sacerdotes que no tienen el espíritu propio de su estado, cuando no mandan cosa alguna contraria al Evangelio y á la doctrina de la Iglesia: he aquí lo que dice hablando de los Fariseos: *super cathedram Moysis sedunt scribæ et Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite; secundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim et non faciunt* (*Matth.* 23).

existe, por lo mismo existe, por consecuencia, un mundo moral, pero añade, *que la virtud es un estado en el que el alma se conforma, no con la ley que le haya impuesto alguno fuera de ella misma, sino como á una necesidad inseparable de su misma naturaleza.* (Exámen del Socialismo etc. Vol. 2).

Contra omnes nobis videtur jampridem exclamasse Sanctus noster: «la ley natural, no nace de las mismas naturalezas de los seres racionales, como suponen ciertos autores, sino que nace de la ley eterna. La razon divina es la que cria el órden natural de todas las cosas, y la divina voluntad es la que conserva este órden. — No es la naturaleza la que forma la ley y la regla de lo honesto, sino que es aquella ley que Dios ha dado á los individuos de toda naturaleza. (Apolog. y Confut. v. 1, p. 14, 15 ecc.)

(B) Pag. 235.

Vel ipsos persecutores veritatis testes habemus; etenim morti proximi illam matrem coguntur quærere, cujus sinum dilaceraverunt. Hinc ajebat Zuinglius, se ad vivendum suam, ad moriendum catholicam Religionem eligere. Unde ad rem cuidam Protestanti ministro, qui catholicorum observantias aspernabatur, sapiens mulier respondit: *fatear: hucusque per vos optima reformatio: Missam, confessionem, purgatorium, quadragesimam abstulistis; unum restat, destruite infernum, et vos libenter sequar.*

«El temor de la muerte arrancó á Voltaire dos retractaciones, la una en 30 de marzo de 1769, la otra en 2 de marzo de 1778. Estando enfermo se confesó en 1724, en 1735, en 1750; y en 1778 declaró, que se habia confesado con el ab. Gauthier, y que pedia perdon á Dios y á la Iglesia de los escándalos que hubiese podido dar ecc. (*Miscelaneas de Pilos.* tom. XII, 1808). Pero en 30 de Mayo de 1778 Voltaire muere afligido, atormentado con la memoria de aquel Dios que él habia blasfemado, ruge, y entre los espasmos precursores del infierno, se tuerze en medio de las convulsiones, lleno de rabia da el grito tremendo: *Dios y los hombres me han abandonado:* se muerde, rásgase los brazos y las manos, las mete en el vaso de noche, se ensucia y se empuerca, llegando al extremo de comer su propio excremento! Dejo que dé su colorido á este cuadro del infierno, el médico Tronchin que se hallaba presente; el cual, aunque protestante, aseguraba, que *aquel espectáculo hubiera sido provechoso á todos los jóvenes que estén en peligro de perder los preciosos medios de la Religion; y que para ver todas las furias de Oreste no se necesitaba mas que presenciar la muerte de Voltaire.*

«*Condorcet* se vanagloria de haber calmado á *D'Alembert* sus sustos en la hora de la muerte, y de haber impedido que hiciese alguna retractacion. — *Diderot* no hallándose en la misma hora seguro por sus sentimientos filosóficos, valiéndose de un criado de su confianza, hace llamar á un eclesiastico, y se entretiene con él, teniendo las mejores disposiciones que inutilizaron sus malos amigos, pues que habiendo advertido lo que pasaba lo sustrajeron lisonjeándole que curaria, y lo llevaron al campo. — *Helvecio* se retractó dos veces.

«Las conversiones de *M. Laharpe*, de *Marmontel*, y así de muchos otros

que tuvieron lugar cuando estaban en perfecta salud, son demasiado conocidas, y no es menester que hablemos de ellas. — *M. Charnois* célebre por sus escritos, al ver la paciencia, resignacion, y la alegría de los sacerdotes católicos en la cárcel de la Abadía; y por el contrario al ver la rabia, los gritos y la desesperacion de los filósofos en la misma cárcel, se conmueve, busca ser instruido, se convierte, se confiesa, y muere en el degüello comun.

«El conde de *Boulainvilliers* murió despues de haber recibido los Sacramentos con mucho conocimiento y religion. — *La-Mettrie*, autor del *Hombre-máquina*, libro impío echado á las llamas por órden de los magistrados de Holanda, de donde él fue desterrado, despues de haberse confesado hallándose cercano á la muerte (1751) suplicaba á Rossembert que juntamente con él invocase todos los santos, y rezase las oraciones de los agonizantes.

«*Du-Marsais*, que murió en 1756, quiso recibir los Sacramentos, y tuvo una conversacion edificante con el sacerdote que se los administraba, de modo que Voltaire escribiendo á D'Alembert dice: *Yo me duelo de los melindres de Du-Marsais en la hora de la muerte.*—El mismo Voltaire en la misma carta se manifiesta afligido porque *Deslandes* muriendo habia ordenado que un libro suyo fuese inmediatamente quemado. — En otra carta á D'Alembert dice: *¿qué os parece de Maupertuis muerto* (1751) *entre dos capuchinos?*

«*Fontenelle*, que los filósofos contaban por suyo, pidió y recibió en 1757 los Sacramentos. — El célebre marqués de *Argens* en su larga enfermedad empieza á desconfiar de sus antiguos sentimientos, y despues de haber tenido serias conferencias sobre la religion, queda convencido, se arrepiente y se confiesa.

«*Buffon* se confiesa con el P. Ignacio Bongault capuchino, recibe los Sacramentos en presencia de muchas personas, y su muerte (1788) fué edificante. Para decir la verdad, él siempre se habia manifestado enemigo de los incrédulos, bien que en sus obras les habia favorecido. — *Boulanger*, que se supone autor del *cristianismo sin máscara*, lleno de blasfemias y de raciocinios tan absurdos como fastidiosos contra la religion de Jesucristo (pero esta diatriba es obra del baron D'Holbac), asegura en su última enfermedad (1759) que jamás habia tenido mas que dudas, y que la sola pena que sentia era la de no poder reparar bastantemente el mal que habia hecho, llevado del mal deseo de adquirirse fama.

«El ab. *de Prades*, muerto en 1782, en su retractacion (9 abril de 1754) dice, que no podia vivir tanto cuanto necesitaba para llorar su conducta pasada. (*Barruel*, *Mem.* tom. v). — *Bouguer*, miembro de la Academia de las ciencias de Paris, conocido por obras eruditas, y por la incredulidad, despues de muchas conferencias razonadas, cumple cristianamente los años que le restan de vida, y muere así en 1758 á los 63 años de edad. — *Montesquieu* en su última enfermedad (1755) cumple con grande edificacion todos sus deberes de cristiano, y dice, que en su corazon jamás fué incrédulo; pero que la vanidad de que los escritores contemporáneos le conocieran, le llevó á portarse en lo exterior como si lo fuese.

«*Thomas* en 1785 murió entre los brazos de Montazet Arzobispo de Lion.

—El ab. *Galiani*, amigo de Elvezio, del baron de Holbac, y de muchas madamas impudentemente filósofas, y enlazado con una gran parte de los llamados *filósofos* del siglo pasado, en las últimas semanas de su vida dispierta de su letargo, y con gran dolor se confiesa con su párroco.

«*Thiebault en la obra: Recuerdos de veinte años en Berlin* cuenta la muerte penitente (1772) del célebre filósofo *Toussaint*, que en el acto de comulgarle el sacerdote católico, hizo una arenga enérgica á su mujer, y á sus hijos y entre las muchas cosas que dijo, pidiendo perdon á Dios y á los hombres, confesó que toda la incredulidad de sus obras y acciones, de sus escritos y discursos familiares, habia provenido de la vanidad, del respeto humano, y de haber querido dar gusto á ciertas personas; pero que jamás habia sido incrédulo por conviccion.

«*Marmontel* empleó los últimos años de su vida en el retiro y en los ejercicios de virtud, terminándola con una muerte cristiana en 1799. — *Malesherbes*, que fué el mas sincero consejero del infeliz Luis XVI de quien tambien fué el amigo mas fiel, públicamente abjuró sus principios filosóficos llorando lo que habia favorecido á la revolucion. — *M. de Langlet* en su larga enfermedad, que lo llevó á la muerte en 1807, entra en sí, se convierte, se arrepiente, publica su arrepentimiento, pide perdon.

«*M. Larcher*, muerto en 1812, de edad de 86 años, muchos años antes de su muerte conoció los malos efectos de la revolucion y los frutos de aquella filosofía que la causó. En el dia 5 de mayo de 1792 firmó una retractacion, en la cual sinceramente confiesa, *que él se habia unido con algunos de los llamados filósofos, y que juntamente con ellos habia resuelto destruir la religion cristiana, en cuanto le hubiese sido posible, y que por esto en sus notas sobre Erodoto se habia adelantado á establecer máximas y proposiciones subversivas de toda religion.*

«*M. Mercier*, famoso por su *Cuadro de París*, publicado en 1782, y por otras paradojas, se convirtió muchos años antes de su muerte edificante (1814) con efusion de corazon, y se entregó á los brazos de la religion. — Lo mismo hizo en 1815 el Ab. *Soulavie*, autor de las *Memorias de Richelieu, de Aiquillon, de Massillon*. Y tambien lo hizo Cárlos *Pallisot*, conservador de la Biblioteca Mazzarina, quien en los últimos años de su vida entró en juicio, pidió los Sacramentos con espresiones edificantísimas, y murió en 1814 con sentimientos muy cristianos.

«A vista de estos nombres y otros muchos, aun en nuestros dias, de los que no hacemos mencion para no ser demasiado prolijos, ¿nuestros filósofos encontrarán un solo católico, digamóslo francamente, que aunque haya sido de costumbres corrompidas, mientras que haya sido fiel á su religion en la vida, la haya abjurado en la hora de la muerte?»— Grillo, *Novelliere*, Genova 1850. — Luchesine, *La incredulidad convencida por sus partidarios*, Lugano. — Liguori, *Conducta admirable de la divina Providencia*, c 5: muerte de los perseguidores. — Cavedoni, *Retractacion de algunos incrédulos*. *V.* Colec. de buenos libros, n. 144.—Frayssinous, *Defensa del cristianismo*, Confer.: la incredulidad de los jóvenes. — *Diccionario de los apologistas involuntarios*. París 1853.

(C) Pag. 239.

In Gregoriano videlicet, vel Ambrosiano, juxta proprium Ecclesiæ ritum: ille sic appellatur a Gregorio M., quia antiquum in Ecclesia Romana existentem reformavit; hic nuncupatur a D. Ambrosio, qui ipsum ex variis jam item existentibus pro sua confecit Mediolanensi Ecclesia: *V.* Richard e Giraud, *Diccionario* etc. V. *Canto.* — Qui cantus ob ejus gravitatem valde confert Ecclesiasticis functionibus: cum autem sit et gravis et unius soni, ideo et *planus*, seu *simplex canendi modus* appellari consuevit (vulgo *canto llano)*. Sicque discriminatur ab illo, qui varius est atque multisonus, et dicitur harmonicus seu musicus (vulgo *canto figurado)*. Hunc etiam profanum appellant. — *V.* Bergier, *Diccionario* etc. V. *Canto Eclesiástico.* — *Diziona-rio delle origini* ecc. V. *Canto.* — *Cattolico* di Lugano, vol XVI. — *La scuola del Canto Gregoriano.* Novara. — Thomassinus, *Vetus et Nova Eccl. disciplina*, lib. 2, c. 71. — *Civiltà Cattolica*, Serie III, vol. IV: *música religiosa.*

Ipse harmonicus in Ecclesia cantus (ubi non sit more theatrali exercitus et modo fiat moderate) permitti potest; non tamen illum Ecclesiasticis commendari posse existimamus, ut nempe ipsi per se ei incumbant; cum ideo de facili propria munia negligant; et maxime quia occasionem inde soleant, ut plurimum, arripere et profanos musicales conventus frequentandi, et festis diebus potissimum solemnioribus, huc illucque quasi mimi cursitandi: quo fit, ut proprio decori et characteris gravitati, non sine maximo fidelium scandalo, deficiant. — De canto, motetis, atque organo, et musicis instrumentis *vid.* Benedictus XIV, Encyclica *Annus* 1749; et *De Sacram. in genere.*

Huc faciunt pro nonnullis illa D. Bernardi: *cantant, ut placeant populo, magis quam Deo: si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis et facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto et animum; frangis vocem, frange et voluntatem... cave ne, sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis* (De interiori domo, cap. 51)

(D) Pag. 240.

Mirandum sane esset, imo lugendum maxime, si legis doctores atque custodes scientiarum studia negligerent *hac ætate, qua non solum laicos homines se ignorantiæ incusari puderet, sed et debilis sexus hanc eamdem notam male audiret in se jactam; inque nulla alia re tantum insudare videntur sæculo homines politiores, quam vel ab ipsis vulgi personis inscitiæ caliginem depellere et ubique scientiæ radios diffundere.* Ita ait Aquensis Episcopus Epist. Kalendario anni 1847 præfixa. Male pariter pronuntiandum est de illis, qui toti sunt in profanis studiis, ac quæ sua sunt floccifaciunt. Istis aptari potest illud Tullii: *etiamsi longa homini vita suppeteret, tempus parce dispensandum esset, ut sufficeret necessariis; nunc autem quæ dementia est supervacanea discere in tanta egestate temporis?* — *V.* Frassinetti, *Riflessio-*

ni agli Ecclesiastici. — Marchetti, *Il Sacerdozio cristiano.* — Riccardi, tum *Pratica dei buoni studi*, c. 1 et 2; tum maxime *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, c. 4. — Audisio, *Introduzione agli studi Ecclesiastici.*— Salzano, *Lezioni di diritto* ecc., parte 2, lez. 8: *studi.*

Indefessi studii necessitas hodie maxime urget nos, tum ut valeamus occurrere tot malis, quæ ob scientiæ abusum ubique exundant; tum ut ignorantiæ notam, qua nos insectantur, a nobis omnino avertamus, et merito usurpare possimus illud D. Hieronymi *(De Scriptoribus Eccl.* in Prol.): *Discant Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes; discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri Eam fundaverint, extruxerint et adornaverint. Et desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant.*— *V.* Cardin. Mai, *I meriti di Pio VII, e del Clero verso la letteratura.* — Fabriani, *Dei vantaggi apportati dagli Ecclesiastici alle scienze, lettere ed arti.* — *Memorie di Relig. e di morale.* Modena, vol. I, II, IX etc. — Châteaubriand, *Genio del Cristianismo*, 1, VI. — Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo*, Confer.: *gli nomini illustri del Cristianesimo.*

Sit tamen modus in rebus; sunt enim qui ita studiis vacant, ut cæteras suas obligationes negligant, nec populorum salutem curent. Nos ex illis esse haud possumus qui scire volunt ut sciant ipsi, sed ex illis qui scire volunt ut alios edificent et salvent. «Habituado en el seminario (ita sibi quidem Sacerdos contigisse narrat, cum fuerat electus Parochus), y despues en la carrera de la cátedra á conversar perpetuamente con los libros, tuve que seguir una marcha diferente cuando por voluntad de mi Obispo, me cargué esta cruz; y esta marcha diferente fué la que puntualmente me hizo advertir el peligro. Mas de una vez mi director espiritual en el seminario, viéndome tan apasionado por los libros me decia: *¡Está atento, mira con cuidado! los grandes ingenios, los muy enamorados de los libros, si llegan á ser párrocos están en gran peligro de no cumplir con sus deberes: para nosotros es una fortuna que en los seminarios no todos sean águilas. De otro modo ¿se encontraria quien quisiese ir á sepultar su talento bajo la sombra de un campanario? Y aplicando á esto las palabras de S. Pablo:* non multi sapientes, *añadia,* non multi sapientes. — *(Civiltà Catt.* Ser. 2, vol. 1, pag. 509).

(E) Pag. 241.

Usque ad sæculum VI nulla videtur fuisse distictio quoad vestes inter laicos et Clericos extra functiones. Sed dicto sæculo illa distinctio cœpit, postquam barbari usum brevioris vestis induxere; Clerici enim longam vestem nigri coloris retinuerunt gravitatis et modestiæ causa. Postea vero idipsum in tercentis et amplius Conciliis constitutum est. Audiant hæc Clerici vestium laicalium amatores: *nullus Clericus vestimenta vel calceamenta sæcularia induere præsumat* (Concilium Agathense): *laicorum habitum non portent Clerici* (Elyberitanum): *nemo Clericorum indumenta laicalia induat* (Mediolanense). Porro Tridentinum Episcoporum quidem judicio reliquit

definire formam habitus ecclesiastici, sed addita clausula, ut *Clericorum ordini et dignitati congruat.* — Sixtus V vero Const. *Sacrosanctum*, et Benedictus XIII Const. *Catholicæ Ecclesiæ*, quoad usum vestis talaris in sacrarum functionum exercitio omne Episcopis arbitrium sustulerunt; ideoque nemo amplius eam mutare potest præter summum Pontificem.

Verus Ecclesiasticus suum habitum amat, ut miles sua insignia. Et quidem hic quantum faciat ad mores, res ipsa loquitur; est enim nobis juge incitamentum ad animum ecclesiastica virtute imbuendum. Unde sicuti qui mollibus vestiuntur molliter vivunt, ita et qui vestiuntur sanctis vestibus, sancte vivunt. Sane qui sunt Clerici proprium habitum erubescentes? scrutare illos: sunt vanitosi, superbi, procaces, disciplinæ impatientes, qui erubescunt proprium statum, illumque velare student ut libere commisceri possint sæcularibus, et omnibus profanis lusibus indulgere. Unde S. Bernardus *Apol. ad Guil.* c. 9: *mollia indumenta animi mollitiem indicant.*— *V.* Bergier, *Diccionario* etc. V. *Hábito.*— *Notificatio* LXXI, Benedicti XIV.— Thomassinus, *Vet. et Nova Eccl. discipl.* l. II.

(F) Pag. 244.

Hic audiatur Parisis, «*Casos de conciencia:* La Iglesia tiene, ó le compete tener, ciertas ventajas que, aunque le son indispensables para que exista, con todo los del mundo se obstinan en pretender que no son sino ciertos privilegios que se le han concedido como en prueba de la benevolencia que se le tiene. Tal es el que sean libres del servicio de las armas aquellos jóvenes que aspiran al sacerdocio; tal es el derecho que tienen los Obispos de la Iglesia para reunirse segun la forma que prescriben los cánones á fin de ponerse de acuerdo en las necesidades comunes; tal es la facultad de reunir en escuelas católicas á los jóvenes católicos para instruirles en la virtud y ciencia segun los principios ortodoxos. En todo esto no, no hay un privilegio, señaladamente si tú me hablas de aquellos estados, que por razon de tales actos participan de toda especie de creencia religiosa: hay sí en ello un derecho tan sagrado y tan inviolable, que en ningun país puede ser hollado, sin que pronto se vea desterrada de él la Iglesia misma, sea por la falta de ministros, sea por la falta de disciplina ó de fe. Aquel gobierno, pues, que no reconoce tales derechos, es un opresor injusto. Sea, ó no sea católico el gobierno, jamás tendrá la facultad de oprimir la Iglesia de Dios.»

Speciatim quoad militiam, nulli dubium esse potest, Clericos exemptos esse habendos; secus quis huic longo curriculo studere vellet, sub periculo sæculari militiæ nomen dandi? Clericorum autem numerus ab Episcopo est designandus; cum ipsius tantum sit Ecclesiam suam curare *(Tridentinum*, Sess. 21, cap. 2 de R.).

(G) Pag. 250.

Etsi præstet ut Ecclesiastici generatim valedicant omnibus negotiis sæcularibus, id tamen per se non impedit ut, justa interveniente causa, etiam

aliquod publicum munus ac politicum officium obire possint aliquando Clerici. Hinc Tridentinum, sess. 23, c. 1 de R., dum vult residere Prælatos, excipit inter cætera, *nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et Reipublicæ officium.* Sane ex historia plane constat, rem civilem sæpius prudentia Ecclesiasticorum, qui erant a publicis consiliis, stetisse. Adde id non parum conferre ad Religionis tutelam, cum videlicet et consilio et voto injusta decernentibus efficaciter obstare valeant; melius quippe profecto est prohibere ab initio, ne iniquæ condantur leges, quam jam conditis mederi. — *V. Ultimo discorso di Talleyrand all'Accademia delle scienze morali e politiche, in cui è dimostrata a meraviglia la superiorità de' teologi nella diplomazia e nella politica.* — Peraldi, *Del civile principato della Chiesa Romana*, p. 3, c. 72: l'aperta inabilità dei preti a reggere lo Stato è una assurdità. — Margotti, *Le vittorie della Chiesa nel* 1° *decennio del Pontificato di Pio IX.*

Verum pro praxi, quia id non de facili evenire potest sine proprii officii vel ministerii læsione, ne Clerici publicum ac civile munus sumant proprio marte, sed audiant Provinciæ Vercellensis Episcopos, qui Lit. 18 nov. 1849 *monendum Clerum censuerunt, non posse quemquam absque Episcopi venia civilia officia acceptare: quam veniam Ordinarii lubenter indulgebunt, ubi peculiaria rerum adjuncta suadeant.*

Hactenus traditas obligationes Clericorum quatuor monitis includimus, ut omnes sub uno intuitu conspiciantur.

MONITUM PRIMUM.

Finem vocationis attingit, habitus gravitatem commendat, proprio Episcopo submissionem tuetur, tandem quæ sint fugienda docet.

Habitum suscipe { non ex { Levitate / Avaritia / Ambitione; | sed { Vocante Deo / Zelo tuæ proximique salutis.

Incede in habitu { Gravi / Modesto / Mundo / Canonico. } (*Indues sanctis vestibus.* Exod. 40).

Esto Episcopo { Obediens in { Præceptis / Decretis / Monitis; | Obsequens { Corde / Verbo / Opere.

Fuge { Domus suspectas. — Consortium mulierum. — Ludos. — Choreas. — Theatra. — Venationes perstrepentes;
Contemptus / Susurrationes / Tumultus { in { Episcopum / Superiorem / Quemcumque;
Viles famulatus. — Turpem avaritiam. — Sæcularia officia.

MONITUM SECUNDUM.

Exteriorem in omni re sese gerendi methodum describit, ut sic, omnibus per omnia placentes Clerici, Dominici gregis sint exemplum et forma.

Exemplum esto fidelium in (I *Tim.*, 4)

- Scientia
  - Divina
  - Ecclesiastica
  - Civili.

  Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi (Os. 4).
- Prudentia in
  - Consiliis
  - Judiciis
  - Imperiis.

  Dux indigens prudentia, multos opprimet (Prov. 28).
- Modestia Gravitate in
  - Indumentis
  - Sermonibus
  - Moribus.

  Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo (Eccl. 19).
- Liberalitate erga
  - Peregrinos
  - Pauperes
  - Templa.

  Quomodo potueris, ita esto misericors (Tob. 4).
- Temperantia in
  - Divitiis
  - Conviviis
  - Solatiis.

  Attendite autem vobis, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ (Luc. 21).
- Integritate coram
  - Deo
  - Hominibus
  - Te ipso.

  Custodi temetipsum et animam tuam sollicite (Deut. 4).
- Obedientia Obsequio Amore erga
  - Sanctam Ecclesiam
  - Summum Pontificem
  - Ejusque decreta.

  Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit (Luc. 101).

MONITUM TERTIUM.

Dignitatem nostram attollit, ita ut illa celsitudine perculsi omnes in id intendamus quid agendum, quid fugiendum, ne illi nos degeneres exhibeamus.

Perpende muneris tui

- Dignitatem
  - Angelicis humeris formidandam
  - Regia celsitudine excelsiorem
  - Omnibus venerabilem ;
- Admirandam potestatem
  - In Corpus et Sanguinem Filii Dei
  - In remissionem peccatorum
  - In aëreos atque tartareos spiritus ;
- Strictam obligationem studendi
  - Angelicæ puritati
  - Seraphico fervori
  - Incessanti progressui in virtutibus.

Per quod factus es

- Interpres et legatus Dei, æterna decreta promulgans ;
- Sacerdos in æternum, immolans et offerens Filium æterni Patris in victimam
- Mediator inter Deum et homines per oblationem sacrificii pacis, precumque fidelium
- Dispensator Mysteriorum cœlestium.

Cave itaque ne sis

- Sacrorum contemptor
- Summi Pontificis auctoritati parum obsequens
- Periculosæ aut dubiæ Doctrinæ sectator
- Rigidus et asper, aut remissus in pœnitentes
- Avarus. — Immundus. — Impudicus. — Vinolentus. — Turpis lucri cupidus. (I *ad Tim.* 3–*ad Tit.* 1) ;

Sed esto

- Pius. — Innocens. — Sobrius. — Impollutus. — Segregatus a peccatoribus. — Excelsior cœlis factus (*ad Hebr.* 7).

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus. et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei (*Lev.* 20).

MONITUM QUARTUM.

Media tutissima suggerit, quibus excellentissimæ vocationi nostræ respondeamus. digne deambulantes, ut vitam habeamus.

Media ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis (*Eph.* 4)	Timor Amor	Dei
	Custodia	Cordis Sensuum;
	Sancta occupatio	Memoriæ, Intellectus, Voluntatis — in iis, quæ sunt proprii muneris;
	Assidua frequentia	Collationis cum Confessario
		Lectionis spiritualis
		Orationis: vocalis, mentalis, jaculatoriæ
		Examinis conscientiæ
		Sacramentorum;
	Devotio erga	Deum, B. Virginem Mariam, Sanctos;
	Moderatio in	Conversationibus Solatiis;
	Fidelitas in	Servanda temporis œconomia, Sanctificandis diebus Festis, Obeundis quotidianis pietatis exercitiis.

Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus... Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies et eos qui te audiunt (I *Tim.* 4).

(H) Pag. 255.

Quædam breviter ad rei complementum tum de visitatione Liminum SS. Apostolorum, tum de Vicariis ac Provicariis generalibus et Apostolicis.

1. Sixtus V Constitutione *Romanus Pontifex* omnibus præcipit Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis ut, antequam consecrentur, pallium assequantur, de una in aliam Ecclesiam transferantur, licet sint Cardinales, singuli jurent se statis temporibus Limina SS. Apostolorum personaliter visituturos; et si impediti fuerint, hoc se impleturos esse per aliquem de sui Capituli gremio, vel per alium Ecclesiastica dignitate aut beneficio præditum, qui interim faciet fructus suos. Quod pluribus commendatur; decet sane quod omnes orbis Episcopi Romam veniant, *tum* ut cineres SS. Apostolorum venerentur, *tum* ut omnium actorum rationem reddant; *tum* ut R. Pontifici submissionem profiteantur; *tum* ut Principem Sedem dignoscant, catholicæ unitatis centrum, Episcopatus apicem, unde ipse Episcopatus ac tota ejusdem nominis auctoritas emersit; ab eaque Sede opem, auxilium præsidiumque implorent.—Habita tamen fuit ratio distantiæ: sic *Itali* singulo triennio; *Galli* singulo quadriennio; *Asiæ* vero et *Hiberniæ* Episcopi satis est, ut Limina visitent singulo decennio, etc. Item hodie petita licentia passim benigne conceditur, ut Episcopi justo quolibet impedimento detenti, Limina visitent per procuratorem, etiam per Sacerdotem Romæ degentem; qui tamen de rebus Ecclesiæ et Diœcesis sit probe instructus.—*V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 6.

2. In Vicario Generali Capitulari requiritur ætas 25 annorum inchoato-

rum ; talis enim, ex cap. *Cum in cunctis, de elect.* in 6, requiritur in iis quibus cura animarum imponitur ; porro Vicarii Capitularis officio animarum cura inhæret, cum pœnes illum resideat ordinaria et generalis jurisdictio. Insuper ex Tridentino requiritur, *ut saltem in jure Canonico sit doctor vel licentiatus vel alias quantum fieri poterit idoneus.*—In Vicario generali Episcopi eadem requiritur ætas; et nullibi cautum est, ut talis Vicarius debeat esse *doctor:* Monacelli testatur esse de stylo S. C. Episcoporum mandandi Episcopo, ut habeat Vicarium doctorem : Ferraris dicit quod S. C. concedit etiam posse Episcopum tenere Vicarium non doctorem, si idoneum, præsertim dum ipse Episcopus jurista residet. Devoti, Salzano aliique admittunt etiam non doctorem ; si aliunde viri peritia manifesto constet.—*V.* Berardi, *Comment. in Ius. Can. de Vicariis Episcoporum.*

3. De substituto Vicarii generalis qui in jure vocatur *Vicesgerens* (vulgo Provicarius) nil dicendum ; si enim sit verus substitutus et non merus delegatus, eumdem tribunal habet cum Vicario ipso generali, ac proinde etiam cum Episcopo : consequenter ab eo non datur neque ad Vicarium generalem neque ed Episcopum apellatio.—*V.* Bouix, *Tractatus de judiciis,* tom. I, p. 2; et Laurenius, *De Vicariis Episcoporum,* c. 1, q. 3.

4. In *Thesauro Resolutionum S. C. C.*, tom. XXVIII ad annum 1764, 14 jan. in *Urbaniensi* legitur: «quod Vicarius generalis Episcopi nequeat simul esse Parochus, præsertim si Parochia extra civitatem sit, Canonistæ non contemnendi affirmant (Barbosa, *In summ. coll. decis. verb.* Vicarius, n. 3). Id pluries decrevit S. Episcoporum Congregatio *in resolutionibus* quas refert *Nicol. in verb.* Vicarius, n. 37. Idipsum statuit sacra hæc Congregatio in *Nullius* 12 maji 1629.» *Vid.* Bouix, *De Judiciis*, tom. I. ubi de Vicario generali.

5. De Vicariis generalibus Monialium nulla quæstio; habentur uti simplices delegati ab homine; et proinde sunt inspiciendæ demandatæ Litteræ. *Vid.* Formularium apud Salzano, *Lezioni di diritto* ecc. vol. IV, pag. 133.

6. Sunt etiam Vicarii Apostolici, quos constituit Pontifex pro regimine alicujus Diœcesis, sive cum metus est ne diutius Ecclesia Pastore careat, sive cum dissidia fore perspicitur in Vicarii Capitularis electione, sive cum Episcopus aliqua de causa recte munus suum non potest implere. *Vid.* Benedictus XIV, *De Syn. Diæc.* l. II, c. 10.

(I) Pag. 255.

Distributiones quotidianæ sunt certi redditus, qui dantur iis qui Choro intersunt. Habentur uti præmia, quæ singulis diebus et horis adscripta sunt, ut facilius ac frequentius hac illecebra ducti ad chorum conveniant canonici. Tridentinum statuit, ut ab Episcopo constituantur, ubi nondum sunt receptæ ; atque ut amissæ ab absentibus inter præsentes dividantur, si canonici habent communes redditus; vel fabricæ Ecclesiæ , aut alio loco pio, arbitrio Episcopi adscribantur, si absentes habent præbendam a communi mensa distinctam.—Sess. 21, c. 3 : et sess. 22, c. 3 *de Ref.*—Bouix, *Institutiones Juris Can.* de Capitulis.

Tridentinum etiam vult, ut absentes distributionibus careant, *quavis collusione, aut remissione exclusa ;* unde Canonicus absens si eas accipiat, invalide accipit, ut declaravit Bonifacius VIII. Est *collusio*, quando Choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis ; est *remissio*, quando pars una sponte, et sine ulla conventione jus suum ad lucrandas distributiones illius qui abfuit, illi remittit. Adhuc tamen licita est *donatio*, quæ tunc fit, cum canonicus distributiones jam perceptas et possessas non interessentibus donat, nullo omnino pacto præcedente.

(J) Pag. 258.

Parochia vel Parœcia vi nominis græci idem est ac *partitio*, id est *partitio curæ :* inde Parochus dicitur, cui cura illa committitur, vel etiam Curatus. De Parochis *V.* Liguori, *Opuscol. Avvertimenti ai Parochi ;* it. *Homo Apost. tract.* VII, nn. 14 et seqq. ubi fusius agit Auctor peritissimus.—Segneri, *Il Parroco istruito.*—Abrate, *Lo spirito del Parroco esposto da un giovane Sacerdote chiamato alla cura delle anime.* Roma, vol. IV.—*Metodo per la direzione delle anime... e pel buon governo delle Parrocchie,* 1ª traduzione dal francese. Milano, Boniardi 1847.—Abreu, *Institutio Parochi seu speculum Parochorum.—Manuale ecclesiastico proposto al clero delle Diocesi di Novara da S. E. il Card. Morozzo.* Novara 1834.—*Specchio del Clero* ecc.

Etsi magni habeamus Parochi dignitatem, absit tamen ut ejus institutionem dicamus de jure divino, uti perperam demonstrare contendit inter alios Miotti in suo Opere, *Dei Parrochi santi ;* hoc enim unum habet a Deo Parochus, Sacerdotium ; sed hoc illi cum cæteris presbyteris est commune. Hinc in hierarchia Ecclesiæ Catholicæ divina ordinatione instituta nulla fit Parochi mentio (*Trident.* sess. 23, c. 3). Merito ergo D. Thomas ait, Parochum talem fieri per *simplicem injunctionem* Episcopi (2, 2, q. 184, a 6). Neque ideo mirum, quod aliquibus in locis, uti in Gallia, Parochi sint amovibiles.—*V.* Mario Lupi, *De Parochis ante annum Christi millesimum.* Romæ.—Nardi, *Dei Parochi.* Pesaro 1830, II. vol. in-4, ubi solide id defenditur.—Bouix, *De Parochis* pars 1, qui etiam fuse.

Sunt qui nimis audaces sine superioris venia volunt Parochi munus suscipere ; et sunt qui nimis timidi, etiam superiore vocante, illud recusant, quasi de eorum salute actum sit, si semel animarum curam suscipiant. Contra *primos*, qui si ad curam quam cupiunt non eliguntur, Episcopum de injustitia incusant, audiant Riccardi : « Un Sacerdote de espíritu y de mérito verdadero, jamás se cree tan digno de ser promovido, que si no lo es, se queje de haber sido postergado. El Superior con demasiada frecuencia se encuentra espuesto al resentimiento del mundo por hacer la voluntad de Dios, que por caminos secretos lo conduce á secundar sus designios.» Quoad *secundos*, sciant ex omni regione esse Parochos vitæ sanctitate percelebres : Hollandia quatuor colit animarum curatores glorioso martyrio coronatos ; Gallia habet *S. Ivonem* Carnotensem ; Filandia *S. Valerium ;* Venetiæ *B. Joannem Olini ;* Neapolis *B. Grimualdum ;* Hetruria *B. Albertum ;* Fossanum *B. Odinum ;* et Novariensis Diœcesis humiles Dei servos *Giacobini* præpositum Varalli († 1732),

Ponzone archipresbyterum Aronæ († 1652), *Arista* parochum Castelletti ad Ticinum († 1691), *Manini* parochum Pesonii († 1653), *Migliacca* parochum Massiolæ († 1818).—*V.* Miotti, *Dei Parochi santi:* opera tip. Padovæ 1786, ubi quater centum circiter enumerantur Parochi in sanctitatis odore defuncti, quorum quidem ter centum curam animarum actu gerebant, dum mortui sunt.—Hic tamen nonnulla monita sint.

1 Optime Stapf, § 73: *præsertim ab initio muneris pastoralis in causis delicatioribus nullus nimium sibimet ipsi innitatur. Etiam præclarissima theoria, ubi per sufficientem experientiam nondum subacta et firmata fuit, nos sæpe vel inopes relinquit, vel subdolo quodam affectu inflecti solet.* Item nuperus Parochus urbanitatis leges servet erga illos qui in auctoritate sunt constituti, iis primum suam electionem significans, ac dein eos invisens. In sua prima concione amorem et reverentiam sibi conciliet maximam, atque usibus Parœciæ studeat, ne, quid insuetum a principio proponens, animos avertat etc.—*V.* Soetler, *Monita ad Parochos ab Emin. Morozzo edita,* c. ult.

2. Cavere debet Parochus, ne se immisceat in privatarum familiarum negotiis, vel communitatis ; cum hoc fieri non possit, quin a se multos avertat. Studeat tamen, quoad potest, suorum componere lites atque dissidia, ut monet P. Segneri, *Il Parroco istruito* c. 10.—Si vero suboriantur lites inter Parochos et Communitatem vel Syndacum, curent Parochi rem pacifice ac privatim (non per litteras) componere: quod si non valeant, Episcopum certiorem faciant, neque ultra progrediantur. Ita Synodus Novariensis, pag. 411.

(K) Pag. 259.

Valde præstat ut Ecclesiastici aliquam catholicam ephemeridem sibi procurent, tum ut sciant novas impiorum machinationes et se ac suos muniant: tum ut ad evulgandam sanam doctrinam cum cæteris concurrant (*V.* Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa*, c. 23: dei giornali). Audiatur Episcopus Parisis, « *Casos de conciencia* etc. Heos aquí el primero, el soberano poder social, los periódicos! por medio de ellos se propagan las ideas, estas engendran la opinion, la opinion gobierna al mundo! Ahora pues, ¿hay quién dude aun de la necesidad que hay de que salgan á luz periódicos católicos? El grande, el noble privilegio de la palabra déjese pues, á nuestros enemigos; el error tenga para sí solo todo el campo de la prensa periódica, y la Iglesia, que segun la sentencia de S. Pablo debe levantar su voz *opportune, importune*, la Iglesia que calle, ó que hable solamente á aquellos poquísimos que aun se apiñan alrededor de sus cátedras; deje la Iglesia de valerse de esta nobilísima especie de predicacion, los periódicos; y abandone á sí mismos aquellos hijos estraviados, de quienes por tal medio aun podria hacerse sentir. ¡Oh qué mal consejo!

» *Pero,* se nos dice, *los periódicos católicos pecan con frecuencia, con frecuencia su redaccion es defectuosa.*—Sí, sea enhorabuena: pero, de gracia, dejando á parte las fáciles escusas que ofrecen las dificultades de la profesion, las culpas, los errores personales valdran tal vez para disminuir las venta-

jas, para quitar la necesidad de los periódicos? ¿Se habrá pues de inculpar el santo ministerio sacerdotal, porque el Sacerdote ejerciéndolo muchas veces peca? Y nadie se persuada que el parangon no viene al caso. Los periódicos religiosos segun nuestro modo de ver son una especie de apostolado, una obra indispensable para la salud de las almas; y, aunque suceda que muchas veces quien se aplica á esta tarea no tenga miras tan elevadas, con todo tal es su objeto, sus obras lo manifiestan claramente.—Realmente los periódicos católicos tienen por objeto el combatir el error, y defender la verdad, señaladamente si es divina. Por esto parece que se pueden dirigir á los periódicos religiosos aquellas palabras que Dios dirigia en otro tiempo á sus Profetas, bien que en un órden de cosas mas noble y mas vasto: *ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (Jer. 1, 10). Desembozar la injusticia, destruir los abusos, refrenar las prepotencias; despues promover, aumentar, dar vigor á toda especie de instituciones religiosas con la autoridad de una palabra religiosa, pública, infatigable y, lo que es mas, verdadera, ¿no es todo esto objeto, y el blanco de un verdadero apostolado?» Huc etiam spectat *Encycl.* Pii IX, ad Galliæ Episcopos, 21 martii 1853.

It. *vid. Lettera di M. Vescovo di Saint-Claude ai signori Curati della sua Diocesi sul giornalismo religioso*, 18 marzo 1853, ubi hæc ad rem: «amemos, y queramos lo que es necesario para todos, la ciencia eclesiástica, que san Francisco de Sales no dudó llamar *el octavo Sacramento de la gerarquía eclesiástica*. Llamemos en nuestros seminarios los principios y los elementos de esta ciencia preciosa; desarrollémosla despues con la reflexion y la esperiencia en el ejercicio de nuestras augustas funciones, cuando cada dia y en cada hora presenciemos las necesidades, las debilidades, las miserias y los dolores de la pobre humanidad. Completémosla despues observando el movimiento de las ideas del siglo, estudiando las vicisitudes del error, recogiendo los hechos que pongan mas en claro la verdad, la hermosura y la fecundidad del Catolicismo. Por estos motivos nos es necesario algun periódico; de otro modo, con daño de nuestra ciencia y de nuestro ministerio ignoraremos una multitud de cosas, que si las sabemos, aumentan nuestro vigor para obrar el bien.»—Ad rem etiam Perrone: *cum ea viramus ætate in qua ingens est collectionum periodicarum ac ephemeridum usus, quæ spectari possunt uti publica scientiarum opinionumque vehicula. Non sine detrimento ea penitus negligere theologus poterit; earum enim ope cognoscet jugiter præsentem controversiarum statum, sicque facilius valebit de statione in stationem errorem dejicere, donec contritus ac dissipatus conticescat suique pudeat* (Prælect. Theol. Compendium, Tract. de locis theolog. in fine).

Ad rem autem faciunt optimorum librorum collectiones, quæ in dies evulgantur, quarum quidem unam vel alteram quisque de Clero sine gravi dispendio vel etiam sol ummodo parcendo inanibus ac superfluis sibi procurare potest. Sunt præcipuæ: *La Civiltá Cattolica.*—It. *Gli annali Religiosi.* Roma.—*Raccolta di scienza e fede.* Napoli.—*Le Memorie di religione.* Modena.—*Il vero amico.* Bologna.—*La Pracmalogia Cattolica.* Lucca.—*L'amico cattolico.* Milano.—*Società Toscana.* Firenze.—*Nuova collezione di Opere reli-*

giose. Venezia.—*La Biblioteca Eccles*. Torino.—(*V. Civiltà Catt.* Ser. I, v. XI, pag. 650 et 681; Ser. 2, v. I, pag. 210).

(L) Pag. 264.

En tessera, qua catholici pastores ab heterodoxis maxime discernuntur. Ad rem Orsini, *I fiori del Cielo*, c. 7: «Los obispos católicos de Inglaterra vendian hasta su único caballo, para dar su producto á los pobres; los obispos protestantes, como los protestantes mismos lo confiesan, mueren *vergonzosamente ricos*, y se alejan de su grey, cuando el contagio la asola. Nosotros no tendrémos empacho de preguntar á un Turco, cuáles de ellos son los pastores? ¿cuáles los mercenarios? Un antiguo Padre de la Iglesia dice: una cosa hay, que jamás ha podido hermanarse con la herejía; esta cosa es la caridad...» De ipso Luthero Audin in ejus vita narrat: «La peste estaba en Wittemberg, y los amigos del doctor vivamente le instaban que hiciese lo que ellos, que huyeron: *Huir?* dijo Fray Martin, *no! Para un monje, el mundo no se acabará; estoy en mi puesto; aquí me quedo por obediencia, hasta que la obediencia me mande alejarme: esto no es decir, que yo no tema por nada la muerte, no soy el apóstol Pablo; pero mi Señor me librará del miedo.* Héos aquí como habla un sacerdote católico. Despues que Lutero se habrá quitado los hábitos, no hablará ya de este modo; si la peste embiste de nuevo su grey, él alejará de la mesa de la comunion á las almas que vengan á procurarse en ella un asilo contra el Angel de la muerte. *Es ya bastante*, él dirá, *que estas almas reciban públicamente cuatro veces al año el cuerpo de Jesus: la Iglesia no es ya una esclava; administrar el Sacramento á cualquiera que se acerque á la sagrada mesa, principalmente en tiempo de peste, seria una carga demasiado pesada para los ministros.*» «Creo inútil el hacer mencion de los sublimes ejemplos de sacrificio y heroismo, que nuestro admirable Clero dió en Francia en 1832 (quod de Clero catholico totius orbis dicendum, ut omnibus notum est) cuando invadió el cólera. Ahora bien, en aquella ocasion el Parlamento inglés nombró una Junta para determinar los socorros mas oportunos que se debiesen distribuir. Los miembros de aquella Junta declararon que siempre habian encontrado á la cabecera de los moribundos á algun sacerdote católico, pero jamás á un ministro protestante. Toda la Inglaterra se encendió de cólera al saber este hecho tan jurídicamente comprobado; de modo que el Arzobispo anglicano de Dublin se vió precisado á enviar una pastoral á su Clero para estimularlo, creeréis vos, á una obra tan santa? De ningun modo: antes bien para decir al Clero que tenia la obligacion de recordar á los fieles, que segun la creencia de los protestantes, no es necesario que algun ministro se esté á la cabecera del moribundo; mas aun, que el moribundo, cuando muere de enfermedad contagiosa, tiene prohibido bajo pena de pecado el llamar al ministro. Héos aquí quien se vanagloría de ser el representante y el ministro de un Dios que nos amó hasta al punto de morir sobre la cruz por nosotros.»—*V. Un'occhiata all'Inghilterra*. Torino 1856.—*La croce e la spada: Racconti della guerra d'Oriente* nelle campagne del 1854 e 1855. Torino 1856.

(M). Pag. 267.

Illis, qui catholici cultus præstantiam floccifaciunt, aut parum curant, ipsorum protestantium testimonia citare possumus, quæ liturgiam nostram laudant, commendant:—1 Hænninghaus, *Résultat de mes excursions dans le champ de la littérature protestante* etc., ubi 1887 adversariorum confessiones habentur;—2 *Réflexions d'un francais professant la Religion chrétienne réformée.* Paris 1809: libellus ad imperatorem, ut protestantium cultum ad normam catholici reformaret;—3 Muller, *Des Beux-Arts, et de la langue des signes dans le culte des églises chrétiennes réformées,* Paris 1841: ubi auctor protestans proprium cultum impetit ac nostrum attollit, laudans ritus, cæremonias, pompam, venerationem Reliquiarum, usum aquæ lustralis, imagines, processiones, vestes, adorationes, genuflexiones et cætera, quibus Ecclesia catholica utitur. Cujus quidem testimonia et aliorum plura per extensum refert eruditissimus ac numquam satis laudatus liber cui titulus, *Considerazioni sul Protestantesimo, ossia Discorsi pronunciati nella Cattedrale, di Pinerolo dal R. M. A. Charvaz ora Arcivescovo di Genova, all'occasione del ritorno alla cattolica fede di ventiquattro Valdesi.* Torino per Reviglio 1853 (cum notis et additamentis).

Inter cæteros Leibnitius *(Systhem. Theol.)* ait: «Por mi parte, yo no sé persuadirme, como algunos en su simplicidad superlativa se complacen en imaginar que Dios abomine las dulces armonías, los cantos sublimes, el incienso, el alegre sonido de las campanas, y en general, todo aquello que un piadoso deseo de una espansion religiosa supo inventar para gloria de Dios.» Et Menzel (Geschicte der Deutschen): «la Iglesia católica está en posesion de un culto sublime que se apodera del alma, de una ciencia sentimental digna de la Divinidad en la cual se refleja la vida, la civilizacion, la prosperidad de todo un pueblo.» Et Fitz-William (Lettres d'Atticus): «cuando yo reflexiono sobre la Iglesia Romana, sobre sus inmensas conquistas, sobre los esplendores de su culto majestuoso; cuando yo contemplo los magníficos edificios que ella ha levantado, y aquella admirable disciplina que parece instituida por una sabiduría sobrenatural... entonces yo quedo altamente admirado, me pierdo, y me confundo.» Hinc aiebat Fridericus Rex: *los Luteranos tratan á su Dios como á un igual; los Reformados como á uno de sus servidores; y los Católicos como un Dios.*»—*V.* Feller, *Diccionario* ecc., *V. Federico el Grande.*—*V.* etiam dicenda *de ceremoniis Sacramentorum*, tract. *de Sacramentis in genere.*—Audisio, *Lezioni di eloquenza*, p. 1, lez. XI.

Negligentem Parochum describit *Manuale Ecclesiastico*, pag. 199: «Entrad en una Parroquia que tenga por Presidente un hombre sin zelo; un hombre que en todo procure su bienestar y, para decirlo en pocas palabras, un Párroco descuidado. Dad una ojeada á la Iglesia parroquial, y veréis el estado de la Parroquia: ¡oh Dios! la negligencia del Párroco tiene la Iglesia parroquial en tan mal estado, que bien puede parangonarse á un establo! las paredes cubiertas de polvo; de todas partes cuelgan las telarañas; el pavimento es sucio y hediondo; los confesonarios que merecen se inutilizen; la

custodia del Oleo santo indecente y mal cerrada; el altar del Santísimo con manteles sucios y andrajosos; todos los ornamentos mal ordenados; el sagrado Cupon con las sagradas partículas dentro de un tabernáculo todo lleno de polvo, con un corporal ennegrecido y con el pabellon que lo cubre hecho girones; las mismas partículas adorables sin renovarse sino despues de muchísimo tiempo corriendo aun peligro de que se corrompan. Si entrais en la Sacristía, todo es confusion y hediondez...» *V.* Ricardi, *Dei doveri degli Ecclesiastici*, c. 6.

Hic non abs re pro Parochis notamus quoad sacras ædiculas: Capellæ et Imagines piæ populi devotionem maxime fovent: unde ait S. Carolus Conc. Prov. VI: *Oratoria, ubi Missæ sacrificium non fit, extruantur non in campis, sed in via publica, ut iter facientes eorum locorum prospectu pie commoti paululum precando consistant.* Et D. Gregorius, Ep. 9*: quod legentibus scriptura hoc idiotis præstat pictura cernentibus; quia etiam in ipsa cernentes vident quod sequi debent, in ipsa legunt qui litteras nesciunt.* Quamquam et literatos pictura movet: unde de quadam imagine Abrahæ sacrificium ad vivum referente, ajebat Nissenus: *vidi sæpius inscriptionis imaginem et sine lacrimis transire non potui, cum tam efficaciter ob oculos ponat historiam.*—*V.* Liguori, *Opera dogmatica,* Sez. XXV, § 4, p. 35: le sacre immagini.

(N) Pag. 268.

Facilius cognitionem ovium suarum Parochus consequetur, si quæ a Conciliis Provincialibus et omnibus ferme Synodis Diœcesanis præscripta sunt, diligenter impleverit. Nempe:—1 ut quotannis censum seu statum, ut vocant, animarum per singulas familias accuratissime describat;—2 ut baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum ac mortuorum nomina in libris distinctis, de vice in vicem, absque mora, et nitide scribat iis verborum formulis, quæ præscriptæ sunt. S. Carolus jussit expresse, ut Parochi omnes exemplaria dictorum librorum singulis annis ad Curiam Episcopalem diligentissime transmitterent. Quam legem utpote Tridentino maxime conformem sæpius et etiam recentissime confirmavit ejusdem Concilii Congregatio atque præcepit.—*Vid.* pro Regno Sabaudiæ, *Regolamento per la tenuta dei registri*, 20 giugno 1837.—Pro Regno Lombardo-Veneto, *Elementi di diritto Ecclesiastico, aggiuntevi le norme politiche e civili austriache in oggetti misti*, dell'Abate Nardi. Venezia.—Pro Regno Siciliæ, *Lezioni di diritto Canonico, pubblico e privato considerato in sè stesso, e secondo l'attual polizia del Regno delle Due Sicilie*, del P. Salzano. Napoli.

(O) Pag. 271.

Expedit ut Parochus sæpe in concionibus, uti ait S. Alphonsus *Homo Apost.* tr. VII, nn. 37 et seqq.,

Inculcet quod ad emendationem non sufficit peccatum fugere, sed etiam oportet fugere occasionem peccati.—Adurgeat homines, ne tabernas adeant ob innumera peccata quæ inde eveniunt.—Sæpe declamet in vitium loquendi inhoneste in campis et in officinis. Quot inde depravantur juvenes!—Ins-

tet in eorum enormitatem, qui peccata reticent in Confessione. Hac de re expediens est, ut interdum vocet Confessarios exteros propter animas verecundas.—Insinuet necessitatem doloris et propositi pro Confessione.—Hortetur ut in iræ motu caveant a blasphemiis ; sed bonis verbis assuescant.—In horrorem ponat superstitiones.—Inculcet, ut parentes sedulo in filios animadvertant cum blasphemant, furantur, etc.—Hortetur auditores persæpe, ut arceant tentationes nominibus Jesu et Mariæ ; et, si in mortale prolapsi, illico contritionem eliciant.—Potissimum insinuet, ut orationi assuescant.—Hortetur populum ad visitandum SS^m^ Sacramentum, ac Beatam Virginem; ad Congregationes frequentandas, etc.—Tandem in fidelibus singulari studio foveant devotionem erga Virginem, ut Rosarium quotidie recitent, ut Novenas celebrent : *felix ille Parochus*, concludit, *qui suas oves ferventes tenet erga devotionem SS. Mariæ !* «Vivus religionis sensus, filialis timor Dei, sanctaque morum integritas eo magis viget, quo major viget devotio erga Beatam Virginem», addit Stapf § 252, in contestationem provectiores Parochos testes provocans. Hinc laudanda est devotio quæ, labente sæculo XVIII inducta, mirum in modum crevit, Virginem honorandi specialius singulis annis per mensem integrum maji.—Quoad concionem et instructionem plura adhuc notanda sunt pro praxi.

1. Quoad Catechismum *V.* D. Augustinus, *De catechizandis rudibus.* — Boudon, *L'obligazione che hanno i Pastori d'anime d'insegnare, ed i popoli d'imparare la Dottrina di G. C.* — Cecca, *Le veglie dei contadini cristiani.*— Gaume, *Catechismo di perseveranza.* — *Il Catechista instruito.* Roma 1835 —M. Evêque Devie, *Divers essais pour enseigner les vérités fondamentales de la Religion aux personnes qui ne peuvent pas apprendre la lettre du catechisme, et surtout quand'elles ne savent pas lire.* Lyon 1843. — Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa,* cap. 3: dell'importanza e insegnamento del catechismo. — Audisio, *Lezioni d'Eloquenza*, part. 2^a^, lez. VIII et seqq. — Liguori, *Institutio cath. ad populum :* art. monitum ad Instructorem.—Pro pueris informandis industrium modum edocet Careno, *Catechismo elementare dei fanciulli, che si fa nella Quaresima.* Milano 1842. — Couturier, *Catechismo dogmatico e morale*, vol. VI. Cremona 1848. — Abrate, *Spirito del Paroco*, vol. II. Roma. — Sed præ cæteris *vid.* tum *Metodo per la direzione delle anime.* Mil. art. *Catechismo ;* tum Marinoni, *Specchio del Clero*, art. *Della vigilanza del Parroco sopra le scuole. e sopra i catechismi.* Ubi præclarissima hac de re. — *Prime nozioni della Religione* del P. Girard. Torino 1856. — Pinaroli, *Alcuni saggi di un metodo pratico per ispiegare il catechismo ai fanciulli del popolo ed agli idioti.* Como 1855.

2. Boni pastores adnotatos tenent pueros, ut sciant quis eorum desit instructioni. Item valde confert inducere congregationes puellarum hac de re a sexdecim annis et infra. Tales enim collectiones causant bonum summum; nam si puellæ quæ illis interveniunt, postea nubent, facilius docebunt filios, sicque integræ familiæ sanctificabuntur.—Huc spectat Congregatio ita dicta S. Dorotheæ, quæ pluribus in locis non sine ingenti utilitate inducta est. *V. Annali della Pia Opera di S. Dorotea per l'educazione cristiana delle giovinette del popolo.* Firenze, 1844, etc.

3. Quoad Verbi Prædicationem maxime cavendum est a prolixitate: *sermonis quippe satietas non minus auribus inimica est, quam immodicus cibus corpori*, ut ait Nazianzenus, *Oratione* 40. «S. Vicente de Paúl *(prout legitur in ejus vita)* preguntó un dia á un aldeano, si los misioneros que habia en su país lo hacian bien, y él le contesto: *dicen cosas grandes, pero son demasiado largos; nosotros, la gente del campo, somos como los toneles, cuando estamos llenos, si se nos echa mas, se pierde y se malogra.*» Ex tunc suos alumnos ad brevitatem sermonis Sanctus hortatus est. — Ed D. Thomas in Apostoli verba: *perpaucis scripsi vobis*, ait: *sermones breves valde accepti sunt, quia si sunt boni, avidius audiuntur; si vero mali, parum gravant.* Id etiam habet S. Alphonsus ad suum Clerum in suis *Notificationibus*. Et Sales ait: «*lo mejor es que el sermon sea corto; mientras que dure media hora, no puede ser demasiado corto. Creedme, os hablo por esperiencia, y esperiencia larga: cuantas mas cosas diréis, tantas menos se quedarán fijas en la memoria; diréis menos cosas, y el provecho será mayor; sobrecargando la memoria de los oyentes, se abate, así como se apaga una lámpara cuando se le echa demasiado aceite, y las plantas se mueren con regarlas mas de lo que se debe. Cuando un discurso es demasiado largo, lo del fin hace olvidar lo de en medio, y lo de en medio lo del principio. Los predicadores medianos pueden suportarse, mientras que sean cortos, los escelentes se hacen pesados, cuando son demasiado largos.*» (Regola per i predicatori).

4. Cavendum etiam, ne verbis incautis populus offendatur, vel ne aspere illico objurgetur ob aliquod inconveniens; zelus enim non esset secundum charitatem. Multo magis cavendum, ne quis redarguatur expresse: quod Lateranense V prohibet sub excommunicatione reservata. — *V.* Ferraris, *Bibl.* V. *Prædicatio.*

(P) Pag. 271.

«Ya en el siglo XVI un benedictino español, Pedro Ponce, del monasterio de Oña, instruia sordo-mudos con un método casi como el del Abad l'Epée; un siglo despues el ingenioso jesuita Lana acordándose de las tentativas y de los felices resultados del benedictino español, dió á luz un método de un alfabeto para los mudos. Se sabe que S. Francisco de Sales, habiendo encontrado un niño mudo, se tomó la paciencia de instruirlo, y tuvo buen resultado. Otro eclesiástico, el doctrinario P. Famin logró aunque sin método, dar alguna instruccion á aquellas dos niñas que determinaron al Abad l'Epée á consagrarse á este género de enseñanza. Entre estos tan beneméritos eclesiásticos deben contarse Sicard etc.» *(Memorie di relig. di lett.* Modena, t. II: notizia biografica dell'Ab. Sicard). — Buffon, Bonald, Debreyne, Fabriani, Sicard aliique opinati sunt surdum et mutum a nativitate ex se, sine instructione, nullam ideam sibi efformare posse, sed quamdam esse machinam se moventem, sine reflexione, sine discursu; ideoque quidquid ab ipso fit, fieri sine ulla idea boni vel mali moralis, et ideo sine vera deliberatione et imputabilitate *(V. Memorie* cit., t. IX: item Fabriani, *sul benefizio della cristiana Religione nella istruzione dei sordomuti).* Verum hoc communiter ac merito non admittitur.

Ad rem *Civiltà Cattolica:* «El sordo-mudo que no sea tonto y estúpido, del cual no entendemos hablar ni ahora, ni despues, nace con las mismas facultades intelectuales que los demás hombres, porque él nace hombre como los demás. Ahora bien, las operaciones del hombre pertenecen esencialmente al compuesto, ni pueden hacerse sin que concurran las dos partes que lo constituyen. Si pues en el cuerpo del sordo-mudo hay solamente el defecto del habla y del oido, se sigue que en el sordo-mudo estarán impedidas las facultades de hablar, y de oir; pero no lo estarán las otras facultades. Él pues, así como ayudado de los órganos que tiene sanos, ve, gusta, palpa, siente, y se mueve; así teniendo el entendimiento entero, y sin impedimento esencial por parte del organismo corporal que le perturbe en sus operaciones, él conoce, él juzga, él reflexiona, él raciocina, él se acuerda: en una palabra, él tiene un uso total de su razon. Tal vez esta empezará á obrar mas tarde que en los otros niños... El destello de la luz divina que participó, queda solo para todo el desarrollo de aquellos conocimientos que deben esclarecer el entendimiento: pero por esto no se queda inerte; con el tiempo se manifiesta en sus propios conceptos ideales, los cuales poco á poco se acostumbra á distinguir de las aprehensiones sensibles, y despues á enlazarlos con las mismas. Él siente los efectos de las pasiones, y de los actos de la voluntad: disgusto, rabia, alegría, tristeza, deseo, súplica, consentimiento, resistencia, resolucion, agradecimiento. Los siente en sí mismo por las pasiones de su cuerpo; los conoce en los otros por sus miradas, por sus gestos, por sus acciones. Sin saberlo, de los efectos sube á la causa, de la cual se forma un concepto propio y verdadero, aunque sea obscuro... Ahora bien; si en el entendimiento humano hay abstraccion y raciocinio, por consecuencia necesaria tambien estarán en él las ideas mas simples y mas universales del bien y del mal. Serán enhorabuena obscuras, confusas, indistintas, poco fijas, serán muchas veces hasta erróneas en sus aplicaciones; pero no puede negarse que realmente estén en el entendimiento etc. etc.»

Hinc gravissima necessitas enascitur tum in parentibus tum in Parochis instruendi sordos-mutos in iis saltem quæ sunt necessitate finis, ne illorum animæ detrimentum patiantur.—*V. Civiltà Catt.* cit. Ser. 3, vol IV et V: dei sordo-muti quanto all'obligo di educarli.—Assarotti, *Sui sordo-muti, sulla loro istruzione e sul loro numero.* Genova 1834. — Pendola, *Della educazione dei sordo-muti.* Siena 1855.

(Q) Pag. 272.

Episcopi, ait Lateranense IV, *viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes... verbo ædificent et exemplo.* Hinc factum est, ut in omnibus fere Diœcesibus electorum Sacerdotum Congregationes erectæ habeantur, quorum quidem id muneris est Exercitia et Missiones agere. Hi diu noctuque revera insudant; sed quid in tanta populorum necessitate? Optimum ergo consilium, ut illis jungantur consortes et adjutores cæteri in Diœcesi Sacerdotes: Apostolicum

ministerium est, quo fides et docetur et propagatur et sustinetur ; quos ergo superior judicat idoneos, si charitas Dei urget illos, si zelus domus Dei illos comedit, non dubitandum quin ejus desiderio sint responsuri, ac quidem non obiter, sed studio et oratione ad opus salutare se præparando. Proœmium respondet labori: *qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (Dan. 12). — *V.* Riccardi, *Della predicazione più efficace.* — Morozzo Cardinale Vescovo di Novara, *Lettera sulle Missioni*, 10 apr. 1835. — Liguori, *Lettera sull' utilità delle Ss. Missioni.* — Segneri, *Il Parroco istruito*, c. 26. — Audisio, *Lezioni*, p. 2, Lez 25. — *Civ. Cattolica*, ser. 2ª, v. 1, art. *gli esercizi spirituali e la civiltà moderna.*

Hic ad rem *Specchio del Clero*, pag. 441: «Las conversiones que se logran por medio de misiones ú otros actos estraordinarios, ¿porqué muchas veces son tan poco duraderas? — R. 1. Porque el médico que ha curado la enfermedad, muchas veces no puede cuidar de la convalecencia. El penitente, abandonado á sí mismo, ó á quien no conoce perfectamente su estado, no tiene aquel horror que deberia tener á su enfermedad; se espone á pruebas superiores á sus fuerzas; cree haber hecho cuanto debe con haber detestado el mal pasado, ó á lo mas con haber alejado de sí aquellos objetos, cuyo desafecto le era indispensable para recibir la absolucion: por otra parte, la impresion saludable que le habia movido á arrepentirse, en poco tiempo se disipa, ó desaparece; el amor del bien y el sentimiento del temor de Dios se encuentran débiles en presencia de las pasiones, que, aunque habian sido detestadas, con todo por no haber sido amortiguadas, vuelven á sentirse; el hombre, al verlas renacer sin esperarlo, ó se les rinde sin resistirlas, ó desmaya, sea porque se imagine que no ha salido del estado del pecado, porque aun se ve tentado para cometerlo; sea porque le asuste la idea de una lucha, para la cual no estaba preparado. ¡Cuántos del estado de una conciencia laxa, soñolienta, y estúpida, pasan á los escrúpulos, desolaciones, y á la idea desgarradora de que Dios les ha abandonado! 2. Porque muchos Confesores son tan solícitos de que la confesion sea entera y eficaz como se necesita para curar el mal pasado, como son descuidados en fortalecer al penitente contra los efectos de las pasiones y de los malos hábitos que la confesion no aniquila; no le inspiran la desconfianza de sí mismo; no le hacen entender, que no ha hecho mas que dar el primer paso de su conversion, y que, si no quiere recaer muy pronto en su primera esclavitud, debe estar preparado para sufrir una dura guerra; que, si de veras desea ser curado, necesita de un cuidado largo y paciente para desarraigar los principios de la enfermedad; que por lo mismo debe sujetarse á un hombre que sea para él médico cuidadoso etc. 3. Porque muchos Confesores se persuaden que en tales circunstancias el misionero, ó la ocasion, ya lo han hecho todo, y que á ellos no les incumbe otro cargo que el de dar la absolucion, y por lo mismo que de ningun modo es necesario hacer conocer al penitente su verdadero estado moral, ni el asegurar su perseverancia. 4. Porque los pastores ó no trabajan para mantener los buenos ensayos obrados en tales circunstancias, ó se contentan con declamar contra la tibieza que pronto aparece, y contra los desórdenes que no tardan á reproducirse; cuando deberian instruir, exhortar,

animar, aterrar y, lo que importa muchísimo, procurar con frecuencia que hubiese Confesores diligentes y zelosos, y si fuese posible, que fuesen aquellos mismos que empezaron la santa obra.»

Si Parochus velit fructus Missionum durare, curet ut populus assidue oret, Sacramenta frequentet, occasiones fugiat; et gravibus verbis interdum ostendat, quam grande malum sit gratia abuti, promissis deficere, ad vomitum redire. Item faciat, ut quos tunc fideles didicerunt cantus, numquam intermittant. *Piæ et sanctæ cantiones non modo hæreticas, sed et impudicas exterminant: fit enim ut populus qui facile hac delectatione privari non potest, dum occupatur piis cantibus, contemnat et obliviscatur impios et vanos. Notat id accidisse in Indiis* P. Turcellinus in Vita S. Francisci Xaverii: *quippe*, inquit, *hic mos ita percrebuit, ut passim in scholis, in viis, in compitis, in tectis, in agris, in navibus pro ineptis et sordidis cantilenis, christianæ disciplinæ rudimenta jucundissime et audiantur et canantur.* Ita Beyerlick, *Magnum theatrum* V. *Cantus.*

(R) Pag. 276.

Missæ sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, uti ex divino præcepto descendens a Tridentino diserte exprimitur (sess. 23 c. 1 *de Ref.* per hæc notabilia verba); *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro iis sacrificium offerre.* Circa hæc nulla umquam difficultas mota fuerat: dubium erat tantum, quoties ad id teneantur Parochi: in quo olim non una erat sententia. Alii docebant ad hoc toties teneri Parochos, quoties celebrant; alii omnibus festis diebus; alii diebus singulis, si divites essent (*V.* A-Montazo, *De causis piis*, l. II, c. 4). Benedictus XIV Bulla *Cum semper* 19 maji 1774 omne dubium sustulit, decretorie declarando, illud divinum præceptum bene impleri applicando Sacrum omnibns qui tunc erant, festis diebus; idque observandum mandavit. — *V.* Lucius Ferraris, *Bibl. Concion.* V. *Missa sacrificium.* art 3. Hisce prænotatis,

Dicimus, quia populus in aliquo festo dispensatur ab audiendo, non ideo etiam dispensari Parochum a Sacro applicando: neque enim hæc duo sunt correlata, ut unum includatur in alio et, uno relaxato, et aliud per se dispensatum sit: sane *præceptum applicandi* est a Deo, qui illud reliquit determinandum ab Ecclesia. Cum porro Ecclesia per Benedictum XIV declaraverit satis illud impleri per applicationem quæ fit diebus festis (qui tunc erant de præcepto); ideo etiam nunc satis impletur per hujusmodi applicationem talibus diebus factam: non autem satis impleretur, si hodie nunc Parochorum applicatio se restringeret ad dies festos qui nunc vigent. *Præceptum vero audiendi* est immediate ab Ecclesia, quæ illud protulit ad hoc, ut melius diem festum fideles sanctificarent, sive ad exhibendum Deo cultum debitum: cum vero alia media sint quibus id possit a fidelibus præstari, ideo illud præceptum suppressit, injungendo, uti apud nos, alia pietatis exercitia, jejunium scilicet tempore Adventus. — Illud autem *toties tenetur Parochus applicare, quoties tenetur populus audire*, regula erat tunc merito sane in-

ducta communi usu ac loquendi modo, cum tunc illi dies sibi essent correspondentes: hodie vero cum amplius non sibi correspondeant, sed aliter statutum sit a legitima auctoritate; vulgaris illa regula non amplius locum habere potest. Ergo Parochus tenetur Sacrum pro populo applicare etiam illis festis diebus qui post Benedictum XIV suppressi fuerunt, nam hæc suppressio liberat tantum fideles ab audiendo. Et ita pluries pro variis orbis partibus declaravit S. Congregatio, specialiter ad id a Pontifice deputata, nempe 28 martii 1801; 10 sept. 1818; 18 maji et 27 aug. 1824; 14 junii 1841. — V. De-Luca, *Annali*, tom. XIII, p. 104. — *Ami de la Religion*. 1842. — Cardellini, *Decreta S. R. C.* sub num. 4404. — Talù, *Hierolexicon Decretorum*, V. *Missa*. — Item Dissertatio hac de re Verhoeven Lovaniensis Professoris, qui quæstionem resolvit, adversariorum objecta resolvens.

Hic unum citamus postulatum (prout refert Gury) *R. P. Tomei S. J. in Collegio Romano professoris, circa obligationem celebrandi Missam* pro populo *in festis a Pio VI pro toto orbe suppressis.* — « *Eminencia Reverendísima*: Un confesor, hallándose en la necesidad de saber de cierto si los Párrocos estén obligados á aplicar la Misa *pro Populo* en los dias de las fiestas suprimidas en los cuales los fieles no están obligados á oir Misa, acude á vuestra Eminencia Reverendísima, para que se digne declarar: 1.° Si ahora puede regir la regla que dió *Benedicto XIV (id est post Benedictum XIV)*, esto es, que los Párrocos *toties tenentur applicare pro populo, quoties populus tenetur audire?* y de aquí: 2.° Si despues de la reduccion de las fiestas que hizo Pio VI están, ó no están, obligados los Párrocos á aplicar la Misa *pro Populo* en aquellas fiestas suprimidas, en las cuales el pueblo no está obligado á oirla? » — S. Pœnitentiaria, perpensis expositis, dilectissimo in Christo, respondendum censuit, prout respondet juxta responsionem alias datam, nempe per Apostolicum Indultum super imminutione festorum dierum quibus sublatum est etiam præceptum audiendi Missam, nihil derogatum fuisse obligationi Parochorum applicandi Missam *Pro populo*, etiam in iis festis diebus, prout alias a S. Congregatione Concilii declaratum fuit in *Camerinen.* 28 martii 1801. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 22 febr. 1848.»

« Que esta sea (ita en el *Dicionario de Teología* del Abad Bergier, edic. de Milan 1854 cum additamentis, V. *Misa*) la doctrina del sumo Pontifice lo prueba por último el haber él mismo en su respuesta al Obispo de Namur condonado todas las Misas que por el espacio de 4 años habian dejado de aplicarse por los fieles en los dias de fiesta suprimidos; lo que no hubiera tenido lugar, si no hubiese habido una obligacion real. Por lo mismo Verhoéven concluye con razon, diciendo que aun en aquellas Diócesis, en las cuales esta ley no haya sido promulgada de nuevo, los Párrocos están del mismo modo obligados á observarla. Esta subsiste, y no habiendo sido abrogada, no es necesario se promulgue de nuevo. Esta doctrina, segun nuestro parecer, es incontestable. Para eximirse de una obligacion tan espresa se necesita una dispensa formal del sumo Pontífice. El Obispo de Tours la ha obtenido por tres años. »

Neque obstat, quod nunnulli Episcopi, quibus demandatum fuit Breve Pontificium pro festorum reductione ut illud publicarent, ab applicatione

illa deobligaverint Parochos; cum evidenter dicendi sint non bene intellexisse et explanasse mentem Pontificis, utpote qui de sola festorum observantia loqueretur, ac dispensaret fideles a Sacro audiendo, sed ne verbum faceret de applicatione Parochis injuncta: imo expresse haberet nihil *quoad Chorum esse innovandum relate ad functiones ecclesiasticas:* quæ verba hanc Parochorum obligationem includunt, ut ipsimet Pontifices declararunt per organum S. Congregationis Concilii. Hinc cum Episcopus Novariensis Romæ quæreret, an Parochi suæ Diœcesis ad hanc applicationem adhuc in festis suppressis tenerentur, humiliter exponebat ad R. Pontificem, *quod jamdudum in sua Diœcesi invaluit opinio eos, qui curam habent animarum, non teneri Missam pro populo applicare diebus festorum, quæ suppressa aut translata fuerunt vigore Indulti Apostolici Pii VI* 1786, *et Pii VII* 1814. *Eo magis prædicta opinio vim habuit, quod Cardinalis Costa Archiep. Taurinensis, cui executio primæ reductionis commissa fuerat, aperte declaravit sub die* 21 *junii* 1786 *dictam obligationem in diebus festis suppressis in regno Pedemontano non vigere.* — S. C. C. de expresso Pontificis mandato declaravit 9 junii 1848, Parochos ad illam applicationem teneri.

Sed cum ex mente multorum hæc responsio non omnes difficultates de medio auferre videretur pro Novariensi Diœcesi, ut ipsorum votis annueret Episcopus, novo ad R. Sedem recursu exposuit: «1 quod non pauci ex suis Parochis tenues habent reditus; 2 quod Episcopus antecessor, Vict. Philippus Melano, Edict. 21 dec. 1793 notificando reductionem festorum, Apostolica Auctoritate qua se præditum declarat, conceptis verbis ait, quod in festis quibus populus dispensatur a Sacro audiendo, etiam Parochus remanet solutus ab eo applicando; 3 quod ab eo tempore, spatio annorum circiter quinquaginta, ea semper viguit in Parochis consuetudo, scilicet non applicandi, quin ullus reclamaverit Episcopus, vel dubium de obligatione in illis exurgeret; 4 quod in Novariensi Diœcesi nulla est obligatio audiendi Missam in festis suppressis; 5 quod die 9 nov. 1814, Sede Episcopali vacante, Vicarius Capitularis, publicans Breve Pii VII datum 9 nov. ejusdem anni, quo scilicet nonnulla festa reducta in pristinum vigorem restituebantur, expresse declarat in iis festis restitutis de novo exurgere obligationem Sacrum applicandi pro populo; ergo pro adhuc suppressis ea obligatio non est.» Quid ad hæc S. C.? — En responsum, cujus autographum est in Secretaria Episcopali datum 7 dec. 1849: «S. Congregatio Em^m S. R. E. Cardina«lium Concilii Tridentini Interpretum, vigore facultatum a Ss^mo Domino «Nostro ipsi specialiter tributarum Episcopi Oratoris precibus annuens fa«cultatem Eidem impertita est, ut, firmo remanente Parochis onere appli«candi Missas pro populo diebus festis de præcepto, onus applicationis die«bus festis reductis ad quatuor tantum in singulos annos et pro iis Parochis «dumtaxat, quos congruæ tenuitate laborare censuerit, per triennium pro«ximum tantum pro suo arbitrio et conscientia gratis reducere possit et va«leat. — *Subscriptus* A. Card. Majus Præfectus.»

Ultimo habemus responsum S. C. C. datum in *Mechliniensi* 25 sept. 1847. Quæsitum fuit 1 an Parochi debeant sanctissimum Missæ sacrificium pro populo offerre diebus dominicis et iis etiam festis diebus qui per Indultum Apo-

stolicum 9 apr. 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis novæ promulgatio ab Episcopo Diœcesano non fiat; —2 An consuetudo umquam legitima haberi possit vi cujus Parochi non applicant pro populo Missæ sacrificium aut dominicis aut saltem prædictis festis diebus suppressis? S. C. C. respondit ad 1 *affirmative;* ad 2 *negative.* — *V.* Bouix *De Parocho*, pars. 5.ª

Hic etiam notanda est responsio S. Rituum Congregationis data 22 julii 1848 in qua dicitur, *posse quemlibet Parochum, accedente justa et legitima causa, adimplementum Missæ pro populo applicandæ alii Sacerdoti committere seu per alium Sacerdotem hanc Missam celebrare facere.* Ubi advertendum, quod non omnes causæ, etsi videantur tales, sunt habendæ ut justæ ac legitimæ. Hinc S. Congregatio Concilii in Fesulana 26 jan. 1771 ad dubium: 1 *an Parochi in dominicis aliisque festis diebus, præsente cadavere possint celebrare Missam pro defuncto, et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam, in casu*, etc. Et quatenus negative; 2 *An saltem applicationi Missæ pro populo supplere possint per alium Sacerdotem, in casu*, etc. Respondit: ad 1 *negative;* ad 2 *negative;* hoc tamen non est accipiendum absolute; nam Benedictus XIV, Indulto *Quod expensis* 26 aug. 1748 habet, quod *juxta hodiernam disciplinam liceat presbytero, reclicta Missa de die, Missam pro defuncto, si præsens sit corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solemnitas quæ Missam pro defunctis omnimode excludat.* Unde responsio S. Congregationis videtur intelligenda de casu, quo Parochus Missam pro defuncto non possit per alium celebrare; si enim potest, Parochus Missam pro populo applicet, et alio Sacerdoti Missam pro defuncto decantandam committat, cui quidem tribuat eleemosynam, quæ solet pro manualibus, et aliquid amplius pro incommodo. Non enim stricto jure totum quod accipit tenetur dare Parochus: cum et ipse gaudere possit privilegio cæterorum Beneficiatorum, dum Missas proprii beneficii alteri tribuunt celebradas, ex dicendis *De Sacrificio*, ubi *de stipendio.*

Quæres: *an etiam Cappellani, Beneficiati*, etc. *qui ex lege fundationis tenentur applicare Missam diebus festis, debeant adhuc applicare in festis reductis, uti Parochi?*—Alii negant, nisi in fundatione aliter cautum sit, vel aliud clarius eruatur; nam ratio diversa est: Parochi obligantur divino præcepto ad celebrandum, quod quidem non præscribitur, sed ab Ecclesia tantum explicatur; at Beneficiati obligantur a fundatore, cujus mens est, ut celebrent ad hoc ut populus præcepto Missæ faciat satis. Cum igitur non amplius teneatur populus audire, ideo nec simplex beneficiatus celebrare. Sed alii merito affirmant, tum quia per suppressionem nihil est immutatum quoad officia in Ecclesia, et adhuc habentur festa suppressa uti de præcepto quoad res ecclesiasticas; tum quia in Brevibus reductionis expresse cautum est, ut omnia peragantur uti prius in liturgia; et hoc maxime currit de festis ultimo suppressis a Pio IX in Regno Sabaudiæ 6 sept. 1853; nam conceptis verbis Pontifex declarat, omnia in futurum (quæ ad sacram liturgiam pertinent) esse similiter agenda tum *quoad chori servitium et Missarum celebrationes, tum quoad alias functiones ecclesiasticas.*—Huc facit sequens S. C. decretum: «posita Constitutione Urbani VIII, super observatione festorum anni 1642, quæsitum fuit ab Ecclesia mediolanensi:

1 an Cappellani tam titulares quam mercenarii, quibus incumbit onus celebrandi Missam singulis diebus festis, sint exempti a celebratione diebus festis reductis; 2 an in illis diebus festis reductis quas communitates ex eadem devotione servare volunt Parochus teneatur Missam cantare, Vesperas et alia munia obire, sicut obibat ante publicationem Constitutionis prædictæ; 3 in omnibus fere Collegialis tam Civitatis quam Diœcesis Mediolanensis diebus festis Canonici solent Missam cantare, feriatis autem capellani; an in diebus festis reductis debeant cantare Canonici, an vero Capellani? S. R. C. respondit, Constitutionem prædictam nihil circa præmissa innovare: 19 dec. 1643.» Tandem res resoluta nuperrime fuit a S. C. C. per responsum datum Novariensi Episcopo: quæsitum nempe fuit: *cum plura beneficia a fundatione onus habeant Missæ in omnibus festis diebus applicandæ, dubium emergit, utrum singuli beneficiati ad id obligentur etiam in festis hucusque ab Apostolica Sede suppressis.* Die 15 decembr. 1856 responsum fuit, *juxta resolutiones alias in similibus editas, teneri.* Quod quidem, paritate rationis, videtur dicendum de Capellanis et Legatariis; nam festa reducta semper habentur in Ecclesia ut festa de præcepto.

(*S*) *Pag.* 277.

Gravissimis de causis ex quadam veluti necessitate inductum est ut hospitalia a Parochorum jurisdictione eximerentur et capellanus quoad infirmos cæterosque ipsis inservientes proprius veluti Parochus constitueretur tum quoad Sacramenta, tum quoad funera; si enim adhuc jus permaneret Parochis, magna confusio esset, cum infirmi sint diversarum Parœciarum. Excipe forte alicujus parvi oppidi hospitale, in quo nonnisi parvi unius Parœciæ infirmi admittentur, et in quo facile posset Parochus proxime degens, per se vel per vicarium, ægrotis præsto esse.—*V.* Bouix, *De Parocho. Append. I.* —De-Lucca *De Parochis, Discursus* 23.—Laurenius, *Forum beneficiale*, p. 1.

Ad rem autem, quoad infirmorum curam, Balmes, «*El Protestantismo comparado con el Catolicismo* etc. cap. 33: ¡Ay de aquellos infelices, que en sus miserias no son socorridos sino por medio de la administracion civil sin intervenir la caridad cristiana! En las relaciones que se espondrán al público, la filantropía ensalzará mas de lo justo los cuidados que ella habrá prodigado al infortunio; pero en realidad no habrá sido así. El amor de nuestros hermanos, si no proviene de principios religiosos, tanto abunda de palabras cuanto escasea de hechos. El aspecto de un pobre, de un enfermo, de un viejo desvalido, es cosa demasiado ingrata, para que podamos tolerarla por mucho tiempo, si no nos la imponen motivos superiores. Por esto no es de esperar, que los cuidados penosos, humillantes, continuos, que son necesarios para socorrer á estos infelices, puedan ser los que convienen, si no hay mas que un vago sentimiento de humanidad, que los escite. No; donde falta la caridad cristiana puede haber puntualidad, exactitud; es todo cuanto tenemos derecho de pretender de una gente pagada para servir, si la administracion del establecimiento es buena; pero siempre faltará una cosa, que no puede suplirse por otra, una cosa que no se paga, el *amor*. Pero, se dirá:

¿vos no creeis con la filantropía? No, porque, como dijo Châteaubriand, la filantropía es la moneda falsa de la caridad.»—*V. Memorie di Modena*, vol. XIV et XV : delle consolazioni e dei conforti, che la Religione di G. C. arreca in tutte le necessità.

Quæres : *Quomodo ministranda Sacramenta peste infectis?*—Plura habet Muratori hac de re, libro *Del governo della peste:* et maxime Benedictus XIV *De Synodo Diœc.* l. XIII, c. 19. En præcipua :—1 quoad *Baptismum* hæc serventur ex D. Carolo : infans nuper natus peste laborans aut eo nomine suspectus, quia a matre pestifero morbo affecta ortus est, quamprimum ob instantis mortis periculum a Sacerdote peste laborantium curam gerente, infusione rite baptizabitur, aliis omissis cæremoniis... postea, si superstes erit et liber ab omni suspicione, Parocho offeretur ut suppleat cæremonias ;—2 quoad *Pœnitentiam* ex dicendis de *Sacram. Pœnitentiæ* licet absolvere pœnitentem peste laborantem, etiam non expleta integra Confessione, si Confessarius probabiliter vereatur ne et ipse pestem contrahat vel ex nimio fœtore vel ex diuturna mora cum ægroto. Monet D. Carolus in Con. Mediol. V: ut Confessionem audiens aliquantulum e lecto distet ; et etiam ut in loco aperto aut ad fenestram, aut ostium, aut in porticum (si fieri possit) moretur;—3 quoad *Viaticum*, responsum fuit Vicario Apostolico Juliæ Cæsareæ quod, si Sacerdotes deprehendisset alienos et abhorrentes a ministratione manibus peragenda, modum ipse statueret, audito prudentum consilio, et præ oculis habito decore in tanti Sacramenti administratione servando. Plures plura proponunt ; sed omnium forsan melius Cajetanus tradit, quod Sacerdos deponat sacram Particulam in loco apto v. g. in patena vel alio vase mundo, et protendat ægroto, qui ore admoto, illam sumat ;—4 quoad *Extremam Unctionem*, ad evitandum contagionis periculum, sufficit inungere organum illius sensus qui patentior se offert inunctioni, cum integra forma. Potest autem unctio peragi, adhibita oblonga virga, cujus extremæ parti alligatus sit firmiterque adhæreat gossipii pugillus sacros imbutus Oleo.

(*T*) *Pag.* 281.

Ex his deducere est, quid de illis Presbyteris sit pronuntiandum, qui Breviarium recitandi ac Missam celebrandi contenti, in cæteris de ope roganti Parocho respondent, se nullum obtinere Beneficium, quo opem illam suppeditare cogantur : sicque otiose vitam agunt, inutilem aliis, noxiam sibi ; otium enim docet omnem malitiam. Si non Beneficium, Ordinem habent, quem vacuum tenere prohibentur; habent Dominicum præceptum, quo mittuntur ad opus ministerii ; habent universale præceptum charitatis, quo unusquisque tenetur bonum proximi, maxime animæ, curare. Hosce cum Juda Apostolo nuncupare fas est *nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur arbores autumnales infructuosas, bis mortuas, eradicatas ; fluctus feri maris...: sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Sacerdos ne etiam obliviscatur solemnitatem promissionis in sui Ordinatione emissæ; ponens enim manus suas junctas inter manus Episcopi dicentis : *promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* res-

pondit, vix Communione refectus, vestibus sacris indutus, noviter Sacerdos, in templo Domini, in faciem Ecclesiæ, coram Deo et hominibus : *promitto.* Quæporro Episcopo reverentia, si illum parvi faciat, atque apud ipsos sæculares homines dehonestet? Quæ obedientia, si infinitis studeat prætextibus, ne obtemperet ejus mandatis, cum ad excolendum Dominicum gregem mittitur? *Ecce mundus totus Sacerdotibus plenus, et tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator,* ajebat D. Gregorius *(Hom.* 17). Videamus, ne ista de nobis etiam dici possint, qui ut ordinaremur promisimus, ordinati renuimus.

Cæterum hac nostra tempestate non parum juverit hæc etiam verba referre cl. Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educaz. religiosa*, c. 8 : «La subordinacion que afianza la disciplina, que consolida la autoridad, que constituye la gloria de la Iglesia, empieza en los Sacerdotes con respecto á los Párrocos ; sigue en los Párrocos con respecto á los Vicarios foráneos; continua en los Sacerdotes, en los Párrocos y en los Vicarios con respecto al Obispo ; va delante en los Obispos con respecto á los Metropolitanos : pero no es perfecta, sino concluye con la sumision de todos al supremo Jerarca, al Vicario de Jesucristo, al Pontífice Romano. En esta cabeza reside la vida de todo el cuerpo del Sacerdocio, y de esta cabeza fluye el espíritu de todas las Iglesias.»

(U) Pag. 281.

Ad scientiam Moralis Theologiæ addiscendam retinendamque notum est plurimum conferre Congregationibus casuum conscientiæ interesse. Hoc vel ex eo solum quisque intelliget, quod tunc Moralis Theologiæ scriptores volvendi sunt, pensitandi ac simul conferendi. Hinc *S. C. Congregatio censuit. Episcopum cogere posse ad iis interessendum Parochos tam sæculares, quam regulares* (3 sept. 1605); item *omnes Sacerdotes sæculares confessarios, etiam si sint Canonici* (15 martii 1692). Imo iterum interrogata (30 aug. 1732), an illis Congregationibus omnes Ecclesiastici tenerentur assistere et quidem sub aliqua pœna pecunaria, respondit : *affirmative, præterquam Clericos non constitutos in Sacris, qui non sunt cogendi (Thesaurus Resolutionum Sacræ C. C.* in Larinens. 30 aug. 1737). Unde patet hæc plurimi esse facienda. Ipsi Episcopi cum Romam petunt ad invisenda limina Ss. Apostolorum, etiam hujusce rei rationem reddere debent : in tertio enim relationis capite. *(Instructio S. S. C. super modo conficiendi relationem* etc. ad calcem libri *de Synodo Diœc.* Benedicti XIV) sub n. 14 dicitur exponendum, *an habeantur conferentiæ Theologiæ Moralis, seu casuum conscientiæ, et etiam sacrorum rituum, et quod vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeantur?—V.* Benedictus XIV, *Notificationibus* XXXII. CI et CII.— Pavone, *Spicilegio* ecc. § 112 et 226.

Quanam methodo casus resolvendi sint, tradit Benedictus ut nempe *media via inter rigorem et laxitatem* incedere curetur *(De Syn Diœc.* l. XII, c. 6.

(V) Pag. 282.

«Donde los Sacerdotes (ait ad rem Ricardi, *Doveri* etc.) están en discordia, allí está el desórden y la malignidad. Se motejan, se abandonan, en todos los proyectos mútuamente se ponen obstáculos. Por ello el servicio divino no es tan bien cumplido: el mismo Párroco viene á ser la víctima de sus discordias. No puede emplearse en procurar el bien de algun particular, sin disgustar á los demás. No puede salir á la defensa de este, sin irritar á aquel otro. Si alguno frecuenta su casa, los otros se ausentan.—Si el monstruo de la discordia llega al punto de escitar á los Sacerdotes contra el Párroco, entonces el mal llega á su colmo. Se apartan de él; van á las casas de todos los seglares, y jamás á la del Párroco. Frecuentan ciertas casas, en las que no pueden hablar sino de intereses, ó de vanidades del siglo; pero jamás hacen una visita á su propio Pastor, con el cual pueden tener muchas cosas que conferenciar tanto para el bien particular, como para el bien público. No tienen reparo en decir, que no son bien recibidos en su casa. Para con el Párroco todo son sutilezas; no así para con los seglares. Esto no es sino el principio de los dolores. Le dejan solo en sus mayores necesidades: se alegran de verle empeñado y sacrificado en sus deberes sin que pueda llegar á cumplirlos todos. Le contrarían en las mismas funciones sagradas; en el recinto del templo, y en los átrios del Señor á veces suceden tales escenas, que causan el dolor y la admiracion de los fieles. Aun no está aquí todo: á semejanza de los Escribas y de los Sacerdotes de la Sinanoga se meten entre la plebe para incitarla á que grite el *crucifige*. Unas veces le acusan de que nada hace; otras, de que hace demasiado, ó de que lo hace mal. Nada puede emprender que ellos no critiquen. Muchas veces el cumplir una obligacion es un motivo para acusarle. Si favorece á los pobres, le levantan en contra á los ricos; si prefiere el estarse con los ricos, le acusan hablando con los pobres: en vez de hacerse cargo de sus circunstancias, no le miran sino con los ojos de sus propias pasiones. El pueblo lo observa, y queda escandalizado.»—Hic audiendus Nazianzenus: *quis orationem huic calamitati parem invenire queat? latrones, quos scelus inter se devinxit, pacem colunt... nos autem nullo concordiæ fœdere, ac vinculo constringi, nec umquam in unum coire possumus.. Cur qui charitatem colimus, mutuis odiis flagramus? qui pacem, implacabile et inexpiabile bellum gerimus? qui angularem lapidem, diripimur et distrahimur? qui petram, concutimur? qui lucem, caligamus?... Prius nec supervacaneum aliquod verbum proloqui periculo carebat; nunc autem etiam summa pietate præditos conviciis proscindimus... Neque id solum: verum etiam ipsorum (profanorum) aures mutuis in nosmetipsos probris et contumeliis pascimus; ac ne illud quidem perspicere possumus, minime tutum esse arma hosti committere; nec ei qui Christianos odit, sermonem adversus Christianum. Nam quod hodie probo objicimus, idem nobis postero die objicietur... quæ hæc caligo est? qui hic nocturnus conflictus? quæ hæc tempestas, amicos ab hostibus non internoscens? cur vicinis nostris opprobrium facti sumus, subsannatio et derisio his, qui in circuitu nostro sunt? Quodque omnium gravissimum est, hæc cri-*

minatio non in nobis consistit, verum ad magnum et venerandum nostrum ministerium transit etc. (Orat. 3 *De pace*).

«Los impios (ita Frassinetti, *Riflessioni* ecc.) conocieron que el gran secreto de la fuerza está en la union: por esto formaron, digámoslo así, una república universal, en la cual todos los miembros obran de comun acuerdo, hasta en los lugares mas remotos de la tierra. Y para que la union fuese mas fuerte y mas animada, establecieron por todas partes juntas secretas, en las que se reunen tantas veces como pueden, para encontrar, y concertar siempre nuevos medios con que transformar y arruinar el mundo. Pero la desgracia del buen partido es el aislamiento, escribió un gran genio de nuestro siglo.»

Concordia etiam cum ipsis Regularibus ac religiosis hominibus maxime favenda est, si velimus ut opus Dei progrediatur in domo Domini.—*V.* Massillon, *Conferenze Ecclesiastiche.*—Lanfredini, *Lettere pastorali al Clero* ecc. —Audisio, *Educazione morale e fisica del Clero,* lib. III, c. 9.—*Metodo per la direzione delle anime* ecc. ecc.

(X) Pag. 283.

Audiendus S. Alphonsus, *Homo Apost.* tr. VII, n. 53 quoad Seminaria:

1. «Seminarium sit optima directione constitutum; alioquin esset majori perniciei juventuti et Diœcesi. Qui Seminarium ingrediuntur (quantumvis diligentia adhibeatur) non erunt omnes Angeli; multi non afferunt eo spiritum, sed ibi acquirere debent illum. Igitur si Seminarium erit male directum, eveniet quod etiam illi, qui ut Angeli ingrediuntur, paulo post dæmones evadant... Quare Episcopus si ob reddituum tenuitatem aut alium defectum non posset suum Seminarium de bonis ministris providere, tenetur illud penitus extinguere, nisi velit Deo tot criminum et scandalorum rationem reddere.

2. «Utendum est stricto rigore, miseratione omni postposita, cum incorrigibilibus et cum aliquo, qui scandalum positivum præbuerit, v. g. impuritatis, tumultuationis, furti, etc. Hujusmodi Seminarista vix prima vice tolerandus esset post diuturnam et exemplarem animadversionem; sed tutius consilium est eum statim e Seminario expellere; quia talis ovis contagione inquinata potens est totum Seminarium corrumpere.

3. «Oportet statuere, ne tempore feriarum Seminaristæ domos adirent: nam tunc (præcipue tempore vindemiarum) isti intermittunt omnia exercitia spiritualia, et illo mense aut bimestre cum foris vivunt, quantum boni aquisiverunt, amittunt: et regrediuntur in Seminarium vitiis et peccatis onusti.» Revera S. C. Congregatio in hoc sensu semper respondet Episcopis, cum pergunt Romam Limina visitaturi. Et S. Carolus nullam suis Clericis ante pestem anni 1596 a litteris vacationem concedebat. Et Gregorius XVI Eminen. Cardin. Josepho Morozzo Novariensi Episcopo, qui in ea Diœcesi primo hunc morem induxit, vehementer est gratulatus Brevi 17 aug. 1831, *id in præcipuis studii pastoralis argumentis numerans.* Et sane de pluribus Clericis verificatur, quod de se ipse ajebat Augustinus, l. II, *Confess.* c. 3: *ubi*...

interposito otio, feriatur ab omni schola, cum parentibus esse cœpi, excesserunt caput meum vepres libidinum, et non erat eradicans manus.—V. Tommasio, *Dell'utilità de'Seminari.*—Thomassinus, *Vetus et Nov. Eccl. discipl.* pars. I, l. III, c. 2; et pars. II, l. I, c. 92.—L. Ferraris, *Bibl. Can.* etc. V. *Seminarium.*—Giovanni di Giovanni, *Storia dei Seminari Clericali.*—Riccardi, *Dei mezzi per promuovere l'educ. relig.* c. 7 et 8.—Audisio, *Educazione fisica del Clero.*—Theiner, *Il Seminario ecclesiastico.*—Morozzo, *Lettere Pastorali a'Cherici del Ven. Seminario maggiore.* 1831.—*Notificatio* LIX Benedicti XIV.

Pro alumnorum directione *vid.* Sevoy, *Doveri ecclesiastici.*—Tronson, *Manuel du Seminariste.*—Luigi Martini, *Il Seminarista*, Meditazioni.—Barabino, *Il Seminarista diretto.—Il Direttore Spirituale de'Seminari secondo lo spirito di S. Carlo* ecc.—Liguori, *Regolamento pei Seminari.—Il Nepoziano*, Bergamo ecc.

(Y) Pag. 288.

«Los políticos modernos (ad rem hic vel ipse Gioberti) olvidando los bienes pasados, y no previniendo las necesidades venideras, piensan que es dichoso el país que no tenga frailes. No importa que el egoismo triunfe, que el amor patrio se apague, que los ateos, los epícureos, las mujeres de malas costumbres, los suicidios, los infanticidios, y las otras maldades se multipliquen cada año en dos veces mas, mientras que no haya frailes. ¡Pobre gente! Cuándo no tendréis ni frailes, ni monjas, ¿por ventura os irán mas bien vuestros negocios? ¿Seréis mas justos, mas sobrios, mas temerosos de Dios, en una palabra, mas virtuosos y felices? Leed las historias, consultad la esperiencia. y encontraréis que hoy y por lo pasado la mayor parte de los beneficios llegados á la humanidad se deben á los frailes, y que nadie se presta como ellos á hacer bien aun á aquellos mismos que les burlan y detestan.» Non ergo nos ex eorum dispersione meliores, sed neque ex eorum bonis magis divites, cum sacrilegam rapinam haud benedicat Deus. *Comprobat experientia* (ipse fatetur Lutherus, *Symphosiæ*, c. 4) *eos qui ecclesiastica bona ad se traxerunt, ab eis tandem depauperari et mendicos fieri.* Nemo ab Ecclesia ita rapuit, ut Henricus VIII; at nemo ita debitis gravatus decessit.—*V.* Gobbet, *Storia della riforma protestante.*

Audiatur clariss. Tullius Dandolo, *Monachismo e Leggende*, schizzi storici. Mil. 1856: «Héos aquí un recien nacido echado en tiempo de noche en medio de un camino para que se muera; pero la Institucion es quien lo recoge, y lo salva.—Héos aquí un niño, que vá á ser mutilado, á fin de que si sobrevive, sea una mercadería de mayor valor; pero la Institucion es quien le libra de una muerte probable, y de una infamia cierta.—Héos aquí una niña cuya pobreza y mala educacion la llevan á prostituirse; pero la Institucion es quien se apodera de ella, y la purifica.—Héos aquí un jóven, que por su viveza procaz parece destinado á un rango noble, pero que por su pobreza y abandono se halla clavado en tierra: la Institucion es quien se encarga de él, y lo hace subir.—Héos aquí otro jóven que está á punto de perderse, y que

efectivamente ha sido ya arrebatado por pasiones fogosas; la embriaguez y los remordimientos le tienen abatido; la Institucion es quien le libra, y le realza.—Héos aquí un hombre envejecido de muchos años en la iniquidad, una mujer que tiene metida hasta los tuétanos la gangrena del vicio; la chispa de un rayo les tiene azorados, y no entreven otro modo de librarse que suicidándose; pero la Institucion es que les persuade y los lleva al arrepentimiento.—Héos aquí un ricazo que se desvanece, y un pobre que se envilece; la Institucion se apodera de los dos; abaja al uno, y eleva al otro, y cuando los ve en un mismo nivel, les dice: dáos un abrazo, sed iguales.—Héos aquí un monarca hecho el árbitro de la Europa, dueño de las Américas, el terror del Asia y del Africa; tal vez él habria tenido la suerte de Nabucodonosor, si la Institucion no hubiese estado á su lado para salvarle: lo vistió de una túnica rasgada, y lo ocupó en plantar coles.—Héos aquí un esclavo, que los Moros están dispuestos á matar á golpes de baston, porque es altanero y testarudo; pero la Institucion lo rescata y lo devuelve á su patria, donde muere habiendo sido autor de escritos inmortales. — Héos aquí un apestado, echado sobre el lindar de una casa que está desocupada por la peste; un colérico que padece terribles convulsiones en una encrucijada; un hidrófobo, á quien la espuma sale por la boca; el que pasa por allí, huye asustado; pero la Institucion socorre á aquellos miserables, y endulza sus últimos instantes.—Héos aquí un monton de cadáveres, que el contagio ha hecho dos veces peligrosos; los perros y los cuervos despedazaron sus huesos y sus miembros en quienes habitó un espíritu inmortal, que fué morada de Dios... La Institucion se apodera de aquellos restos asquerosos, los entierra con respeto, los bendice con amor, y ruega por las almas á quienes sirvieron de vestido.

La Institucion, pues, de la cuna al sepulcro prodiga á los hombres todos aquellos socorros que de cualquier modo sus males físicos y morales hayan exigido... Esta Institucion es la de los monges; ¿porqué, pués, los despreciais vos, si sois sabio? Cuando los romanos del imperio se atollaron en el fango del ateismo y de la obscenidad, la Institucion llamó á las Tebaidas á los inocentes, y á los penitentes. — Cuando los bárbaros amenazaron exterminar á los colonos del occidente, la Institucion se puso de por medio, como una especie de baluarte, entre los exterminadores y las víctimas. — Cuando las tinieblas de la ignorancia se estendieron por el mundo, y toda tradicion pareció que iba á perderse, la Institucion conservó encendida la luz del saber, en medio de los arenales, entre los bosques, en las grutas, sirviéndole de defensa las murallas que la santidad habia hecho inviolables. — Cuando la brutalidad feudal intentó invadir la Europa, cuando apenas acababa de quedar libre del puñal de los Hunos, y de los Vándalos, y la divina esposa de Cristo se vió casi precisada á sucumbir á la simonía, al concubinato: la Institucion la proveyó de defensores, y le dió en abundancia quienes la salvaron. — Cuando el orgullo y la impureza se agitaron con sus teas en mano por la Alemania, y la fatal conflagracion se estendió por la Europa; la Institucion fué quien suministró las armas, y los soldados para hacerle frente; ella fué que levantó el dique de lo alto, y desde allí le intimó (como

Dios á las olas del mar) de aqui no pasarás. — Cuando la astucia y la hipocresía disimuladamente se entrometieron en el redil para morder las almas distraidas, la Institucion fué la que llamó á las armas, la que descubrió los traidores, la que salvó á la grey. — No hubo infieles, que la Institucion no procurase convertir; infelices, que ella no procurase confortar; no hubo en fin, repetirémos, llaga moral ó física, sobre la cual ella no se sintiese llamada á derramar el bálsamo saludable. La historia es garante de esta verdad. — Esta Institucion es la de los monges; ¿porqué la odiaréis vos, si sois bueno?»

«La Suiza (ait auctor libri, *Sobre las posesiones e institutos eclesiásticos.* Vercelli 1850) esperimenta que son amargos los frutos de las usurpaciones que cometieron los radicales. En el Canton de Argovia, que fué el primero en dar tan pésimo ejemplo, despues de haber robado 14 millones á la Iglesia de Jesucristo, el gran consejo debió oir, que uno de sus miembros, el señor Schleunigher, en 6 de mayo de 1845, le echase en cara estas palabras: *Desgraciadamente se han reducido á la nada los bienes de los conventos... Por fin nada tienen los católicos, nada los protestantes, nada ninguno. La política destruidora nos costó cuando menos tres millones de francos suizos, sin comprender en esta suma los bienes de los conventos.*» Gazzetta di Zurigo 20 mag. 1845. — *V.* Solaro della Margherita, *Avvedimenti politici*, c. 12. — Peraldi, *Sugli Instituti Ecclesiastici e loro possedimenti.* Collezione de' buoni libri, Torino 1850. — Valsecchi, *Fondamenti della Religione.* — Raynaudi, *Malevoli erga religiosos maledicti.* — Tassoni, *La Religione dimostrata.* — Spedaglieri, *I diritti dell'uomo.* — Scotti, *Teoremi di politica cristiana:* Teor. 5. —Cauchy, *Considérations sur les Ordres Religieux.* Paris 1844.—Lenormant, *Des associations Religieuses dans le Catholicisme.* — Muzzarelli, *Il buon uso della Logica,* Opusc. XII: i claustrali. — Paolo Segneri, *Panegirico:* La causa dei Religiosi al foro dei laici. — *Politicon ou choix des meilleurs discours sur tous les sujets de Politique traités dans la première assemblée,* etc. Paris 1792. — Riccardi, *Gemiti della Chiesa di Spagna:* Conversazione 1ª. — *Saggio intorno al Socialismo* ecc. pag. 338 etc.

(Z) Pag. 297.

Audiatur Balmes quoad religiosa vota in libro *El protestantismo comparado con el catolicismo* etc. c. 38. «Dos palabras sobre el voto, que casi siempre acompaña á los institutos religiosos: y tal vez él es una de las causas principales de la fuerte antipatía que el protestantismo mantiene contra estos institutos. El voto da fijeza, cuando el principio fundamental del protestantismo por su parte no admite estabilidad y consistencia; múltiplo y anárquico por esencia, rechaza la unidad y destruye la gerarquía; disolvente por su naturaleza, no permite que el espíritu se mantenga en una fe, ni se sujete á una regla; para él la misma virtud es un ser vago que no tiene lugar determinado, y que se alimenta de ilusiones, ni puede consentir que haya alguna ley invariable y constante. Esta santa necesidad de obrar el bien, y de andar por los caminos de la perfeccion debia ser para el protestantismo incomprehensible y hastiosa en sumo grado, debia parecerle que es enemiga

de la libertad, como que el hombre que se obliga con el voto pierda su libre albedrío, y como que la sancion unida á un propósito, desde que lo acompaña la promesa que se hace á Dios, rebajase en algo el mérito de aquel que manifiesta la fuerza necesaria para cumplir lo que ha querido prometer. Los que han querido condenar esta necesidad, que el hombre se impone á sí mismo, como contraria á los derechos de la libertad, ciertamente olvidaron que este esfuerzo para hacerse esclavo del bien encadenándose para toda su vida, á mas de ser una devocion sublime, es el uso mas prolongado que puede hacerse de la libertad. El hombre con un acto solo dispone de toda su vida, y cumpliendo los deberes que le resultan de tal acto, en toda su vida hace su propia voluntad.

«*Pero*, diréis, *el hombre es tan inconstante...* Pero precisamente por lo mismo se obliga con voto para impedir los efectos de esta inconstancia; y, midiendo de una vez sola todos los sucesos futuros, se hace superior á ellos, anticipadamente los domina. — Añadiréis; *entonces el bien se obra por obligacion, que es como decir, por una especie de necesidad;* es cierto, pero ¿no sabeis que la necesidad de obrar el bien es una necesidad feliz, que en cierto modo hace al hombre semejante á Dios? ¿y no sabeis que la bondad infinita no puede obrar el mal, y que la infinita santidad no puede hacer algo que no sea santo? ¿no os acordais de aquella admirable doctrina de los teólogos que para esplicar el porqué la criatura puede pecar, nos enseña un profundo motivo, á saber, porque la criatura ha salido de la nada? Cuando el hombre se esfuerza cuanto puede para obrar el bien, y ata de este modo su voluntad, entonces la ennoblece asemejándose mas á Dios, y acercándose mas á la condicion de los bienaventurados, que no tienen la triste libertad de obrar el mal, y tienen sí la feliz necesidad de amar al sumo bien.

«Cuando los protestantes, y los falsos filósofos se valen de la palabra *libertad*, se diria que la debieron comprender malamente en todas sus aplicaciones. Tanto en el órden religioso, como en el moral, como en el social, como en el político, es una palabra tan vaga, é incierta, que bien se echa de ver cuanto hayan trabajado ellos para oscurecerla y falsearla. Ciceron nos dió una admirable definicion de la libertad cuando dijo, que ella toda consiste *en ser esclavo de la ley*. Así puede decirse, la libertad del entendimiento consiste en ser esclavo de la verdad, la de la voluntad consiste en ser esclava de la virtud. Trastornad este órden, y habréis destruido la libertad, quitad la ley, y tendréis entronizada la fuerza; quitad la verdad, y tendréis entronizado el error; quitad la virtud, y tendréis entronizado el vicio. Haced que el mundo no esté sujeto á la ley eterna, á aquella ley que tiene debajo de sí al hombre y á la sociedad, que se estiende á todo órden, y que no es otra cosa que la razon de Dios aplicada á las criaturas intelectuales; buscad fuera de este círculo inmenso una libertad imaginaria: en la sociedad no queda mas que el dominio de una fuerza brutal, y en el hombre el imperio de las pasiones: en los dos casos tiranía, y por consiguiente esclavitud.» — *V.* liber, cui titulus, *Quattro anni di esperienza della Religione cattolica*, cap. 2. — Lacordaire, *Per lo Stabilimento in Francia dell'Ordine de' frati predicatori*. Memoria.

(AA) Pag. 298.

Nonnullis modernæ œconomiæ cultoribus probrosum est, quod Religiosi victum sibi comparent mendicando: qui enim non laborat, non manducat. Quos scite refellit clariss. vir Brignole-Sale: « Yo responderé en primer lugar, admitiendo que todos en este mundo estamos obligados á trabajar; pero se ha de advertir que no todos estamos obligados á trabajar para procurarnos ó para procurar á los demás bienes y riquezas materiales: hay tambien bienes espirituales, los cuales han de ser preferidos á los materiales, porque pertenecen al alma, y hacen conocer, amar, y respetar la religion, única base segura de la moralidad y honradez, así como la moralidad y la honradez son la base segura del órden público, sin el cual el trabajo para nada sirve, y sin el cual en vano se espera el establecer la calma en la sociedad, y el conducir una nacion á su prosperidad. Los frailes, tanto los que poseen bienes, como los mendicantes, se dedican al trabajo espiritual; por lo mismo seria cosa injusta el tenerles por inútiles, y aun seria mas injusto el tenerles por perjudiciales á la sociedad.

«Responderé en segundo lugar, que la *cuestacion*, único medio que ellos tienen para subsistir, lejos de humillarles, les honra; que la mendicidad á que se han sometido voluntariamente, está fundada sobre los consejos Evangélicos; que por el contrario, aquel pedazo de pan, aquella escasa medida de grano, de vino, de aquellos groseros alimentos que recogen, y que los pueblos les dan gustosos (á lo menos que les dan por cierto de menos mala gana que lo que pagan al recaudador de los tributos públicos, de las contribuciones que siempre van aumentándose, de las sobrecontribuciones que los tales recaudadores les exigen), lo devuelven sobreabundantemente con servir constantemente á la Iglesia, con administrar los Sacramentos, con la predicacion, con sus oraciones, con asistir á los enfermos, con celebrar las funciones religiosas con la pompa necesaria y que ordinariamente es del agrado de los pueblos. Aquella *cuestacion* que, aunque está bien lejos de poder parangonarse con la mendicidad del ocioso y del vagabundo, es una mendicidad, repito, que honra en gran manera á quien la practica, y á quien corresponde; es una especie de retribucion bien moderada de un trabajo provechoso en grande escala.» (*Parlamento Subalpino, Senato; Tornata* 5 maggio 1855).

(BB) Pag. 303.

Præceptum probos eligendi (debita proportione) in gubernio constitutionali, ac republicano urget etiam omnes deputatorum electores: et aliis circumstantiis præclusis, non solum peccant qui malis suffragium tribuunt sed etiam qui non concurrendo in causa sunt, ut mali ab aliis eligantur; unusquisque enim, cum potest, tenetur a republica malum avertere. Quot autem mala ab improbis deputatis tum Religioni tum civili societati obveniant, nemo ignorat; cum ipsis summa omnium rerum concredita sit, neque tantum

tribuant consilium, sed ipsas leges cum aliis condant. Hinc Episcopi provinciæ ecclesiasticæ Taurinensis Clerum monent: *ad electiones vero quod peculiariter attinet, quum omnium prorsus officiorum Sacerdos sit commonstrator et vindex, nil certe vetat, imo necessarium est de hoc haud secus atque de aliis populum monere eumque docere ad jus voti ferendi obligationem respondere, qua unusquisque non raro adstringi posset, propterea que officio fallere qui absque legitima causa ad danda suffragia non convenerit* etc. — *V. Armonia*, an. 1853, n. 140. — *Amico Cattolico*, vol IV: *alcune riflessioni sulla elezione dei deputati alla Camera.*

Quæres: *an sine charitatis vel justitiæ læsione candidatorum vitia possint publice aperiri?* — Audiatur Episcopus Parisis, *Casos de conciencia:* «Aquel que sale de la vida privada, y opta por algun colegio electoral, por su propia voluntad se somete enteramente á la crítica del público: él se lo quiere, por lo mismo á su cargo quedan las consecuencias; del mismo modo que en lo que llaman concursos, los árbitros tienen el derecho de la censura. Por esto las opiniones del candidato pertenecientes tanto á la política, como á la religion y moral, su ingenio, su capacidad, las garantías que ofrece, los temores que inspira, todo queda sometido al dominio de los periódicos, los cuales para que los demás aprueben su fallo, deben necesariamente poner de manifiesto las pruebas y los hechos que lo confirmen. Bien es verdad, que la prensa puede por lo mismo rebajar el buen nombre que tienen ciertas personas, y puede á veces causar un grave daño; pero mientras que el periodista no haya dicho sino la verdad, mientras que no haya dicho sino lo que exige el bien público, de ningun modo faltó ni á la justicia, porque el candidato por su propia voluntad se espuso á este daño; ni á la caridad, porque el órden que esta tiene establecido exige que la comunidad sea antepuesta al particular; el bien de la comunidad tanto religioso, como social, exige que las cosas públicas no se fien en manos de hombres ó incapaces, ó perversos, aunque de aquí resulte á estos tales algun perjuicio.»

Neque illico damnandus, qui acriter contra Ecclesiæ inimicos scriptis pugnat; nam ex ipso Augustino etiam charitas habet aculeos suos. — Ad rem cit. auctor: «¿Deberá desterrarse de la polémica toda espresion picante, toda palabra de sarcasmo? No: el Evangelio jamás prohibió el que las usemos: las divinas Escrituras, cuyo modo de hablar ha de servirnos de modelo, abundan de frases irónicas, que es decir, del modo de hablar mas picante que haya. Es una verdad que nuestros contrarios querrian que los católicos, cuando escriben, lo hiciesen siempre con una seriedad fastidiosa; y si sucede que alguna vez la disfracen, gritan que esto es enojoso, que es falta de caridad, que es un escándalo; mientras que ellos, fariseos hipócritas, no saben escribir sino con la pluma teñida en la hiel. Pero sean ellos así: nosotros no serémos tan bobos que dejemos de usar de un arma tan al caso, y que Dios permite, bien que no echarémos mano de algunas otras que el hombre desana conciencia tiene por prohibidas, aunque ellos por capricho las usen con sobrada frecuencia. Arma de esta especie es, p. e., la mentira; y la mentira, si no lo sabes, está muy en boga entre nuestros enemigos; y, como la usen con desenvoltura y constancia, muchas veces hacen profundas heridas.

Lo mismo va diciendo de otros medios injustos y eficaces. Nosotros nos vemos atacados *per fas et nefas*, y para defendernos hemos de atenernos solamente á la justicia: cada uno puede ya ver la desventaja que llevamos.»

(CC) Pag. 306.

Ad delicta autem majora cohibenda mutua conventio inita est pro nonnullorum reorum consignatione de quinquennio in quinquennium duratura inter Regnum Pedemontanum et Austriacum 6 junii anno 1838; it. Ducatum Lucæ 14 martii eodem anno 1838; it. Gallicanum Regnum 3 augusti eodem anno (*V. Collezione celerifera di leggi* ecc.). Huc venit commendanda noviter instituta Societas a Rege Sabaudiæ approbata die 21 nov. 1846: *Reale Società di patrocinio dei giovani liberati dal carcere.* Quæ in id intendit ut e carcere egressi juvenes in aliquo utiliter occupentur, a vitiis arceantur, ac bonam indolem induentes periculum effugiant iterum in delicta prolabendi (*Gazzetta Piemont.* 1847 n. 49)—*V. Civiltà Catt.* Ser 2, v. XII: *Delle case di correzione.*

Quoad reorum fugientium indemnitatem *V. Civiltà Cattolica,* vol II, ser. 2, art. L'asilo della rivoluzione.—*Avvedimenti politici* del Conte Solaro della Margherita, cap. 18.

(DD) Pag. 321.

Curandum, ut cultus Dei intra domesticos parietes vigeat; *etenim*, uti observat pius Staph, § 223. *Præterquamquod exinde pius religionis sensus atque orandi studium plurimum fovere solea', multæ etiam morum corruptelæ arcentur, et totus familiaris convictus intimior evadit.... Repeto quod innui: etiamsi Rosarium finito labore diurno plerumque multis cum distractionibus recitari soleat: iis tamen in ædibus, ubi hæc devotio nullo die omittitur, plerumque plus probitatis invenies, quam ubi omnis cultus domesticus in desuetudinem abiit.—Hunc cultum constituunt tum devotæ comprecationes, tum pia lectio et colloquia ad ædificationem facientia. Præcipue mos ille commendari meretur, quo pater, vel mater familiæ Doctrinam in Ecclesia exceptam cum suis repetit, atque eorum captui magis accomodare studet.*

Ad rem Gaume, *Historia de la familia:* «Lo que es la raiz para el árbol, la fuente para el rio, la base para el edificio, esto es la familia para el Estado, y para la Iglesia; la familia suministra al Estado sus ciudadanos, y á la Iglesia sus hijos. En un sentido mas íntimo, y por una razon mas profunda, la familia debe ser llamada la sociedad mas importante. Que el hombre obre segun es y segun será ¿por ventura no es esto preparar infaliblemente la gloria ó la ignominia, la felicidad ó la desgracia del mundo? Tal es la terrible mision de la familia... La familia asociada á la misma paternidad del Criador ha recibido el poder de engendrar séres á su semejanza, séres capaces de participar un dia la naturaleza divina: *divinæ consortes naturæ* (II Petr. 1). ¡Oh familia! ¡sociedad misteriosa y sagrada! ¡cuan grande eres á los ojos de la razon! ¡cuan respetable eres á los ojos de la fe! Comprende lo sublime de tu glorioso destino: ¡que santidad debe resplandecer

en tus palabras y en tus acciones! ¡cuanto debes cuidar religiosamente de aquel ser á quien diste la existencia! ¡de aquel ser que Dios llama *mi hijo*, y el ángel, *mi hermano?*»

(EE) Pag. 321.

«Se ven (ad rem auctor libri, *Saggio intorno al Socialismo,* Tom. II) ciertas escuelas, en las cuales, como si se temiese que el muchacho llegase á ser demasiado religioso, apenas se le habla de cosas cristianas en pocos y raros instantes, al paso que una muchedumbre de maestros le divierten con escenas las mas lisonjeras de la naturaleza y del mundo. Despues de esto ¿el muchacho creerá que la cosa mas esencial para él es la Religion, la virtud y la moral del Evangelio, y que esta es la base de su educacion, como lo debe ser de su vida? —Pero esto aun es poco, si á mas, y con demasiada frecuencia, los mas sutiles vástagos de un sensualismo sansimoniano no se viesen ingertos aun en los niños de escuelas pequeñas, en las cuales sus primeras consideraciones se las hacen fijar sobre su propio cuerpo, y sobre sus diferentes partes, y sobre los deleites de que son capaces; escuelas, en las cuales con largas listas de nombres tontos, triviales, y aun muchas veces impuros, se enseñan á los niños todos los incentivos de la gula, dejando entrever con mas ó menos oscuridad otras satisfacciones mas bajas, de las cuales en otras clases los desgraciados tienen á la vista los objetos proporcionados á su edad. ¡Oh! que demasiado los tales maestros ignoran que *la necedad se halla atada en el corazon del niño*, como dijo el Espíritu santo y ni saben lo que dijo un pagano: *Res sacra puer.*» — *V.* Mons. Rendu, *A qual punto sia la rivoluzione*, Lettera, §§ 2 et 3. Genova 1857.

«Ha sido desaprobada (ad rem etiam Solaro Della Margherita, *Parlamento Sardo, Deputati; Tornata* 8 april. 1854) la conducta de los Obispos porque se han lamentado de la tendencia de las escuelas, esto se les ha tenido por un delito y su sentencia de suplicante se justifica con una propuesta, que cuando se adoptase, les daria el derecho de repetir en alta voz las mismas quejas. —Se dirá, lo preveo, que yo soy el órgano del partido clerical; pero es tiempo ya que se quite la máscara de este talisman, que se usa á cada paso, faltando las razones. El *partido clerical* es una palabra de órden para indicar que alguno se mantiene fiel á las tradiciones religiosas de los antepasados: es un anatema lanzado contra quien en tiempo de libertad no saca á plaza sus opiniones: entre nosotros no tiene siquiera el mérito de haberla inventado nosotros. Fué un grito de secta en Francia; de allí pasó á esta parte de los Alpes para que nosotros lo repitiésemos. —En el reinado de Cárlos X, cuando el ministerio Martignac, hacia resonar fuertemente por los aires el nombre de *parti prêtre* (partido sacerdotal): entonces se preparaba la usurpacion Orleanesa. En los últimos años de Luis-Felipe volvió á estar en boga: entonces se preparaba la república, ó mas bien, el socialismo No soy pues el órgano de un partido que no existe, cuando pido que quede una sombra de culto religioso en la categoría de la balanza de la instruccion pública. Se agitan con violencia aquellos que miran con indiferencia

todo ataque que se hace á la Religion. El defender en estos tiempos las razones que la asisten, es pelear *pro aris et focis;* es oponerse á las esperanzas de una feroz anarquía. A esta, sin quererlo, le facilita el camino aquel que emplea las armas contra los intereses religiosos.»

Sed præ cæteris notatu digna sunt hæc verba Diarii, *La Civiltà Cattolica* ser. 2, vol. 1, p. 677: «Los Obispos y Superiores eclesiásticos no velarán cuanto baste, en estos tiempos en que tanto se predica el Catolicismo reducido al uso moderno, y en que se trata de ciertas instituciones nuevas que tienen la apariencia de la caridad y de bien público, pero que hacen sospechar otros motivos. Por cierto es de desear que los institutos de beneficencia destinados á la instruccion, al socorro, al mejoramiento de las clases de la sociedad mas abandonadas, tomen vigor y vayan siempre en aumento en la Iglesia que siempre ha sido fecunda de tales establecimientos. Es menester que cualquiera que tenga zelo de la gloria de Dios y de la prosperidad de su prójimo, concurra á promoverlos y ayudarlos cuanto pueda. Pero por piedad, aquellos que deben cuidar del bien público atiendan con cuidado á que no se entrometan lobos con la piel de ovejas, los cuales aunque despues se quisiesen echar seria difícil, ó tarde, ó inútil. Ninguno se alucine mirando solamente algunos oropeles que por ventura se pongan de manifiesto; escudriñenlo todo, examínenlo todo bajo todos sus aspectos, á fin de conocer bien el espíritu que allí se infunde, y la naturaleza de los frutos que se pueden esperar: *Omnia probate; quod bonum est tenete* (Thess. 1, 21). Para una persona prudente serian indicios ciertos de desconfiar, si alguna institucion de índole moral se quisiese fuese gobernada solamente por los seglares, sustraida ó poco sometida al cuidado é inspeccion de los Obispos; si en la enseñanza religiosa se usase algun catecismo nuevo diferente del que está aprobado en la Diócesis; sino hubiese alguna, ó bien poca frecuencia de Sacramentos, ningun uso de imágenes sagradas, ó de invocacion de los Santos; si en los libros de instruccion se encontrase cierta novedad de máximas y de fórmulas por lo que respecta á los dogmas y á la moral; si la Iglesia y su magisterio infalible se recordasen pocas veces, ó jamás; si toda la virtud se hiciese consistir en la templanza y en la beneficencia, olvidando, ó tocando con negligencia el culto de Dios, señaladamente donde se trate del esterno; y así de lo demás. Un tenor de esta especie nos daria indicio de que esta ó aquella obra se habria emprendido no por inspiracion católica, sino pagana, ó lo que es peor, sectaria; y que por lo mismo no podria ser sino en daño de la Religion y del Estado, y para suma desgracia de los pueblos.»—It. *vid. Civiltà Catt.* Serie 2, vol XI et XII: gli asili d'infanzia.—*Memorie di religione...* di Modena, *Continuazione*, volume XVIII: et Serie 3, *Memorie;* vol. IV.

Aliud etiam curandum est, ut nempe in instructione servetur modus, ratione habita personarum, quæ non raro ob perceptam doctrinam propriam conditionem fastidiunt, meliorem tentant: sed cum non possint mutare in melius statum suum, mutant in malum.—*V. Civiltà Catt.* Ser. 3; vol. I: Pedagogia popolare.—Conte Solaro, *Avvedimenti politici*, c. 11.—Muzzarelli, *l'Emilio disingannato*, tom. II, dial. 1.—Farini, *Il poco e il troppo nell'edu-*

cazione, Modena 1834.—Fontana, *Perchè spesso a'nostri tempi l'educazione non corrisponde alle premure che pongonsi in essa.* Modena.

(FF) Pag. 323.

Reverentiæ parentibus debitæ adversatur etiam nimia illa familiaritas, quam alicubi videre est, filiorum erga genitores suos, uti fert illud Italorum adagium : *La troppa confidenza fa perdere la riverenza :* et ideo nullo nobis modo arridet consuetudo illa (quæ viget heu nimis!), ut filii tribuant patri ac matri pronomen secundum numeri singularis *tú, tí, te:* «El querer igualar (ad rem Diarium, *Civ. Cattolica* ser 2.ª t. VII, pag. 250) los hijos al padre y á la madre, no es segun la naturaleza, griten lo que quieran estos filósofos *calabazas :* es un desconcierto como lo seria el igualar los efectos á las causas, el vástago á la planta, la semilla al fruto, el capullo á la flor. ¿No ha dicho el Señor : *Honra al padre y á la madre, para que vivas una vida larga sobre la tierra?* El Señor, que es el autor de la naturaleza, sabe bien, sin que Voltaire y Rousseau le hayan dado lecciones de pedagogos, cual sea el deber de los hijos para con sus padres ; ni Dios jamás dijo, que los hijos sean los amigos del padre, sino sí que le sean inferiores y dependientes obsequiosos. Ahora ved, si es de sabio criar los hijos sin reverencia, y con la libertad y familiaridad de amigos ! Si estos filosofos pueden hacer desaparecer la autoridad paterna, que es la mas natural é imperiosa para el hombre ; no hay mas autoridad de príncipes, de magistrados, de leyes, que valga un cero para contener el desenfreno de los hombres.» *(Ubaldo ed Irene*: la visita).

Notetur, quod cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur læsum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem Confessarii parum cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deosculentur, et absolutos dimittunt ; sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare ut ante absolutionem hanc veniam poscant, quin eis imponatur, ut pedes, aut manus deosculentur ; quia illi filii quibus hoc faciendi consuetudo numquam fuit, difficillime hoc exequuntur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione ; sed potius ut consilium insinuetur, dum certe presumitur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant. A venia petenda heu nimium refugit animus proprius. Juverit saltem adolescentibus imponere, ut domum reversi parentibus dicant, se velle imposterum esse probos, dociles, etc. *hoy me he confesado ; ahora quiero ser mejor.* Hæc enim parentes libenter accipiunt uti sufficientem satisfactionem.—*V.* Liguori, *Praxis*, § 34. — P. Gaetano da Bergamo, *L'uomo Apostolico*, l. VIII, c. 3, esortaz. 10, qui modum industrium docet.

(GG) Pag. 325.

Ad tollendam omnem hallucinationem circa status religiosi electionem, dicimus propositum de religionis ingressu esse tale, ut hæc diligenter per-

pendi requirat:—1 an finis, quo movetur adolescens ad religionem ingrediendam, sit rectus, animæ nempe salus et Dei gloria; intentio enim probat opus;—2 an disciplina, observantia et fervor vigeat in illo Instituto, ad quod ipse vocari se putat; secus enim difficillime poterit perfectionem sectari;—3 an sit aptus officiis illius Instituti; aliter in sui et aliorum ruinam illud ingrederetur. His tribus rite perpensis auxilio docti, prudentis ac pii consiliarii, potest religionem ingredi, quin de magis diuturno examine sollicitus sit, sperans videlicet fore ut perfectionis semitam tuto pede, Deo opitulante, percurrere possit. Status enim religionis talis est ex Doctore mellifluo, in quo homo *vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fidentius, purgatur citius, præmiatur copiosius*. Unde adolescentis majoris semper probationis cupidos sic alloquitur S. Thomas: *diuturna deliberatio, et multorum consilia requiruntur in magnis dubiis... ingressus religionis est melius bonum, et qui de hoc dubitat, quantum in se est, derogat Christo, qui hoc consilium dedit* (2, 2, q. ult. a. 10). Idem docet D. Bernardus: *quantos mundi sapientia maledicta supplantat, et conceptum eis extinguit spiritum, quem voluerat Deus vehementer accendi!... Cum a Deo verbum esse non dubitas, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus: quid aliena consilia præstolaris? quis enim fidelior, quisve sapientior illo?* (Serm. in Evang. *Ecce nos*).

Diversa res, si ageretur de statu Ecclesiastico, qui viros non probandos, sed probatos requirit. Verum in neutro casu ordinarie parentes audiendi, licet diversimode se gerant. A Religione filios abducunt, quia nihil accipere posse probe sciunt; cum Religiosus sæculo moriatur. Ad statum vero Ecclesiasticum eos cogunt invita minerva, ut ajunt; id est refragante ingenio, repugnante natura, non favente Cœlo: cogunt, inquam, quia inde maria ac montes sperant; non enim filios suos Ecclesiæ offerunt ut Anna filium Samuelem, quæ *commodavit eum Domino* (Reg. 1): hodie parentes non commodant, quia commodare est mutuum dare nihil inde sperantes; sed locant ut pretium locationis accipiant: contractus videlicet, quem parentes inire contendunt, cum filiis Ecclesiasticum ministerium suadent, est: *do ut des*.

(HH) Pag. 328.

Nulli dubium esse potest, quod in Clericorum Seminariis, *moderandis*, ut verbis utar Pii IX *Allocutione* 9 decembris 1854, *non civilis potestatis, sed Episcoporum dumtaxat versari debet cura et industria.—V.* Archiep. Droste, *Della pace tra la Chiesa e gli Stati*, cap. 9: i Seminari.—*Collezione di buoni libri*, disp. IX.—*Il Cattolico di Lugano*, vol. XVI et XVII: il vescovo può ammettere l'ispezione civile ne'suoi Seminari?—*Concordatum austriacum* nuper editum, art. 5, 6, 7, 8 et 17.

Quoad autem laicorum Scholas hæc ejusdem Pontificis Pii IX verba sunt notatu dignissima, qui postquam docuit Episcoporum esse rite instituere Clericos, ad rem subjungit: *quoniam... cæteros etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastoralem vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper, venerabiles fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis,*

et quantum in vobis est omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad catholicæ doctrinæ normam exigatur... Eo autem in genere præcipuam vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super professoribus sacrarum disciplinarum, et in reliquis omnibus quæ Religionis sunt, aut Religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in iis maxime quæ Religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cujuscumque suspicione immunes. Commonete animarum Curatores, ut seduli vobis adjutores sint in iis, quæ scholas respiciunt infantium et juvenum primæ ætatis, etc. *Encycl.* 8 dic. 1849.—*V.* Bologne, *Istruzione sull'educazione cristiana.*—Cetta, *Dell'unità e libertà d'insegnamento in Italia.* Torino 1849.—*La Republica Romana del* 1849*: Suo processo,* c. 32.—Riccardi, *I conti fatti al progresso*, c. 6.—*Civiltà Cattolica,* vol. I et II.—Peyron, *Dell' Istruzione secondaria in Piemonte.*Torino 1851.—Rollin, *Sull'educazione.*—Archiep. Droste, Opus cit. cap. 8: scuole, collegi, università. —*Armonia*, anno 1856, num. 20 etc.

Non abs re erit præcipuos libros, qui bono juventutis conferre possunt, indicare, tum ut ipsi juvenes, tum ut eorum directores habeant in tanta undique volantium et peccare docentium libellorum contagione, quibus tuto studere possint. Sunt: Liguori, *Avvertimenti ai giovani studenti.*—Scotti. *Omelie ai giovani studenti.*—Foresti, *Il sentiero della sapienza mostrato ai giovani studenti.*—Coda, *Ricordi di un Maestro al suo allievo. che sta per entrare nella società.* Napoli 1821.—Bresciani, *Il Tionide; L'Ebro di Verona: la Repubblica Romana; Il Lionello; Ubaldo ed Irene; Lorenzo il coscritto: Don Giovani; Matilde.*—Blancard, *Scuola dei costumi.*—Collet, *Lo scolaro cristiano.* Mil. 1845.—Gobinet, *Istruzioni alla gioventù.*—Arciv. di Besanzone, *Istruzioni cristiane.*—Orsi, *La gioventù dabbene.—Collezioni di buoni libri.* Torino.—*Letture cattoliche.* Torino.—Fontana, *Guida infallibile per chi cerca la felicità,* etc.—Smith, *Racconti,* etc. etc.

(II) Pag. 329.

Quoad discipulorum obligationes pro praxi *vid. Examen raisonné*, vol. I, pag. 248: « Los discípulos deben á su maestro amor, respeto y obediencia en lo que mira al cargo que tienen sobre ellos. En lugar de haber tenido á vuestros preceptores el amor y respeto que se les debe, ¿les habeis despreciado ó injuriado? (Si el desprecio ó injuria es grave y voluntaria, es pecado mortal que tiene doble malicia. *Bonacina.* Si no es grave, es pecado venial).

«¿Les habeis provocado á cólera con palabras ofensivas ó de otra manera? (Si se les provoca con deliberacion á una grave cólera, es pecado mortal que tiene doble malicia ; si las palabras ó manera de obrar no pueden causarles grave injuria, el pecado será venial. A menudo los discípulos, por razon de su edad y de su lijereza, son escusables de pecado mortal en cosas que no lo serian si hubiese en ellos reflexion y plena deliberacion. *Sporer*).

«¿Les habeis voluntariamente desobedecido en cosas que tenian derecho de mandaros. por ejemplo, en lo que dice relacion á vuestros deberes religiosos? (Si la cosa es de poca importancia, pecado venial; pero si es de grande

importancia y mandada únicamente con intencion á lo menos implícita de obligar *sub gravi*, y por otra parte si se ha desobedecido con plena deliberacion y con conocimiento de la gravedad de la materia; pecado mortal. Muy á menudo la falta de reflexion de parte de los discípulos hace venial al pecado).

«¿Habeis obedecido de mala gana, ó contestado con arrogancia? (Si obedeciendo de este modo, con reflexion, se hace una grave injuria al maestro y esta ha podido preverse; pecado mortal: si la injuria es leve, pecado venial).

«Durante el tiempo de estudio, en lugar de aplicaros segun la voluntad de los maestros y de cumplir vuestra obligacion en la clase ¿os habeis entregado á la ociosidad y dejado dominar por la pereza? (Si la pérdida de tiempo no es notable, es pecado venial; si es muy notable y perjudica en gran manera los progresos del estudio, es mortal. *Goritia*. La falta de reflexion puede amenudo escusar de falta grave).—¿Habeis faltado á la clase sin causa alguna legítima y sin permiso? (Pecado venial: y se convertirá en mortal cuando hubiese un número de faltas que perjudicasen notablemente el estudio ó que fuesen consideradas como un grave desórden, habiendo por otra parte suficiente reflexion para conocerlo así.

«Durante las lecciones, en lugar de estar atento como corresponde, ¿os habeis distraido voluntariamente, ocupándoos en cosas vanas é inútiles? (Si esto sucede con mucha frecuencia y puede preverse que el progreso en el estudio ha de esperimentar grave detrimento, pecado mortal; si tiene lugar pocas veces y perjudica el estudio levemente, pecado venial).

«¿De qué manera habeis santificado los estudios?... En lugar de proponeros la gloria de Dios y vuestra propia santificacion, ¿habeis estudiado únicamente por vanidad, orgullo ó ambicion etc.? (Pecado mas ó menos grave, segun sea mas ó menos malo el motivo; pero para que el pecado sea mortal es preciso que haya lo que los teólogos llaman *gravis inordinatio*, un grave desórden en el motivo: estudiar simplemente por vanidad, para sobresalir á los demás, para hacerse notable por la ciencia, no es mas que pecado venial.

«¿Os habeis entregado á la lectura de obras totalmente estrañas á vuestros estudios y á vuestra clase? (Si se invierte en esta lectura un tiempo considerable conociendo que con ella se perjudica notablemente la ciencia á que se dedica y á los progresos que deben hacerse en su clase, pecado mortal; si esta lectura no impide notablemente el progreso en los estudios, pecado venial, mientras que los libros no sean contra la religion ni contra las costumbres).»

(JJ) Pag. 332.

Quid si famuli inculpabiliter damnum afferant domino in exequendis muniis sibi commissis; vel in transferendis mobilibus et suppellectilibus?—Cum res pereat domino et dominus censeatur agere per famulum, et revera agat; ipsi stant incommoda et damna, quae inculpabiliter famulus affert rei

domesticæ, nisi alia sit conventio.—Cæterum quoad famulos hæc adhuc ad praxim maxime conducentia notanda duximus cum toties laudato *Joanne Ambrosio Stapf.*

1. Rem esse valde periculosam, quod puellæ rusticæ majori commoditate vel vitæ splendore attractæ in urbes commigrent, ut ibidem ancillentur, præsertim ubi neminem habeant, quem consulere possint. Quare facile est, ut vel impio seductori in prædam cadant, vel nimio luxui indulgentes in omnia vitia præcipites ruant.

2. Illi famuli acriter increpandi sunt, qui identidem atque occulte aliquid de cibis exquisitis surripiunt. Licet enim per se res non ita gravis videatur; attamen timendum est, ne sic ad domestica furta disponantur: præterquamquod etiam gula peccant.

3. Admonendi sunt famuli, ut dum viribus valent, etiam in futurum sibi provideant, ne tempore infirmitatis aut senectutis adveniente, miserrime vitam agere cogantur. Utique nimium nos sollicitos esse dedecet, sed etiam dedecet inconsideratos esse; qui enim bona in juventute dissipat, inutiliter lugebit in senectute.

4. Curandum ut sua sorte contenti sint, neque contra Dei providentiam insurgant. Sciant terribile judicium instare iis, qui præsunt; et sæpe magnam fortunam magnam esse servitutem. Sciant in humili vitam egisse tum Mariam Cœli Reginam, tum Christum Dominum Dominantium. Sciant omnes homines alios ab aliis dependere, unum Deum independentem esse. Sciant eorum statum plures Sanctos numerare, etc.—*Vid.* Siniscalchi, *Il giorno sanctificato,* p. 2, c. ult.—Mons. Languet, *Della falsa felicità delle persone del mondo.* Roma 1817.—Bartoli, *La povertà contenta.*—Sed præ cæteris Busson, *Istruzioni e consigli alle persone di servicio.* Milano 1844.

TRACTATUS QUARTUS

DE

VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE ET SPECIE AC DE CENSURIS.

Postquam homo vidit quomodo sui in se actus efficiantur, et quibus regulis directricibus ad honestatem ordinentur, necessarium imprimis est, ut e regulis illis numquam recedat, sicque malum evitet juxta illud: *declina a malo.* Sed quomodo a regulis illis recedit homo, nisi per vitia ac peccata? Oportet igitur, ut de iis disputemus; en Tractatus quartus. Duo autem hic maxime fluunt: 1 ut homo peccatum in natura sua agnoscat; 2 ut peccatorum præcipuas addiscat radices seu vitia principaliora, quæ sunt veluti peccatorum omnia capita. Hinc duplex disputatio: 1ª *de peccatis in genere;* 2ª *de peccatis in specie* seu *vitiis capitalibus;* ut autem magis a peccatis et vitiis abhorreat christianus; 3ª addemus *de Censuris*, quæ sunt pœnæ, quibus ab Ecclesia in foro etiam externo quædam graviora plectuntur.

DISPUTATIO PRIMA

DE VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE.

Q. 1. *Quid est peccatum?*

R. Peccatum improprie modo accipitur pro *hostia*, quæ pro peccatis offertur: sic Apostolus ait, quod Christus *pro nobis peccatum fecit* (1). Modo pro *occasione* peccati: sic Moyses vitulum aureum *peccatum* appellat (2). Modo pro effectu ac simul occasionali causa peccati: sic Apostulus concupiscentiam *peccatum* dicit (3). Modo pro *pœna* peccatis debita: sic Daniel vult, ut peccata eleemosynis redimantur (4).

Proprie autem, sed generice acceptum peccatum idem est ac quilibet defectus. Unde in ordine naturali monstra dicuntur *peccata naturæ;* in artibus opera defectuosa dicuntur *peccata artis;* in moralibus vero actus humani vitiosi simpliciter *peccata* dicuntur: quo sensu hic a nobis accipitur peccatum. Celebris autem est peccati definitio, quam tradit Augustinus: *pecca-*

(1) 2. Cor. 5. (2) Exod. 33. (3) Rom. 7. (4) Cap. 4.

tum est dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam (1). Communiter tamen definiri solet peccatum: *libera legis divinæ violatio*, seu *actus libere positus vel omissus contra legem Dei* (2).

Dicitur: 1 *libera;* quia debet esse in voluntatis potestate actum illum ponere vel non ponere; alioquin numquam erit peccatum, cum tam ad merendum quam ad demerendum requiratur illa *indifferentiæ* libertas, qua homo agere possit et non agere: *peccatum*, inquit Angelicus, *essentialiter consistit in actu liberi arbitrii* (3)—2 *legis; ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (4). Et quidem legis divinæ, quo nomine intelligitur lex omnis; nam quævis violatio etiam legis humanæ adversatur legi divinæ, clamante Apostolo: *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (5); — 3 *violatio*, ut indicetur formalis ratio peccati, quæ consistit in voluntario hominis recessu a recta agendorum et omittendorum regula, sive in privatione ordinis et rectitudinis actionis vel omissionis, quæ a lege deflectit, quæque ideo bonitate convenienti caret (6).

Hæc definitio peccati (dices) *non convenit peccato originali, cum non fuerit in nostra potestate illud ponere vel non ponere; ideoque nobis nullimode fuit liberum.* — R. Etsi originis peccatum non fuerit in potestate nostra, ut sumus personæ singulares, fuit tamen in potestate nostra ut sumus membra totius naturæ humanæ, ideo liberum; cum nempe fuerit in potestate nostri capitis (quod sustinebat personam omnium) peccare vel non peccare. Hoc enim ipso, quo Deus constituendo Adamum caput nostrum naturale et morale, illi commisit voluntates nostras, moraliter et ipsi nos illi commisimus. Unde tradita definitio omnia peccata comprehendit, ac legitima est.

Addes: *datur peccatum soli naturali rationi repugnans et mere philosophicum, uti vocant; ergo definitio non est recta.* — Aliqui discrimen posuerunt inter actum humanum, qui soli naturali hominis rationi adversatur, et actum qui adversatur legi divinæ: 1^m peccatum philosophicum; 2^m theologicum nuncupavere. Verum hæc opinio jure, ac merito tamquam erronea diris devota est ab Alexandro VIII sub n. 2; nam etsi non pugnet peccatum per mentis præcisionem, idest abstrahendo, considerari posse uti pure repugnans rectæ rationi; numquam tamen potest ab offensa Dei realiter separari; nam qui peccat contra rectam rationem, simul et indivisibiliter peccat contra legem Dei (7); quia dictamen rectæ rationis est intimatio legis æternæ

(1) L. XXII contra Faust. c. 27. Nomine *facti* vel *dicti* venit etiam omissio; cum male agat qui omittit quod non debet. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 1.

(2) Vitium et peccatum etsi promiscue usurpentur; proprie tamen, uti notat Angelicus 1, 2, q. 71, differunt. Nam *peccatum* est ipse actus moraliter malus; *vitium* est habitus seu dispositio inclinans ad actum ipsum malum. Unde primum est quid pejus; cum actu male agere pejus sit, quam solum esse dispositum ad male agendum.

(3) 1, 2, q. 77, a. 6. (4) Rom. 4. (5) Rom. 13.

(6) Non tamen peccatum est ipsum nihilum: *peccatum non est pura privatio*, ait S. Thomas, 1, 2, q. 72, a. 1, *sed est actus debito ordine privatus.*

(7) Imo non tantum peccat in Deum uti *legislatorem*, cujus leges aspernatur; sed etiam uti *judicem*, cujus pœnas non pertimescit: uti *testem*, cujus præsentiam non reveretur; uti *dominum*, cujus servitutem detrectat; uti *benefactorem*, cujus beneficia contemnit; uti *ultimum finem*, ipsum in creaturis collocans. — Utique effective Deus lædi non potest juxta illud Jobi, 3: *si peccaveris, quid*

necessario prohibentis quod dedecet naturam rationalem. Ad rem Alphonsus noster: *la razon (de la condenacion del Papa Alexandro) es clara, porque nadie puede conocer que traspasa la ley de la naturaleza sin tener un conocimiento á lo menos implícito y confuso del supremo Legislador que la ha establecido; y esto basta para constituir el pecado mortal teológico* (1).

Q. 2. *Quomodo peccatum generatim dividitur?*

R. Prima et generalis peccati divisio est in *originale* et *personale*. Originale est quod ab ipsa origine nostra in Adamo contraximus, et definitur: *peccatum a primo parente in posteros per generationem transmissum*. Personale est quod committimus propria nostra, physica et actuali voluntate.— *La diferencia que hay entre el pecado original y el personal consiste en que este último se comete por voluntad físicamente propia, y el original fué cometido por voluntad físicamente estraña y moralmente propia*. Ita S. Alphonsus (2).

CAPUT PRIMUM

DE PECCATO ORIGINALI.

ARTICULUS I — De peccati originalis exsistentia (3).

Q. *An peccati originalis existentia admittenda sit?*

R. Peccati originalis existentiam præcipue negarunt IV sæculo Pelagiani; VII Armenii; VIII Albanenses; XIII Albigenses; XVI Zuwingliani aliique ex Novatoribus; et negant adhuc Sociniani et increduli. Verum de fide catholica est, *peccatum originale in omnes et singulos homines transfundi, qui via naturali ex Adamo descendunt, nisi privilegio speciali eximantur*.

Prob. 1. *Scriptura:* Regius Psaltes sic habet: *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (4). Atqui hujusmodi iniquitas atque peccatum, in quo David conceptum se dolet, non aliud esse

ei nocebit? At affective mala hominis voluntate utique ofenditur, quatenus homo sanctissima jura Dei violat, ejusque amicitiam practice contemnit. Nonne directe etiam veritas per mendacium læditur? attamen veritas in semetipsa semper remanet incorrupta; qui tamen mentitur, vere veritatem offendit.

(1) *Apologie* ecc. v, n. 11.

(2) *Opera dogmatica*, contro gli increduli pretesi riformati, sess. 5.

(3) Quæstio pertinet ad ipsa religionis principia; cum, dicente Augustino, in hoc *proprie Fides Christiana consistat, et hoc qui negat, ipsa Christianæ Fidei subvertere fundamenta conatur* (lib. I contra Julian. c. 2; et l. II de pecc. orig. c. 24). *V.* Perrone, qui in suis *Prælect.* ubi *de homine*, de more, et argumentorum soliditate et eruditionis copia rem totam exsolvit. It. Billuart, Alasia, Fransen, De-Rubeis, etc.

(4) *Ps.* 50. In textu hebraico habetur numerus, singularis *in iniquitate et in peccato*. Sed non officit quod ponatur plurale; tum quia peccatum originale est radix plurium peccatorum; tum quia in eo peccato plures fuerunt deformitates, nempe superbia, infidelitas, inobedientia, gula, etc.—Attamen si quæratur quodnam fuerit primum Adæ peccatum, dicimus illud fuisse non inobedientiam, sed superbiam simul includens ac causans inobedientiam: audiens enim Adam, quod foret Deo similis comedendo de ligno vetito, in superbiam elatus ex motivo hujus assimilationis concepit voluntatem comedendi, et comedit.

potest, quam peccatum originale: *numquid David* (ait S. Augustinus in hæc verba) *de adulterio natus erat, de Jesse viro justo et conjuge ipsius? Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Et Apostolus sic scribit: *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (1). Docet hic Apostolus per Adamum peccatum in mundum intrasse non secus ac mortem; atqui mors intravit in omnes et singulos homines tam adultos quam parvulos absque ullo discrimine. Ergo etiam peccatum originale; neque enim in parvulis actuale esse potest.

2. *Patribus:* unanimis sane fuit et perpetuus eorum consensus hac in re. Duos proferimus, Augustinum et Athanasium. Primus contra Pelagium sic inquiebat (2): *non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credidit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus.* — Alter hæc habet (3): *ob Adami iniquitatem omnes qui ab Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur* (4).

3. *Conciliis:* sufficiat omnium loco Tridentinum, cujus Patres sic decreverunt: *si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod est mors animæ, anathema sit; cum contradicat Apostolo dicenti: «per unum hominem peccatum intravit in mundum; et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (5).»

4. *Ratione theologica.* Ac 1 Fides Catholica semper docuit Baptismum esse necessarium ad salutem æternam: atqui nulla esset talis necessitas, si peccatum originale non existeret; 2 Christus fuit Salvator atque Redemptor tam adultorum quam parvulorum: atqui sublato dogmate peccati originalis, talis dici non posset (6).

5. *Denique antiquæ traditionis vestigiis*, quæ apud omnes gentes etiam barbaras reperiuntur, uti ex historia apparet. Unde vel ipse Voltairius ultro fatetur: *casus hominis est fundamentum Theologiæ omnium pene antiquorum populorum* (7) *(A).*

Diximus: — 1 *qui via naturali ex Adamo descendunt*, ut eximatur Christus, et alii qui per miraculum formarentur; nam isti tunc non descenderent per seminalem propagationem ab Adamo: *revera*, ait Tridentinum, *homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum*

(1) Rom. 5. (2) *De nupt.* l. II, c. 12. (3) In Ps. 50.

(4) De fide est omnes omnino homines ab uno Adamo derivare: hoc est contra Peyrerium, qui docuit adamum et Evam esse tantummodo capita populi Israëlitici, parentes autem gentilium alios fuisse homines antea creatos, quos proinde vocabat *Præ-Adamitas*. Sed hoc fabulosum est, ut patet ex toto Genesis contextu, et ex illo I Cor. 15: *factus est primus homo Adam in animam viventem*. Unde Augustinus Tract. 9 in Joann.: *in ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant non tantummodo Judæorum.* — *V.* Billuart, *De pecc. orig.* Digressio historia. — Bergier *Diccionario*, h. l.

(5) Sess. 5 can. 2.

(6) *V.* Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, Opusc. XXV: peccato originale.

(7) *Phil. de l'hist.* ch. 17.

ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant (1); — 2 *nisi privilegio eximantur*, ut exempta fuit Maria; absit enim, ut hic includamus Virginem, *opus* (ex Damiani) *quod solus Opifex supergreditur* (2).

Objicies 1: *concipi nulla ratione potest, quomodo peccatum originale in posteros traducatur; ergo repugnat illud admittere.*

R. 1: Latet quidem nos modus: *ego istam quæstionem profundam sentio*, inquiebat D. Augustinus; *libet me et hic exclamare quod Paulus: O altitudo divitiarum* (3)! Neque tamen idcirco fas est aliquid concludere contra peccati originalis existentiam: secus eodem argumento negari posset commercium animæ cum corpore; quia minime innotescit, quomodo anima in corpus, et corpus vicissim in animam agat. Item negari posset adhæsio partium in corpore; cum modus non agnoscatur hujus adhæsionis. Unde hic *magis curandum est*, ut ait idem S. Doctor, *sive in parvulis sive in grandibus, quo anima sanetur auxilio, quam quo vitiata sit merito* (4): sane qui cecidit non quærit quomodo ceciderit, sed quomodo surgat:

R. 2: Cæterum ad exponendum impenetrabile hoc mysterium varia sunt excogitata systemata. Alii dicunt ideo peccatum originale traduci, quia anima infunditur in corpus vitiatum; sicut liquor in vase vitiato corrumpitur: sicut ipsa anima dolet, si conjugatur corpori vulnerato. Sed hoc non est admittendum; quia in hac hypothesi vitium corporis supponitur ante peccatum, cum tamen sit ipsius peccati effectus. — Alii volunt inter Deum et Adamum interfuisse pactum, cujus hæc conditio fuit, ut penes Adamum generis humani sors foret: admittunt insuper in omnibus posteris Adæ interpretativam quamdam voluntatem, vi cujus si extitissent, tale pactum libenter fuissent acceptaturi. Verum hoc pactum gratis omnino supponitur, et consensus voluntatis nondum existentis non potest puniri. — S. Thomas, cujus sententia communis evasit, docet Adam constitutum a Domino fuisse *caput naturale et morale totius generis humani, tum ad conservationem, tum ad amissionem justitiæ originalis*, ita ut, eo perseverante in bono, omnes nati fuissent justi; eo autem prævaricante, omnes nascerentur justitia originali exuti. Atque hinc jure merito ajebat Augustinus, homines participes fieri peccati Adami *non proprietate actionis, sed contagione propaginis*. Sicut Rex a populo electus cum titulo hæreditatis, qui pactum fundamentale transgrediens et a potestate excidens, totam dynastiam suam in ruinam trahit; ita Adam, caput morale totius generis humani constitutus omnes posteros suos, quorum sors et dignitas ejus fidelitati committebatur, secum perdidit (5).

(1) Trid. sess. 6, c. 3. (2) *Serm. de nat. B. V.*

(3) *Serm.* 294 *de Bapt. parv.* (4) L. *V. contra Julian.* c. 4.

(5) Ab Adamo solo fuit transmissum originis peccatum, ex Rom. 5, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*; et definivit Tridentinum, sess. 5. can. 2. Unde illud Ecclesiastici, 25, *a muliere initium factum est peccati*, intellige occasionaliter, quia mulier induxit virum ad peccandum. Et præceptum datum Evæ de non comedendo ipsam spectabat tantum ut personam particularem, non ut caput morale generis humani. Qua pariter ratione communiter docent, quod si, non peccante Adamo, aliquis ex ejus posteris, puta Cain, peccasset, posteri Caini non contraxissent peccatum originale; quia solus Adam erat constitutus caput morale omnium. Imo probabilius est,

Ex quo patet: — 1 quare Adam nocuerit peccando, quin prodesse potuerit pœnitendo. Nam ipse delevit quidem personale peccatum, quod in mala voluntate erat; at non potuit amplius auferre naturæ corruptionem, quæ a peccato necessario secuta est; — 2 quare cætera protoparentis peccata ad posteros non debuerint transmitti; semel enim justitia originali amissa, protoparens non amplius agebat uti caput morale hominum. Sic explicatur illud Ezechielis: *filius non portabit iniquitatem patris* (1), et alia ejusmodi; — 3 quomodo originale peccatum posteris sit voluntarium et proprium: *omnes homines*, ait Angelicus (2), *qui nascuntur ex Adam, possunt considerari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt...; ita ut multi homines ex Adam derivati sint tamquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius; sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum; ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam a primo parente. Unde et vocatur peccatum naturæ secundum illud Ephesiorum*, 2: eramus natura filii iræ (3).

Sed (dices) *Deus potuitne statuere, ut voluntas Adæ esset habenda pro voluntate nostra?*—R. Affirmative, et quidem absque ulla injustitia; quia cum Deus sit supremus omnium Dominus, *qui*, ut ait S. Augustinus, *magis habet in sua potestate voluntates nostras, quam nos ipsi:* sicut nos possumus in alium transferre voluntatem nostram, ita Deus jure suo potuit, non requisito consensu nostro (cum tunc non essemus actu) transferre voluntates nostras in Adamum, non quatenus sumus singulares personæ, sic enim quisque habet voluntatem propriam et est arbiter sui; sed quatenus sumus membra totius naturæ ab Adamo propagandæ. Simile quid contingit in humanis, dum Princeps includit voluntatem minoris in voluntate tutoris quantum ad actus ci-

quod si ipse Adam solum post natum filium peccasset, iste filius cum suis posteris peccatum originis non contraxisset. Ratio quia illi tantum illud contrahunt, qui ab Adamo peccatore seminaliter propagantur; at in hypothesi, quando Adam peccavit, dictus filius jam erat generatus.

(1) Cap. 18.

(2) 1, 2, q. 81, a. 1.

(3) Et S. Alponsus: «En tanto se dice que todos nosotros hemos pecado en Adan, en cuanto Adan contenia en su fecundidad á toda la naturaleza humana, y la eleccion de su voluntad importaba el estado próspero ó infeliz de esta misma naturaleza; y por esto pecando hizo què toda su especie naciese con la mancha y con el desórden que habia causado su pecado. Así pues en Adan la mancha de la persona contaminó la naturaleza, pero en nosotros la mancha de la naturaleza contamina á la persona.»

viles; aut dum magistratus agit nomine totius communitatis cum Rege, et illi exhibet juramentum fidelitatis.

Objicies 2: *originali peccato semel admisso, malæ essent nuptiæ; quia per illas peccatum propagaretur.*

R. Cum Augustino: *nuptiæ institutæ sunt causa generandi, non peccandi* (1): unde non est per se, sed tantummodo per accidens, quod originale peccatum ex generatione sequatur. — Neque refert, quod inde proles nascatur infecta; nam, uti ait S. Thomas, *melius est ei sic esse secundum naturam, quam nullo modo esse, præsertim cum possit per gratiam damnationem evadere* (2).

Neque injustus est Deus, qui transfusionem illam permittit; adest enim justa causa, nempe generis humani propagatio, cui abunde per redemptionem provisum fuit (3). Unde Apostolus habet: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (4). Nempe sicut Adam fuit principium mortis, ita Christus est principium vitæ, quamvis per accidens non omnes ejus beneficium experiantur (5). — Neque etiam pugnat, quod parentes baptizati amplius non habeant peccatum originale, illud tamen in posteros transmittant; quia quum parentes generent secundum corpus, non secundum mentem, nec quatenus sunt per Baptismum renovati, sed quatenus de vetustate primi peccati aliquid in mortali corpore retinent; ideo, licet baptizati et sancti, peccatum originale in prolem traducunt (6).

Objicies 3: *peccatum originale est in anima; anima autem non est ab Adamo nec a parentibus per generationem, sed a Deo creatur, ut decisum est in Lateranensi sub Leone X, sess.* 8. *Ergo dicendum est a Deo animam vitiari, si revera originale peccatum in ea est.*

R. Peccatum originale traducitur per generationem, sed quatenus semen movet dispositive ad animam et ad ejus conjunctionem cum corpore, ex qua conjunctione fit hic homo, hæc natura humana. Per generationem itaque habetur et traducitur natura ab Adam seminaliter propagata, consequenter per concomitantiam seu resultantiam traducitur et culpa; quia traducitur natura privata justitia originali. *Humana autem natura,* ait Angelicus (7), *traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum ani-*

(1) L. IV *de nupt.*, c. 26. (2) 1, 2, q. 83, a. 1.

(3) *V.* Moehler, *La simbolica*, tom. 1. — Fran. a Breno *Epitome manualis Missionariorum orientalium*, pars. 1.ª (4) I Cor. 15.

(5) «Se pregunta muy á menudo: *porque Dios infunde un alma pura en un cuerpo manchado por el pecado.* El porque, señores, acabais de verlo. No es Dios el que envia las almas, sois vosotros los que las evocais. Vosotros hombres dotados de una vida transmisible, investidos del derecho augusto de la paternidad, vosotros sois los que, segun el órden de vuestra carne, llamais á vosotros á los espíritus y les obligais á recibir con vuestra imágen la gloria ó el deshonor de ser vuestra posteridad. Si este poder os hubiese sido retirado, hubiera importado la muerte del género humano. Dios, que queria salvar á la humanidad, ha dejado en vosotros la vida en su plenitud, ha mantenido la ley de la transmision hereditaria, sin la cual habiendo seguido abismados en la nada, no interpelariais su justicia y su sabiduría: y cumpliendo por su parte todo lo demás que habia prometido, permite á vuestra miseria contaminar las almas que él cria para vosotros, y á vuestra ingratitud el blasfemarle por el mal de que vosotros sois los únicos autores.» — Lacordaire *Conferencia* LXV.

(6) Angelicus, 1, 2, q. 81, a. 3. (7) Q. 3 *de creat.* a. 3 ad 3.

ma infunditur; et ex hoc infectionem incurrit, quod sit cum carne traducta una natura. Si enim ei uniretur non ad constituendam naturam, sicut Angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet.

Hic grave monitum sit: si in omnibus theologicis disputationibus cavendum est a verborum novitate, ne inducatur confusio, novus cavillationibus aditus aperiatur, errori fiat locus, ac offendantur fideles; id in præsenti quæstione maxime cavendum, cum in ea proprie fides christiana consistat. Qui amant novas in Theologia inducere voces, seu *thecnologias*, audiant Patres Africanos in Epistola ad Theodorum Papam: *certum est, quod tales sermonum novitates de malo amore gloriæ nascuntur. Dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quærunt quid novi proferant (B).*

ARTICULUS II—De peccati originalis subjecto, natura et effectibus.

Q. 1. *Quodnam est subjectum peccati originalis?*

R. Peccati originalis subjectum sunt omnes homines naturaliter ab Adamo derivati, ut patet ex generalibus tum Scripturæ tum Patrum verbis: hinc Apostolus aperte docet, quod omnes in Adam peccaverunt. Est ergo contra fidem quod tradunt Calvinistæ, nempe peccatum originis filiis fidelium non imputari, quia justitia parentum per eorum fidem ipsis communicatur; tunc enim frustra ipsi baptizarentur, si per parentum fidem essent justificati. Quare merito Tridentinum: *si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari... anathema sit* (1).

Hoc tamen non impedit, quominus exceptionem faciamus pro Maria Virgine: *nada obsta,* ait Liguori, *á la verdad de un dicho universal, la escepcion de algun objeto particular, que suele espresarse claramente cuando quiere comprenderse así, por haber algun motivo particular por estar comprendido.* Sic quamvis generales sint istæ locutiones in Scripturis quoad actualia peccata: *omnis homo mendax, non est homo qui non peccat;* nullus tamen hic B. Virginem comprehendit. Imo de fide catolica est, *Beatissimam Virginem, quamvis ex Adamo carnali generatione descendat, a Deo tamen per gratiam prævenientem ab originali peccato fuisse præservatam vi redemptionis futuræ, eo instanti quo formata fuit; ita ut labem peccati numquam de facto habuerit (C).*

1. Id manifestum est ex verbis, quæ Genesis 3 leguntur post protoparentum nostrorum lapsum, dum Deus serpentem seu diabolum originalis peccati auctorem alloquitur: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* In prima textus parte denuntiatur identitas inimicitiarum inter dœmonem et semen mulieris, ac inter dœmonem et mulierem ipsam; atqui inimicitiæ inter dœmonem et semen mulieris, id est Christum, fuerunt absolutæ, perpetuæ, quæ nullam præcedentem amicitiam admittunt: ergo tales sint

(1) Sess. 5. can. 4.

oportet etiam mulieris seu Mariæ inimicitiæ cum dæmone; tales autem non fuissent, si B. Virgo vel unico instanti subjacuisset peccato. In secunda parte denuntiatur effectus prædictarum inimicitiarum, idest triumphus quem mulier virtute seminis sui, nempe Christi, plenum refert: sed hic triumphus plenus non fuisset si dæmon veneno suo seu peccato mulierem infexisset; hac enim in hypothesi non *ipsa* caput contrivisset serpentis; sed dœmon contrivisset caput mulieris, seu B. Virginis (1).

2. Id probat auctoritas Pontificum Sixti IV, Pii V, Pauli V, Gregorii XV et Alexandri VII, qui declararunt toto se animo piam sequi sententiam, Conceptionis Missam et Officium approbando, et indulgentias concedendo. Et Gregorius XVI, postulantibus Episcopis quam libentissime facultatem tribuit, ut in Lauretanis Litaniis, et in ipsa Missæ præfatione Immaculatus Virginis proclameretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Tandem Pius IX proprium de Immaculata Conceptione Officium die 2 febr. anno 1849 pro Universa Ecclesia lætissimo prorsus animo concessit; die autem 8 dec. anno 1854, Apostolicis Litteris *Ineffabilis Deus,* dogmaticam definitionem toto plaudente catholico orbe, dedit et promulgavit: *ad honorem Sanctæ et Individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem Fidei catholicæ et Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam, quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Savatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*

3. Id firmant Concilia. Inter cætera Toletanum anno 634, ubi receptum fuit Breviarium a S. Isidoro Archiepiscopo reformatum, in quo quidem B. M. Virginis *immunitas ab originali* prædicatur. Trullanum anno 692, quod quidem liturgia S. Jacobi Apostoli nuncupata utebatur; in ea autem Beata Virgo vocatur *sanctissima, immaculata.* Et Nicœnum II generale (anno 787) definiit: *si quis non confitetur sanctam semperque Virginem Mariam proprie ac vere Dei genitricem sublimiorem esse omni visibili et invisibili creatura, anathema sit.* At quomodo Virgo posset dici *sublimior* omnibus creaturis etiam angelicis, si aliquando fœdata fuisset a culpa originali, ideoque gratiæ expers et Dei inimica? Tandem Tridentinum anno 1542, cum dogmaticum de peccato originali ederet Decretum solemniter declaravit, *non esse suæ intentionis* in decreto ipso *comprehendere* Dei Genitricem Mariam. *Hac*

(1) In hebraico textu et samaritano, ac alexandrina versione loco *ipsa* legitur *ipsum* (semen nempe mulieris) aut *ipse* (Christus videlicet); sed hoc parum refert ad rei substantiam; non enim vis probationis pendet ex voce *ipsa* vel *ipsum,* sed ex inimicitia absoluta, et perpetua filii et matris adversus dæmonem, ex qua sequitur et filium et matrem perfecte et plene de dæmone triumphasse, licet ex diverso titulo, nempe filium virtute propria, matrem virtute Filii. Cæterum vero catholico est præferenda lectio Vulgatæ versionis quæ authentica declarata á Tridentino atque proposita authentice fuit a Sixto V et Clemente VIII; et illius lectionis fundamenta gravissima exponunt Catholici controversistæ et expositores, Bellarminus, Bonfrerius, etc.

enim declaratione, ait Pius Pp. IX citatis Litteris, *Tridentini Patres, ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Litteris, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantæ Virginis prærogativæ quovis modo refragetur.*

4. Habemus Ss. Patrum testimonium, qui utique conceptis verbis id non adstruunt, cum nulla hac de re tum exorta esset controversia; sed veritatem ut certam supponunt ob generalia, quibus loquuntur, verba. S. Ephrem ait (anno 370): *immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo* (1). S. Joannes Damascenus (ex Calmet locupletissimus sententiarum totius græcæ Ecclesiæ testis, atque doctrinæ præcedentium Patrum custos fidissimus) loquens de Virginis Conceptione aperte ait (anno 735): *natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset* (2). S. Petrus Damiani (anno 1070 (ait (3): *caro Virginis ex Adam sumpta maculam Adam non admisit (D).*

5. Adde universalis Ecclesiæ praxim, nam ubique Festum Immaculatæ Conceptionis, ubique sodalitates, vel pia exercitia in honorem hujusce mysterii extabant, vel etiam nondum data dogmatica definitione.—Adde communem fidelium sensum, qui, dicente Cano, *in quæstione fidei haud levem facit fidem* (4); impossibile est enim (5), quod omnes fallantur: idque maxime si locis ac tempore sint dissiti, indole dispares, ac moribus diversi, et tamen in unum semper conveniant.—Adde factas revelationes, et acta per Deum prodigia, in cultum videlicet B. M. Virginis sine labe originali conceptæ.—Adde tandem vel ipsam rationis congruentiam. Decuit enim, ut Deus sanctitatis amator sibi talem eligeret Matrem, quæ omnino esset sancta. Decuit, ut Sanctorum Regina, inferorum Dominatrix, Domini Genitrix ne uno quidem instanti diceretur sub potestate dæmonis constituta.

Q. 2. *In quonam peccati originalis natura collocanda est* (6)?

R. Circa naturam peccati originalis non una Catholicorum sententia. Plures antiqui illam reponunt in prava quadam ac morbida carnis qualitate, quæ in animam transierit; sed hoc est potius effectus, quam essentia peccati.

(1) In Orat. ad *Sanctiss. Dei Genitricem.* (2) Orat. 1 *de Nativ. Virg.*

(3) Serm. *de Assumpt.* (4) *De Loc. Theol.* l. V, cap. ult.

(5) *V.* Petavius, *De Incarnat.* l. XIV, c. 2, n. 10.

(6) Plura hic sunt Novatorum placita, quæ Catholicus repudiare ac condemnare debet: «Debe condenarse la opinion de Matías luterano, que afirma que el pecado original no es otra cosa que la misma substancia del alma humana corrompida por el pecado de Adan. En esta hipótesis, Dios que crea el alma seria el autor del pecado en los descendientes del primer hombre. Debe condenarse la opinion de Pighio que sostiene que el pecado original es el pecado actual de Adan, que nos era imputado intrinsecamente; porque, como enseña el mencionado Concilio, este pecado es propio de cada uno, *inest unicuique proprium.* Debe condenarse el error de los Pelagianos que hacian consistir el peccado original en el solo *reatus pœnæ*; porque la pena supone la culpa. Debe igualmente condenarse el error de los luteranos y calvinistas, que afirman que la concupiscencia es lo que constituye formalmente el pecado original; porque, admitida esta hipótesis, el pecado original perseveraria aun despues del bautismo, y no se borraria por este sacramento mas que la imputacion esterior de este pecado, contra la espresa doctrina de la Iglesia.» Ita Giudice, *Dottrina teologica del peccato originale e suoi connessi* ecc. § 2. Genova 1850.

—Alii peccati originalis naturam ponunt in habitu inclinante hominem in bonum commutabile, ut in ultimum finem ; non tamen recte, hæc enim inclinatio est effectus peccati, non vero ipsum peccatum. Alii aliter sentiunt. Sed communis evasit sententia Angelici, qui docet, quod originale peccatum formaliter est privatio justitiæ originalis, quatenus superiorem animæ partem rectificabat in ordine ad Deum. Materialiter autem est ipsa concupiscentia, seu carnis et virium inferiorum animæ deordinatio. Quod ut bene intelligatur, sciendum est justitiam originalem nihil aliud fuisse, quam perfectam totius hominis rectitudinem, quæ tria hæc complectebatur.—1 perfectam voluntatis subjectionem ad Deum, et conjunctionem cum eo per gratiam et charitatem;—2 perfectam subjectionem inferiorum animæ virium ad rationem, ita ut nullo umquam inordinato affectionum motu illa perturbaretur;—3 subjectionem item corporis ad ipsam animam, et exemptionem a morte et a quovis morbo.

Ex quibus hæc sequuntur:—1 peccatum originis formaliter sumptum in omnibus esse æquale, ex parte nempe aversionis a Deo et carentiæ gratiæ; cum æqualiter in omnibus fuerit solutum vinculum originalis justitiæ. Aliunde omnes voluntates æqualiter in Adam voluntate continebantur : nec ulla ratio est, cur ad unum magis, quam ad alium pertineat illius prævaricatio ;—2 peccatum originis materialiter sumptum diversum esse: *soluto vinculo originalis justitiæ,* ait Angelicus, *sub quo quodam ordine omnes vires animæ continebantur, unaquæque vis animæ tendit in suum proprium motum, et tanto vehementior, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ esse fortiores in uno, quam in alio propter diversas corporis complexiones* (1). Veluti si diversis equis tollatur frœnum , unusquisque eorum præceps fertur; sed unus alio velocior, prout vivacius est temperamentum.

Q. 3. *Quot sunt peccati orginalis effectus?*

R. *In præsenti vita* effectus peccati originalis et corpus et animam afficiunt ; Tridentinum enim docet *totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse* (2).

1. Effectus ex parte corporis sunt ærumnæ, morbi et ipsa mors: licet enim corpus nostrum ex contrariis compactum naturaliter esset corrumpendum ; Deus tamen benignitate sua dederat per justitiæ originalis donum, ut dissolutio impediretur, ligno vitæ vescendo (3). *Posse non mori Adamo præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ,* ait Augustinus (4). At semel amissa originali justitia, corpus in pœnam pristinæ naturæ restitutum est. Hinc ærumnæ, morbi et ipsa mors; unde Apostolus : *per peccatum mors* (5).

2. Effectus ex parte animæ quatuor sic enumerat Angelicus: quorum primus respicit rationem , secundus voluntatem , tertius irascibilem, quartus concupiscentiam. *Quatuor sunt potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet ratio, in qua est* prudentia ; *voluntas, in qua est* justitia ; *irascibilis, in qua est* fortitudo ; *concupiscibilis, in qua est* temperantia. — *In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus* igno-

(1) 1, 2, q. 82, a. 4. (2) Sess. 5, can. 1. (3) Gen. 2.
(4) Lib. VI *de gen. ad litt.* c. 26. (5) Rom. 5.

rantiæ. *In quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus* malitiæ. *In quantum irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus* infirmitatis. *In quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus* concupiscentiæ (1). Quæ vulnera per actuale peccatum fiunt pejora.

Diximus *in præsenti vita*. Quod autem spectat ad vitam futuram, de fide certum est, originale peccatum etiam solum a regno Cœli excludere juxta illud Joannis 3: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei (E).*

CAPUT SECUNDUM

DE PECCATO PERSONALI.

Q. 1. *Quomodo dividitur peccatum personale?*

R. Peccatum personale dividitur in actuale et habituale. Per peccatum actuale intelligimus peccatum in actu existens, idest ipsammet actionem peccaminosam; et hoc est contra Lutherum, qui dicebat peccatum actuale nihil aliud esse, quam *malum illud, quod in nobis producitur a peccato originali* (2). Per peccatum vero habituale intelligimus ipsam maculam animæ inhærentem ex actuali peccato, eamque deturpantem, donec pœnitentia abstergatur (3). Hic nostra quæstio est potissimum de peccato actuali.

An (quæres) *ad omne peccatum personæ actuale requiratur actualis in agente libertas; an vero præter peccatum* liberum *admittendum sit etiam peccatum actuale* necessarium?

R. Si de fide est, ad merendum vel demerendum in præsenti naturæ lapsæ statu non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate, clarissime hæc sequuntur: 1 ad omne peccatum personæ actuale constituendum necessario requiri actualem in agente libertatem; 2 ad hæreticas Jansenistarum Scholas prorsus esse amandandam illam *peccati necessarii* doctrinam. *Sane nullus spiritualiter moritur* (inquit Angelicus) *nisi propria voluntate peccando* (4). *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali quæ per actum personæ committitur* (5). *Peccatum consistit in actu liberi arbitrii* (6): *incipit genus morum ubi primum dominium voluntatis invenitur* (7). Quare merito Alexander VIII diris devovit illam Jansenistarum propositionem: *in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et libertate Adami peccantis.* Accedit et ratio theologica: communi Catholicorum sensui repugnat illud ipsum *peccati necessarii* vocabulum; quippe quod rationi ipsi naturali adversatur. Quid enim est peccatum actuale *liberum*, nisi illud quod provenit a voluntate hominis non coacta ab ulla necessitate neque intrinseca, neque extrinseca antecedente?

(1) 1, 2, q. 85, a. 3.
(2) De captivit. Babyl. c. 10.
(3) *V.* Bonacina, *De peccatis.*
(4) 1. 2, q. 73, n. 3.
(5) In 2, Dist. 30, q. 2, a. 2.
(6) 1, 2, q. 1, a. 1.
(7) In 2, Dist. 30, q. 2, a. 2.

Quid vero erit peccatum *necessarium*, certe erit illud e contrario, quod provenit a voluntate hominis coacta ab aliqua necessitate intrinseca vel extrinseca? Atqui nullum penes Catholicos datur peccatum hujusmodi. *Quis enim peccat* (cum D. Augustino rogamus) *in eo quod nullo modo caveri potest* (1)? Quare a Sede Apostolica jure damnatæ fuere duæ illæ Michaëlis Baji Propositiones: 1 *homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit* (n. 6); 2 *ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium* (n. 46).

Q. 2. *Quomodo dividitur peccatum actuale?*

R. Peccatum actuale multiplex dividitur, prout multiplici sub respectu consideratur. A nobis consideratur: 1 ratione causæ occasionalis, quæ est vel *externa* vel *interna*, prout nempe ipsi hominis naturæ inhæret vel non (2); 2 ratione differentis speciei, et dicitur a Scholasticis *differentia peccatorum specifica;* 3 ratione differentis gravitatis, et venit peccatum *mortale* et *veniale;* 4 ratione multiplicationis actuum, quibus unum idemque peccatum etiam in eadem specie et gravitate potest iterum iterumque committi, et sic multiplicari: et hæc in Scholis appellatur *differentia peccatorum numerica;* 5 ratione modi, quo peccatum ipsum patratur, et venit peccatum tum *commissionis* et *omissionis* tum *internum* et *externum*, nempe, *cordis*, *oris* et *operis*. Huc faciunt sequentes versus:

Causam, cum specie pondus, numerumque, modumque
Qualibet in culpa discutienda scias.

ARTICULUS I — De peccato actuali ratione causæ occasionalis.

Q. 1. *Quotuplex causa peccati externa occasionalis?*

R. Causa externa occasionalis peccati duplex: *diabolus* et *mundus*.

1. Diabolus; certum est enim ipsum homines *variis artibus captare pro cujusque natura et moribus* (3): et quantum potest eos contra legem Dei concitare, uti Evæ et Jobi historia probat. Quare S. Petrus sic admonet (4): *sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (5);—2 mundus, quem pariter esse externam peccati causam probat quotidiana experientia; ipse enim nos ad peccatum inducit impiis dictis, exemplis pravis et sensuum illecebris: adeo verum est, *quod mundus totus in maligno positus est* (6) *(F)*.

(1) *De lib. arbit.* l. III, c. 18. *Vid.* Audisio, *Introduz. agli studi Ecclesiastici*, l. III, c. 8.

(2) Ubi *causæ* nomine non intelligitur causa efficiens peccati, quæ alia non est nisi ipsa hominis voluntas; sed quidquid aliquo modo ad peccatum trahit: et ideo dicitur *causa occasionalis*.

(3) Lactantius. *De vero cultu*, l. VI, c. 4. Ad rem etiam S. Leo M. *Serm.* 16 *in Nat. Domini:* « omnium discutit consuetudines (dæmon), ventilat curas, scrutatur affectus; et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. »

(4) Ep. I, c. 5. — *V. Bibbia* di Vence, vol. III, Dissert. *sui demonii*.

(5) Qui sane futurorum cupidine succensus fortiter resistit, nedum jacturam, *sed faciet etiam cum tentatione proventum; fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (I Cor. 10). — Hinc ad rem ajebat Cæsarius Arelatensis de dæmone tentatore (*Serm.* 18): « alligatus est tamquam canis innexus catenis... latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino nisi volentem non potest: non enim cogendo, sed suadendo nocet: non extorquet a nobis consensum, sed petit. »

(6) Ep. I Joann. c. 5.

Nonne (dices) *ipse Deus est externa peccati causa?* — Deus nedum causa peccati esse possit, imo illud summopere detestatur: *non Deus volens iniquitatem tu es,* ait R. Psaltes (1). Et Jacobus: *nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est* (2). Quare merito Tridentinum habet contra Novatores, qui efficientem peccati causam in Deo impie collocabant: *siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie et per se, ita ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit* (3). Sane peccatum consistit in ordinis perversione; non ergo esse potest ab eo, qui ordo est et universa ordinavit (4).

Q. 2. *Quotuplex causa peccati interna occasionalis?*

R. Triplex distinguitur causa peccati interna occasionalis: *ignorantia, concupiscentia* et *malitia.* Prima est ex parte intellectus. Secunda ex parte appetitus. Tertia ex parte voluntatis. — Ex iis autem oriuntur peccata ignorantiæ, infirmitatis atque malitiæ.

Q. 3. *An ignorantia et mala ex ignorantia sint peccata?*

R. Certum est: — 1 quod ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire potest et debet, peccatum est in se ipsa; quia est voluntaria negligentia scientiæ legis. Hinc David ajebat: *delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine* (5). Quod quidem peccatum multiplicatur pro numero, vicium, quibus ignorantia potest depelli et non depellitur. Species autem et gravitas peccati ignorantiæ sumitur ex speciali bonitate et gravitate præcepti ignorati; nam cognitio obligationum quæ ad cujuscumque statum vel officium pertinent cadit sub eodem præcepto, ex quo ipsæ obligationes sunt implendæ; ideo enim præceptum est ut sciantur, ut possint adimpleri: hinc medicus, qui medicinæ ignarus officium suum exercet, peccat contra justitiam; quia ex justitia tenetur artis salutaris scientiam habere, si velit illam exercere; — 2 hæc *vincibilis ignorantia* non solum est peccatum in se ipsa, sed etiam est causa peccati; multa sane faciunt peccatores obcœcati, quæ depulsa ignorantia, non facerent. Unde Apostolus de Judæis ajebat: *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (6); atqui Judæi Christum occidendo peccaverunt, ergo per ignorantiam peccaverunt: seu quod idem est ignorantia in illis fuit causa peccati.

Diximus *vincibilis;* nam ignorantia invincibilis non est peccaminosa neque in se neque in suis consectariis; etenim moralitatis fundamentum est voluntarietas, quæ non reperitur in ignorantia invincibili; *non enim tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras,* ait Augustinus, *sed quod negligis*

(1) Ps. 5. (2) Cap. 1.

(3) Sess. 6, c. 6. Hodierni protestantes hanc impietatem non amplius tuentur.

(4) S. Thomas, Q. 5 *de malo,* a. 1. Plura opponunt ex Scripturis, in quibus Deus dicitur *excæcare, in reprobum sensum tradere,* etc. Sed facillime refelluntur, si totus contextus attendatur; Deus enim id non facit agendo, vel movendo; sed potius deserendo, non impediendo, permittendo. *V.* Bergier, *Diccionario,* V. Permitir. Item Deus *tentare* dicitur, sed non ad seducendum, bene vero ad probandum. Hinc ex Augustino lib. II *de consensu Evangelistarum,* duplex tentatio distinguitur, videlicet *probationis* et *seductionis.*

(5) Ps. 24. (6) I Cor. 2.

quærere quod ignoras. — Quatuor autem modis ignorantia fieri potest nobis voluntaria (1).

1. Per negligentiam: *cum aliquis,* inquit Angelicus, *propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod a peccato retraheretur, talis negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam et peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur et potest* (2). Ubi animadvertendum, ignorantiam culpabilem non esse ejus qui involuntarie non advertit, sed ejus qui negligit, sive ejus qui actu a voluntate quodammodo imperato animum applicare recusat ad ea addiscenda, quæ scire tenetur circa præceptum quod urget. Negligentia enim, quæ ignorantiam parit ex eodem D. Thoma, nihil est aliud, *quam non applicare animum ad sciendum id quod quis debet scire* (3), uti sunt ea, quæ sunt proprii status et officii.

2. Per passionem: quando nempe quis vult deliberate eandem sequi, prævidens saltem confuse et in genere effectus pravos, qui inde solent oriri, licet in particulari minime eosdem agnoscat: qui enim vult causam, dicendus est velle etiam effectus omnes cum ea conjunctos etsi particulatim eos non videat. Sic qui vult offensorem occidere, vult etiam (saltem confuse et in genere) mala, quæ ab occisione proveniunt, v. g. filiorum ejus et domus ruinam.

3. Per habitum pravum: quando nempe quis pravum habitum emendare non curat efficaciter (4). Tunc actus mali, qui ex malo habitu illo proveniunt, sunt prorsus voluntarii vel in causa, id est in prava illa consuetudine, quæ voluntarie contrahitur (uti est de homine blasphemiis vel perjuriis assueto); vel potius quia, ut sentimus cum Antoine, hujusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem non ita expeditam, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales (5).

4. Per inconsiderationem: est quando quis ita præcipitanter agit, ut advertenter negligat considerationem illam, quam res agenda meretur. Nam homini, qui jam advertit in actione sua esse quidpiam magis considerandum, et tamen vult agere præcipitanter, merito imputantur errores omnes, qui inde oriuntur. Exemplum sit in Confessario, qui ut frequentiam attrahat pœnitentium, perfunctorie munera sua implet quasi dimidiatas audiendo Confessiones et, incompleto judicio, citissime omnes absolvit; huic sane imputantur gravissimi errores, qui ex mala illa Sacramenti administratione profluunt.

Q. 4. *Quid de peccatis infirmitatis?*

R. Peccata, quæ ex concupiscentia proveniunt, dicuntur *peccata ex infirmitate*, quasi nempe sint totidem animi ægritudines. Verum concupiscentia in se

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap. tr.* III, n. 28. (2) Q. 3 *de malo*, a. 7.

(3) 1, 2, q. 76, a. 3. (4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 4.

(5) Cum isti parvipendunt peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis et memorabilis impressio, quæ fit in alio habente conscientiam minus depravatam; et hinc evenit, quod in eorum memoria non remanet vestigium actualis illius cognitionis, quam satis antea habuerunt de peccato, aut vestigium est adeo leve, ut interrogati de facili respondeant, quod non adverterint; sed cautus Confessarius non debet illis fidem præstare: plerumque enim sufficienter advertunt.

spectata, quatenus ad objectum sensibile et illicitum nos inclinat, quin concurrat nostra voluntas, nullo modo peccatum est: est de fide contra Lutherum et Calvinum, aliosque paucos hæreticos (1). Nullum sane est peccatum ubi nulla est libertas, atqui nulla libertas in hujusmodi concupiscentiæ motibus, quibus non assentimur. Quare D. Augustinus: *frustra dictum est* post concupiscentias tuas non eas, *si jam quisque reus est, quod tumultuantes et ad mala trahere nitentes sentit eas* (2). Hinc merito damnata est hæc n. 75 Baji propositio: *motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto* non concupisces; *unde homo eas sentiens et non consentiens, transgreditur præceptum,* non concupisces; *quamvis transgressio in peccatum non imputetur.* Ex quo patet, improprie peccata vocari quæ ex concupiscentia proveniunt.

Non tamen negandum concupiscentiam frequentissimam esse peccati causam. Hinc Daniel ait: *concupiscentia subvertit cor* (3). Et Jacobus inquit: *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum* (4). In quæ quidem verba ait D. Augustinus: *concupiscentia non parit nisi conceperit, non concipit nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum* (5). Est ergo in ipsam dimicandum fortiter, ne concipiat ac pariat peccatum.

Q. 5. *Quid de peccatis malitiæ?*

R. Peccata, quæ quis nec ignorantia deceptus nec concupiscentia incitatus, sed ex plena libertate committit, dicuntur malitiæ: hinc malitia definiri solet, ut sit *deliberata quædam voluntatis adhæsio peccato, qua fit ut illud eligat et velit ex solo et pravo in ipsum peccatum affectu.* Peccata autem provenientia ex ignorantia affectata, vel ex passione libere excitata æquiparantur peccatis malitiæ; cum prima earum radix sit sola prava voluntas, quæ vel ignorantiam vel passionem procurat. Tale est peccatum illorum, qui *lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* (6): vel *quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo), *et omnes vias ejus intelligere noluerunt* (7). Idem sentiendum est de peccatis commissis ex prava consuetudine, quam quis emendare non studet; nam *manifestum est,* inquit S. Thomas, *quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia* (8); quia nempe peccat ex majori inclinatione voluntatis.

Peccatum malitiæ cæteris paribus gravius est peccato infirmitatis: et hoc item gravius est peccato ignorantiæ, ratione nempe voluntarii, quod plenius est in uno quam in altero.

Corollarium — *De tentationibus* (9).

Q. *Quid est tentatio, et quid de ea?*

R. Tentatio generatim sumpta est *incitamentum ad peccandum voluntati nostræ propositum,* seu *quasi stimulus quidam, quo voluntas nostra allicitur*

(1) Imo concupiscentia ad licita etiam impellit. — *V. Cath. Rom.* p. 3, c. 10, § 6.
(2) L. V *contra Jul.* c. 3. (3) Dan. 13. (4) Epist. Jacobi, c. 1.
(5) L. V *contra Jul.* c. 15. (6) Prov. 2. (7) Job. 34.
(8) 1, 2, q. 78, a. 2. (9) *V.* Knoll, *Institut. Theol.* pars. 2, sect. 1, c. 3.

vel inclinatur ad violandum præceptum legis. Potest esse vel a nostra corrupta natura vel a dæmone solo, vel a dæmone simul et nobis ipsis, si nempe ab eo et simul a concupiscentia nostra originem habeat. In quocumque casu ea est levis vel gravis.

Sentire tentationem non est peccatum; cum eam impedire non sit in nostra potestate. Imo sæpius est occasio meriti penes Deum, qui tentationes permittit in bonum nostrum, juxta illud: *fili: accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (1). *Certamen forte dedit illi, ut vinceret* (2). *Faciet etiam cum tentatione proventum* (3). — Peccatum vero est tentationi libere consentire; malum enim est malum voluntate approbare (4).

Si agitur de tentatione gravi, remedia sunt (5):—1 vigilantia et oratio, dicente Christo: *vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (6): vigilantia enim dignoscit diaboli insidias, oratio vero eas superat;—2 sibi exhibere sub oculis Crucifixum, et eidem profiteri perfectam submissionem; hæc enim protestatio diaboli vires infirmat;—3 tentationem citius aperire proprio Directori spirituali; diabolus enim totus tenebrosus lucem timet; et ideo satis est pravorum machinationes pandere, ut evanescant;—4 tentationem non tam facile aspicere in se, nec disputare cum tentatore, maxime si tentet contra fidem vel castitatem; quo enim magis in id animum intendimus, magis sensus obtenebrantur (7);—5 viriliter contra tentationem se habere; nam nemo facilius prosternitur, ut recte ait Stapf, quam qui vertigine laborans sese identidem lapsurum formidat. Adde: qui animo cadit, ille nihil tribuit divinæ misericordiæ.

Si vero agitur de tentatione levi, remedium magis opportunum erit, ut sine animi anxietate tentatio contemnatur; et actus eliciantur virtutum oppositarum, præsertim charitatis in Deum, quin ad eam animum convertamus: hæc est enim uti ignis cineri suppositus, qui fodicatione accenditur magis.—Celebris P. Pinamonti in suo Opere, *Il Confessore diretto*, remedia

(1) Eccli. 2. (2) Sap. 10. (3) I Corinth. 10.

(4) Multi sensum et consensum, cogitationem rei malæ et delectationem in re mala promiscue sumentes, in magna idearum confusione versantur ac scrupulis torquentur; quos igitur animarum Directores instruere debent. Item summopere præstat, ut omnes Confessarii accuratem sibi cognitionem acquirant circa tentationes, ut valeant pœnitentibus opportuna remedia suppeditare. — *V.* Sales, *La Filotea*, p. 4, c. 3. — Pinamonti, *Il Direttorè delle anime*, c. 6 et 7.

(5) *V.* Liguori. *Homo Ap.* tum *tract.* III, nn. 43 et seqq.; tum *App.* II, § 2. — Stapf, *Theol. Mor.* §§ 606 et seqq. (6) Marc. 14.

(7) Quare opus est illico eam expellere vel invocando Jesu et Mariæ nomina, vel signum Crucis in fronte et in pectore efformando, vel preces jaculatorias adhibendo; semper vero hostem acriter propulsando illis Christi verbis (Matth. 4): *vade, Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* — Plura de tentatione Rodriguez, *Ejercicio de la cristiana perfeccion.* — Scaramelli, *Direttorio ascetico.* — De La-Puente, *Meditaciones.*

Hæc etiam notamus cum Stapf agenda post pugnas, maxime graviores. Qui infeliciter decertavit, ne concidat animo; sed sincere doleat, strenue ac viriliter acturus in posterum: *filioli mei, hæc scribo vobis*, legitur I Joann. 2, *ut non peccetis; sed et siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Qui vero victor extitit, ne sibi inaniter complaceat, vel sibi fidat, sed Deo agat gratias, atque ad nova bella se præparet; non enim cessat ab insidiis suis serpens antiquus.

contra tentationem ad tria reducit; nempe ad *humilitatem*, qua fit gratiæ locus; ad *orationem*, qua tribuitur gratiæ donum; tandem ad *fortitudinem* qua nempe, gratiæ cooperando, consummatur victoria nostra.

ARTICULUS II—De distinctione specifica peccatorum et eorum differenti gravitate.

Q. 1. *Quænam peccata specie differunt inter se?*

R. Ea peccata specie differunt inter se, quæ non habent eamdem malitiam, sed omnino diversam atque specialem, ut homicidium, furtum, blasphemia, etc. (1).

Putant autem aliqui differentiam peccatorum specificam desumendam esse ex oppositione, quæ sit notabiliter major cum lege. Sed communiter id rejicitur cum S. Thoma (2); nam majus et minus non diversificant speciem, seu non mutant malitiam, sed tantum augent, vel minuunt malitiam ipsam jam existentem. Unde dicimus, specificam differentiam repetendam esse ab oppositione specie diversa cum lege; peccatum enim constituitur per hanc oppositionem: si ergo oppositio sit specifice diversa, peccatum quoque specie diversum habebitur. Tunc vero oppositio cum lege est specie diversa, ideoque peccata specie inter se differunt: 1 *quando diversæ offenduntur virtutes;* 2 *quando diversa violantur officia ejusdem virtutis;* 3 *quando eadem læditur virtus, sed modo contrario.* Res illustretur exemplis.

1. *Apostasia a fide, desperatio, odium Dei* differunt specie inter se. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, nempe fidei, spei et charitati;—2 *furtum, detractio, homicidium* inter se specie differunt. Quare? quia opponuntur diversis ejusdem virtutis officiis, nempe justitiæ, quæ jubet, ut nemo lædatur neque in bonis vitæ, neque in bonis famæ, neque in bonis fortunæ; —3 *prodigalitas* et *avaritia* pariter differunt specie inter se. Quare? quia opponuntur quidem eidem virtuti nempe liberalitati; sed opponuntur modo plane opposito, prima nempe *per excessum*, altera vero *per defectum*. Hinc versus:

Virtutes læsæ, diversa objecta modusque
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

Q. 2. *An detur peccatorum differentia ratione gravitatis?*

R. Fuit olim Stoicorum paradoxum, omnia peccata ratione gravitatis inter se æqualia esse (3). Errorem tam monstruosum amplexus est sæculo IV Jovinianus, eumque tenuerunt etiam sæculo XVI Calvinus et Lutherus, quorum erat effatum: *omnia peccata esse ex natura sua mortalia*, et *venialium* nomine ea tantum esse appellanda, quorum de facto venia obtineretur. Wiclephus vero docet, omnia peccata reproborum esse lethalia, contra vero prædestinatorum peccata omnia ex divina ordinatione venialia esse: unde fit, ut peccata sint mortalia vel venialia non per se, sed tantum externa imputatione aut eventu. His accedere visus est insanus Jansenistarum præcur-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 32; et *Homo Ap. tr.* III, n. 55.
(2) 1, 2, q. 16. (3) Cicero, *De Offic. parad.* 3.

sor Michaël Bajus, cujus hæc Propositio a Pio V, et Gregorio XIII damnata fuit: *nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*—Verum catholica veritas docet, peccata vere et realiter inter se ac natura sua differre ratione gravitatis, sive considerentur in prædestinatis sive in reprobis.

Prob. 1 *ex Scripturis.* Jeremias de Israëlitis habet: *pejus operati sunt quam patres eorum* (1). Et Christus Pilato de Juda proditore dixit: *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (2). Et Joannes aperte distinguit *peccata ad mortem, et non ad mortem* (3). Tandem ex Scripturis quædam sunt peccata, quibus justi et prædestinati gratiam amittunt, quale fuit illud protoparentum nostrorum; quædam vero, quibus gratia non amittitur juxta illud: *non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet* (4). Ergo peccata alia sunt gravia, alia lævia natura sua; non autem externa imputatione, aut habita ratione ad committentem, quatenus nempe fidelis sit vel infidelis, prædestinatus vel reprobus.

2. *Ex Patribus:* S. Hieronymus ex professo scripsit pro hac tuenda catholica veritate contra Jovinianum hæreticum: eique summopere hac de re gratulatus est D. Augustinus, qui etiam habet ad rem: *de quotidianis brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio satisfacit* (5).

3. *Ex Conciliis:* Tridentinum docet, nos teneri in Confessione manifestare omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt; non item vero venialia (6): quæ sane doctrina stare non posset sine vera et reali peccatorum inter se differentia ratione gravitatis. Idem Concilium habet: *licet in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant; non propterea desinunt esse justi* (7).

4. *Ex ratione:* eodem modo, data proportione, disserendum de injuri is hominum in Deum, ac filiorum in patres et subditorum in Principes: atqui injuriæ istæ differunt ratione gravitatis: ergo et illæ (8). Adde ex Angelico: «peccata sunt quædam animæ infirmitates; at sicut corporis infirmitates aliæ sunt mortiferæ quæ mortem corpori inferunt, aliæ non mortiferæ quæ corporis vires tantum imminuunt; ita animæ infirmitates aliæ sunt mortiferæ quæ gratiam tollunt, in quæ est animæ vita, aliæ non mortiferæ quæ gra-

(1) Cap. 7.

(2) *Joann.* c. 19. Qui textus probat contra Stoicos et Jovinianum peccata alia aliis esse posse graviora, neque semper esse æqualia, licet in eadem specie mortali.

(3 *Epist.* 1, c. 5. Hic damnatur Lutherus, Calvinus, Bajus, venialia non admittentes.

(4) Ecclesiastes, 7. (5) Epist. 29 ad eundem; it. *Enchir.* c. 71.

(6) Sess. 14, c. 5. (7) Sess. 6, c. 11.

(8) Neque etiam peccata ita sunt inter se connexa, ut qui unum committit, et aliorum sit reus: uti patet. Et illud, quod opponunt, Jacobi, 2: *quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* est extra rem; ibi enim agitur de peccato ex parte aversionis, quasi sensus sit: qui Deum graviter offendit in uno, in ordine ad gratiæ et gloriæ amissionem idem est, ac si eum offenderet in omnibus; quia jam per unum mortale amittimus vitam spiritualem. Hinc videant quomodo securi esse possint qui hoc vel illud præceptum grave transgredientes, attamen nihil formidant, imo forsan sibi plaudunt; quia reliqua sua officia strenue peragunt, ea præsertim quæ publice fiunt, sicque in humana societate honesti homines prædicantur.

tia sanctificante animam non privant, sed tantum charitatis fervorem imminuunt (1).»

Q. 3. *Undenam repetenda est gravitas peccatorum?*

R. Cum Angelico, peccata eo graviora esse ex suo genere, quo majori bono privant, seu quo excellentiori virtuti opponuntur, sive sit æqualis sive diversæ speciei, ut patet per se.

Diximus: *ex suo genere;* quia per accidens fieri potest, ut peccatum quod privat ex se bono specie majori, vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione actus, vel ex eo quod non ita directe majori bono opponatur, sit levius peccato inferioris speciei. Sic sodomia et bestialitas perjurio utique graviora sunt; quia magis disconveniunt et magis prohibentur (2). Imo fieri potest, ut idem actus magis discon veniat in uno, quam in alio, si nempe secundum plures circumstantias opponatur rationi et legi. Hinc ait S. Thomas: *cæteris paribus, gravius peccat fidelis quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum etiam propter Sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit* (3). Hinc illud Domini: *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique...; tu vero homo unanimis; dux meus et notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu* (4). Hoc maxime valet de Ecclesiasticis tot gratiis dignatis.

Q. 4. *Quomodo dividitur peccatum ratione gravitatis?*

R. Peccatum ratione gravitatis dividitur in mortale et veniale. Primum est *gravis transgressio legis divinæ per quam homo privatur gratia sanctificante et amicitia Dei, dignusque efficitur pœna æterna*: dicitur mortale seu lethale, quia animæ mortem affert. Alterum est *transgressio levis ejusdem legis minuens fervorem charitatis, et reddens hominem dignum pœna temporali.* Dicitur veniale; quia veniam facile consequitur, non vero quasi sit res in se levis, ac non attendenda. Si enim et veniali peccato Deus offenditur, hoc erit malum omnia alia superans post mortale peccatum.

Undenam vero petenda sit differentia inter peccatum mortale et peccatum veniale, non conveniunt inter se Theologos (5). Censet Scotus in eo peccatum mortale discerni a veniali, quod prius sit contra præceptum, alterum vero contra consilium; sed errat, quia quod est solum contra consilium, nullo modo peccatum est; nam, ut ait Apostolus (6): *ubi enim non est lex, nec prævaricatio.*—Alii putant in hoc differre peccatum mortale a veniali, quod mortale sit contra legem, veniale vero præter legem; sed etiam hallucinantur, quia omne peccatum eo ipso, quo peccatum est, est contra legem, ut patet in mendacio jocoso, furto rei levis, etc.—Alii opinantur mortale esse contra finem, veniale vero contra media, quæ sunt ad finem; sed falluntur, quia plura sunt venialia peccata, quæ sunt contra ipsum finem, uti motus non pleni infidelitatis, etc.: item sunt plura mortalia peccata, quæ versantur circa media, uti furtum, detractio, etc.—Alii communius peccatum

(1) 2, 2, q. 88, a. 1.
(2) 2, 2, q. 14, a. 2.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 34.
(3) 2, 2, q. 10, a. 3. (4) Ps. 54.
(5) Ita Talento, in suis *Inst. Th. Mor.* (6) Rom. 4.

mortale in eo a veniali distingui volunt, quod prius sit aversio a Deo, et conversio ad creaturam, tamquam ad ultimum finem; posterius vero sit conversio ad creaturam, salvo tamen aliquo ordine ad Deum, tamquam ad ultimum finem.—Alii demum cum Card. Gerdilio fortasse clarius differentiam peccati mortalis, et venialis ex eo repetunt, quod peccatum mortale sit contra legem, et sit etiam contra finem legis, nempe charitatem dirimatque propterea conjunctionem illam, qua homo charitate Deo adhæret, ut fini; veniale vero tametsi sit contra legem, non repugnet tamen fini legis, possitque adeo cum charitate, qua Deo jungimur, consistere.

Sic optime ratiocinatur Gerdilius: quæ contra alium fiunt in duplici sunt differentia; alia quippe consistere possunt cum amore et benevolentia erga illum, contra quem fiunt; alia vero cum tali amore et benevolentia consistere nullo modo possunt. Fac filium, aut servum, aut amicum, parentem, dominum, amicum debito amore ac reverentia prosequi, si aliquantulum fuerint negligentes in gerendis eorum rebus, si leve quoddam damnum eis attulerint, si leviusculum quoddam eorum erratum quod ipsorum famæ noceat, patefecerint; hæc certe talia sunt, ut conciliari possint cum vera benevolentia erga parentem, dominum et amicum; hæc namque ab iis ipsis admittuntur, qui sincere et ex animo diligunt. Contra vero si filius ille, famulus aut amicus gravem aliquam injuriam parenti, aut domino afferant; si debitam obedientiam et fidem proterve negaverint; si fortunæ, famæ, aut vitæ insidias struxerint; profecto necesse est ipsos exuisse omnem amorem et benevolentiam; neque enim cum hoc animo amatur, neque fieri potest, ut quis eum amet, contra quem talia facit. Est ergo in ipsa rerum natura et communi hominum sensu constitutum et fixum discrimen, ut quæ fiunt contra aliquem, alia omnem erga ipsum amorem excludant, alia cum debito amore consistant: quamvis per ea quis aliquantulum ab isto amore deflectat.—Peccata itaque mortalia censenda sunt, quæ ita sunt contra legem, ut sint etiam contra ipsius legis finem, charitatem nempe, quæ cum iis consistere nullatenus potest; venialia vero peccata ea habenda sunt, quæ sunt quidem contra legem, sed non contra finem, seu charitatem non tollunt, cujusmodi sunt mendacium jocosum, furtum rei levis, motus non deliberati etiam circa objecta gravia; hæc enim committi possunt adhuc ab iis, qui sincere Deum diligunt, in eumque tamquam in ultimum finem conversi sunt.

§ I—*De peccato mortali.*

Q. 1. *Quid requiritur ad peccatum mortale constituendum?*

R. Tria requiruntur: unum ex parte objecti; aliud ex parte voluntatis; tertium ex parte intellectus. Quæ quidem tria præsumuntur in homine perfecta utente ratione, qui sit plane vigil et sui compos.

1. *Ex parte objecti* requiritur materiæ gravitas saltem ratione finis si nempe finis sit magni momenti, ad quem id quod statuitur, plurimum conferat: ex objecto enim actus primam malitiam desumit.

2. *Ex parte voluntatis* requiritur perfectus consensus, ille nempe actus,

quo voluntas objectum sibi ab intellectu propositum deliberate amplectitur: sane motus nostri in tantum sunt culpabiles, in quantum sunt voluntarii; in tantum autem sunt voluntarii, in quantum sunt deliberati: porro ad peccatum mortale quod est plena et consummata culpa, requiritur perfectum voluntarium *(G)*. Consensus autem iste esse potest vel expressus, seu directe talis, quando nempe voluntas objectum ipsum in se directe, et expresse complectitur (1); vel implicitus seu indirecte talis, quando nempe quis vult causam, ex qua necessario oritur effectus (2).

3. *Ex parte intellectus* requiritur advertentia malitiæ actionis vel omissionis: quæ quidem advertentia in genere considerata definiri potest, ut sit *consideratio, sive cogitatio malitiæ et prohibitionis actus, aut saltem aliqua dubitatio aut suspicio peccati aut peccandi periculi*. Ubi notandum quod intellectus advertere potest, vel *plene*, quando nimirum nos mente expedita decernimus; vel *semiplene*, quando rem cognoscimus mente non plene expedita, quia forte sumus semidormientes, semiebrii, alio distracti, aut graviter mente commoti. Potest insuper intellectus noster rapi a delectabilitate objecti oblati, ita ut nihil malitiæ in illo advertat. Huic autem triplici cognitioni tres motus correspondent: 1 *motus primo-primi*, qui antevertunt omnem advertentiam rationis, et hi sunt omnino culpæ expertes; 2 *motus secundo-primi*, qui fiunt cum semiplena advertentia, et hi culpam venialem non excedunt; quia, cum in eis non præcesserit plena advertentia, voluntas in eos non consentit perfecta libertate requisita ad mortale; 3 *motus deliberati* qui fiunt cum plena advertentia intellectus clare discernentis malitiam moralem, saltem confuse in genere, et cum pleno consensu voluntatis: et hi sunt mortalia, si objecta sub gravi sunt vetita. Quod porro plena advertentia ad mortale constituendum sit necessaria, patet; nam homo per mortale fit reus æterna pœna, sed non est credibile infinitam Dei bonitatem velle, ut homo tantæ pœnæ reus constituatur, nisi plene advertat ad peccati malitiam vel ejus periculi. Unde Angelicus: *cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, et tunc... non habet proprie rationem blasphemiæ* (3).

Quæres: *qualis esse debet perfecta advertentia malitiæ ad mortale constituendum? actualisne et expressa, qua quis nempe actionis suæ malitiam actu cognoscit; an vero solummodo virtualis, qua cognosceret, si adverteret?*

Magna quæstio est (4). Nos, diversas sententias facile conciliantes, dicimus

(1) Ad mortale peccatum non requiritur, ut ejus malitia sit directe et in se volita; sed sufficit ut sit volita indirecte, hoc est ut voluntas advertentur se ferat in aliquod objectum graviter malum, etiamsi ejus malitiam secundum se aversetur. Quia dedecet naturam rationalem ac legem divinam velle aut acceptare ullo modo quod malum est et illicitum; et aliter agere, diabolicum esset.

(2) Animadvertendum etiam est triplici modo posse voluntatem objectum malum attingere, nempe vel *positive* consentiendo in illud, nempe eum ex professo amplexando. Vel ad illud *negative* se habendo, id est ei neque consentiendo neque dissentiendo. Vel denique ei *positive* resistendo, videlicet totis viribus illud repulsando.—Primum semper malum est; tertium semper bonum; secundum alicuando bonum, alicuando malum, scilicet ratione periculi consensus.—Liguori, *Op. Mor.* l. V, nn. 4 et seqq.

(3) 2, 2, q. 13, a. 2.

(4) Alii enim cum Antoine, Concina, Continuatore Tournely, Medina, Lopez, Serra, Prado, Franzoja, etc. dicunt non requiri advertentiam actualem malitiæ actus, sed satis esse virtualem et

cum Billuart: quantum ad illos, qui operantur malum grave vel ex culpabili negligentia, vel passione, vel habitu in antecessum non retractatis, vel ex voluntatis inconsideratione, non requiritur actualis et expressa advertentia, ad hoc ut gravi culpa teneantur; hi enim jam voluntarie posuerunt causas inadvertentiæ et obcœcationis circa malitiam suorum actuum, eamque inadvertentiam et obcœcationem ex his causis secuturam aut prævident, aut facile prævidere possunt et debent.

Sed quantum ad illos, qui ex oblivione, vel distractione naturali, aut alia causa simili aliquid operando non advertunt; ut censeatur vincibilis et voluntaria ista inadvertentia et non excusans a peccato, requiritur actualis dubitatio aut suspicio malitiæ, saltem aliqua actualis cogitatio aut cognitio sive periculi sive obligationis inquirendi; secus nihil esset assignabile, in quo quis dici queat posse animadvertere. Sane ex una parte intellectus noster cum sit potentia necessaria non se determinat ad considerandum aliquid; sed determinatur, præsertim vero a voluntate. At voluntas ex altera parte non potest determinare intellectum ad considerandum, nisi ex prævia aliqua cognitione; voluntas enim non fertur in incognitum. Ergo in iis qui non ponunt voluntarie causam inadvertentiæ, nihil est assignabile, in quo dicantur posse advertere, quam dicta cogitatio aut cognitio; non ergo sufficit ad culpam advertentia virtualis, qua nempe malitia potest et debet cognosci; sed requiritur actualis et expressa advertentia, qua de facto malitia ipsa aliquo modo cognoscatur (1).

Opponunt 1: *Omnis ignorantia in eo, qui tenetur et potest suam obligationem advertere, est vincibilis et propterea culpabilis.*—Sed recte respondent Sylvius et Suarez: qui omnino ignorat malitiam objecti, et adhuc obligationem advertendi, habet quidem potentiam remotam, sive physicam ad advertendum; sed caret potentia proxima et expedita, quæ homini necessaria est ad cognoscendam deformitatem suarum actionum. *Quis enim nesciat non esse in hominis potestate quid sciat?* ait S. Augustinus (2): unde nequit ipse naturaliter ac humano modo suam vincere ignorantiam. Agnoscet quidem suam actionem qua actio est, sed ignorabit eam qua mala est; sola enim cognitio objecti in esse physico non est sufficiens principium ad discernendum, nec ad inquirendum objectum in esse mortali, quod prorsus differt a physico.

interpretativam, in eo scilicet positam quod homo teneatur, et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat; alias essent immunes a culpa, qui obcœcati passionibus malum patrant, non amplius advertentes. Alii cum S. Antonino, Adriano VI, Gotti, Lyrano, Sayno, Sanchez, Salas, Sylvio, Suarez, Salmanticensibus tum scholasticis tum moralibus, Gammachæo, Du-Val, Vasquez, etc. dicunt ad mortale requiri aliquam advertentiam, sive suspicionem malitiæ actus vel in se vel in sua causa, saltem in confuso; nam nil volitum, quin sit precognitum. Istæ sententiæ facile conciliantur per sententiam nostram. — *V.* Liguori, qui de ea agit fusius tum in *Opere Mor.* l. V, n. 3; tum in *Homo Ap. tr.* III, n. 25.

(1) Pro praxi debet Confessarius maxime venari ex moribus pœnitentis, an inadvertentia, quam allegat, sic vincibilis necne. Si enim sit vitæ liberioris, sæculi moribus serviens, salutis incurius, judicanda est ut plurimum vincibilis inadvertentia ac peccaminosa. Secus si persona sit timoratæ conscientiæ, neque agatur de peccatis externis circa primaria ac secundaria præcepta legis naturæ. *Billuart.* (2) *De Spir. et lit.* c. 35, n. 36.

Opponunt 2: *si ad omnia peccata requireretur actualis advertentia, inculpabiles reputandi essent Judæi crucifigentes Dominum, pagani occidentes Martyres, et hæretici innumera crimina perpetrantes.*—Sed uno verbo his omnibus respondetur, nempe quod horum omnium ignorantia fuit et est omnino crassa: loquens enim Christus Dominus de Judæis, dixit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (1). Idem autem dicendum de infidelibus et hæreticis, quibus ob suam malitiam vel supinam negligentiam omnes sui errores juste imputantur ad culpam.

Q. 2. *Quotuplex distinguitur peccatum mortale?*

R. Peccatum mortale tale est vel ex genere suo, vel ex accidenti.

Peccatum mortale *ex accidenti* est, cum actus aliquis venialis vel indifferens ex se fit mortalis per accidens: puta siquis aliquid perpetret veniale vel indifferens cum conscientia peccati mortalis.

Mortale vero *ex genere suo* est illud, quod in sua specie sistendo et absque nova malitia potest esse mortale: tale est v. g. furtum, quod licet ex levitate materiæ fieri possit veniale, attamen sine accessione alterius malitiæ mortale esse potest.—Mortale vero ex genere suo subdistinguitur in mortale *ex genere suo toto;* et in mortale *ex genere suo non toto.* Primum est illud, cujus objectum seu materia gravis est ex omni parte, et graviter dedecet naturam rationalem; quia scilicet pars quælibet semper continet gravem inordinationem, uti est odium Dei (2). Secundum est illud, intra cujus objectum vel materiam datur aliquid ex se grave et aliquid leve, aliquid nempe graviter et aliquid leviter inordinatum atque prohibitum. Hoc patet v. g. in furto, cujus quidem materia esse potest gravis vel levis.

An (quæres) *peccatum ex genere suo mortale evadere possit veniale?*

Cum ad mortale requiratur materiæ gravitas, perfectus consensus ac plena advertentia, sequitur fieri veniale, si in his deficiat.

1. *Ex parte materiæ;* si enim parva est, tantummodo parvæ inordinationis est capax. Excipe nisi res ex toto genere suo gravis sit; quia tunc in qualibet parte ejus gravis esset deformitas.

2. *Ex parte intellectus;* si nempe advertentia non sit, nisi imperfecta, nam pro modo cognitionis peccatum est. Imperfecta autem censebitur advertentia, cum is qui agit *vel* leviter apprehendit aliquid esse malum, *vel* post factum, re diligenter considerata, judicat se illud non fuisse facturum si ita apprehendisset, *vel* demum vehementissima antecedenti passione, apprehensione aut distractione ita fuit perturbatus in agendo, ut ferme nesciverit quid perageret.

3. *Ex parte voluntatis*, si nempe ejus consensus non sit plenus ac perfecte liber; solo enim consensu voluntas nostra fit culpabilis. Consensus autem

(1) Joann. 15

(2 Talia ordinarie judicantur *tum* ea, quæ directe sunt contra Deum, aut aliquam ejus perfectionem: ut sunt peccata contra fidem, spem, charitatem: item blasphemia, perjurium. *Tum* ea, quæ gravissime nocerent humanæ dignitati, si admitterent temperamentum: ut sunt peccata contra castitatem, circa quam, admissa semel levitate, ob nostram proclivitatem, omni turpitudini pateret locus. *Tum* ea, quæ in indivisibili consistunt et gradum non admittunt: ut jejunium naturale in sumptione Eucharistiæ, etc.

ipse censebitur imperfectus: — 1 si agens opus peccaminosum non sit executus, licet de facili illud exequi potuisset; — 2 si fuerit semidormiens, nec plene compos sui; — 3 si soleat ita esse animo comparatus, ut potius mori velit, quam mortaliter peccare. Hæc enim satis demonstrant voluntarium non fuisse perfectum (1).

Q. 3. *Quibus regulis cognoscitur peccatum esse mortale?*

R. Tres extant regulæ præcipuæ a Theologis communiter admissæ.

Prima regula est, ut recurratur ad sacras litteras: *quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio*, ait Augustinus (2). Ea autem peccata existimanda sunt mortalia, quæ in Ss. Litteris dicuntur *digna morte*, aut *excludere a Regno Cœlorum*, vel enunciantur cum adjuncta particula *væ*. Quia expressiones hujusmodi significant deformitatem actionis profecto gravem. Sic Apostolus, loquens de operibus carnis, ait: *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur* (3).

Secunda regula est, ut his deficientibus, recurratur ad Ss. Patres, ad SS. Pontificum definitiones, atque ad Conciliorum Generalium decreta, si nempe in iis aliquod peccatum declaretur mortale, aut gravibus conspiciatur pœnis affectum. Ab iis enim regula morum repetenda est, qui positi sunt in Ecclesia sancta Dei, Magistri.

Tertia regula est, ut consulantur Theologi doctrina et pietate insignes. Quæ porro ab ipsis unanimiter habentur mortalia, etiam a nobis sic erunt existimanda; tunc enim non sentire quod ipsi, temeritatem sapit, cum Doctorum consensus sit veritatis indicium.

Item præstat considerare, an per culpam, de qua agitur, amor Deo, nobis et proximo exhibendus leviter vel graviter lædatur. Quod si adhuc res dubia sit, monet Gerson (4): *Doctores non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re; nam per hujusmodi assertiones rigidas in rebus universis nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum; sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur:* «nam error quo creditur esse mortale quod non est mortale, ait Angelicus (5), ex conscientia ligat ad peccatum mortale (6).» Hinc non bene se gerunt conciatores illi et Confessarii, qui facile homines damnant de mortali, etsi gravis malitia evidenter non dignoscatur: vel eadem facilitate odiosam laxitatis notam tribuunt sententiis quæ non apparent aperte improbabiles.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, nn. 53 et seqq.; et l. VI, n. 476.
(2) *Enchir.* c. 77. (3) Ad Gal. 5. (4) *De Vita Spir.* lect. 4.
(5) *Quodl.* 9, a. 15.
(6) «Por esto (ad rem Gousset) cuando se consulta á los ministros de la Religion en el Tribunal de la penitencia ó en otra parte, no se debe exigir siempre que determinen con precision el grado de enormidad de los pecados de que alguno se acusa ó de que son consultados. Lo que hay derecho de exigir es que decidan con exactitud, si la cosa es buena ó mala, permitida ó prohibida, peligrosa ó no. Este conocimiento es necesario para saber lo que deba hacerse ó evitarse, y es suficiente para regular las costumbres de los fieles. Desde el momento que saben que una cosa es prescrita ó prohibida, generalmente basta para inducirles á que la hagan ó la omitan; aunque no pueda decirse con precision si hay pecado mortal ó solamente venial.»

§ II — *De peccato veniali.*

Etiam ad veniale constituendum, præter malitiam objectivam actus, requiritur advertentia mentis ad illam malitiam, et voluntatis consensus; repugnat enim committi peccatum absque ulla cognitione peccati ac voluntate peccandi.

Q. 1. *An plura venialia possint constituere unum mortale?*

R. Peccata venialia, utcumque multiplicata, per se loquendo, et ratione multiplicationis, numquam possunt constituere peccatum mortale; quia mortale constituitur in ordine altiori, et plura individua unius speciei non possunt constituere speciem aliam. Sic v. g. mille mendacia jocosa vel officiosa, sunt mille peccata venialia; sed ne unum quidem mortale conficiunt. Hinc Tridentinum docet venialia non esse de necessitate Confessionis, neque gratiam extinguere (1).

Diximus *per se loquendo et ratione multiplicationis;* nam si materia vel effectus peccatorum venialium possunt in unum coalescere, ita ut fiat unum objectum grave relate ad idem præceptum, tunc peccatum fiet utique mortale; sed non per se et multiplicatione actuum venialium, bene vero quia ultimus actus, etsi in se levis, ob continuationem cum aliis complet materiam gravem, seu uniuntur actus ad unum producendum effectum graviter inordinatum. Sic v. g. qui eodem die festo pluries per quadrantem absque causa excusante operi servili incumbit, singulis vicibus peccat venialiter: sed ultima vice, si per eam unitam aliis tempus notabile compleat ad constituendum mortale sufficiens, peccat mortaliter.

Q. 2. *Quod modis peccatum ex se veniale evadit mortale?*

R. Cum peccatum ex genere suo veniale illud sit, quod ex se ac sine addito alienæ malitiæ semper est tale, uti v. g. superfluitas in lætitia; ideo patet illud evadere mortale tantum ratione adjunctorum, quæ novam malitiam illi tribuant. — Varios modos sequens notat versus:

Damnum, finis, amor, discrimen, spretus et error.

1. *Ratione gravis damni* tam spiritualis, puta scandali, quam temporalis proximo illati, uti si quis v. g. instrumentum parvi momenti auferendo, in causa sit cur artifex opus notabile perficere nequeat aut in blasphemias erumpat. Etenim ob talem effectum gravem et prævisum actus graviter adversatur charitati et justitiæ.

2. *Ratione finis mortaliter mali*, si quis v. g. ad seducendam puellam mendacium proferret officiosum. Nam actus ex se participat de malitia sui effectus, et suam a fine speciem sumit.

3. *Ratione mali affectus,* si quis v. g. rem venialiter malam aut indifferentem perficiens, paratus animo sit eam facere, tametsi esset mala mortaliter. Satis enim ostendit suam voluntatem in malum; et quantum est in se, jam illam præfert divinæ amicitiæ.

4. *Ratione periculi proximi* labendi in peccatum mortale: uti si quis v. g.

(1) Sess. 14, c. 5. — V. Liguori, *Opus Mor.* l. V, nn. 52 et seqq.

ex conspectu mulieris, vel familiari cum eadem colloquio grave incurrat periculum labendi in turpia. Nam mortale est se exponere proximo periculo peccandi mortaliter; qui enim de fine tenetur, tenetur etiam de mediis necessariis ad illum.

5. *Ratione contemptus formalis* legis, vel superioris qua superior est: uti si quis violet præceptum in re levi, quia renuit subjici præcepto vel superiori: contemptus redundat in Deum, a quo omnis potestas.

6. *Ratione conscientiæ erroneæ*, qua quis putet se peccare mortaliter; nam tunc ipse consentit in mortale apprehensum. Conscientia autem peccatum facit.

Q. 3. *Quid debet Confessarius, ut pœnitentem liberet a venialibus?*

R. Duplex remedium Ascetici suppeditant: unum vocant *curativum* mali præteriti; alterum *præservativum* mali futuri.

1^m^ Consistit in detestatione peccati mortalis, quam sæpius in pœnitente debet Confessarius excitare. Hæc quo magis fuerit viva et vehemens, eo erit simul efficacior ac potentior ad eliminanda venialia; — 2^m^ situm est in cognitione causarum, e quibus tamquam e fonte peccata venialia in pœnitente proveniunt, ut eas extinguere valeat. Sic si Confessarius videat nimium divitiarum amorem esse causam venialium, eidem præscribat majores eleemosynas. Si nimiam ambitionem, præscribat fugam conversationum. Si nimiam animi divagationem in precibus cæterisque muniis, ei præscribat majorem collectionem et frequentiorem solitudinem (1) etc.

ARTICULUS III — De distinctione numerica peccatorum (2).

Ea peccata dicuntur distingui numero, quorum malitia est multiplicata, ita ut peccata numerari possint, v. g. duo, tria furta, etc.

Q. *Quandonam peccata numero distinguuntur?*

R. Certum est ea peccata, quæ specie differunt, a fortiori differre numero; nam si specie differunt, unum peccatum non est aliud, et ideo habentur peccata numero multiplicata. Sic in uno parricidio duo sunt numero peccata: vel si ita placet, unum peccatum, sed duobus æquivalens; nam occisio hominis specie differt ab occisione patris: unde tunc in uno actu duo clauduntur peccata, unum contra justitiam, alterum contra pietatem. — Si vero peccata intra eamdem speciem committantur, quandonam numero multiplicentur, non satis conveniunt. Ad solvendam omnem difficultatem tres regulas statuimus:

Regula 1^a^: tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus externi completi: ideo qui diversis actibus plures occidit, tot commisit homicidia numero distincta: nam singuli illi actus in se terminantur et complentur: unde sunt totidem actus voluntatis distincti.

Regula 2^a^: tot sunt peccata numero distincta in uno eodemque actu, quot sunt objecta distincta; quia ille actus licet unicus, tot habet malitias distinctas. Hinc qui uno actu decem occidit homines, decem committit homici-

1) *V.* Pinamonti, *Il Direttore* etc. c. 5.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 37. — *Homo Apost. tract.* III, n.57.

dia: qui pluribus unica vice scandalum præbet, plura committit peccata. Qui uno verbo de tota communitate detrahit, tot committit injustitias quot sunt personæ in communitate (1); quia unaquæque jus distinctum habet ad famam. Qui unico actu optat ad plures fœminas accedere vel pluries ad eamdem fœminam, tanto magis qui eadem nocte pluries eamdem fœminam cognoscit, pluries peccat; quælibet enim fornicatio habet suum terminum completum. Qui unico actu vult per plures dies Horas omittere vel jejunium, plura peccata committit; quia singulis diebus est affixa propria obligatio. Et Sacerdos in mortali tot committit sacrilegia quot uno actu ministrat Sacramenta, ut si una absolutione plures absolvat.

Regula 3ª: tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti; ubi enim actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, et iteratione multiplicantur: nam voluntas est, *qua peccatur et recte vivitur* (2).

Sed (dices) *quando actus voluntatis censetur moraliter interruptus?* Actus voluntatis censetur moraliter interruptus, quando nec formaliter nec virtualiter perseverat. Quod quidem contingit: 1 per *revocationem expressam;* hæc enim impedit ut actus posterior cum priore conjungatur moraliter: v. g. tibi complacebas in delectatione mala; actum displicentiæ elicis, sed postea ad eamdem voluntarie redis: duplex commisisti peccatum; 2 per *cessationem voluntariam:* v. g. consilium furandi iniisti, sed postea ab illo proposito advertenter cessas, si dein illud renovas, novum committis peccatum diversum a primo, cum novum a primo non dependeat; 3 per *longum intervallum*, ita ut judicio prudentum idem actus voluntatis moraliter perseverare non censeatur neque in se, neque in aliquo externo opere: v. g. malæ delectationi sero consensisti, et mane expergefactus consensum illum renovas, novo peccato reum te ipsum fecisti.

Sed (quæres) *quænam mora seu intervallum censetur sufficiens ad actuum multiplicationem?* — Hic oportet accurate distinguere tum actus mere internos, uti est odium, mala delectatio; tum actus internos cum intentione eos externandi, uti est voluntas furandi, fornicandi; tum demum actus externe consummatos, uti est homicidium.

Si agatur 1 *de actibus mere internis*, illi multo facilius multiplicantur; quia tales actus simplicis voluntatis nihil habent, vi cujus perseverent. Unde tot habentur numero peccata, quot iterantur actus etiam post brevem, etiam post naturalem, vel involuntariam cessationem. Idcirco pœnitens in Confessione debet semper explicare, si potest, quot vicibus malæ voluntati consenserit. Si vero nequit, saltem indicare debebit tam tempus, quo cum

(1) Qui unico actu blasphemat duodecim Apostolos, ex Tournely, Concina, etc. probabiliter duodecim peccata committit, quia uniuscujusque Apostoli honorem lædit. Sed non improbabiliter censent Salmant., Anacletus, etc. id unum esse peccatum tantum, quia cum omnes blasphemiæ in Sanctos malitiam desumant ex una relatione ad Deum, moraliter loquendo unica injuria per talem blasphemiam mediate Deo infertur. — Qui negat plures fidei articulos, unum committit peccatum; nam cum unum sit objectum fidei, nempe veritas Dei revelantis, æque infidelis est qui unum articulum negat ac qui omnes.

(2) S. Augustinus, *De vera Religione.*

malo illo animo perduravit, quam interruptiones, si fuerint notabiliter raræ vel frequentes (1).

Si agatur 2 *de actibus internis cum intentione eos externandi*, multiplicantur toties quoties propositum formaliter innovatur, quia tunc novus habetur voluntatis actus. Propositum autem idem censetur perdurare majori vel minori tempore, habita ratione intensitatis, item personæ, ætatis, sexus, etc. Pro praxi si ultra biduum vel triduum perduraverit, id indicandum ut numerus actuum internorum moraliter intelligatur a Confessario.

Si agatur 3 *de actibus, qui externe perficiuntur*, aliquando interrumpuntur moraliter, aliquando non. Interrumpuntur, si non respiciant actum completum: v. g. si quis pluries percutit inimicum non habens animum eum occidendi, tunc omnes illæ percussiones sunt distincta peccata; quia quilibet actus habet suam distinctam, completam atque totalem malitiam (2). E contra non interrumpuntur, tam si actus procedant ab eodem impetu, cum in eo fiant quid unum (3); quam si actus illi moraliter ordinentur ad unum peccatum consummandum; nam tunc *non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in per versum finem ordinantur:* quapropter in illo fine ultimo omnes actus conveniunt (4).

ARTICULUS IV — De peccato, ratione modi quo patratur.

Q. 1. *Quid de peccato commissionis et omissionis?*

R. Peccatum commissionis est *transgressio præcepti negativi*, fitque agendo quod prohibetur a lege, v. g. furtum patrando. — Peccatum omissionis est *transgressio præcepti positivi*, fitque omittendo quod a lege præcipitur, v. g. Missam die festo non audiendo, injunctum jejunium non servando, etc.

(1) Notant tamen aliqui actus hujusmodi mere internos non constituere, nisi unum peccatum mortale, quando ex eodem concupiscentiæ impetu procedunt, etsi breve aliquod intervallum fluxerit inter ipsos.

(2) Ita Navarrus, Lessius, Bonacina, Concina, ac fuse Salmanticenses, *Tract.* VI, c. 8, n. 76, et *Tract.* XX, c. 12, n. 41, ubi idipsum etiam ex ipso jure Canonico probant.

(3) Unde Liguori, *Homo Ap. tr.* III, n. 62, probabiliter docet tactus statim copulam subsequentes non esse de necessitate explicandos « semper ac tactus (idem est de complacentia quæ habetur de copula) statim post copulam habeantur, et non dirigantur ad novam copulam ; quia tunc verisimiliter tactus illi adhibentur ad primæ copulæ complementum. Sed hic notandum cum Viva et communi, ut ipse asserit: omnia media externa adhibita ad exequendum peccatum, prout sunt tactus et verba obscœna ac etiam iter susceptum, ascensus in domum meretricis, parare arma ad vindictam et ejusmodi, omnia hæc explicanda esse in Confessione tamquam peccata distincta numero, quando peccatum intentum executioni non mandatur; quia illæ actiones jam externatæ, omnes informantur a malitia pravi finis. » Attamen qui eodem iracundiæ motu ac tempore pluries blasphemat, aliquem pluries percutit, vel eadem concupiscentiæ vehementia pluries se turpiter tangit, unum tantum committit peccatum.

(4) S. Thomas, in 2, d. 41, q. 1, a.1. — Unde siquis intendens occidere inimicum arma præparat, viam carpit, inimicum quærit, ac tandem occidit, etsi pluries repetat prædictam intentionem, unum peccatum committit. Item siquis ad copulam consummandam præmittit oscula, verba, etc. uno dumtaxat peccato gravatur. Itaque tunc sufficit dicere, se homicidium vel copulam commisisse. Advertendum autem, quod siquis ex intentione furandi centum aureos, centenis vicibus moraliter interruptis ea surripiat, tunc centum peccata committit; quia singuli actus habent in se consummatam malitiam. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 44.

Ubi notamus, ad omissionem requiri actum positivum ac deliberatum voluntatis; voluntas enim non peccat nisi per talem actum, uti bene docent Gonet, Filliucius aliique. Omittens tamen quod facere quis tenetur, in ordine ad imputabilitatem moraliter censetur facere contra id quod facere tenetur.

Inter se differunt specie peccata commissionis et omissionis, etiam cum eidem adversantur præcepto; quia adversantur semper diverso modo. Sic differunt specie inter se odium Dei et omissio actus amoris; ideoque qui Deum odisset, peccatum suum sufficienter non declararet dicendo, se contra charitatem divinam peccasse. Imo in hoc etiam differunt, quod peccatum commissionis cæteris paribus majorem habeat malitiam: est profecto gravius amplecti objectum malum, quam bono non adhærere: v. g. gravius est odisse Deum, quam actum charitatis in Deum non elicere (1).

Quid (quæres) *de iis actibus, qui adjunguntur omissioni culpabili?*

Actus conjungi potest omissioni culpabili vel eam causando, vel tantummodo eam concomitando.

Si actus concomitanter tantum se habeat ad omissionem, quamvis ille sit cum præcepto incompossibilis; attamen nisi aliunde sit malus, nil de pravitate omissionis contrahit, quia in illam nullimode impellit: unde non est declarandus. Sic v. g. qui firmiter statuit omittere Sacrum, si postea tempore Sacri studet, puta ne otiosus remaneat, sâtis est si declaret omissionem Sacri; nam studium non participat de mala omissione, cum in eam non influxerit.

Quando vero actus est causa omissionis culpabilis, tunc si actus ille in se est bonus, solam malitiam contrahit omissionis et aliam non habet; cum nulli alteri præcepto adversetur præter illud, cui opponitur omissio. Unde in Confessione sufficit omissionem declarare: v. g. siquis Sacrum festo die causa studendi omiserit, satis est, si iste dicat se Missam sine sufficienti ratione omisisse. Si vero ille actus jam est ex objecto malus, tunc duplex in omissione adest pravitas: alia ipsius omissionis, alia causæ; et utraque aperienda est: v. g. qui ad furandum Missam omisit, utramque malitiam, nempe et omissionis Sacri et furti tenetur confiteri.

Q. 2. *Quandonam peccatum omissionis incipit imputari?*

R. Peccatum omissionis incipit imputari illo temporis puncto, quo advertenter ponitur illius causa, omissio sequatur necne, ut recte docent cum Angelico (2); quia qui ponit causam omissionis, jam tunc interpretative vult omissionem ipsam. Si tamen peccaminosa omissio reapse sequatur, aperienda erit in Confessione cum ipsa causa, si hæc suam habeat malitiam propriam: nam actus externatus est de necessitate Confessionis, cum inde notabiliter varietur ratio peccati, ac status peccatoris (3).

(1) Alii cum d. Thoma (1, 2, q. 72, a. 6) negant specie diferre omissionem et commissionem, si eidem præcepto adversetur, et ex eodem motivo; nam peccata sicuti et cæteri actus humani habent suam speciem a fine. Attamen adhuc in hac sententia sunt seorsim confitenda; quia semper se habent ut partes integrales, ex quibus constituitur adæquate una species moralis. — *V.* Billuart, *De peccatis*, art. 3.

(2) 2, 2, q. 79, a. 5.

(3) Quod valet, etiamsi tempore quo omissio contingit, voluntas facta fuerit impotens ad illam

Sed (dices) *quid siquis de sua mala voluntate doleat, sed non amplius habeat potestatem ejus effectum impediendi? ut si quis projiciat Breviarium in mare, et postea se vere pœniteat; sed amplius Breviarium habere non possit, quo Oficium recitet?*—Recte dicunt, talem peccasse, ac statim tot peccata commisisse, quot prævidit omissiones ex tali Breviarii projectione: illas igitur debet confiteri; nam illis præstitit consensum cum causam posuit (1). Si tamen postea de hoc vere doleat, non tenetur (uti plures cum Alasia tuentur) confiteri omissiones illas revera secutas esse; nam illæ non amplius sunt peccata in se spectatæ, cum retractatæ fuerint (2).

Q. 3. *Quid de peccatis internis et externis?*

R. Peccata interna sunt quæ tantum corde patrantur; externa quæ etiam externo opere complentur. Inter peccata autem interna, quæ sunt ipsæ cogitationes pravæ, distinguuntur *desiderium*, *gaudium* ac *delectatio*. Quæ quidem tria diversa sunt, cum actum diverso modo attingant; et ideo ea, uti in se sunt, in Confessione aperienda erunt.

Essentialiter non differunt peccata interna ab externis quoad malitiam; nam peccatum externum totam suam imputabilitatem sumit ab interno, estque ipsius peccati interni complementum (3). Unde Augustinus ait: *quidquid vis et non potes, factum Deus computat* (4), nempe voluntas pro facto reputatur. Ex his colligitur, peccata interna, sive omnes cogitationes peccaminosas esse vera et completa peccata. Hinc *S. Scriptura* eas graviter damnat: *abominatio Domini cogitationes malæ* (5). Sane omnis affectus peccaminosus circa aliquid graviter malum, graviter disconvenit rationali naturæ. Neque ad peccatum requiritur efficax consensus in opus; alioquin approbans alterius peccatum, non peccaret.

Dices: *ex moderno adagio, facultas cogitandi est in homine esentialiter libera: quomodo ergo quis poterit cogitatione sua peccare?*—R. Retorquendo argumentum: facultas volendi est in homine essentialiter libera; quomodo ergo quis poterit voluntate sua peccare? Sed directe respondendo dicimus: triplici sensu objectum adagium accipi potest; 1 pro *immunitate a coactione*, id est a violentia extrinseca; 2 pro *immunitate a necessitate*, idest a violentia intrinseca; 3 pro *immunitate a quacumque lege morali*, quatenus homo possit se sine culpa malis etiam cogitationibus libere sordidare.

Porro si accipiatur priori sensu, adagium est verum; sed nobis non nocet: est quidem verum, quia verum est cogitandi facultatem in homine immunem esse *a coactione*, cum sit rationali hominum naturæ intrinseca; nobis

vitandam; etenim effectus jam fuit sufficienter voluntarius in causa: et talis est fidelium praxis: sicque et peccati gravitas et illius consectaria aperiuntur. Hinc qui se inebriat prævidens tempore ebrietatis se omissorum Sacrum, tenebitur tam causam, quam illius effectum aperire, id est et ebrietatem et omissionem Sacri.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 149; et l. V, n. 10.

(2) Si peccato consummato annexa sit censura, et quis antequam effectus sequatur, se retractaret, etsi esset reus effectus præcogniti; non tamen incurreret censuram, si tali omissioni sit imposita; quia censura requirit contumaciam eodem temporis momento, quo peccatum consummatur.—*V.* Liguori, *Homo Ap. tr.* III, n. 45.

(3) *V.* Viva, *in prop.* XXV *Alexandri VII*, ubi solide hanc veritatem tuetur.

(4) In Ps. 57. (5) Prov. 15.

vero non nocet, quia id non impedit, quominus homo circa suam cogitandi facultatem leges habeat a Superioris auctoritate, quas idcirco transiliendo peccabit; non enim Superioris auctoritas est violentia extrinseca seu *coactio*.

Si accipiatur secundo sensu, adagium illud neque in Philosophia neque in Theologia admitti poterit; quia Philosophi ac Theologi unanimiter docent hominis intellectum esse facultatem per se imperatam, quæ nempe in operationibus suis necessitatem patitur (1): voluntas videlicet est quæ in omnes intellectus operationes dominatur, si primas objectorum apprehensiones excipias: *voluntas* (inquit Angelicus) *movet alias potentias animæ ad suos actus: utimur autem aliis potentiis, cum volumus* (2). Ex quo oritur, quod homo peccet de malis cogitationibus, quia cum eas cohibere possit, advertenter tamen et libere admittit in corde suo: *abominatio Domini cogitationes malæ* (3): *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (4).

Si denique adagium accipiatur tertio sensu, quasi nempe homo nulla morali lege quoad operationes intellectus sui teneatur, ideoque nulla in eo admittenda sint peccata interna, tunc illud declaramus: 1 *prorsus absurdum;* quia docet recta ratio leges honestatis afficere etiam interiores hominis potentias; 2 *legi naturæ et divinæ contrarium*, quia lex de non concupiscendis rebus malis et in honestis in ipsa naturali et divina lege fundatur: *non concupisces;* 3 *catholicæ Fidei subversivum,* quia doctrina est Ecclesiæ catholicæ cogitationes malas *nonnumquam animam gravius sauciare et esse periculosiores iis, quæ in manifesto fiunt* (5). Hinc legimus in Evangelio Christum Dominum Scribas et Pharisæos, qui dicebant nullam habendam esse rationem eorum quæ in corde hominis latent, sic indignanter locutum fuisse (6): *væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia; sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* En quo nos ducunt moderni: ad ætatem Scribarum et Pharisæorum! *(H)*

Q. 4. *An liceat actionem ponere, ex qua quis prævidet malas cogitationes aut pravos concupiscentiæ motus se esse passurum?*

R. Si actio illa necessaria est, utilis et honesta, non peccat qui eam ponit, secluso periculo consensus; quia tunc utitur jure suo, et tentationes inde exurgentes ac motus, utpote non intenti, non censentur voluntarii. Si aliter esset, plures deberent suum officium relinquere, quod nimis grave est: hinc non peccant Confessarii, Chirurgi et similes, qui in sui muneris exercitio pravas patiuntur cogitationes vel motus, modo ab eorum consensu caveant.—Quod si actio illa non esset necessaria, sed ex levitate tantum fieret esset mortale peccatum illam ponere, si proximam contineret dispositionem ad turpes motus, vel pravas cogitationes, indeque proximum iis consentien-

(1) *V.* Antoine, *De act. hum. Dissert. Proœm.* a. 2.
(2) 1, 2, q. 9, a. 1. (3) Prov. 15. (4) Psal. 10.
(5) Ex Tridentino, sess. 14, cap. 5: idque vel quia facilius perpatrantur vel quia minus curantur. Hoc advertant tum pœnitentes, qui de illis leviter se accusant; tum Confessarii, qui de illis vix interrogant, vel nonnisi obiter. — *V.* Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti*, Esame x et xi. (6) Matth. 23.

di periculum ; nam qui vult causam, vult etiam effectum. Verum siquis actionem illam ponendo nec tales pravos motus intenderet, nec adesset in eo periculum consensus, in plurium sententia venialiter tantum peccaret ; hi namque motus in humanæ vitæ negotiis, utcumque honestis, frequenter oriri solent : unde non videntur sat voluntarii in causa, ut eos imputemus ; secus omnis vel honesta conversatio, esset fugienda *(I)*.

Quid (quæres) *si pœnitens dubitet, an pravis cogitationibus consenserit necne?*—Sequentes regulas tradunt Theologi :—1 præsumendum est non consensisse, si agatur de eo, qui Deum timet et in animo dispositus est, ut mori mallet quam Deum offendere: e contrario peccatis assuetus, aut parum abhorrens a peccato præsumi potest vere consensisse ; in dubio enim prudens præsumptio petitur ex communiter contingentibus : communiter autem contingit, ut vir pius malo non consentiat, quin rite advertat, et dignoscat se peccato consentire ; vir autem pravus non resistit sine pugna, quæ tollit dubium circa consensum, aut dissensum ;—2 qui dubitat vigilans ne an dormiens, sui compos an impos quidpiam fecerit, judicatur non sat advertisse nec consensisse ; qui enim vigilat satis sentit se vigilare ;—3 siquis ubi primum reflectit ad pravas cogitationes aut motus, statim sentiat dolorem, tristitiam, aversionem, horrorem ; prudenter præsumitur in dubio non consensisse;—4 si dubitans facile potuisset exequi peccatum quod menti obversatur, et tamen non est executus, consensisse non censetur ;—5 si ætatis defectus adsit, puta si septennium nondum sit completum, perfecta saltem advertentia, et plenus consensus non præsumitur, ni malitia certe suppleat ætatem. Sola vero pravæ cogitationis continuatio indicium non est præstiti consensus, quia diuturna esse potest tentatio, cui pro virili resistitur. Præfatæ vero regulæ omnimodam non præstant securitatem, et res ex circumstantiis dijudicanda erit ; quare prudens Confessarius rite attendat pœnitentis propensionem, agendi modum, et animi statum, ut inde rectum judicium efformare possit (1).

Q. 5. *In quo differunt desiderium, gaudium et delectatio?*

R. In hoc differunt desiderium, gaudium et delectatio :

Desiderium respicit tempus futurum ; et est actus voluntatis, quo quis deliberate intendit opus aliquod determinatum perficere. Dicitur efficax, quando quis media suscipit ad opus illud perficiendum : inefficax, si non proponit opus perficere, sed in hoc per voluntatem consentit, quod nempe illud esset perfecturus, si posset ; v. g. si diceret : *rem istam furto libenter compararem mihi, si possem.*

Gaudium e contrario seu *complacentia* respicit tempus præteritum : et est cum quis de malo opere patrato sibi blanditur. Huc revocatur displicentia, malum data occasione non fecisse, v. g. puellam non seduxisse ; advertendo illam tunc facile seduci potuisse.

Delectatio respicit tempus præsens : et in re nostra habetur, quando quis per imaginationem reddit sibi præsens objectum peccati, et de illo delectatur deliberato consensu, ac si opus actu perficeret, quin tamen habeat desiderium illud reapse perficiendi. Ut siquis fingens se fornicari in tali actu si-

(1) Ita laud. Talento.

bi præsentato, delectetur, quin illum intendat perficere. Delectatio hæc dicitur *morosa*, non quidem a temporis mora, cum etiam uno temporis puncto perfici possit; sed eo quod voluntas post plenam advertentiam in ea immoratur (1).

Q. 6. *An et quale peccatum est desiderium operis mali?*

R. Quodlibet desiderium rei vel actionis malæ, licet inefficax, illicitum est, utpote prohibitum nono et decimo Decalogi præcepto: *non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt* (2). Sane turpe et inhonestum est velle atque desiderare quovis modo aliquid turpe et illicitum.

Malum autem desiderium est peccatum ejusdem speciei atque malitiæ, cujus est opus ipsum, in quod desiderium fertur. Id constat ex his Christi verbis: *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (3). Ipsa naturalis ratio id suadet; quia actus internus suam sumit bonitatem atque malitiam ab objecto, in quod fertur et cujus circumstantia nota est; neque enim ab illo vel per abstractionem malitia separari potest. Quare desiderium etiamsi inefficax furandi rem gravem, occidendi vel fornicandi, erit peccatum grave furti, homicidii vel fornicationis; ideo in Confessione omnia desideria sunt distincte aperienda. Non ergo sufficit, ut pœnitens dicat generatim se impura desideria habuisse; sed debet specificare quid desideraverit, an copulam, an solum tactus vel aspectus; an cum persona in genere, et cujus sexus; an cum persona determinata, et quæ; an libera, an matrimonio aut castitate detenta, vel consanguinitate aut affinitate sibi ligata.

Quid (quæres) *dicendum de illo, qui optat quidem objectum graviter malum, sed sub conditione,* si liceret?

Vel illa conditio *si liceret*, aufert ab objecto malitiam, vel non. Si 1, non peccat saltem graviter qui sic objectum malum optat. Esset si quis diceret: *hodie manducarem carnes, si non esset dies veneris, vel sabbati: Horas canonicas omitterem, si non essent sub gravi præceptæ;* nam conditio illa totam ab objecto malitiam excludit. Quia tamen hoc, ut plurimum, est periculosum vel saltem otiosum, ideo vix excusatur a peccati veniali (4).—Si 2, tum graviter peccat qui eo desiderio tendit in objectum graviter malum. Cum nempe per eam conditionem non auferatur malitia objecti, tota transfunditur in actum voluntatis. Et licet consensus conditionatus nihil ponat in objecto; in voluntate tamen ponit affectum committendi: ita peccaret graviter qui diceret: *luxoriose viverem, si non esset peccatum.* Sic communiter et rationabiliter (5). Item multo magis mortaliter peccaret qui optaret absolute, ne es-

(1) Juxta alios delectatio *morosa* idem est ac delectatio *mentis*.

(2) Exodi 20. (3) Matth. 5.

(4) Si tamen non tantum hypothetice, sed etiam hic et nunc ac realiter malitia ab objecto possit excludi, tunc illud desiderare neque est periculosum neque culpabile. Sic etsi decimo Decalogi præcepto prohibeatur, ne quis alienum concupiscat, quia id intelligitur in damnum proximi ideo bene possumus aliena desiderare inculpabiliter, hoc sensu, ut ea legitime acquiramus sine proximi injuria vel damno: secus damnarentur contractus emptionis et venditionis; nemo enim emit, nisi quod se habere desiderat.

(5) Sunt tamen qui satis probabiliter dicunt quod qui cupit quodcumque malum sub conditione

set prohibitum quod est intrinsèce malum; esset enim velle invertere ordinem et legem naturæ, uti recte ajunt Salmanticenses.

Q. 7. *An, et quale peccatum est complacentia de re mala?*

R. Gaudium (seu complacentia) de malo, malum est; cum includat illius approbationem. Adde: omnis virtus exigit, ut ipsa non contemnatur: illam autem contemnunt qui de illius violatione gloriantur, et sunt *qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* (1).

Hæc complacentia comprehendit totam malitiam et omnes species, quibus objectum induitur; cum secundum se tota in illud feratur. Unde qui sibi complaceat de copula habita cum conjugata, de novo adulterium committit; quia tunc voluntas complectitur totum objectum pravum cum omnibus circumstantiis, nec ab illis præscindere potest. Item qui gaudet de copula sodomitica, committit sodomiam. Hinc docent: quando quis se jactat de peccato patrato, regulariter explicare debet in Confessione omnes species illius; quia in se jactando regulariter adjungit ad jactantiæ malitiam atque peccatum scandali, etiam complacentiam de peccato commisso (2).

Q. 8. *An, et quale peccatum est delectatio de re mala?*

R. Certum est delectationem deliberatam de objecto graviter malo esse peccatum mortale; quia graviter dedecet naturam rationalem: uti si quis in deliciis habeat, quod Deus graviter offendatur: *perversæ enim cogitationes separant a Deo*, ait Scriptura (3). In probabiliori autem sententia delectatio morosa suam speciem sumit a qualitate objecti exteriori, quod sibi imaginatione repræsentat; non obstante enim quacumque præcisione a mente facta, videtur ferme impossibile, ut delectatio non complectatur objectum ut tale, et cognitum totum prout est. Hinc sanctus Thomas ait: *delectatio alicujus operationis et ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur; sicut et operatio virtutis et delectatio de eadem ad eamdem virtutem* (4). Quare qui delectatur de objecto graviter malo, debet in Confessione aperire circumstantiam specialem illius objecti, in quod sua mala delectatio ferebatur: sic v. g. in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre an alio, uno an pluribus; in materia luxuriæ, an de conjugata, moniali, consanguinea, etc.

Quamquam non est negandum, quod adhuc sit speculative loquendo valde probabilis contraria sententia, quam tenent Layman, Lugo, Roncaglia aliique, qui docent delectationem speciem suam sumere ab objecto dumtaxat in mente repræsentato: ac ideo si quis v. g. delectetur de copula cum conjugata ita cognita quidem, sed delectatio non sit *qua conjugata*, sed *qua pulchra*, non committit adulterium; quia tunc circumstantia adulterii ex se non intrat in delectationem (5). Verum in praxi non recedendum a prima sententia: atque ideo sine dubio semper explicandæ sunt quoad delectationem omnes

si non esset malum, numquam concupiscit malum revera; sed tantum ostendit quamdam inclinationem ad illud: quod ad mortale non attingit.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 4; et *Homo Apost. tr.* III, n. 50.

(1) Prov. 2. (2) *V.* Liguori, *Homo Ap. tr.* IX, n. 9. (3) Sap. 1.

(4) Q. 15 *de verit.* a. 4.—Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 28.

(5) Ad diversitatem desiderii et complacentiæ, quæ in omnium sententia objectum totum prout in se est ordinarie absorbent, sese nempe ferendo in objectum uti tale.

objecti circumstantiæ, quia saltem adest periculum proximum objecto secundum se toti consentiendi et desiderandi; cum vix uno gradu delectatio et desiderium inter se distent (1).

Quid (dices) *siquis delectetur non jam de re ipsa mala, sed de simplici cognitione vel cogitatione rei malæ?*—Alia est delectatio de opere malo, ita ut opus malum sit objectum delectationis, quæ semper est mala; alia est delectatio de cogitatione objecti mali, ita ut non opus malum, sed ipsa cogitatio de opere sit per se objectum delectationis. Et hæc vel potest esse bona, si adsit justa causa cogitandi, v. g. causa studii, consultationis, etc. cum abominatione objecti; vel potest esse venialiter mala, si fiat ex curiositate etc., vel potest esse aliquando etiam graviter mala, si adsit periculum proximum consensus. Ita S. Thomas qui ait (2): *Sic igitur aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari. Uno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata...; cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, immo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare vel disputare,* etc. Dicit autem esse mortale, quando *quis cogitans de fornicatione delectatur de ipso actu cogitato.* Et communiter S. Doctorem sequuntur S. Antoninus, Lessius, Sanchez, Bonacina cum Salmanticensibus.

An (quæres) *licita sit delectatio de modo malæ operationis?*—Si modus ille per se malus est, aut cum periculo gaudendi etiam de ipso objecto malo, v. g. siquis utatur fraudibus atque mendaciis ad seducendam puellam, clare patet delectationem de modo illo esse ex se malam; quia ejusdem objectum malum est.—Si vero modus ille talis non est, delectatio nequit mala esse; præcisus enim a malo opere, modus malus non est. Neque peccare dixeris hominem ridentem de modo quo ebrius pede ob vinum vacillante procedit, vel de modo subtili et artificioso, quo quis usus est ad furtum. Etiam hoc sensu *laudavit Dominus villicum iniquitatis* (3).

Q. 9. *An liceat gaudere de opere malo ob bonum effectum secutum?*

R. Vel opus illud, quod a nobis vel ab aliis commissum fuit, est malum formaliter, quod nempe cum peccato perpetratum fuit; vel non:

Si 1, certum est non licere de eo delectari, non solum tamquam de peccato, sed neque tamquam de causa effectus boni inde secuti; objectum enim delectationis in hoc casu semper est malum. Si 2, aliqui docent fas esse de eo opere delectari, non quidem per se, sed prout est causa boni effectus; quia tunc causa non attenditur nisi indirecte, neque fuit peccaminosa.—Attamen in hoc casu alii tenent oppositum et verius; quia actio illa, etsi non fuerit peccaminosa, fuit tamen objective mala: et approbando eam nunc voluntas malum formaliter facit; paucis, quilibet affectus deliberate tendens directe et immediate in objectum per se malum, totus imbuitur fœditate objecti. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 45 Propositionem: *licitum*

(1) Sæpe difficile est obtinere a pœnitentibus, ut circumstantias objecti cogitati aperiant; tunc prudentes confessarii priori opinione innixi ab importunis quæstionibus abstinent.

(2) 1, 2, q. 74, a. 8. (3) Luc. 16.

est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas (1).

Quid (dices) *de illo, qui non gaudet quidem de ipso opere malo, sed dumtaxat de effectu bono ab illo opere secuto?*—Per se loquendo licet delectari de effectu bono secuto ab opere malo; nam tunc delectatio non fertur in objectum malum: sic licita est delectatio de consecutione hæreditatis, quæ ob mortem patris venit, qui injuste fuerit occisus. Hoc sensu Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum secuta ex Adami peccato exclamans: *Oh felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem* (2)!

An (quæres) *liceat sine peccato delectari de re, quæ actu est mala utpote prohibita; sed tractu temporis erit bona evasura, cessante nempe prohibitione?* —Negative; nam delectatio reddit objectum sibi præsens, et ideo mala est, cum actu desit conditio illud cohonestans. Sic v. g. nefas erit sponso, nondum celebrato matrimonio, delectari de ejusdem usu; nam matrimonium est tantum in spe, delectatio esset in re (3).

Corollarium — *De peccati actualis effectibus.*

Q. 1. *Quinam sunt effectus peccati mortalis?*

R. Præcipui effectus peccati mortalis sunt sequentes:

1. Gravis offensa Dei; peccator enim Dei voluntati contumaciter reluctans contra Omnipotentem roboratur, si non verbis, facto dicens: *non serviam* (4). Hinc docet Angelicus, peccatum habere *quamquam infinitatem malitiæ ex infinitate divinæ Majestatis* (5).

2. Jactura gratiæ sanctificantis: gratia nobis tribuit, *ut filii Dei nominemur et simus* (6): hoc porro per mortale amittimus, nam per illud efficimur inimici Dei et filii diaboli. Hinc Tridentinum: *asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti* (7).

(1) Pariter non licet delectari de nocturna pollutione, quæ venerit ex tactu vel ex turpi somnio; quia tunc ipsa fuisset objective mala. Secus si ea venerit ex natura se naturaliter exonerante; nam quod a natura est, malum non est (Angelicus, *in* 4, *d.* 9). Item neque licet delectari de Missa festo die ex oblivione relicta, neque de carnium comestione die jejunii facta ex inadvertentia: quia nempe hæ res sunt, supposito præcepto, ex objecto malæ. Ita Azor, Roncaglia, Sanchez, etc.— Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 20 et 27.

(2) Ita etiam licet per se loquendo delectari de effectu pollutionis, quamvis voluntariæ, nempe de exoneratione naturæ; quia exoneratio naturæ bona est. *Salubrius tamen est cogitationem circa hanc rem divertere,* uti monet Gerson; ob periculum videlicet delectationis venereæ, quæ de facili consurgere potest.

(3) «Aliud est, ait Roncaglia, si sponsus desiderat simpliciter copulam futuram cum sponsa, quando sibi erit uxor; quia tunc optat rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Sed hoc non obstante ego subjungo, quod per hujusmodi desideria, cum quis moratur in iis cogitationibus, magnum subest periculum delectationis præsentis; ideoque debet Confessarius omnino prohibere, ne sponsi in hujusmodi desideriis morentur.» Liguori. *Homo Apost. tr.* III, n. 51. — Curandum ut quam citissime, sponsalibus initis, a sponsis matrimonium celebretur; ne sponsi in illa facili peccandi occasione relinquantur.

(4) Jer. 2. (5) P. 3, q. 2, a. 2. (6) I Joann. 3.

(7) Sess. 6, cap. 15. — *Vid.* Boudrand, *L'anima elevata a Dio*, t. I, lez. VIII e XVIII: ubi et gravissima peccati vulnera, et per excellentes divinæ gratiæ dotes vivide expressit.

3. Fœdissima animæ macula. Hanc per peccatum induci de fide est contra Lutheranos et Calvinianos qui per solam imputabilitatem homines peccatores faciunt. Id constat ex Scriptura, ubi de Jerusalem peccatrice dicitur: *maculata es in iniquitate tua;* iterum: *si abluerit Dominus sordes filiarum Sion* (1). Et Tridentinum ait, hominem fieri *inquinatum per inobedientiæ peccatum* (2). Unde patet aliquid relinqui in anima peccatoris ad modum vulneris, quod licet uno ictu transeat, relinquit tamen in illa deformitatem (3).

4. Cordis perturbatio et afflictio spiritus; sic enim habet Job: *cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest* (4). *Contritio et infelicitas in viis eorum*, inquit Realis Psaltes, *et viam pacis non cognoverunt* (5). Et D. Augustinus: *fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te* (6).

5. Amissio meritorum omnium, quæ in statu gratiæ anima jam sibi comparaverat; legitur enim de peccatore: *omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur* (7). Itemque inhabilitas, perdurante statu peccati, ad nova merita acquirenda in ordine ad vitam æternam; quia, ut ait D. Augustinus, *ubi deest charitas, nihil est quod prosit ad gloriam* (8).

6. Pœnæ reatus: quo nomine non aliud intelligitur quam obligatio subeundæ pœnæ proprio peccato debitæ. Æquum est enim, ut qui ordinem violavit, ab ordinis Auctore puniatur, ne iniquitas adversus ordinem ejusque Auctorem prævaleat. Hæc autem pœna solvenda pro peccatis duplex est: una quæ solvitur in præsenti vita, uti sunt diversa morborum genera, ærumnæ, afflictiones, etc. (9). Alia vero persolvenda in vita futura, vel temporanee in purgatorio, si peccatum fuerit quidem deletum quoad culpam, sed non totaliter quoad pœnam; vel æterne in inferno, si peccatum non fuerit deletum quoad culpam.—Peccatum mortale inducere reatum pœnæ æternæ, de fide est contra Origenistas et Socinianos, quibus adhærent increduli, et nonnulli ex protestantibus. Sane Christus sic reprobos allocuturus exhibetur: *discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus* (10). Quare D. Augustinus: *quia vita Sanctorum sine fine erit,*

(1) Jer 2: Isai. 4. (2) Sess. 5, can. 2.

(3) In veniali tamen peccato hæc macula non intervenit; sed tantum privatio fervoris charitatis, ut ait idem Angelicus, in 4, d. 16. q. 2, a. 2. — Differt macula a reatu pœnæ, quæ maculam jam supponit; differt ab inclinatione ad malum, quæ remanet adhuc, sublata macula. Juxta Angelicum (1, 2, *q.* 86, *a.* 1) consistit in privatione illius nitoris, qui exurgit ex debita conformitate facultatum animæ ad legem atque ad Deum.

(4) Job. 57. (5) Ps. 13. (6) Liber *Confessionum.*

(7) Ezech. 18. (8) *De Verbis Domini.*

(9) Deum frequenter etiam in hac vita punire peccata passim constat: uti ex diluvio, ex Sodomæ incensione, ex historia Davidis. Hinc illud Prov. 14: *miseros facit populos peccatum.*—*V.* etiam cap. 10.

(10) Matth.25. Pœna autem eterna damnatorum est duplex: damni et sensus. Prima habetur illis verbis: *discedite a me, maledicti.* Secunda illis: *in ignem æternum.* Porro ut habet D. Hieronymus, *in uno igne omnia tormenta sentient damnati in inferno.* Quæ pœna erit damnatorum peccatis proportionata juxta illud Apoc. XVIII: *quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* — Quamvis nos lateat quomodo ignis animas cruciare possit, tenent tamen Catholici cum Augustino (*De Civ. Dei*, l. XXI, c. 10) revera illud ignem esse materialem ac corporeum;

supplicium quoque æternum finem procul dubio non habebit (1). Et Gregorius M.: *quia pius est* (Deus), *miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur* (2). Idque definitum est contra Origenistas in Concilio CP. II.

Ac merito; cum enim peccatum æterne in anima damnatorum perseveret, æterne puniendum est. Adde peccatum mortale habere quamdam infinitatem malitiæ ex parte infinitæ personæ quæ offenditur, cum utique a læso sit mensuranda culpa; ergo infinite puniendum saltem (si aliter non possit) extensive, id est quoad durationem. Hanc autem veritatem vel ipsi ethnici non pauci solo ipso lumine naturali cognoverunt; sic Tullius ajebat: *justis quidem reditum patere ad supremam felicitatem, improbis vero devium quoddam iter esse seclusum a concilio Deorum* (3). Imo hæc veritas omnium populorum consensu firmatur, dicente ipso Seneca: *quum de animorum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum timentium inferos* (4) (J). Hinc versus:

Irritat, expoliat, fœdat, prædatur et angit,
Pœnæque æternæ gravis affert noxa reatum.

An (quæres) *unum peccatum possit esse pœna alterius?* — Per se unum peccatum non est pœna alterius; cum peccatum a libera hominis voluntate proficiscatur. Poterit esse per accidens, quatenus Deus in illius pœnam auxilia subtrahit, quibus homo destitutus in peccata alia voluntarie labitur.
Hinc in pœnam superbiæ gentiles *tradidit Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* (5).

Q. 2. *Quinam sunt effectus peccati venialis?*

R. Sex maxime numerantur effectus venialis peccati. Nempe veniale:

1. *Deum offendit:* quo sensu veniale est aliquid pejus omnibus mundi malis collectim sumptis, ipsa etiam morte, ipso etiam inferno prout infernus est mera pœna. Nam hæc omnia sunt mala creaturæ; peccatum vero veniale malum Dei est, quatenus ipsum offendit, etsi tamen ejus gratiam non extinguat (6).

2. *Minuit animæ pulchritudinem;* sit quidem levis nebula, at qualibet nebula aliquantisper lucem impedit.

3. *Minuit timorem Dei* ex una parte, ex altera auget *animi teporem:* homo juxta viam quam semel elegit, facile progreditur.

4. *Impedit gratias speciales,* nosque reddit indignos peculiari illo Dei affectu, quo ipse prosequi solet justos in amore suo ferventes juxta illud: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (7).

5. *Inducit reatum pœnæ* (per se temporalis) subeundæ in hac vel in alte-

nimis enim clara sunt verba Deut. 32, Job 20, Isa. 33 et 65, Jud. 16, Matth. 10, Luc. 16, etc. S. Antoninus varias refert opiniones hac de re.

(1) L. XXI *De Civ. Dei*, c. 23. (2) L. IV *Mor.* c. 19. (3) L. I Tusc. quæst.

(4) Epist. 114. — *V.* Liguori, *Verità della fede*, p. 2, c. 19; it. *Breve dissertazione contro gli errori dei moderni increduli*, c. 5; it. *Dissertazioni teologico-morali*, dis. 8. (5) Rom. 1.

(6) *V.* Segneri, *Il Cristiano istruito*, p. 2, Rag. 22. — Belleccio, *De pecc. venialí*, etc.

(7) Matth. 7.

ra vita: æquitas sane postulat, ut quilibet reus puniatur. Diximus *per se temporalis;* sentit enim Angelicus, quod licet veniale, cum a Deo non separet, non mereatur pœnam æternam; poterit tamen per accidens, sive ratione irremissibilitatis in æternum puniri, si reperiatur in damnatis non remissum quoad culpam (1).

6. *Disponit ad mortale,* præsertim si ex habitu committatur in eadem materia. Scriptum est enim: *qui spernit modica, paulatim decidet* (2). *A minimis incipiunt qui ad maxima proruunt* (3). Igitur periculose nimis negliguntur venialia, maxime ab iis, qui ad majorem tenentur perfectionem uti sunt Religiosi, Sacerdotes, et adolescentes ministerio Ecclesiastico proladentes. —Hinc versus:

Offendit Dominum; decus, imminuitquè timorem;
Subtrahit auxilia; ad pœnam et mortalia ducit.

DISPUTATIO SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE SEU DE VITIIS CAPITALIBUS.

Q. *Quot sunt vitia capitalia?*

R. Vitia capitalia septem enumerat Angelicus: et sunt *superbia, avaritia, gula, ira, invidia* et *acedia* (4). Dicuntur *capitalia,* non quia sint cæterorum peccatorum gravissima, vel semper mortalia; sed quia aliorum existimantur quasi causa, fons, caput et principium. Gregorius Magnus ea nuncupabat *exercitum diaboli, cui superbia dominatur tamquam regina* (5).

CAPUT PRIMUM

DE SUPERBIA ET AVARITIA.

Q. 1. *Quid est superbia?*

R. Superbia definitur a S. Thoma: *inordinatus appetitus propriæ excellentia* (6). Nomine *appetitus* intelligitur amor, desiderium et complacentia. Sic autem dicitur, quasi tendens *supra id quod est.*—Est autem superbia pecca-

(1) In 4, d. 22, q. 1, a 1, ad 5. Diximus: *quod culpam;* si enim remissum non sit quoad pœnam, hæc bene in inferno expiatur. *Nec propter hoc sequitur, quod sit in inferno redemptio, quia pœna quæ solvitur, non redimitur:* nempe est solutio, non condonatio. Idem Angelicus.

(2) Eccli. 19. (3) S. Gregorius M.

(4) 1, 2, q. 84 a 4.

(5) *V.* S. Bonaventura, *De pugna contra septem vitia capit.* — Toletus, *Instructio Sacerdotum, ac de septem peccatis mortalibus.— Traité sur les sept péchés capitaux.* Lyon. — Liguori, *Opus Mor.* l. V, nn. 65 et seqq.

(6) 2, 2, q. 162, a. 2.

tum ex genere suo mortale; superbi enim ad Apostolo inter illos enumerantur *qui digni sunt morte* (1). Est peccatum omnium primum juxta illud: *initium omnis peccati est superbia* (2). Est peccatum omnium maximum, ex parte maximæ aversionis a Deo (3). Est etiam peccatum cæteris periculosius; tum quia dicente S. Gregorio Magno, *alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam...; superbia autem quasi generalis et pestiferus morbus corpus omne virtutum corrumpit* (4); tum quia, teste D. Augustino (5), *alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant* (6).

Superbia dividitur in perfectam, et imperfectam. Perfecta committitur: 1 quando quis præ superbia recusat Deo propriam dependentiam etiam in re minima; 2 quando quis putat bona quæ habet vel a se ipso habere, vel a Deo meritis propriis fuisse debita; 3 quando finis ultimus ponitur in propria excellentia; vel quando propria illa excellentia in rebus graviter malis constituitur, aut quæritur ab illis et in illis. Porro superbia perfecta est semper mortalis; cum semper adversetur graviter Dei charitati, honori et excellentiæ.—Imperfecta vero committitur, quando quis sine Dei aliorumque contemptu, et quin superioribus subjici recuset, *vel* plus æque se extollit, *vel* in propria et de propria excellentia nimis sibi placet. Hæc superbia non est, nisi venialis; quia non est graviter inordinata, neque graviter repugnat charitati.

Q. 2. *Quænam sunt superbiæ filiæ?*

R. Superbia mater est fœcundissima aliarum turpium noxarum, quas ejusdem filias vocant. *Ista mater nescit esse sterilis,* sic de superbia Augustinus; *sed ubi fuerit, continuo parit.* Præcipuæ ejus filiæ sunt præsumptio, ambitio, vanagloria:

Præsumptio est inordinata cupiditas aliquid faciendi proprias vires excedens: et est lethalis, sive ratione gravis damni proximo illati, ut si quis v. g. præsumeret exercere officium Confessarii, Judicis, Medici et Advocati sine sufficienti scientia; sive ratione gravis injuriæ, uti fuit illa Luciferi: *ascendam,... similis ero Altissimo* (7).

Ambitio est inordinata cupiditas honoris, potentiæ vel dignitatis. Est mortalis:—1 ratione damni, ut si quis alterum longe se digniorem arceret a dignitatis consecutione, unde et honor divinus et proximus detrimentum grave patiatur;—2 ratione materiæ, ut si quis ambiat grave aliquod munus, cui tum assequendo tum sustinendo impar sit et indignus;—3 ratione modi, ut si quis honores velit adipisci per simoniam, per fraudem, per detractionem.

Vanagloria est inordinata cupiditas humanæ æstimationis ac laudis. *Inordinata;* nam appetitus gloriæ per se pravus non est, cum dicat Dominus: *luceat lux vestra coram hominibus* (8). Imo ex Angelico neque inordinata per

(1) Rom. 1. (2) Eccli. 10.
(3) S. Thomas, 2, 2, q. 169, a. 6. (4) L. XXXIV *Moral.* c. 17. (5) Epist. 211.
(6) Quare justi maxime invigilent (cum eos præsertim superbia aggredi soleat), postquam et Angelum et primum hominem vicerit.
(7) Isaiæ, 14. (8) Matth. 5.

se mortalis est; attamen periculosa, quia disponit ad gravia peccata, *in quantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, et nimis de se ipso confidens* (1).—Huc faciunt hi versus:

Præsumens proprios excessit Lucifer orbes;
Deordinatos ambitio poscit honores;
Laxatis frænis se gloria jactat inanis.

Quotupliciter (quæres) *ex vanægloriæ cupiditate peccari potest?*—S. Thomas docet vanagloria peccari directe et indirecte (2).

1. Directe peccatur tam verbis, quam factis. *Verbis* dum quis inordinate de se ipso prædicat, quod laudem et gloriam sibi comparet. Hæc dicitur jactantia, et est mortalis, si cedat in grave proximi damnum, aut in gravem Supremi Numinis injuriam, aut sit de rebus graviter malis; nam approbatio operis eamdem cum illo speciem induit. *Factis* vero, dum quis agit res novas et peregrinas ad laudem sibi comparandam: et dicitur *inventio novitatum*, quæ si ad mores corrumpendos confert, erit mortalis; secus, si in nullius damnum vergat (3), erit tantum venialis.—Hinc sequens versus:

Si jactes tua facta; velis novus esse videri.

2. Indirecte peccatur, dum quis alteri non vult nec esse, nec inferior videri. Huc spectant:—1 *pertinacia intellectus*, qua quis mordicus adhæret propriæ opinioni. Et erit mortalis, vel si oppugnetur veritas magni momenti, vel si grave proximo damnum obveniat, ut si medicus v. g. cum gravi ægroti periculo firmus maneat, atque immobilis in sententia propria;—2 *discordia voluntatis*, nempe voluntatum contrarietas in rebus illis præsertim, in quibus oportet nos esse concordes. Hæc licet sit venialis ex levitate materiæ, ex genere tamen suo est mortalis, quia directe opponitur charitati, cujus defectus a regno Dei excludit. Diximus *voluntatis;* nam adhuc charitas subsistit in discordia intellectus, sive indiscrepantia opinionum, quarum usus licet, ut fuit dissensio inter Paulum et Barnabam (4): *nam concordia, quæ est charitatis effectus, est unio voluntatum, non unio opinionum* (5):—3 *contentio verborum*, impugnatio nempe veritatis cum altercatione verborum. Hæc pariter mortalis erit aut venialis, prout grave aut leve Dei honori et bono proximi damnum infertur;—4 *inobedientia*, qua quis nempe ex contemptu exequi recusat illud quod ex præcepto debet. Unde illi versus:

Durities mentis, cordis discordia, et oris
Jurgia; mandatis nolle subesse probis.

Q. 3. *Quænam sunt superbiæ remedia?*

R. Superbiæ, ejusque filiarum remedia præcipua sunt:

(1) 2, 2, q. 132, a. 3. (2) L. cit. a. 5. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 66.

(3) Ad hanc refertur *hypocrisis*, qua nempe quis simulat sanctitatem quam non habet, aut majorem quam habet. Quod erit saltem veniale, cum sit mendacium facti. Erit autem peccatum mortale, si eidem conjungatur *vel* contemptus virtutis, *vel* grave proximi damnum, *vel* si ad finem graviter malum dirigatur: ut siquis v. g. sanctitatem simulet ad proximum in re gravi decipiendum, *vel* ad beneficium acquirendum, etc. — *Vid.* Stapf, § 109.

4) Act. 15. (5) Angelicus, 2, 2, q. 37 a. 1.

1. Humilitatem frequenter a Deo expostulare, *qui est dives in omnes, qui invocant illum* (1);—2 proprium nihilum et innumeras corporis et animi miserias ante oculos indesinenter habere: *quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* ait Apostolus (2); —3 pœnas superbiæ et præmia humilitatis meditari: nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (3). *Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (4);—4 mente agitare exempla J. C. qui *exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (5);—5 actus tam internos, quam externos humilitatis frequenter exercere; contraria contrariis curantur (6). Hinc versus:

Ora; te, pœnas, Christum meditare; retunde.

Q. 4. *Quid avaritia, quale peccatum, et quæ ejus remedia?*

R. Avaritia (sic dicta ab Isidoro quasi *æris aviditas*, quia pecunia omnia valet comparare) definitur: *inordinatus amor divitiarum*, seu temporalium, sive rerum quæ pecunia æstimantur, ut ager, domus, etc. Qui nimius amor tam potest esse erga illa, quæjam possidentur, iis nimium adhærendo; quam ergo illa, quæ nondum habentur, ea nimia cupiditate inquirendo. Unde etiam egentes possunt esse avari; quia si carent facultate, possunt ardere cupiditate.

Est avaritia speciale peccatum; cum nempe habeat speciale objectum, nempe bona fortunæ.—Peccatum capitale; cum plurima alia ex illo oriantur juxta illud: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem* (7).—Est etiam peccatum hoc sensu aliis periculosius: tum quia alia vitia in senectute vires amittunt, avaritia magis augetur; tum quia alia vitia satisfactione sedantur, uti gula cibo, non ita avaritia: *avarus non implebitur pecunia*, ait Ecclesiastes (8). *Semper avarus eget* (inquiebat Poëta ethnicus); *nam crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit* (9). Hinc Scriptura: *avaro autem nihil est sceleratius* (10).—Et est peccatum mortale, quando quis ad sibi comparandas, augendas aut conservandas divitias adhibet media graviter illicita; vel proprium in iis constituit finem ultimum; vel animo paratus est potius mortaliter peccare, quam aliquod in iisdem pati detrimentum; vel peccat reipsa mortaliter, v. g. alienum accipiendo aut detinendo, malam fidem in contractibus adhibendo, etc. Si vero quis divitias quidem nimis amet, sed nec velit facere nec faciat quidpiam grave con-

(1) Rom. 10. (2) I Cor. 4.
(3) Jac. 4; et 1 Petr. 5. (4) Matth. 23. (5) Phil. 2.
(6) *V.* Pinamonti *Specchio, che non inganna* ecc. (7) I Tim. 6. (8) Cap. 5.
(9) Poëtarum princeps Alighierius de avaritia sic habet:

Ed ha natura sì malvagia e via,
Che mai non empie la bramosa voglia,
E dopo l'pasto ha più fame che pria.

Inferno, c. I, v. 97 et seqq.

(10) Eccli. 10. — Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 68.

tra Deum aut proximum, peccabit tantum venialiter; cum sit quædam tantum inordinatio (1).

Avaritiæ autem filiæ præcipuæ sunt:—1 *durities cordis* super egenorum miseriis, eis non compatiendo, non opitulando, debita tarde solvendo, eos despiciendo, objurgationibus afficiendo, etc.;—2 *inquieta sollicitudo* ex nimio amore divitias sibi comparandi, aut timore eas amittendi. Hæc si retrahit a spiritualibus vel ab aliis obligationibus ex gravi præcepto implendis, mortalis erit;—3 *violentia*, rei nempe alienæ per vim usurpatio;—4 *perfidia*, si ad ditescendum fides data violetur: et dicitur *fallacia*, si sit astuta deceptio alterius in verbo; *fraus*, nempe astuta alterius deceptio in factis; *perjurium*, si juramento firmetur deceptio alterius;—5 *proditio*, nempe injusta rei vel personæ manifestatio lucri causa, uti de Juda proditore legimus. Hinc versus:

Durus, sollicitus, violentus, perfidus, atque
Proditor, auratas qui nimis ambit opes.

Avaritiæ remedia sunt:—1 oratio, quæ *licet sit una, omnia potest*, ut ait Theodoretus;—2 meditatio celsitudinis cœlestium et vanitatis terrestrium, paupertatis Christi, mortis ejusque consectariorum: nam post mortem *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (2);—3 eleemosynarum largitio propriis facultatibus accomodata, miserorum visitatio, et in bonorum jactura divinæ voluntati conformatio; venenum enim antidoto expellitur. Unde versus:

Ora, res pende, miserisque superflua dona.

Avaritiæ opponitur *prodigalitas*, quæ consistit in defectu conservandi et excessu erogandi: est ex genere suo venialis, levior quam avaritia; quia minus abest a virtute liberalitatis. Potest tamen fieri mortalis, si inde gravia sequantur mala, ut si ideo impotentem te reddas ad debita solvenda, si tuis pauperiem crees, etc.

CAPUT SECUNDUM

DE LUXURIA.

Timidis gressibus ad materiam accedimus, de qua, si multa dicimus, castas offendimus aures; si pauca, instructio nostra deficit in re omnium frequentissima. Verum sicuti in cæteris, itaet in hac disputatione sequimur Alphonsum nostrum, qui etsi puritate angelus, zelo tamen animarum accensus, lubricam materiam tractare non omisit. Qui ait: «utinam brevius aut obscurius

(1) Licet vero avaritia, abstrahendo a consectariis, et in se considerata ac in genere suo, non sit nisi venialis, quia ex se avarus graviter nec Deum offendit nec proximum lædit, neque se ipsum corrumpit; tamen quia de facili ipsam comitatur hoc periculum vel Deum postponendi, vel proximum lædendi, vel propriam salutem negligendi, ideo in praxi non raro uti mortale peccatum habetur. Hinc illud Virgilii (*Eneid.* III): *quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?*

(2) Ps. 75.

«explicare me potuissem! sed cum hæc sit frequentior atque abundantior «Confessionum materia, propter quam major animarum numerus ad infer- «num delabitur, hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum, qui moralem «scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me «explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui «ad munus audiendarum Confessionum se parant, ut hunc Tractatum quem- «admodum et alium de debito conjugali... legant ob hunc unice finem; «omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore sæpius mentem «ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ sese commendent, ne, dum alio- «rum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur (1).»

ARTICULUS I — De luxuriæ definitione, natura et divisione.

Q. 1. *Quid est luxuria et quale peccatum?*

R. Luxuria sic dicitur ab Isidoro, vel quasi sit *resolutio in voluptates:* vel quia proprium est hujus turpitudinis vires corporis animique *laxare* ac dissolvere: unde qui ei cedunt, dicuntur dissoluti. Definitur autem: *inordinatus appetitus, vel usus delectationis venereæ* (2). Peccatum esse ex genere suo lethale constat ex Apostolo, qui aperte declarat, luxuriosos a regno Dei prorsus excludit (3). — Præterea cum usus rei venereæ institutus sit ad propagationem et conservationem generis humani, censetur ex se materia gravis; ergo gravis pariter ex se erit censenda inordinatio in tali materia. Id insuper est contra dignitatem Christiani, cujus corpus sanctificatum est et factum templum Spiritus Sancti.

Imo est luxuria (vel etiam sola luxuriosa delectatio) gravis ex genere suo toto ex communi Doctorum, si sit cum plena advertentia ac deliberatione; tum quia in omni delectatione venerea ex Galeno et aliis fit quædam seminis resolutio, et est veluti inchoata pollutio seu modus ad eam; tum quia naturam rationalem graviter semper offendit hæc immunditia: unde merito Croix rejicit eorum opinionem, qui negant graviter peccare qui sponte consentit in motus leves carnales sponte obvenientes. Quod quidem demonstrat vix ignorantiam invincibilem hisce in turpitudinibus esse admittendam, et multo minus apud Christianos; idque magis, si agatur de externo peccato, v. g. pollutione. Unde qui peccata sua pluries confessus, crimen hoc reticuisset, et diceret se id ex ignorantia peccati fecisse, non de facili meretur fidem, sed potius videtur teneri ad iterandas Confessiones; si enim eum interroges, videbis homines ac lucem semper defugisse ad turpitudinem illam consummandam (4): quod quidem probat, ejus ig-

(1) *Opus Mor.* l. XXXIII, n. 413. — *V. Annali delle Scienze religiose,* Ser. 2ª, an. 1846, tom. III, pag. 210 et seqq.

(2) Venerea dicitur omnis delectatio ex se tendens ad generationem a Dea Venere; ideo quia illam generationi præsidem dicebant pagani. (3) Gal. 5.

(4) Dices: *non valet ratio ideo ipsum reum esse, quia se occultavit; nam homines ab omnium conspectu se subducunt quando res est de mingendo vel alveo evacuando: quæ tamen mala non sunt, cum sint naturæ necessitates.* — R. Non tenet paritas; in secundo enim casu quisque interrogatus non refugit honestis verbis indicare, se in tenebris occultasse ad mingendum vel ventrem exonerandum.

norantiam vincibilem fuisse (1). *Continuator Tournely.*

Q. 2. *Quomodo dividitur luxuria?*

R. Luxuria dividitur in *perfectam* seu *consummatam*, quæ consistit in voluntaria humani seminis effusione; et in *imperfectam* seu *non consummatam*, in qua nulla intervenit humani seminis effusio. Luxuria perfecta iterum dividitur in *naturalem* et *non naturalem* sive *contra naturam*. Naturalis est voluntaria humani seminis effusio, servatis conditionibus, quas requirit natura actus necessarii ad hominis generationem: unde est conjunctio viri et fœminæ modo generationis apto, sed extra conjugium. Non naturalis est voluntaria seminis effusio, in qua tales conditiones non servantur. — Quæ omnia sexto et nono Decalogi præcepto prohibentur, quibus nempe vetitum est mœchari et uxorem proximi concupiscere; nam qui prohibet aliquid, censetur etiam prohibere omnia quæ ad illud conducere possunt: quod evenit in præsenti, uti fuse probant Salmanticenses.

§ 1 — *De luxuria perfecta et naturali.*

Sunt sex species luxuriæ perfectæ et naturalis; nempe 1 *fornicatio*, ad quam reducitur *meretricium* et *concubinatus;* 2 *stuprum;* 3 *raptus;* 4 *adulterium;* 5 *incestus;* 6 *sacrilegium.* — Quinque species posteriores specialem continent malitiam luxuriæ superadditam; cum deformitatem includant specie diversam, quæ ideo in Confessione distincte aperienda est.

Q. 1. *Quid est fornicatio simplex* (2), *et an prohibita?*

R. Fornicatio simplex communiter definiri solet: *concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu.* Quæ fornicatio sub gravi prohibetur:

1. Jure divino (quod est contra Beguardos et Beguinos): sane Apostolus fornicarios dicit non habere hæreditatem regni Dei (3); — 2 Jure naturali (quod est contra Caramuelem et Durandum). Sane in fornicatione non servatur ordo rectæ rationis, in quantum usus venereorum non fit secundum quod est conveniens ad bonum prolis nascituræ; nam huic necessaria est educatio et institutio debita; at ad educationem hominis non solum requiri-

At numquid iste eadem facilitate aperiet, se et hominem et lucem fugisse ad pollutionem procurandam?

(1) Quamvis autem cum pueris delinquentibus generatim non sit instituenda tam *severa imputatio, cum ejusmodi homunculi adhuc dum solo fere sensu ac phantasia ducantur; plerumque tamen hæc judicii mitigatio tunc exceptionem patitur, ubi ab hac ætate graviter contra pudorem peccatur. Nam ejusmodi pueri puellæque perbene sciunt tales spurcitias sub gravi prohiberi: tum vero innatus pudor vehementer reclamitat, et in plerisque qui ab ignorantia vel aliena seductione excusationem non merentur, multa animi perversitas detegitur.* Ait Stapf, § 71. — Hic etiam gravissimum monitum pro parentibus sit: nempe sedulo curare debent, ne una simul pueros puellasque ad animalium custodiam mittant; desides enim et otiosi cum sint, non raro evenit, ut talibus indulgeant, quæ vel tunc vel postea in apertas turpitudines erumpent. Qua in re a Parochis ipsis est quammaxime invigilandum.

(2) Dicitur *simplex* illa, quæ transitorie exercetur cum una aut pluribus personis *solutis:* sic dicitur ad eam discriminandam a fornicatione continuata cum eadem persona, uti evenire solet in concubinatu ac meretricio. — *Soluti* autem hic dicuntur illi, uti ad rem observat Gousset, qui sunt liberi non solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiæ, ab Ordine sacro et violentia. (3) Eph. 5.

tur cura matris a qua nutritur, sed multo magis cura patris a quo est instituendus, et defendendus et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Sed pro hac mutua parentum cura, necessaria est certitudo prolis, et certa perpetuoque indivisa unio maris cum determinata fœmina (quæ unio matrimonium vocatur): quæ cura impeditur per vagum concubitum, ut merito argumentatur Angelicus (1). Et quamvis hoc incommodum in aliquo peculiari casu posset evitari, id esset per accidens; at natura attendit ad id quod communiter contingit. Et Deus uti auctor naturæ debuit fornicationem pro omni casu vetare; alioquin homines cupiditatibus excœcati facile sibi fingerent incommodum illud multis in casibus defuturum, in quibus tamen reapse non deesset cum maximo prolis detrimento. Hinc D. Fulgentius: *fornicatio numquam potest esse sine gravi peccato* (2). Et Inocentius XI damnavit hanc n. 48 propositionem: *tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, sed solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Q. 2. *Quid est meretricium* (3)?

R. Meretricium est *status mulieris, quæ omnibus parata est sub mercede sui corporis copiam facere.* Mulieres meretricantes semper habitæ sunt uti speciei humanæ opprobrium: pessima certe est earum conditio ratione habitualis ac pravæ animi dispositionis, scandali et nocumenti prolis. Ex quo constat eas esse incapaces absolutionis, donec larga experientia constet esse emendatas, et a lupanari remotas: sunt tamen a Confessario humaniter accipiendæ, si forte resipiscant. Etsi autem emendatæ possint absolvi, non ita est de Eucharistiæ susceptione, ad quam ut admittantur, de eorum conversione ad scandalum auferendum publice constare debet; et si fieri possit, e loco turpitudinis prius adsportandæ sunt.

Utrum vero in societate permitti possint meretrices, sunt qui probabiliter affirmant cum Augustino (4) et Angelico (5); ne secus pejora peccata eveniant nempe sodomiæ, bestialitatis, mollitiei, etc. Verum practice loquendo contrarium est probabilius cum Bouvier, Gutierrez, Navarro, Roncaglia, Scotti (6) et aliis plurimis; neque enim ideo illa mala vitantur. Imo vitium hoc frequentia augetur magis, ad malum sollicitatio crescit, excitantur rixæ, hebetantur sensus, studia negliguntur, vilescunt nuptiæ, etc. In omni autem casu non poterit permitti, nisi in vastis urbibus, uti probat P. Sarnelli (7): et quidem vilissimum in locum meretrices sunt amandandæ.

An (quæres) *fornicatio, quam unus ex sponsis habet cum extranea persona, aliquid superaddat, ut talis fornicatio sit specie diversa a simplici fornica-*

(1) 2, 2, q. 154, a. 2. (2) Ep. I, c. 4.

(3) Nomen ductum est a *mercede* quam faciunt illæ quæ hunc statum turpiter profitentur. De hac mercede erit in *Tract. De Justitia,* diss. 2, c. 1, art 4.

(4) Lib. IV *de Ord.* c. 4. (5) Opusc. 10, l. IV, c. 14.

(6) Quamvis posterior sententia probabilior videatur, arbitramur tamen absolvendos esse magistratus urbium, qui bona fide asserunt, se malum istud tollere non posse. In dubiis namque non Confessarii est decernere quid agere debeant ii, quibus difficilia commissa sunt negotia, uti sunt judices, magistratus, duces exercitus, reges, aut ministri, etc. *Bouvier.*

(7) *Opusculum*, De abusu meretric. — *V. Cod. pœn. Alfonsinus*, l. II, t. VII. — *C. A. pœn.* p. 2, §§ 245 et seqq. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 434.

tione; ideo an sit explicanda in Confessione hæc circumstantia? — Alii negant, sponsi fornicationem cum extranea esse specie diversam a simplici fornicatione; quia talis concubitus dici nequit adulterium, cum per sola sponsalia nullum jus competat proprie dictum sponso in corpus sponsæ, et vicissim. Unde talis fornicatio secundum ipsos est tantum circumstantia aggravans non necessario explicanda in Confessione. Alii censent diversam habere malitiam dumtaxat fornicationem sponsæ; cum in sponso non ita gravis appareat inordinatio. Alii vero docent utriusque fornicationem habere malitiam specie diversam ratione injustitiæ, quæ committitur contra partem desponsatam. Licet enim ista nondum per sola sponsalia acquisiverit jus in corpus alterius, seu uti dicunt, jus in re; acquisivit tamen jus ad ejus corpus, id est jus ad rem: unde talis circumstantia est aperienda. — Tres dictæ opiniones sunt omnes æque probabiles (1).

Q. 3. *Quid de concubinatu?*

R. Concubinatus est: *frequens concubitus soluti cum una eademque persona soluta.* Nihil refert, quod personæ in eadem vel in diversis domibus maneant, modo uxorio more secum vivant: imo si hic concubitus habeatur cum uxorato vel uxorata, adhuc dicitur concubinatus, quamvis improprie, quia tunc etiam malitiam adulterii includit. In hoc differt concubinatus a simplici fornicatione, quod fornicatio indicet concubitum soluti cum soluta modo una, modo altera; concubinatus vero exercetur erga eamdem personam, ac si esset conjux. Grave profecto atque periculosissimum peccatum dici debet concubinatus; quia concubinarius non tantum peccat, sed etiam perseverat in statu peccati mortalis: unde concubinarius ordinarie non debet absolvi, nisi dimissa concubina.

Tridentinum Concilium adversus quemcumque concubinarium tulit pœnam: 1 excommunicationis ferendæ sententiæ post trinam monitionem: 2 ejectionis extra oppidum vel etiam extra Diœcesim implorato auxilio brachii sæcularis (2). Contra Clericos autem idem Tridentinum Concilium hoc statuit, ut post primam monitionem priventur tertia parte fructuum beneficii; post secundam priventur pensionibus et beneficii administratione: post tertiam ipso beneficio; dein excommunicentur: tunc poterit quoque Episcopus eos tradere curiæ sæculari (3). Notandum tamen ex declaratione S. C. C. nomine *fructuum* non intelligi distributiones quotidianas (4). — In Synodis autem ferme omnibus, uti in Novariensi (pag. 322), concubinatus reservatus est, licet occultus, licet habitus cum conjugata persona, modo quadam actuum frequentia (sive domi propriæ sive alibi) per integrum annum, ac si delinquentes essent conjuges, duret. Item hoc scelus carcere punitur Codice pœnali (5).

Quæres: *An aliquando possit absolvi concubinarius, qui cuncubinam ejicere e domo non potest sine scandalo aut infamia?* — Communiter loquendo non est absolvendus: quia in diuturno concubinatu est moraliter impossibile, rem aliis non fieri notam; ideo potius scandalum est, si eam non dimittat.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 447; et l. VI, n. 847.
(2) Sess. 24, c. 8. (3) Sess. 25, c. 14. (4) *V.* Liguori, *Opus Mor* l. III, n. 442.
(5) Art. 437 et 539. — *C. A. pœn.* p. 2, §§ 254 et seqq.

Non negant tamen Salmanticenses in aliquo casu rarissimo posse absolvi, v. g. si aliter non possit revera vitari grave damnum famæ vel fortunæ; sed tunc omnino expedit, ut saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia pœnitentis. Excipe, nisi pœnitens jam satis dispositus non amplius redire posset ad se confitendum, vel si ad vitandam positivam infamiam immineret necessitas communicandi.

Utrum vero extra prædictum rarissimum casum infamiæ aut scandali possit absolvi concubinarius antequam concubinam dimittat, si sedulo eam dimittere promittat, non una est sententia. Alii cum Sancio concedunt pro prima vel secunda vice; alii cum Navarro omnino negant etiam pro prima vice, quando occasio est proxima. Alii cum Salmanticensibus distinguunt: si concubinarius est publice notus, non est absolvendus etsi cum signis magni doloris, nisi concubinam dimittat (aut nisi postquam, concubina extra domum degente, per tempus notabile ad eam non accesserit); nam secus scandalum esset eum ad Eucharistiam accedere: et aliunde publicus peccator non debet absolvi, nisi etiam publice pœniteat et scandalo satisfaciat. Si vero concubinarius est occultus, nec etiam absolvi potest, nisi in aliquo casu raro, puta si vir nobilis doleat profusis lacrymis, vel post terribilem concionem auditam, vel si confiteatur territus a morte socii, vel a magno periculo mortis evasus: quamquam hoc tantum admittendum puto, cum est moraliter impossibile quod concubina ante absolutionem brevi dimitti possit, vel quando urget necessitas communicandi ob vitandam magnam infamiam.

An (quæres) *concubina, quæ a concubinario sustentatur, possit absolvi antequam e domo illius discedat?* — Recte negant: excipe 1 si ex discessu grave ei evenerit damnum, v. g. infamia vel aliorum scandalum; 2 si ipsa nequiret manuum labore se alere, aut in alia domo deservire, aut mendicare sine dedecore vel alio gravi incommodo (emendicare autem illi, quæ non est ad id assueta, semper magnum incommodum afferre videtur). Verum regulariter semper etiam est differenda absolutio usque ad emendationem.

An quis (addes) *teneatur tollere occasionem proximam peccandi cum concubina, etiam cum suo gravi damno temporali, puta si amasius debitor esset concubinæ in magna summa?* — Probabiliter amasius occasionem illico auferre non tenetur, si non possit solvere sine magno detrimento suæ famæ vel sui status, ita ut in gravem necessitatem redigeretur. Verum semper expedit omnino, ut differatur absolutio usque ad emendationem; quia experientia nimis constat, quod (ea obtenta) difficulter occasio postea auferatur, et facillime reditur ad vomitum. Et si hæc dilatio non juvat, occasio omnino auferenda est: nam omnes divitiæ nihil sunt in comparatione animæ (1).

Q. 4. *Quid est stuprum?*

R. Stuprum definitur: *illicita defloratio virginis, ipsa invita* (2). Hoc au-

(1) Quod dicitur de concubina, idem ferme valet de alia muliere suspecta, cujus retentio scandalum daret, licet cum ea non peccetur. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 435 et seqq. Et *de l'œ-nitentia*, ubi de *occasionariis et recidivis*.

(2) Hic virginitas non sumitur pro virtute; sed pro integritate carnis, quatenus nempe fœmina numquam claustrum seu signaculum virginitatis, uti dicunt, violavit: unde stuprum adhuc est in illa, quæ delectationibus venereis, vel mollitie jam polluta fuit.

tem peccatum habet malitiam specialem et propriam ; quia præter fornicationem continet gravissimam injustitiam et injuriam opressæ virgini irrogatam ; stuprator enim aufert carnis integritatem, legitimas impedit puellæ nuptias, eamque ponit in via meretricandi (1). — Stupri reus censetur etiamsi quis personam ebriam, fatuam aut dormientem sine prævio ejusdem consensu oppresserit ; nam tunc persona illa censetur interpretative repugnare. Imo etiamsi virgo fraude (v. g. falsa matrimonii aut magnæ dotis promissione, vel gravi metu etiam reverentiali) fuerit ad malum inducta ; quia licet ipsa quoque peccet consentiendo, talis tamen ejus consensus extortus fuit per gravem injuriam, nempe per vim moralem. Imo quamvis communius sit, stuprum per se non esse speciale peccatum a fornicatione distinctum, si virgo plane consentiat (2), quia consentienti proprie dicta injuria non irrogatur ; erit tamen specie diversum a simplici fornicatione, si inde interveniat dedecus ac mœror parentibus, in quorum custodia erat puella juxta illud : *filiæ tibi sunt? serva corpus illarum* (3). Et tunc erit declarandum, ratione damni, quod patratum est contra pietatem familiæ debitam.

Pluribus in Synodis, ut in Novariensi (pag. 324) reservata est *copula carnalis cum innupta vi metuve, aut ficta promissione dotis vel matrimonii extorta*. Imo etiam Codice pœnali hispano graviter stuprator punitur. (4)

Q. 5. *Quid est raptus?*

R. Raptus dupliciter committitur : vel violenter abducendo fœminam repugnantem de loco in locum matrimonii contrahendi causa ; vel abducendo virum, aut fœminam libidinis explendæ causa de loco tuto ad non tutum per vim aut metum gravem illatum aut ipsi personæ raptæ, aut iis quibus illa subest, id est parentibus, aut tutoribus, aut viro. Si 1. raptus non solum grave peccatum est ; sed est quoque impedimentum matrimonii dirimens ; atque gravissimæ pœnæ in ipsum jure Canonico constitutæ sunt. Si 2, raptus nedum dirimat conjugium, imo ex Tridentino (5) raptor tenetur raptam ducere aut dotare, nisi sit meretrix vel malæ famæ : quod non tam est pœna, quam justa compensatio. Est autem talis raptus peccatum mortale et luxuriæ, cum nempe intentionem contineat adeo libidinosam ; et injustitiæ tam

(1) S. Thomas, 2. 2, q. 154, a. 6.

(2) Ita sentiunt Bannex, Barbosa, Diana, Dicastillus, Lessius, Salmanticenses, Sanchez, Suarez, aliique contra Collet, Dens, Sylvium, Billuart, etc. Quod movet adversarios, est violatio claustri, cui porro bono puella non habet facultatem cedendi. Verum quod ab homine signaculum virginale rumpatur, virgine ipsa consentiente, et alia circumstantia precisa, in eo solum natura offenditur, quod illa violatio fiat extra matrimonium (certe enim in matrimonio id liceret.) Ergo malitiam in eo tantum stat quod concubitus fiat a viro non suo ; sed hoc induit tantummodo malitiam simplicis fornicationis. Adde : in contraria sententia puella de delectationibus venereis se accusans, dicere deberet, an sit necne virgo. Similiter vir, qui mulierem concupivit, declarare deberet an illam judicaverit virginem vel corruptam : hoc porro intollerabile foret, et communi pœnitentium ac Confessariorum praxi adversatur. Hanc difficultatem sentit Billuart qui ideo cum Wiggers, Boudart, et Duelman vult, circumstantiam virginitatis in voluntario stupro addere quidem malitiam specialem ; sed tantum venialem, quæ ideo non est necessario aperienda. Et testatur, se antequam huic opinioni adhæsisset, graves passum esse, et aliis creasse molestias in interrogationibus istis et raro sibi satisfactum.

(3) Eccli. 7. — *Vid.* Liguori, *Homo Ap.* tr. IX, n. 14.

(4) Art. 366 et 367. (5) Sess. 21. c. 6. — *V.* De matrimonio, ubi *de raptu*.

contra personam ipsam quæ violenter abducitur, quam etiam contra parentes aut alios quoscumque, quarum in potestate persona illa constituta est.— Si vero puella sponte discedat cum amasio, non raptus, sed fuga appellatur, quæ nullam addit malitiam specie distinctam a fornicatione (1).

Q. 6. *Quid est adulterium?*

R. Adulterium sic dictum, quasi *accessio ad alienum thorum*, definitur communiter: *concubitus illicitus viri cum muliere, quorum alteruter vel uterque sit conjugio ligatus.* Committitur adulterium tribus modis: 1 dum solutus accedit ad conjugatam; 2 dum soluta accedit ad conjugatum; 3 dum conjugatus accedit ad conjugatam.—Est autem peccatum grave tam contra castitatem, quam contra justitiam, nam ex Apostolo: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde idem Apostolus monet: *nolite errare; neque fornicarii, neque adulteri... regnum Dei possidebunt* (2). Hoc grande scelus vel ipsi gentiles detestati sunt ac prohibuerunt, uti Solon apud Græcos, Romulus apud Romanos. Quod si fœmina adultera sit conjugata, gravius committit peccatum, quam si solus vir: idque ob incommoda graviora, quæ inde solent exoriri, uti est incertitudo prolis, impedimentum generationis, etc. Si vero uterque sit conjugio ligatus, malum adhuc gravius erit; quia duplex irrogatur injuria in utriusque conjugem: ideoque in Confessione id erit omnino aperiendum. — Pœnæ in adulteros ex jure Canonico sunt: 1 quod non possint adulteri compellere innocentem partem ad debitum reddendum: æquum est enim, *ut frangenti fidem nulla fides servetur;* 2 quod adsit jus in comparte innocenti divortium petendi; si tamen adulterium fuerit consummatum, certum, formale, alterutrius, non collaudatum neque remissum. Et Codice pœnali hispano adulter mulctatur pro rerum adjunctis (3).

Quid (quæres) *si in adulterium uxoris maritus consentiat?* — Adhuc uxor erit adulterii rea, quia conjuges in hoc non possunt valide et efficaciter juri proprio renuntiare; cum renuntiare nequeant statui matrimonii, cui tale jus ex natura sua inviolabiliter inhæret. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 50 propositio: *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum* (4). — Notandum autem: in pluribus Synodis, uti in Novariensi (pag. 324), pœna reservationis infertur marito, qui uxori legitimæ *dictis, vel factis libere omnino præstat consensum, ut alteri sui copiam faciat, si effectus sequatur, id est copula.*

Q. 7. *Quid est incestus* (5)?

R. Incestus definitur: *concubitus illicitus inter personas cognatione sibi invicem conjunctas.* Hæc cognatio quadruplex distinguitur: oritur enim vel

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 144. — Ipse Codex pœnalis hispanus animadvertit in raptores, ut videre est art. 368 et seqq.

(2) 1 Cor. 7, et 6; it. Eccli. 23.

(3) Art. 358 et seqq.

(4) Imo est commune et probabilius ipsum maritum etiam cum propria uxore adulterium committere posse, si nempe eam sodomitice cognoscat; nam hoc est contra bonum datæ fidei, quod igitur est in Confessione explicandum. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 445.

(5) Juxta aliquos incestus ex generali vocabulo idem est ac *non castus.*

ex sanguinis communione, et dicitur consanguinitas; vel ex copula carnali et dicitur affinitas; vel ex Baptismo ac Confirmatione, et dicitur cognatio spiritualis; vel ex adoptione legali, et dicitur cognatio legalis. Omnia autem hæc semper præ oculis habenda; nam carnale peccatum cum talibus conjunctis perpetratum præter luxuriæ fœditatem, continet turpitudinem specialem; quia est contrarium reverentiæ propinquis debitæ. Hinc in sacra Scriptura incestus *res nefanda* dicitur, et *morte dignus* incestuosus (1). Imo non solum copula, sed omnes etiam tactus impudici inter conjunctos induunt naturam incestus in Confessione necessario explicandi; semper enim est contra pietatem, quam ipsi conjuncti sibi mutuo debent (2).—Pœnæ in incestum formalem et completum (3), ex jure Canonico in 1° et 2° affinitatis gradu, est privatio juris debiti petendi. Et in Synodis Diœcesanis, ut plurimum (uti Novariensi, pag. 322) incestus reservatur, si contingat inter consanguineos in 1° et 2° gradu lineæ tum recte tum transversalis; vel inter affines in 1° gradu; et inter cognatos spirituales. Gravissime tandem incestus punitur in ipso Codice pœnali patrio.

Sed (quæres) *an omnes memorati incestus differant inter se essentialiter, an vero sint ejusdem speciei?*—Certum est incestus inter cognatos spirituales et legales, tum a se invicem, tum ab incestu inter consanguineos et affines differre; cum uterque attingat objectum specie diversum. Nempe incestus in cognatione legali quamdam tantum habet similitudinem cum irreverentia erga parentes: per copulam vero cum cognatis spiritualibus ex D. Thoma committitur *sacrilegium ad modum incestus*, cum ea propinquitas sit in reverentiam Sacramenti inducta (4): unde in Confessione qualitas incestus vel legalis vel spiritualis est aperienda, ut tota ac propria malitia innotescat. —Utrum vero specie etiam differant inter se incestus inter consanguineos et affines, alii probabiliter affirmant; quia una propinquitas est intrinseca ab identitate sanguinis, altera extrinseca a copula. Alii probabilius negant; cum materialiter se habeat, quod una sit a sanguine, altera a copula; quia uterque incestus semper eodem pietatis motivo prohibetur. Hic Angelicus Doctor habet: *ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas.*

Quid vero (dices) *de variis gradibus ejusdem incestus? Estne inter se diversæ speciei gradus unus ab alio, ut debeat declarari graduum diversitas seu distantia in Confessione* (5)?—Quod primo pertinet ad cognationem legalem varii hujus cognationis gradus, uti docent probabilius, inter se non differunt specie. Nam per se non adest naturalis ac diversa difformitas in uno, quam non sit in alio gradu: cum id positivo tantum jure inductum sit.—Incestus pariter cum affinibus quoad diversos gradus est commune esse ejus-

(1) Lev. 20.

(2) Copula inter personas, quæ ob impedimentum honestatis publicæ matrimonium secum inire non possunt, ad incestum revocatur. Similiter tutor, qui pupilam suam corrumpit, quandam speciem incestus admittit.

(3) *Formalis* est quando ille qui peccat, scit eam personam quacum peccat, sibi esse cognatione conjunctam; *completus* est quando fit seminatio intra vas. (4) 2, 2, q. 154, a. 10.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 460.

dem speciei ex paritate rationis ; si tamen excipiatur incestus inter privignum et novercam, interque socerum et nurum, cujus quidem illico concipitur horrenda deformitas.—Tandem quod pertinet ad gradus consanguinitatis, quoad primum gradum lineæ rectæ, id est quoad incestum cum matre vel patre, videtur omnino tenendum, istum ab aliis differre specie ; cum hic exhibeat quamdam et specialem inordinationem, atque deformitatem in se (1). Imo recte dicunt Lugo et Continuator Tournely explicandum esse, an pater peccaverit cum filia ; vel an cum matre filius, cujus culpa habet diversam malitiam ratione reverentiæ matri debitæ.

Quoad cæteros autem gradus consanguinitatis, disputant. Alii cum Lessio, Lugo et Sanchez dicunt, specie differre etiam primum gradum lineæ transversalis ; natura enim ipsa refugit maxime commixtionem inter fratres et sorores. Alii cum Laymano, Suarez et Vasquez tenent, omnes gradus usque ad quartum speciem diversam constituere ; quia major debetur reverentia proximiori gradui, quam remotiori. Alii cum Cajetano, Navarro et Pontio docent, primo excluso lineæ rectæ, cæteros gradus specie non differre ; sed tantum continere circumstantiam aggravantem. Ratio, quia prohibitio commixtionis conjugalis inter personas, excepto primo gradu lineæ rectæ, non oritur ex lege naturali (olim enim filiis Adam licitum fuit cum suis sororibus copulari), sed ex prohibitione Ecclesiæ : porro per solum jus naturale specifica diversitas non constituitur. Pro hac ultima sententia videtur indubitanter esse Angelicus (2), qui docet, quod præter parentes, cæteræ personæ non habent ex se ipsis indecentiam, si conjungantur (3).

Q. 8. *Quid est sacrilegium in materia luxuriæ* (4)?

R. Sacrilegium in materia luxuriæ est *violatio rei, loci vel personæ sacræ per actum venereum.* Grande peccatum est : dictat enim recta ratio, sancta sancte tractanda esse ; et duplicem malitiam continet, nempe contra castitatem et contra Religionem.

1. Circa *rem* erit sacrilegium omnis actus luxuriosus, qui Christum Dominum lædat sub aliqua re specialiter exhibitum. Hinc sacrilegus erit quicumque actus luxuriosus tam interior quam exterior in eo, qui vel Eucharistiam gestat, vel Communionem distribuit, vel sacris indutus vestibus procedit ; iste enim Christum ipsum speciali ratione iis in rebus exhibet. Item sacrilegus est qui infra mediam horam post Communionem se polluit ; gravem enim injuriam irrogat Christo in Sacramento. Non tamen committeret sacrilegium, qui turpiter peccaret Reliquias gestando ; nam istæ non specialiter Christum repræsentant (5).

2. Circa *locum*, sacrilegium erit omnis actus luxuriosus exterior patratus

(1) De cognatione spirituali, non loquimur, cum in ea nulla gradus distinctio.

(2) 2, 2, p. 154, a. 9.

(3) Secunda sententia est minus probabilis ; aliæ æque probabiles videntur ex S. Alphonso. *Op. Mor.* l. VI, n. 470.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 454 et seqq. *Homo Ap.* tr. IX, nn. 20 et seqq. Pœnæ in sacrilegos latæ *V. De Virtute Religionis,* disputatione 3 ubi de sacrilegio in genere. Hic agitur tam de perfecta, quam de imperfecta luxuria.

(5) Item neque qui Reliquias daret amasiæ, titulo tamen simplicis donationis, uti docent Salmanticenses, Filliucius, Azor aliique multi contra Concinam.

in loco benedicto et deputato tum ad mortuos sepeliendos, tum ad officia divina celebranda, a tecto nempe usque ad pavimentum, exclusis tamen cellis, claustro, Sacrario, dormitorio, tecto super Ecclesiam, janua extra atrium ejusdem et atrio (1). Excluduntur etiam Oratoria privata, cum non habeantur uti veræ Ecclesiæ. Sicuti vero per voluntariam sanguinis, ita et per seminis voluntariam effusionem polluta remanet Ecclesia, adeo ut esset abstinendum a Divinis (si id innotescat), donec ipsa reconcilietur (2). Quod communius et probabilius dicunt valere etiam de copula maritali; quia semper graviter sanctitudini hæc copula disconvenit (3).

3. Circa *personam*, sacrilegium est omnis actus luxuriosus tam exterior, quam interior in persona, vel cum persona voto castitatis ligata. Et si peccatum sit personæ sacræ cum aliam item sacra, duplex erit sacrilegium; quia dupliciter tunc offenditur Religio, peccato nempe proprio et peccato alterius, cui utrique uterque peccans cooperatur.—Qui castitatis voto obstrictus alteri suadet peccatum carnale, sacrilegii item reus evadit, si illum ex positivo libidinis affectu suadeat; jam enim directe in illam peccaret. Secus si induceret alio finem, quia votum propriam tantum respicit castitatem: unde tunc tantum scandalo peccaret: ita Billuart, Dens (4), etc.—Religiosus professus, qui *sit etiam in Sacris*, *si castitatem lædit*, probabilius unum tantum committit sacrilegium; tum quia constitutus in Sacris probabilius et verius tantum ratione voti Ordini adnexi tenetur ad castitatem, uti colligitur ex jure Canonico (5): tum quia talis, etsi teneretur ad castitatem ex solo Ecclesiæ præcepto, attamen adhuc contra solam Religionem peccat: cum Ecclesia ex motivo tantum Religionis castitatem præcipiat, ideo unum tantum sit motivum illius servandæ.

An (inquires) *verba*, *tactus et aspectus turpes in Ecclesia sint sacrilegia?* Affirmant probabilius, licet absit periculum pollutionis; si tamen illi actus externi sint graviter turpes. Nam tunc ipsi per se continent deformitatem externam gravem contra reverentiam loci sacri.

(1) Item caveis fabricatis sub pavimento, nisi sit locus sepulturæ vel divinorum officiorum, ait *Gousset*. Item turri campanarum, si ab Ecclesia et cæmeterio sit sejuncta; et choro monialium ab Ecclesia separato. (2) C. unic. *de consecr. Eccl.* in 6.°

(3) Merito tamen a mortali excusant conjuges, vel si sint in periculo incontinentiæ vel si diu remanere deberent in Ecclesia, nempe probabilius ad 20, vel 30 dies. Nam non censetur velle pia mater Ecclesia eos obligare ab abstinendum cum tanto incommodo.

(4) Qui votum castitatis pluries iteravit, aut votum simplex voto solemni addidit, non ideo multiplex committit peccatum illud violando; unica quippe est obligatio. Ita Bouvier, qui tamen addit, circumstantiam solemnitatis in voto notabiliter aggravare peccatum juxta probabilem multorum sententiam. — Hinc etiam communius dicunt contra Voit, quod si Sacerdos inquinatus impuritatibus, dum ad Confessionem accedit, fingit se esse laicum, voto tamen castitatis obstrictum, valide confitetur; cum adhuc sufficienter adaperiat voti ligamen: solemnitas autem addita voto speciem non mutet, sed aggravet tantum. Utique totum verum Sacerdos non confitetur; adhuc tamen sufficienter aperit circumstantiam de necessitate aperiendam pro Sacramenti valore: unde si aliud non obstet, etiam dato quod mentitus sit iste Sacerdos, id tamen culpæ venialis rationem non egreditur, sicque Sacramentum non infirmat. Neque obstat perfectionem a solemni voto importatam majorem esse debere illa laici simplici castitatis voto obstricti; cum hæc major vel minor perfectio per peccatum amissa peccatum de una in aliam speciem non transferat. Ita Palaus, Lugo, ac Resolutio Casuum sub Benedicto XIV.

(5) Cap. *Cum olim.* de Cler. conjug. — Liguori, *Homo Ap.* tr. IX, n. 20.

Sed quid (dices) *de luxuriosis et gravibus cogitationibus in Ecclesia habitis? suntne sacrilegia?*—Vel cogitationes hujusmodi continent desiderium deliberatum peccandi in ipsa Ecclesia, tametsi occulte; vel peccandi extra. Si 1, habetur sacrilegium ob rationem gravis irreverentiæ erga domum Dei quam *decet Sanctitudo in longitudinem dierum* (1). Quod valet, quamvis extra Ecclesiam pravum illud desiderium habitum fuerit; quia terminum haberet ad locum sacrum. Si 2, nulla erit sacrilegii macula; cum tunc peccatum non ordinetur ad Ecclesiæ violationem. Ita Dens, Navarrus, Suarez aliique.

§ II—*De luxuria perfecta non naturali seu contra naturam.*

Species luxuriæ perfectæ contra naturam sunt: 1 *pollutio* seu *mollities*; 2 *sodomia*; 3 *bestialitas*; 4 *indebitum concumbendi modus* (2). Singulæ species invicem differunt natura sua; quia specialem includunt deformitatem. Unde Alexander VII hanc sub n. 24 damnavit propositionem: *mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.* Et hæc omnia detestatur Apostolus, et *immunditiam* vocat (3).

Q. 1. *Quid est pollutio, quotuplex et an mala?*

R. Pollutio generatim accepta definitur communiter: *humani seminis effusio sine congressu cum alio.* (4) — Pollutio dividi solet: 1 in *simplicem*, et ea est, quæ nullam aliam malitiam habet adjunctam: ut cum quis nullo vinculo ligatus, sed solutus, in sua delectatione sistens se polluat: 2 in *qualificatam*, et est quando præter suam, aliam malitiam habet, ut si quis, puta, vinculo castitatis ligatus uno actu se polluat cogitando de consanguinea conjugata. Peccat non tantum peccato pollutionis; sed etiam sacrilegii, incestus et adulterii: quæ omnia sunt distincte aperienda; 3 in *voluntariam* tum in se, tum in causa, prout in se intenditur directe, vel in aliquo voluntarie posito, quod ipsam causet; 4 in *involuntariam*, si nempe absque cooperatione voluntatis contingat, sed ex causis mere naturalibus, v. g. ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum, aut ex dispositione nervorum, etc. De hac porro nulla quæstio cum peccaminosa non sit; sed

1) Ps. 92.

(2) Ita Angelicus, 2, 2, q. 154, a. 11. De modo indebito concumbendi, qui evenit quando servatur identitas specici, sexus diversitas et debita organa naturæ, (sed tamen fit modo inordinato . erit de *Matrimonio*. (3) Rom. 12.

(4) Sive effundatur foras, ut in maribus; sive intus defluant in matricem, ut in fœminis. Sed quoad fœminas audiatur. *Examen raisonné*; «in fœminis nullum proprie dictum semen vident nunc saltem generaliter medici in humore, qui ad intra vel extra in eis effunditur; et dicunt sat unanimiter Theologi (et etiam medici, ut mihi dixit celebris medicus auctor) illud semen improprie dictum non esse ad generationem necessarium. Quidquid sit, pollutæ cognoscuntur fœminæ cum.. etiam sine ulla effusione, magnum plus minusve ratione complexionis, experiuntur sensum voluptatis, qua completa, satiantur ac quiescunt. Sensus hic, qui incipit in partibus venereis, et spasmi et collapsus majoris vel minoris speciei, proprieque seminatio in fœminis, sive ejus indicium. In pluribus iteratur, sæpe multoties iterata causa. *Theol. pract. et Billuart.*»

Si fœmina ad se polluendum utatur aliquo instrumento, hæc circumstantia videtur explicanda, si eo utatur uti membro viri.

habeatur uti naturalis effectus, prout sudor vel sanguinis effusio e naribus.

Certum est pollutionem etiam simplicem voluntariam esse intrinsece ac graviter malam; repugnat enim fini, ad quem ordinatum est semen humanum: homo enim non potest membris suis uti prout ipsi libet, sed in eum tantum finem qui est a naturæ Auctore dispositus. Videlicet si fornicatio mala est, quia adversatur prolis educationi: a fortiori mala erit pollutio, quæ adversatur ipsi prolis generationi. Hinc legimus Deum percusisse Onan (a quo turpissimum scelus nominari cœpit); quia *semen fundebat in terram*, eo quod *rem detestabilem faceret*, quæ nempe natura sua erat iniqua (1). Hinc Apostolus ait: *neque adulteri, neque molles... regnum Dei possidebunt* (2). Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 49 propositionem: *mollities jure naturæ prohibita non est.*

An (quæres) *liceat ponere actionem de se honestam ac licitam, ex qua tamen prævidetur secutura pollutio?*

R. Si nulla adest causa necessitatis, utilitatis aut commoditatis ponendi illam actionem, etsi in se honestam ac licitam, nefas est eam ponere; nam rationalem creaturam dedecet sine justa causa pollutionem etiam indirecte admittere. Si vero aliqua honesta causa adest, actio illa licite poni potest, etsi in pollutionem influat. Dummodo tamen: 1 pollutio ab agente nullo modo intendatur; intentio enim mala malum opus facit; 2 quodcumque excludatur periculum in eam consentiendi; tunc enim habetur potius passio, quam actio, casu quo ipsa pollutio eveniat (3). Neque certo tunc pollutio dici potest procedere ex malitia; cum procedat evidenter ex naturæ infirmitate. Sane: quis incusaret Titium, qui ad commodius iter agendum equitat, ad commodius quiescendum in lecto elastico decumbit, si equitando vel sic quiescendo talem in se experiatur effectum, sed omni remoto periculo consensus? Ita Billuart, Bouvier, Gousset, aliique omnes cum D. Thoma, qui ad rem habet: *nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione; alius vero sit præter intentionem* (4).

(1) Gen. 38. (2) 1 Cor. 6.

(3) Hic audiatur Cajetanus: « doctores et confessores vacantes cogitationibus vel auditionibus operum turpium intuitu pietatis, non peccant subsequentibus corporalibus pollutionibus contra eorum voluntatem, quia licet possint, non tamen debent subtrahere se ad operibus sanctis propter hujusmodi, quæ sequuntur ex necessitate memoriæ. »

(4) 2, 2, q. 61, a 7. — « Hinc (ad rem concludit Alphonsus noster, *Homo Apost. tr.* IX, n. 34) etiam prævisa pollutione (intellige semper involuntaria):

« 1° Licet Confessariis excipere Confessiones, et tractatus legere de rebus turpibus. Item chirurgis aspicere et tangere partes fœminæ ægrotantis, ac studere rebus medicis: ita communiter « D. Antoninus, Navarrus, Cajetanus, Petrocorensis, Sanchez, Bonacina, Anacletus, Sporer, Sal- « manticenses, Holzman et alii plures cum D. Thoma. Idque admittunt Navarrus, Hurtadus, « Roncaglia, Salmanticenses, Elbel, Sporer, etc. etiamsi aliquis chirurgus ex officio medens, vel « Parochus excipiendo Confessiones aliquoties in pollutionem consenserit, modo proponat in futu- « rum convenientibus mediis se præcavere ad peccatum vitandum. Secus vero dicunt de *de sim- « plici Confessario*; hic enim tenetur eo casu abstinere ab audiendis Confessionibus, si possit sine « gravi suo damno. — Imo si Parochus vel chirurgus in iis occasionibus semper vel fere semper « lapsus fuerit, et non appareat nova probabilis spes emendationis, hic omnino tenetur etiam cum « jactura vitæ officium deserere.

« Sic etiam 2° dicunt quamplurimi, uti Cajetanus, Bonacina, Layman, Sanchez, Navarrus, Fil-

Sed (quæres) *quale peccatum committit qui absque justa vel necessitatis vel utilitatis vel commoditatis causa ponit actionem, ex qua prævidet pollutionem esse secuturam?* — Vel actio sine justa causa posita influit proxime et graviter in pollutionem, vel tantum remote et leviter. Si 1, actio erit peccatum mortale, licet in se pollutio intenta non sit; quia lex naturalis pollutionem graviter prohibens, obligat etiam sub gravi ad non ponendas actiones proxime et per se in eam influentes. Si 2, non erit nisi culpa venialis, modo pollutio non fuerit intenta, nec extiterit consentiendi periculum; quia cum ea non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu mala est, quo est mala ipsamet causa. In hoc scilicet casu pollutio, quæ prævidetur secutura, a causa potius naturali videtur procedere, quam a causis illis leviter et remote in eam influentibus.

Porro actiones seu causæ *proxime* in pollutionem influentes sunt eæ, quæ per se, directe et natura sua ad pollutionem tendunt, eo fere modo quo dicitur causa per se mortis inflictio vulneris lethalis; atque idcirco gravem culpam constituunt in genere luxuriæ. Sunt v. g. voluntarius aspectus concubitus humani, colloquia inhonesta, lectio vel auditio rerum valde turpium, cogitationes morosæ de rebus venereis, tactus turpes in pudendis et similia. Omnes ideo actiones istæ, vel pollutiones inde provenientes proculdubio peccata mortalia dicendæ sunt, si absque causa proportionata necessaria vel utili actiones illæ ponantur: quia natura sua tales sunt, ut valeant graviter incitare ab libidinem. Ita communiter cum S. Thoma.

Actiones vero seu causæ in pollutionem influentes *remote* tantum illæ dicuntur, quæ per se ac directe non tendunt in pollutionem, ac proinde non constituunt, nisi culpam levem in genere luxuriæ: vel gravem quidem per se, sed non in genere luxuriæ, bene vero in materia diversa. Est v. g. esus vel potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis cum puella, crapula, ebrietas aut carnium comestio nimis immoderata; item audire Confessiones fœminarum, studere rebus venereis; denique omnes aliæ actiones sive licitæ de se, sive illicitæ extra genus luxuriæ, ex quibus nihilominus solet oriri pollutio. Has porro, uti communiter et probabilius docent cum S. Antonino Anacletus, Elbel, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sylvester, Suarez aliique, non tenemur sub gravi evitare; ideo quia graviter non influunt, nec per se in ipsam pollutionem.

« liucius, Salmanticenses, Sporer, Croix, Busembaum, Villalobus, Ledesma, Marchantius, Trul-
« lench, etc. licere iis, qui magnum patiuntur pruritum in verendis, tactu illum abigere, etiamsi
« pollutio sequatur. Recte vero id prohibet Roncaglia, si pruritus non sit valde molestus, quam-
« vis permittat cum abigere cum aliqua tantum commotione. — Nihilominus non facile credatur
« quibusdam puellis, quæ tactibus se polluere solent, prætextu hujusmodi ardoris; nam si diligen-
« ter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse, vel a pravis cogita-
« tionibus præhabitis, vel ab habitu pravo contracto se tangendi.

« 3° Dicunt etiam Castropalaus, Layman, Sanchez, Armilla, Lessius, Azor, Navarrus, Vas-
« quez, Bonacina, Anacletus, et Salmanticenses, licere equitare causa utilitatis: et etiam recrea-
« tionis, ut subdunt Sanchez, Layman Castropalaus. — Dicunt quoque Sanchez, Layman, Cas-
« tropalaus, Holzman, Sporer, etc. ex communi, unicuique licere decumbere in aliquo situ ad
« commodius quiescendum.

« 4° Demum dicunt s. Antoninus, Lessius, Toletus, Pichler, Salmanticenses Holzman, Sporer, etc.
« communiter, licere cibos aut potus calidos moderate sumere, et honestas choreas ducere.

Advertimus tamen actiones, quæ per se remote tantum in pollutionem influunt, posse influere proxime in eamdem *respective*, idest relate ad peculiarem alicujus infirmam dispositionem. Et tunc in eo tales actiones essent utique peccaminosæ mortaliter, ut valde probabiliter docent Roncaglia et Salmanticenses (1). Hinc qui frequenter pollutiones expertus est ex causis per se non graviter culpabilibus in materia turpi, puta ex curiosa inquisitione turpium verborum, ex aspectu picturæ non ita honestæ, ex coitu animalium, etc. tenetur eas sub gravi evitare. Unusquisque ergo conscientiam suam consulat, et ex propria inclinatione maxime vitiose acquisita, consideret ex qua causa sibi pollutionis vel malæ delectationis periculum immineat, ut cognoscat quæ causa respectu ipsius sit gravis, quæ non.

Quid (dices) *si quis patiatur pollutionem involuntariam ex lectione turpi peracta ob simplicem curiositatem, absque prava intentione et sine periculo se delectandi de rebus quas legit?* — Licet speculative loquendo iste videatur a mortali posse excusari; in praxi tamen eum non excusamus, maxime si ob talem lectionem jam alias et frequenter pollutionem sit passus. Nam respectu illius personæ lectio illa graviter in pollutionem influit.

Quid (inquies) *si semen humanum noceat? licetne illud expellere?* Negative, non licet illud expellere: actio enim seminis administra ad solam generationem a natura per liberum agentem permissa est. Neque juvat dicere, quod bene possunt expelli e corpore nostro cæteri humores superflui: disparitas est, quod cæteri humores dantur primario in bonum corporis, et ideo illius bono subduntur; at semen habet finem unicum a natura intentum, nempe generationem. Neque pars est superflua, sed virtus potentiæ generativæ (2).— Si tamen semen judicio medicorum transierit in materiam corruptam, tunc poterit medicinis expelli, etsi præter intentionem sequatur aliqua veri seminis effusio, uti affirmant communius et satis probabiliter Billuart, Bouvier, Layman et Sanchez contra Bonacinam, Croix et Lugo; quia tunc illa veri seminis effusio per accidens sequeretur, cum non intendatur directe. Intellige tamen: 1 si semen certo sit corruptum; in dubio non licet; nam verum semen est in possessione: unde nostrum est probare illud certo esse corruptum; ut possimus sine peccato expellere; 2 si alia desint remedia; cum enim hoc periculosum admodum sit, non est tentandum, nisi in extremis; 3 si fieri possit sine sensu libidinis, qui semper malus est. Hinc non licet id procu-

(1) Quod pertinet ad *motus inordinatos* hac de re, nempe de illis quibusdam partium genitalium commotionibus pollutionem plus minusve præparantibus, si illæ a voluntate nullimode pendent, uti sæpe evenit, nullusque illis præbeatur consensus, ab omni peccato sunt immunes. Hic unum notamus circa hujusmodi motus, qui a nobis non pendent: sæpe non expedit positivo conatu eisdem obsistere, tunc quippe phantasia ipsamet contentione exardescit... Tutius est Deum placide invocare, B. Virginem, Angelum custodem, Patronum aliosque Sanctos precari, ab objectis periculosis fugere, mentem ab imaginibus obscœnis tranquille evocare, alio convertere, et seria applicatione diversis et præsertim externis negotiis vacare.

(2) Quod si opponas illud aliquando a natura expelli, non ideo aliquid concluditur: quod enim a natura fit, non est contra naturam, sed ab Auctore naturæ; neque ideo fieri licite potest a nobis. Sic contra naturam non est, quod quis ex defectu virium moriatur; at esset, si quis ideo vires sibi vellet adimere. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 484.

rare tactibus ; quia confricatio de se tendit ad commovendos spiritus carnales, atque ad verum semen expellendum (1).

Q. 2. *Quid de pollutione in somnis habita?*

R. Pollutio in somno habita per se non est peccatum ; quia in somno nulla libertas est. Diximus *per se;* nam erit mortalis; 1 si ante somnum directe aut formaliter fuerit procurata, v. g. vel ideo calidam potionem sumendo, vel certo situ cubando; tunc enim esset pollutio voluntaria in causa; 2 si post somnum placuit, et approbata fuit ob delectationem veneream; tunc jam accederet formalis consensus. — Hic tamen duo notanda sunt: 1 cum pollutio contingit in somno, et seminis emissio contingit in vigilia semiplena, tunc etsi quædam adsit delectatio, cum tamen non sit plene deliberata, peccatum erit dumtaxat veniale ; 2 si seminis emissio incæperit in somno, sed consummetur in plena vigilia, modo non adsit in delectationem consensus vel proximum ejusdem periculum (quod ex præterita experientia facile poterit judicari), non tenetur emissionem illam quis in se cohibere, ne se morbi periculo exponat, videlicet semen coruptum violenter in se retinendo (2).

Q. 3. *Quid sentiendum de simplici distillatione?*

R. Hoc nomine intelligimus fluxum quemdam humoris medii urinam inter et verum semen, qui guttatim in parva quantitate decidit. Si distillatio hæc evenit præter intentionem, nempe sine ullo voluntario sensu carnis et sine spirituum commotione item voluntaria, nullum est peccatum ; neque plus oportet de ea inquirere, quam de simplici alio quocumque corporis sudore. — Si vero eveniat cum voluntario carnali sensu et cum spirituum generationi inservientium commotione, v. g. ex turpi colloquio, aspectu, tactu, etc. tunc erit peccatum mortale: esset enim inchoata pollutio. Adde: ipsa esse non potest sine magna carnis rebellione. Unde pro praxi recte advertit Sanchez, quod data opera etiam levem distillationem procurare mortale peccatum est; quia illa semper, vel ut plurimum, secum fert aliquam commotionem, et aliquantuli seminis effusionem, aut certe illius proximum periculum.

Q. 4. *Quid est sodomia, et quale peccatum?*

R. Sodomia perfecta definitur communius ac probabilius cum D. Thoma (3) : *concubitus ad non debitum sexum, nempe masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam.* Unde concubitus cum debito sexu, nempe masculi ad fœminam, sed extra vas naturale, erit adhuc sodomia, imperfecta tamen. Sodomia suum nomen accepit ab urbe Sodoma, quæ in tanti criminis pœnam igne a cœlo delapso fuit una cum suis incolis tota consumpta (4). Ex tali autem pœna criminis gravitatem facile colligere est: et sane illud vehementissime natura refugit. Talem ignominiam graviter quoque insectatur Apos-

(1) Nunc medici testantur semen non corrumpi, sed tantum non elaborari; ac proinde vanam esse hypothesim seminis corrupti et morbiferi.

(2) Adde illud retinere difficillimum esse: et ita communiter Theologi cum Concina. Expedit tamen pro avertendo quocumque periculo peccati, ut talis sese crucis signo muniat, ut mentem ad contraria convertat, ut Ss. Jesu et Mariæ Nomina invocet.

(3) 2, 2, q. 154, a. 11.

(4) Gen. 19.

tolus (1). *Horrendum scelus* sodomiam appellat Pius V. Et Chrysostomus sodomitas eloquentia sua conterit infamiores ipsis canibus eos dicens (2).

Debet autem necessario pœnitens aperire in Confessione circa sodomiam: 1 qualis fuerit persona, quacum peccaverit, an sacra, conjugata, consanguinea vel affinis; idque ob specialem malitiam, quæ tunc superadditur vel sacrilegii vel adulterii vel incestus; 2 in sententia probabiliori tenetur etiam aperire, an fuerit agens an patiens; quia in primo contingit pollutio, non semper in altero; 3 an persona complex sit diversi vel ejusdem sexus; nam in sententia communiori perfecta sodomia est diversæ speciei ab imperfecta; cum sit major ac diversa deformitas contra naturam rationalem, non servare neque debitum sexum, neque debitum vas.

Jure Canonico, si sodomitæ sint laici, excommunicationi subduntur ac declarantur infames (3): si Clerici vel Religiosi, ex Bulla *Horrendum* S. Pii V, privantur omni officio, omni beneficio atque privilegio clericali. Verum sodomitæ has pœnas non incurrunt, nisi sodomia sit: 1 *perfecta*, nempe cum alio ejusdem sexus; 2 *completa*, nempe consummata intra vas: lex enim in odiosis est strictæ interpretationis (4); 3 *frequentata*, nam Bulla loquitur *de exercentibus sodomiam*. Hanc pœnam probabilius incurrunt etiam patientes; cum ipsi quoque vere sint sodomitæ (5). Solet etiam ab Episcopis hoc crimen reservari, uti reservatum est in Synodo Novariensi (*pag.* 321) si tamen perfectum sit atque completum.

Q. 5 *Quid est bestialitas, et quale peccatum?*

R. Bestialitas est *coitus cum bestia*. Nefandissimum scelus, et quidem gravius quocumque alio contra naturam; nam ibi non solum non servatur debitum vas aut sexus, sed neque debita species. In ejus autem execrationem statuebatur in Lege Veteri, ut homo simul et bestia trucidarentur (6). — In Confessione autem opus non est explicare qualis fuerit bestia; cum in genere morum id non referat: item non est opus, ut communiter et probabilius docent Azor, Potestas, Renzi, Tournely, etc. contra Croix et Elbel, quod explicetur an bestia illa fuerit mas aut fœmella; quia hic tota essentialis deformitas consistit in accessu ad diversam speciem: unde qualitas bestiæ, et sexus hac in re accidentalis est (7).

(1) Rom. 1.

(2) Hom. 14 *in Ep. ad Rom.* (3) C. 1 *de Excess. præl.*

(4) Etiam inter fœminas habetur completa sodomia, vel ope instrumenti, vel naturaliter eo modo, quo compleri potest, quoties nempe fit applicatio unius partis ad partem alterius cum aliqua seminatione intra vas. Ita Salmanticenses, Luraschi, etc.

(5) Non tamen incurritur ipso facto, uti verius dicunt (licet id in lege exprimatur); quia nulla pœna activa privans jure jam acquisito incurritur, nisi post sententiam saltem declaratoriam; cum nimis sit durum, ut quis debeat in seipsum gravem pœnam exequi.

(6) Lev. 20. Tactus impudici cum bestia licet proprie non sint peccata bestialitatis, tamen habent aliquam specialem turpitudinem, uti ait Elbel, saltem venialem. V. Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 475. De bestialitate caute, sed tamen semper interrogandi libidini multum, et sæpe etiam parum dediti; quia plures istorum æstimant illud sufficienter pollutione declarari. Aliunde quot inveniuntur qui cum illud semel aut iterum commiserint (forsan solum in prima adolescentia et potius ex quadam puerili, quam ex vehementi, quam ordinarie supponit, libidine) de illo diutissime in Confessione taceant! *Examen raisonné.*

(7) Congressus cum dæmone, ajunt communissime, reducitur ad bestialitatem; nam est con-

Bestialitas in omnibus ferme Synodis Diœcesanis reservata est, licet extra vas naturale expleatur, uti in Novariensi (*pag.* 321).

§ III — *De luxuria imperfecta.*

Luxuria imperfecta consistit in delectationibus, osculis, amplexibus, tactibus, aspectibus, turpiloquiis, comœdiis, saltationibus et similibus.

Q. 1. *Quid est, et quotuplex delectatio?*

R. Delectatio est *quietio appetitus in aliquo, quod placet.* Delectatio triplex est: alia spiritualis sive intellectualis; alia organica sive sensibilis; alia venerea sive carnalis. *Prima* est quietio appetitus spiritualis in bono extra sensus posito; talis est delectatio, quæ exurgit ex contemplatione veritatis. De hac nulla quæstio in hac materia. *Secunda* est quietio appetitus sensitivi in aliqua impressione grata; oritur nempe ex conformitate rei sensibilis cum organo sensus, quin tamen ullo modo commoveantur spiritus genitales. Talis est delectatio visus ex re pulchra, auditus ex musica, tactus ex lenitate, gustus ex sapore, odoratus ex suavitate. *Tertia* vero est quietio appetitus sensitivi sese oblectantis circa res ad generationem tendentes. Est nempe, ea quæ sentitur circa partes venereas, et oritur ex commotione spirituum genitalium (1).

An (quæres) *in delectatione circa hanc materiam detur parvitas?*

R. 1: Quod pertinet ad delectationem venereaam, in ea nullimode datur parvitas extra conjugium; talis enim deliberata delectatio est quædam semper inchoata pollutio, seu motus ad ipsam. Hinc Alexander VII damnavit hanc sub n. 40 propositionem: *est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.* Hinc non videmus quare non sit graviter improbandus qui delectando manum mulieris attrectat, digitos contorquet, pedem premit, etc.

R. 2: Quod pertinet ad delectationem sensibilem, speculative loquendo, est probabilis opinio Billuart, Gousset, Collet, Sylvii et aliorum, qui docent dari utique parvitatem materiæ hac in re; nam hæc delectatio, sistendo ibi et ex se, mala non est; cum ipse Deus eam sensibus pro fine legitimo annexuerit: unde erit tantum mala ratione periculi, quod quidem potest etiam leve esse. Hinc leviter tantum peccaret, uti dicunt, qui aspicit pulchram mulierem, aut tangit ejus manum vel faciem, præcise propter delectationem

gressus cum individuo alterius speciei, in quo est malitia bestialitatis. Imo est etiam culpa superstitionis, quia est societas cum dæmone. Imo habetur etiam malitia fornicationis aut sodomiæ affectivæ, si dæmon appareat in forma pueri, aut mulieris; et etiam adulterii aut incestus, si quis delectetur de coitu cum dæmone uti cum parente vel conjugata. — *V.* Liguori, *Homo Ap. tr.* IX, n. 28.

(1) Eadem persona potest esse objectum hujus triplicis delectationis. Si illa amatur ob dona naturalia intellectus, est *delectatio spiritualis;* si amatur ob quamdam excellentiam corporis, est *delectatio sensibilis;* si amatur ob voluptatem carnalem ad concupiscendam eam, est *delectatio venerea.* Hic etiam notamus, nomine *delectationis* intelligi omnes cogitationes malas in genere luxuriæ, scilicet desiderium, gaudium et delectationem morosam proprie dictam, de quibus speciatim *disp.* I, c. 2.

mere organicam seu sensualem, consistentem in quadam conformitate rei visæ vel tactæ cum organo visus vel tactus; ita ut non sit aliud quam delectatio de re pulchra quæ videtur, aut de re blanda, molli, tenera quæ tangitur, absque alia cujuscumque rei turpis delectatione.—Diximus *speculative loquendo;* nam in praxi est omnino tenendum contrarium cum Cajetano, Diana, Filliucio, Roncaglia et Salmanticensibus, quando delectatio sensibilis est cum plena advertentia et consensu circa objecta, quæ hac de re periculum inducere possunt. Nam ob corruptam naturam est moraliter impossibile, ut una alteri locum non faciat, maxime si delectatio illa sensibilis habeatur a personis ad copulam aptis, et maxime si ea sit cum aliqua mora et affectu (1).

Bene tamen advertit Continuator Tournely, aliud esse agere propter delectationem; aliud autem agere cum aliqua delectatione naturali, quæ de se consurgit ex qualitatibus corpori adnexis. Quia in hac potest quidem dari parvitas materiæ; cum directe ac per se non habeat rationem periculi proximi: puta in medico, qui ex necessitate mulierem tangit, modo (addendum) curet non sistere in tali delectatione, sed eam detestetur; alias jam quasi agere inciperet propter delectationem, quæ licet naturalis sit, non est tamem sejuncta a proximo periculo transeundi in carnalem (2).

Q. 2. *Quale peccatum sunt oscula, amplexus, etc. extra conjugium?*

R. Quadrupliciter hæc possunt extra conjugium habere locum: 1 ex intentione delectationis venereæ; 2 ex intentione delectationis sensibilis; 3 ex simplici consuetudine patria et animi benevolentia; 4 ex animi levitate, joco, curiositate vel petulantia.

1. Oscula, amplexus et similia, si fiant ex intentione delectationis venereæ, sunt profecto peccatum mortale; cum talis delectatio tendat ad luxuriam perfectam (3);—2 si hæc fiant ex intentione delectationis sensibilis, adhuc tenendum esse mortale peccatum; est enim seipsum exponere proximo periculo in delectationem carnalem labendi. Nam ob maximam naturæ corruptæ infirmitatem et ejusdem in luxuriam proclivitatem, difficile admodum est in sola illa delectatione sensibili ita immorari, ut etiam ad veneream non procedatur (4);—3 si hæc fiant tantum, vel ex patria consuetudine, vel causa officii aut benevolentiæ, vel alia intentione non mala, non erunt peccata, etsi delectatio venerea suboriatur, modo voluntas illam aversetur, et omne absit periculum proximum consentiendi. Non enim hoc in casu per se impudica dici possunt, vel tendere in actionem veneream;—4 si fiant ex animi levitate, joco, curiositate vel petulantia, cum supponantur in se honesta,

(1) Ipse Billuart ait, (*de temp.* diss. v, a. 2); *a delectatione sensuali ad venereum, maxime in sensu tactus aut visus, facilis est progressus.*

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 416; et *Homo Apost. tr.* IX, n. 2.

(3) Imo sunt ejusdem naturæ cum actibus luxuriæ consummatis: ideoque exprimendum est, utrum locum habuerint cum persona ejusdem an diversi sexus, conjugata an libera; quia attingunt objectum in suo esse individuali.

(4) Hinc merito communiter docent, delectationem sensibilem in praxi vix ac ne vix quidem a venerea separari. Ideo actus inde provenientes esse ut plurimum peccata mortalia, præsertim si exerceantur inter personas diversi sexus ad copulam idoneas, et sint cum aliquo affectu et mora, ut dictum est.

et tantum deficiant in modo, per se non erunt nisi venialia ; si tamen absit consentiendi periculum, nec scandalo, sint, uti essent scandalo si hæc fierent ab Ecclesiasticis. Si vero hæc crebro contingant, cum mora atque ardore, uti cum os ad os fiant quasi gustatis labiis vel lingua introducta, præsertim inter personas diversi sexus, erunt grave peccatum ; quia valde ad libidinem solent excitare, et facillime ad venerem declinant, attenta hominis fragilitate (1).

Q. 3. *Quid de tactu partis inhonestæ corporis proprii vel alieni?*

R. Ad 1 : Ad corpus proprium quod attinet, si tactus contingat ex necessitate vel ex fine aliquo honesto, v. g. ad abstergendas corporis sordes nullum erit peccatum, etsi venerea suboriatur tentatio, modo eam voluntas aversetur ; res enim honesta est, periculum vero remotum, nulloque modo volitum. Si vero nulla sit necessitas partem pudendam proprii corporis tangendi, neque finis aliquis honestus, sed tactus procedat ex levitate vel joco, culpæ non erit vacuus. Venialis erit, si obiter fiat, non repetitis vicibus, et absque periculo consensus venerei ; non enim tunc adest nisi aliqualis turpitudo. Mortalis vero, si fiat studiose, morose et cum proximo turpis concupiscentiæ periculo, ut patet.—Idem ad aspectum extendi debet.

R. Ad 2 : Quod ad corpus alienum spectat, regulariter a mortali excusari non potest qui absque necessitate tangit partes pudendas alterius, vel partes admodum vicinas, etiamsi persona illa sit ejusdem sexus, et tactus fiat super vestes. Quia talis actio, quamvis poneretur ex animi levitate, per se tamen et natura sua ad venerem excitat vehementissime, et naturali honestati valde adversatur (2). Diximus *regulariter;* quia si tactus hujusmodi contingerent inter impuberes ex levitate et joco, absque ulla delectationis venereæ intentione, a mortali poterunt excusari; cum in hoc casu non videantur in eamdem (saltem graviter) influere (3).

Quid (quæres) *de illo, qui permittit se ab alio turpiter tangi?*—Admittens tactus graviter impudicos peccat dupliciter et mortaliter ; tum quia consentit peccato alterius ; tum quia se exponit periculo turpis affectionis. Peccat pariter lethaliter admitens oscula, amplexus et vel ipsam manus contrectationem, nisi fiat ex more patrio, aut alio fine honesto, et absque ullo affectu

(1) Quare maxime esset exoptandum, ut actus hujusmodi præsertim inter viros atque mulieres e christianorum regionibus prorsus exularent ob periculum, quod iisdem inhæret, affectus libidinosi. — Cæterum non ita statim arguendi de gravi juvenes utriusque sexus, qui in nonnullis locis decenter et sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis melius foret abstinere.

(2 Graviter est increpanda illorum juvenum procacia, qui manus ex proposito immittunt in sinum mulieris ; affectus enim libidinosus si non antecedit, certe sequitur ex tali tactu, uti experientia docet : adde vel ipsam quæ tangitur, non raro sic exponi pollutionis, vel libidinosæ delectationis periculo. Ait Goritia ; tactus uberum fœminæ præsertim jam puberis, sunt mortales, cum sunt pressi et morosi ; venialis vero, si leves et fiant obiter, superficialiter sineque affectu libidinoso. Ita etiam de puella proprium sinum tangente.

(3) Quod dicendum quoque est de ancillis vel nutricibus, quæ dum induunt vel spoliant infantes aut adolescentes, partes eorum pudendas aspiciunt vel tangunt ex levitate ; hoc enim ordinarie non est conjunctum cum gravi carnis commotione. Attamen ab hac prava consuetudine graviter sunt arcendæ ancillæ, quia si id in more habent, turpem habitum se tangendi de facili vel ipsi adolescentes contrahunt, qui inde in profundum veniunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 419 et seqq.

pravo; aliter enim id esse non posset sine periculo gravi consensus in ipsam delectationem turpem.

Q. 4. *Quid de aspectu partium inhonestarum corporis alieni?*

R. 1. Si aspectus partium inhonestarum refertur ad personas ejusdem sexus, non est per se mortale; quia nec videtur graviter honestati adversari, nec adeo ad luxuriam inclinare. Diximus *per se;* nam excipe: 1 si aspiciens sit ad turpia valde inclinatus; tunc illi periculum esset proximum; item est si pulcher adolescens aspiciatur nudus; 2 si aspectus sit nimis diuturnus; neque enim in hac naturæ corruptione diu esse potest, quin concupiscentia stimulos acuat suos. Hinc reprehendendi graviter sunt simul natantes, detectis verendis (1).

R. 2. Si vero aspectus partium inhonestarum, cum voluntaria delectatione visus, refertur ad personam diversi sexus, vel ad humanum concubitum hoc erit mortale (nisi visio contingeret e loco valde longinquo, et tempore brevissimo et absque turpi affectu). Talis enim visio ad luxuriam vehementer inducit, et maximam turpitudinem procul dubio includit (2). Neque excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias; quia talis aspectus potius libidinem auget.

Quid (quæres) *si aspiciantur partes honestæ personæ pulchræ diversi sexus*?—Dicimus imprimis cum D. Thoma diuturnum mulieris pulchræ aspectum in eo, qui inordinato amore erga eam feratur, esse peccatum grave ob grave, cui se exponit, libidinosæ delectationis periculum: idem est de diuturno colloquio vano cum puella inordinate dilecta. Si vero aspectus iste contingat ex simplici urbanitate, vel ex causa alia honesta, non erit peccatum; vel veniale, si aspectus sit diuturnus aut ex curiositate procedens, videlicet ratione aliqualis periculi.—Aspicere autem partes minus honestas, non tamen turpes mulieris, uti pectus, brachia, crura, partem superiorem

(1) Vigilandum item a potestate ecclesiastica et civili, ne natantes, postposita verecundia, alienis oculis, præsertim personarum diversi sexus, nudos se objiciant; quod quidem sine gravi scandalo ac periculo esse non solet. Notat Sanchez, explicandum esse in Confessione qualitatem personæ, quæ fuit turpiter aspecta: quia aspectus sicut et tactus ab objecto specificantur. Sed verius contradicit Croix: quomodo enim quis aspiciens turpiter consanguineam committit incestum, si aspiciat sine ullo ejus desiderio? Videlicet aspectus afficiunt immediate solam personam, et ideo proprie et natura sua non censentur in actum consummatum tendere, et esse quasi aliqua copulæ affectiva inchoatio. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 421.

(2) Excusant a mortali Salmanticenses, si absit periculum commotionis, ratione ætatis puerilis vel etiam senilis vel frigidæ complexionis; sed hoc nec admittendum puto; cum saltem ex visu turpi oriatur periculum concupiscendi. Sunt autem graviter increpandi pueri illi ac puellæ sibi invicem verenda detegentes, etsi obiter et ex levitate, et quin ulla adsit visus delectatio; id enim si non erit mortale ad mortale sine dubio conducit. Morose autem aspicere commixtionem animalium periculosum est. Tangere genitalia brutorum (etiam ex curiositate, joco, vel levitate) usque ad effusionem seminis belluini, est mortale, cum hoc vehementer natum sit ad libidinem excitandam; per se tamen tangere, molliter tractare genitalia bruti, non est nisi veniale. Conjungentes vero equos, tauros et similes ad procreandam prolem, non peccant, etsi motus libidinis exurgat, modo ei non consentiant; cum sit res necessitatis, vel res utilitatis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 419 et seqq.

Olfacere ex curiositate menstruum, semen et cætera fœda videtur quædam inordinatio, gravis vel levis juxta periculum.

pectoris, secluso periculo lapsus atque aspectus diuturnitate, non est mortale; cum hoc grave periculum non sit.

Quid (dices) *de eo, qui aspicit picturas obscœnas?*—Iste per se et speculative loquendo non peccat, quotiescumque nulla sit delectatio turpis, neque proximum ejusdem periculum; quia revera artificialia minus movent, quam naturalia. In praxi tamen putamus difficulter a mortali posse excusari virum, qui partes inhonestas mulieris depictæ morose aspiceret; difficulter enim iste liberare se poterit a turpi delectatione vel saltem a proximo ejusdem periculo, nisi aspiceret per tempus brevissimum et in magna loci distantia (1).—Quod vero pertinet ad illos, qui pingunt vel exponunt publice imagines obscœnas, scilicet detectis verendis vel tenui velo obductis, isti peccant gravissimo scandalo; cum picturæ istæ adolescentes valde ad libidinem provocent (2). Monet Tridentinum: *omnis lascivia vitetur ita, ut procaci venustate imagines nec pingantur nec ornentur* (3). Quod etiam valet de iis, qui eas domi retinent omnium aspectui expositas; cum non solum sibi, sed aliis quoque pravam præbeant occasionem.

Q. 5. *An sit mortale turpia verba proferre?*

R. Affirmative: mortale est turpia verba proferre, si ea sint nimis lasciva, uti si nominentur pudenda alterius sexus, aut modus copulandi, maxime si fiat cum aliorum scandalo, quod adest ut plurimum, cum dicuntur coram puellis aut pueris; vel si sint cum periculo malæ delectationis in se ipso. Unde ajebat Apostolus: *corrumpunt mores bonos colloquia mala* (4). Si tamen proferantur ex joco aut ira inter personas, in quibus vel nulla vel levis carnis commotio excitari soleat, non sunt nisi venialia peccata; cum periculum sit valde remotum (5). Hic etiam notandum dicteria, quæ proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, etc. remoto scandali periculo, de se non esse mortalia; quia ea proferentes et audientes parum commoventur. Item neque semper videntur habenda ut mortalia tenera colloquia cum personis diversi sexus; quamvis non sit negandum ea esse periculis plena, præsertim si diuturna sint, aut si in locis solitariis fiant.

(1) Billuart cum aliis excusat a mortali, si aspectus fiant ex levitate, obiter, ex curiositate, aut si picturæ infantes tantummodo repræsentent.

(2) *V.* Bravi, *Della convenienza di trattare la scultura e la pittura in relazione all'attuale progresso de'lumi.* Bergamo. — *Amico Cattolico* Mil. tom. XXII, pag. 22. — *Memorie di Modena* ecc. tom. XII, ser. 3, art.: la decenza nelle belle arti. — Cittadella, *istruzione al pittor cristiano.* Ferrara 1854.— *Civiltà Catt.* ser. 2, vol. XI, pag. 658. — Rosignoli, *La pittura in giudizio.*

(3) Sess. 25. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 424.

(4) I Corinth. 15. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 426.

(5) Ut si ista nominentur inter conjugatos, qui venereis assueti parum ordinarie moventur. Videant tamen conjugati, ne aliis gravi scandalo sint: «rarum non est (ait *Stapf*, § 482), ut homines omni spurcitia repleti corruptionis suæ initium a propriis parentibus repetant, quippe quorum pudendæ conversationis testes fuerunt. Omnem fidem superat quæ sit circa hanc materiam ætatis adhuc teneræ sagacitas: hinc summopere dolendum est ubi parentes proles suas sui jam quodammodo compotes vel in suo secum cubili tenent, vel coram ipsis inhoneste jocantur etc. Hujusmodi impressiones tenello animo infixæ hærent, et serius vel citius in fœdissima ulcera prorumpunt.» —Item graviter increpanda mater, quæ filios omnino nudos una simul in lectulo collocat, cum tanto periculo pudoris, ac verecundiæ. Et maxime si masculos jam grandiusculos una cum ipsa dormire permittat, prætextu, quod lecto careat: id nullimode permittendum.

An (quæres) *sit mortale verba obscœna audire?*—Quod dicitur de ea proferente, idem generatim dicendum de ea ex proposito audiente; cum æque sit in morum corruptionem. Cæterum hac in re notamus:—1 qui audiunt obscœna vel auctoritatem habent in proferentes, vel non. Si auctoritatem habent, eos cohibere debent quantum moraliter possunt: si non habent, eos admonere tenentur: aut ad minus tacere debent, præsertim mulieres, quibus summopere cavendum est, ne turpibus assentire videantur: hinc enim libido virorum inflammari solet;—2 non subito pronuntiandum est eos omnes, qui audientes turpiloquia (ex parte loquentis mortalia) parum rident, mortaliter peccare; fieri enim potest, ut de modo dicendi potiusquam de rebus ipsis rideant. Porro in hoc casu mortaliter non peccant, nisi grave præbeant scandalum, ut facile præberent Religiosi et Clerici;—3 quod de verbis turpibus diximus, pari ratione dicendum est de cantilenis inhonestis. Carmina valde turpia componere, cantare vel libenter audire, est mortale: item mortale est, si grave detur scandalum, v. g. si Clericus carmina etiam tantummodo æquivoca conficiat, aut coram aliis, et præsertim coram sæcularibus ea cantet.

Quid (quæres) *dicendum de adolescentibus et puellis, qui se invicem adamant, vulgo*: cortejan?—R. Generatim loquendo isti omnes non sunt indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione a mortalibus invenientur immunes: et si non in principio, saltem in progressu: tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem: deinde propensio fit passio: et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandula, Episcopus Albanensis, in sua Diœcesi per edictum suos admonuit Confessarios, ne tales adamantes absolverent, si, postquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno aut diu contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscœna, aut cum scandalo (prout si in Ecclesia), aut cum conjugatis, claustralibus aut Clericis in Sacris (1).

Q. 6. *An peccent qui theatris intersunt?*

R. Theatra licet de se mala non sint, sed indifferentia, cum bene et male haberi possint, ordinarie tamen loquendo negari non potest ea esse plene periculis, maxime pro adolescentibus, quorum jam sanguis per se satis ebullit. Nam et luxus fovent et turpiter visum pascunt et animam enervant et passiones nimium acuunt; et quod non raro lugendum est, Religionem, ritus, catholicum ministerium atque ministros irrident, non sine maximo animarum scandalo ac ruina (2).

Ad meritum tamen quæstionis veniendo, dicimus nullum esse peccatum

(1) *V.* Liguori, *Praxis Conf.* § 65.

(2) *V.* Rulfus, *Theatrum modernum bonis moribus exitiosum.* Mediolani 1770.—Riccardi *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa*, cap. 25. — Fénélon, *Léttres sur les occupations de l' Académie.*— Bousset *Maximes sur la comédie.* — *Sentimenti di S. Carlo intorno agli spettacoli.* — *Civiltà Cattolica*, ser. 2, vol. v: *del teatro italiano.*

sive comœdiis interesse sive eas agere, si honestæ sint: *officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum*, ait Angelicus (1). Si vero comœdiæ sint aliquantisper turpes, eas audiens peccabit tantum venialiter, nisi jam expertus sit suam fragilitatem; nam pro modo periculi peccatum est. Si tandem comœdiæ sint notabiliter turpes vel in re vel in modo, mortaliter peccant interessentes ideo ut delectentur; cum talis delectatio nata sit ad venerem incitandam. Quoad illos vero, qui ob solam curiositatem vel solatium vanum intersunt, secluso periculo, licet nonnulli eorum aliquando forsan excusari valeant a mortali, si sint simplices spectatores; non excusantur tamen: 1 Adolescentes, et alii parum timoratæ conscientiæ, in quibus de facili semper adest delectatio turpis, vel saltem illius periculum; 2 Clerici et Religiosi, quos merito docet Benedictus XIV (2) non posse iis comœdiis interesse absque scandalo gravi.

Diximus *si sint simplices spectatores;* nam semper mortaliter peccare dicendi sunt qui pecunia vel plausu ad comœdias notabiliter turpes concurrunt, quamvis sine ipsis comœdia adhuc fieret. Etenim etsi in hoc casu materialiter tantum; adhuc tamen positive concurrunt ad opus graviter malum (3). A fortiori peccant qui comœdias notabiliter turpes impedire tenentur et possunt, neque tamen impediunt. A fortiori qui illas componunt vel repræsentant, cum moraliter certum sit multos inde ad peccatum incitandos. Neque liberantur ex eo quod scandalum non intendant, sed lucrum; opus enim de se illud satis intendit. Neque amissio magni lucri excusat; nam bonum corporis non valet bonum animæ (4).—Attamen advertendum est, ab omni peccato excusari *milites*, qui interesse tenentur ad invigilandum; *famulos*, qui dominorum; *filios*, qui parentum; *uxores*, qui virorum indignationem paterentur gravem, si theatris adesse renuerent. Justa enim extante causa, periculosa actio poni potest, salutaribus præsidiis peccandi periculum avertendo (5).

Q. 7. *An liceat choreas ducere?*

R. Choreæ secundum se et ex natura sua, uti observat Salesius (6), si nempe fiant neque fine malo, neque cum periculo seipsum vel alios ad libidinem excitandi, neque cum aliqua mala circumstantia conjungantur, non sunt malæ, nec actus libidinis; sed potius lætitiæ. Hinc legitur, David quoque regem *saltasse viribus totis* (7). Unde S. Antoninus docet, choreas per se non esse prohibitas, modo fiant a sæcularibus cum personis honestis et honesto modo (8).—Verum in praxi sunt attente dissuadendæ; quia ut plurimum fie-

(1) 2, 2, q. 168, a. 3. (2) *De Syn. Diœc.* l, XI, c. 10.

(3) Aliter tamen dicendum de iis, qui remote tantum cooperantur, v. g. aulam theatralem verrendo, ædificium instaurando, etc. Cæterum notant, theatra non ita forsan esse castitati exitiosa ut choreas: unde cum ab illis non possit populus averti, præstat ut bonæ malis substituantur comœdiis, quæ nempe non sint *sacrarium Veneris, concistorium impudicitiæ* (Tertull. *De spectac.* c. 17): vel sacrorum derisorium, ubi mysteriosi ritus, ubi sancti antistetes, ubi monachi ac moniales, ubi omnia, quæ in Ecclesia nonnisi venerabunde ac tremende spectanda sunt, in comica, ac satyrica scena impudentissime ac sacrilege exhibentur. Hæc neque permitti, neque agi, neque spectari possunt. (4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 427 et seqq.

(5) *V.* Sales, *Filotea*, p. 3, c. 33. (6) Loc. cit. (7) II Reg. 6.

(8) Alicubi panicum et alia grana (jam feriali die præparata) noctu solent pedibus excuti in

ri solent inter juvenes diversi sexus, intercedente etiam colloquio familiari, blanda manuum attrectatione, musici concentus suavitate, cæterisque, quæ facillime concupiscentiæ motus solent excitare, præsertim in adolescentibus, ut luctuosa docet experientia. Huc facit illud Ecclesiastici: *cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius* (1). Et S. Ephrem: *ubi citharæ et chori, ibi mulierum perditio, ibi Angelorum tristitia et festum diaboli* (2). Et D. Ambrosius ait: *quid verecundiæ ibi potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur* (3)? Vel ipse Petrarca vocat (Dialogo 34) *choream veneris præludium, libidinum stimulum, laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces.* Hinc merito Benedictus XIV concludit, quod etsi choreæ in se videantur licitæ; vix tamen in actu (quomodo nunc fiunt) permitti possunt (4).—Merito ergo Tridentinum Clericis gravissime prohibuit, ne ullo umquam tempore choreis interesse præsumant (5). Et laicis saltem suadendum, ne iis intersint diebus festis, præsertim horis divino cultui destinatis (6).

ARTICULUS II—De luxuriæ filiabus et remediis.

Q. 1. *Quænam sunt luxuriæ filiæ?*

R. Luxuriæ filias D. Thomas octo enumerat, quarum quatuor sunt ex parte intellectus, quatuor aliæ ex parte voluntatis.

Ex parte intellectus sunt: 1 *cæcitas mentis,* qua luxuriosus non advertit ad sui operis fœditatem, dicente Daniele Propheta: *species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum* (7). Patet exemplo Bezæ (8); 2 *præcipitatio,* quæ secum importat consilii subtractionem. Revera nullum habet consilium qui sua mala concupiscentia tenetur; 3 *inconsideratio* ad judicia Dei et pœnas in luxuriosos constitutas; 4 *inconstantia,* nam luxuriosus nimis facile a bono proposito declinat.—Ex parte autem voluntatis sunt: 1 *amor inordinatus delectationis sensualis,* quo ita voluptates carnales diligit impudicus, ut ultimum finem in iis constituat; 2 *affectus sæculi præsentis,* in quantum lu-

festis choreas ducendo: quod quidem, quamvis detur, quod non sit contra sanctificationem festorum; attamen sine periculo animæ non est, uti testantur. In Augustanis regionibus choreæ publicæ in foro solent duci, solemnioribus festis. In pluribus vero locis homo solet personatus publice incedere certis anni diebus ante Quadragesimam.

Parochus in his aliisque similibus prudenter se gerat, ne volens malo occurrere, illud adaugeat intempestivo zelo; nam quidquid agat, non intermittentur: ideo potius invehat indirecte in choreas; et directe in peccata, quæ committi solent in illas agendo. Ita Gury et Gousset.

(1) Cap. 9. «Præter luxuriam, ait *Stapf,* § 317, etiam alia peccata quasi turmatim ex hac arena procedunt, nimirum luxus quoad vestitum et indecentem ornatum corporis, vesana zelotypia, quæ non raro in mutuas offensiones et cruentas rixas prorumpit, gula et ebrietas, destructio sanitatis, bonorum profusio, domestica furta, profanatio dierum sacrorum, innumera scandala, etc. Unde aliquis ex Ss. Patribus saltationem definit esse *circulum, cujus centrum diabolus est.*»

(2) S. Hier. *de scriptura Eccles.*

(3) *De Virg.* l. III. (4) Notificationes XXXVII et LXXVI.

(5) Sess. 24, c. 12 *de R.* sed quoad Clericos *vid. De Oblig.* diss. 1, c. 2, a. 1, § 2.

(6) *V.* Guatier, *Trattato contro i balli e le canzoni oscene.* — Torricelli, *Documenti per le giovani.* Lugano. — Præ cæteris V. Gaume, *Catechismo di perseveranza,* p. 2, lez. 30: ubi pulchrum exemplum, ac plurimæ auctoritates. (7) Dan. 13. (8) In vita S. Franc. Salesii.

xuriosus vellet perpetuo voluptatibus suis hac in vita perfrui; 3 *horror, et desperatio sæculi futuri;* quia dum curat tam anxie delectationes carnis, delicias spirituales fastidit: ideo animo horret sæculum futurum, ubi desperat se voluptates carnales habiturum; *odium Dei,* in quantum nempe Deus luxurioso spurcitias suas gravissime vetat. Hinc versus:

Cæcutiens, præceps, inconsideratus et instans;
Corpus, tempus amat; refugitque futura, Deumque.

Q. 2. *Quænam sunt luxuriæ remedia?*

R. Luxuriæ remedia alia sunt negativa, alia positiva:

Remedia negativa luxuriæ sunt:—1 fuga otii; *multam enim malitiam docuit otiositas* (1);—2 abstinentia a lectione librorum, qui agunt de rebus amatoriis, uti sunt pestiferi illi (vulgo *Novelas*) qui toti sunt in profanis describendis amoribus. Quam fatale incendium, in teneris præsertim adolescentium animis, excitare nati sint, vix dici potest!—3 in viris familiaritatis fuga cum mulieribus, licet hæ probæ, imo et devotissimæ videantur (2). *In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit* (3). In mulieribus autem fuga familiaritatis cum viris, maxime juvenibus, uti patet: si enim vir ignis est qui incendit, mulier est palea, quæ incenditur; aut vicissim. Caveat autem toto cœlo puella, ne munuscula ab amasio accipiat; est enim grave peccatum, cum id mutuum amorem maxime excitet ac foveat. Quod si jam munera accepit, videat, ut statim ea vel restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis tradat (4);—4 *fuga occasionum* juxta illud Poëtæ: *subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.* Et D. Augustinus: *contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam* (5);—5 fuga ebrietatis; nam *luxuriosa res vinum* (6). Et Apostolus: *nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (7). Hinc versus:

Otia, libri absint, mulierque, occasio, vinum.

Remedia vero positiva luxuriæ sunt:—1 oratio frequens: *hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio,* ait Christus de dæmone impuritatis;—2 frequens Confessio apud eumdem Confessarium; quo enim magis infirmi status dignoscitur, eo magis remedium aptari potest. Item frequens devota Communio, qua manducatur panis Angelicus ac vinum bibitur *germinans virgines;*—3 memoria Novissimorum. Hinc ait S. Isidorus: *sicut clavus clavum repellit; ita recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit*

(1) Eccli. 33.

(2) Hoc maxime ab Ecclesiasticis cavendum est: *V. De Oblig.* disp. 1, c. 2.

(3) Eccli. 42 et 9; it. 11, 25 et 26; et Prov. 7; et Job 31; et III Reg. 11.

(4) Diximus *videat;* si enim munuscula data sint tantum ad alliciendam fœminæ voluntatem et impetrandum usum sui corporis (non vero ex pacto implicito vel explicito pro ipso usu corporis), non peccaret fœmina contra justitiam illa retinendo, uti dicunt communiter, etsi non consentiat in copulam; quia non est datum pretium sub hoc pacto, sed simpliciter ad tentandum et vincendum ejus animum. — Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 76; et l. III, n. 712.

(5) Serm. 350 *de Temp.*

(6) Prov. 20.

(7) Eph. 5.

luxuriæ;—4 cultus constans et invocatio frequens B. V. Mariæ sine labe conceptæ; est enim *mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei;*—5 custodia sensuum, præcipue oculorum (1); clamat enim Augustinus: *oculi vestri, etsi in aliquem jaciantur, figantur in neminem: ne dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos* (2);—6 mortificatio carnis, dicente Ambrosio: *libido gravis ignis est; et ideo non demus ei alimenta luxuriæ: pascitur enim conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur* (3). Hinc faciunt hi versus:

Præ, Sacra; Mors, Virgo: de oculis, de carne triumphus.

Concludamus cum S. Alphonso: «in hac materia sexti Præcepti oportet «quantum possibile est omnem adhibere severitatem; cum in re tam labili «nulla cautela umquam nimia existimari debeat: et plures opiniones, quæ «speculative sunt probabiles, in praxi improbabiles evadant. Hinc Confessa«rius, ubi periculum pœnitentium inspicit, licet actionem, quam illi vellent «perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo mo«do permittat.» *Homo Apost.* tract. IX, in fine *(K)*.

CAPUT TERTIUM

DE GULA.

Q. 1. *Quid est peccatum gulæ?*

R. Gula definitur a S. Thoma: *inordinatus appetitus edendi et bibendi* (4). Cum enim causa finalis edendi, atque bibendi sit necessitas et utilitas naturæ, ordo rationis expostulat, ut cibus et potus sumatur in ea quantitate, qualitate et modo, quibus natura perficiatur et conservetur; non vero fiat infirma et in sui destructionem proclivis: si quis ergo in edendo et bibendo committatur excessus, erit peccatum gulæ. Committitur autem, vel per excessum in cibo et dicitur *commessatio* seu *crapula;* vel per excessum in potu et dicitur *ebrietas*. Quoad regulas morum eadem ferme est ratio; secunda tamen species frequentior esse solet, ac emendatu difficilior (5).

Gula, quæ adversatur virtuti abstinentiæ et sobrietatis, potest esse peccatum mortale multiplici sub respectu: 1 *ratione finis ultimi,* qui in cibi et potus delectatione constituatur. Tales erant olim Epicurei, et tales sunt hodie qui eorum vestigiis turpissime inhærent, *quorum Deus venter est* (6); 2 *ratione gravis damni* tum quoad animam, ut si quis prævideat se inde excitatum

(1) *V.* Stapf, *Theol.* § 531. (2) Epist. 19.

(3) *De pœnit.* l. I, c. 4. Addunt, aliquando suadendum esse matrimonium iis, qui nubere possunt, tamquam unicum, aut saltem tamquam efficacius remedium, ut se valeant ab habitu masturbationis liberare. — *V.* Salvatori, *Istruzioni pei Confess.* § 9. — Segneri, *Inestimabili beni della sancta purità, e danni incalcolabili del vizio contrario. — Il Mostro della solitudine. Breve saggio dei gravi danni che esercita sull'uman genere.* Marietti, Torino. — Debreine, *Essai sur la théologie Morale.* (4) 2, 2, q. 148 a. 1.

(5) *V.* Salvatori, *Istruzione practica* ecc. § 7. (6) Phil. 3.

iri ad luxuriam; tunc quoad corpus, si ideo grave sanitati detrimentum afferat; 3 *ratione impotentiæ* servandi gravia præcepta, v. g. solvendi debita, alendi familiam. Qui enim negligit media, peccat in finem;—4 *ratione excessus graviter inordinati*, si quis v. g. vesceretur carne humana, aut humanum sanguinem biberet. Cum summa in hoc appareat naturæ inordinatio, nisi forte per medicinam fuerint alterata; vel excuset casus necessitatis extremæ (1); 5 *ratione scandali gravis*, si Clericus v. g. commessationibus in loco publico nimis indulgeat cum aliorum scandalo.—Extra hos casus gula erit tantum peccatum veniale; quia si gravia hæc mala absint, excessus est venialis ob materiæ parvitatem, uti generaliter docent cum S. Thoma (2). Et D. Augustinus ajebat: *quoties aliquis in cibo vel potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit* (3).

Quinque modis admittitur peccatum gulæ ex D. Gregorio:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

1. *Præpropere.* Hinc peccant saltem venialiter qui ordinarium comedendi tempus absque causa antevertunt; tunc enim voluptati potius, quam necessitati, velle satisfacere videntur; 2 *laute:* id dicitur de iis, qui cibos nimis pretiosos aut liquores conquirunt ob solam delectationem, niši eos excuset *vel* infirmitas, *vel* virium imbecillitas, *vel* proprii status conditio, *vel* peculiaris aliqua temporis circumstantia. *O vilissimam ventris servitutem! o inexplebilem cupiditatem!* ita hos perstringit Card. Bona: *tibi angustus est orbis, non sufficit ventri tuo quidquid natat in undis, quidquid latet in sylvis;* 3 *nimis:* intelliguntur hic voluptuosi illi, qui cibis potibusque ita indulgent, ut iisdem saginare se, vel ingurgitare videantur. Hos sic insectabatur Lucilius: *edite lurcones, comedones, edite ventres* (4); 4 *ardenter:* et ii sunt *qui*, ut ait S. Antoninus, *nimia aviditate cibum et potum sumunt: ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter et festinanter;* 5 *studiose*, quod eos respicit, qui cibos nimio studio præparatos inquirunt, ut magis iisdem delectentur.

Quid (quæres) *dicendum de voluptate, quæ in cibo potuque percipitur?* Si illa voluptas est tantummodo causa concomitans, nullum esse potest peccatum: cum talis delectatio ab ipso naturæ Auctore tam cibo quam potui indi-

(1) Salmanticenses, *Tract.* xxv, c. 2, putant etiam esse veniale comedere carnes crudas animalium et recentes sine causa; cum hoc habeat quid ferini et belluini.

(2) 2, 2, q. 148 a. 2.

(3) Serm. 4 *in die Animarum.* Ideo ajunt probabile esse quod ex genere suo non sit mortale comedere aut bibere usque ad vomitum, præcluso scandalo ac damno gravi. Ita communius Salmanticenses, Cajetanus, Holzman, Navarrus aliique; nam præcluso scandalo gravi, itemque gravi damno, hoc esset tantum peccatum gulæ, quod quidem ex se non est nisi leve. Alii tamen cum S. Antonino putant hoc esse grave juxta illud: *væ qui saturati estis* (Luc. 6): quod quidem exponunt de re in se spectata. — Qui tamen vomitu se exonerat, ut iterum edat, vix ac ne vix quidem excusari potest a mortali; cum maximam deformitatem involvat. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V. n. 72.

(4) Certa autem regula hic haud potest adsignari, cum sit habenda ratio tam complexionis, quam laborum quos quisque sustinet: *tantum potest quis comedere et bibere*, verba sunt S. Antonini, *quanto credit se indigere ad sustentationem et executionem eorum, quæ sibi incumbunt agenda; ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat* (pars 2, t. VI, c. 1).

ta sit, ut homo ad ea sibi sumenda alliceretur, et suam sibi vitam sic sustentaret: *non solum cibo,* ait Augustinus, *sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter saturandam libidinem, sed propter tuendam salutem* (1).

Si vero voluptas est causa finalis, erit saltem veniale peccatum; cum hoc pervertat aliquo modo naturæ ordinem, dirigendo videlicet finem ad medium. Quare merito ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 9, propositio: *comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus uti.* Hic faciunt Salesii verba: «Es una señal cierta de un espíritu goloso abyecto y despreciable el pensar en los manjares antes de la comida, y aun despues de esta el entrenerse en pensar el gusto que se ha tenido en ella, recordando con pensamientos y palabras este placer (2).

Q. 2. *Quid est ebrietas, et quale peccatum?*

R. Ebrietas est *excessus in potu usque ad violentam rationis privationem.* Opponitur sobrietati, quæ est virtus moderans inordinatum appetitum potus habentis vim inebriandi. Ut vero cognoscatur quale peccatum ebrietas sit, audiamus Angelicum: *contingit* (ebrietas) *esse tripliciter. Uno modo sic, quod nesciat potum esse immoderatum et inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen existimet potum esse inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse, quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum et inebriantem...; et sic ebrietas est peccatum mortale, quia secundum hoc homo volens et sciens privat se usu rationis* (3). Et præfert vini delectationem rationis integritati: et ultro se projicit ad brutorum conditionem, Deique imaginem in se deturpat. Quod sane est gravis deformitas, et grande malum. Hinc Apostolus ebrios vocat *morte dignos* (4) *(L).*

(1) L. IV *contra Julianum*, c. 14. Ipse tamen Doctor (L. X, c. 31 *Confessionum*) sic de naturæ corruptione, quam etiam in hac parte experimur, ingemiscit: *cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque* præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo. — *V.* etiam Kempis, *De imitatione Christi*, l. III, c. 26.

(2) Sales, *Filotea*, c. 34.

(3) 2, 2, q. 150, a. 2.

(4) Gal. 5, et Prov. 20 et 23: *luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas; cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet; oculi tui videbunt extraneas et cor tuum loquetur perversa,* etc. Item *V.* Eccli. 31. — Notamus, quod si quis advertenter sumat tantam vini portionem, quæ sit apta ad se inebriandum, nullo modo excusabitur a mortali, etiamsi, antequam sensibus destituatur somno se tradat, atque vini effectum effugiat. Tunc enim potio illa jam de se est intrinsece mala; cum de se apta sit ad privandum hominem usu rationis, et non sit nisi per accidens, quod ipse per somnum sensibus destituatur. Idem est dicendum, si non statim privatio usus rationis sit eventura, sed post unam vel alteram horam, cum nempe vini potator ad aërem prodibit; nam semper haberetur causa deliberate posita. — Item peccant graviter, qui diu noctuque potantes ebrietatis periculo se exponunt; item qui ipsi multum bibentes alios ad æquales haustus provocant cum præviso ebrietatis periculo. — Item peccant graviter qui cum experti sint se inebriari in illis consortiis, tamen adhuc in iis versantur. — Item qui prætextu patrii moris, aut boni affectus convivas urgent ac quasi ad bibendum necessitant cum ebrietatis periculo; secus si tantum liberalior potus offeratur. Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 78.

Hæc tria autem perfectæ ebrietatis signa facile possumus indicare; 1 si quis non jam amplius sciat licitum ab illicito discriminare; 2 si loco stare nesciens, aut in vino ipso quasi sepultus talia pronuntiet et faciat, quæ numquam nec pronuntiare nec facere antea consueverat, v. g. absurda et turpia proferens, familiam perturbans, uxorem filiosque verberans, etc.; 3 si ab ebrietate egressus ignoret quid in ea dixerit vel fecerit, nec ubi fuerit, nec quomodo domum redierit. Hæc enim satis ostendunt usum rationis fuisse amissum.

An (quæres) *liceat ad valetudinem curandam in morbo gravi potum sumere, si ex eo prævideatur secutura ebrietas* (1)?

R. Satis probabiliter, imo probabilius id affirmant licere Layman, Lessius Salmanticenses, Sylvester, Sylvius, Sporer, Toletus aliique; hoc enim non est velle ebrietatem, sed tantum illam permittere. Ita licet matri sumere pharmacum directe tendens ad servandam suam vitam, quamvis indirecte eveniat et prævideatur expulsio fœtus. Ita licet medicamen sumere ad expellendum semen morbiferum, etsi inde præter intentionem cognoscatur materialiter secutura pollutio, uti docent communius cum Billuart. Ita licet membrum læsum abscindere, etsi certo prævideatur sensus in illo casu sopiendos amittendumque usum rationis. Huic sententiæ favet Angelicus, qui docet non licere, quod *homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione* (2); ergo in necessitate, si fiat indirecte per consequens licet.

Diximus *si fiat indirecte*, nempe si potus directe adhibeatur ex medicorum præscripto ad corrigendos humores pravos. Directe enim ebrietatem intendere est prorsus illicitum; cum ea sit intrinsece mala (3). Hinc bene docet Croix numquam permitti posse se inebriare ad sensus sopiendos, ne cruciatus sentiantur; quia in hoc casu directe intenderetur ebrietas, tamquam medium removendi doloriferam operationem, vel morbi aut vulneris cruciatus.

Quid (dices), *si quis alicui mortem minetur, nisi bibat ad ebrietatem usque*? —Audiatur D. Augustinus: *etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas aut morieris, melius erit ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur* (4). Sane privare se directe usu rationis est intrinsece malum (5). Ita probabilius Azorius, Cajetanus, Tournely, Wigand

Quod vero dictum est de vino, paritate rationis valet de quocumque alio liquore inebriante; cum una deformitas sistat in amissione usus rationis. — *V.* P. Gaetano da Bergamo, *Pratico esame sopra il vizio detto volgarmente dell' Osteria.*

(1) Valde laborant in hac quæstione, licet videatur casus vix umquam accidere posse.

(2) 1, 2, q. 88, a. 5.

(3) S. Thomas, 2, 2, q. 150, a. 2. Non est vero damnanda praxis medicorum, qui opium exhibent sensus sopiendi causa; cum virtus ejus primaria sit soporifera. Idem de æthere aspiratione hausto dicendum erit: novum ac mirum inventum (periculosum tamen), quod physici *inspirationem ætheris* appellant: quo fit, ut tanto sopore obtorpescant nervi (græce *narcosi* a *narcé* sopor), ut infirmus dolorosissimas chirurgicas operationes sustinere possit, quin vel minimam molestiam patiatur; immo quin vel ipsos sensus amittat.

(4) Serm. 232.

(5) Neque tunc adest, uti recte dicunt, causa excusans, sicuti in casu præcedenti: quia ibi vinum est medium naturæ suæ ordinatum ad morbum expellendum, seu medium quod natura expostulat: adest enim in hoc casu periculum ab intrinseco, sive a morbo vexante. Quod autem licite quærit natura, licite ipsi conceditur; quamvis per accidens sequatur alia ex parte malus effectus. —Aliter

aliique contra multos, qui tenent tunc bibere ad ebrietatem licitum esse; nam tunc assumitur vini excessus, non animo se inebriandi, sed uti medium ad mortem fugiendam.

Sed (quæres) *an saltem liceat aliquem ad ebrietatem inducere, si aliter impedire nullimode possit a graviori malo, v. g. a sacrilegio, ab homicidio, ab adulterio, etc.?* — Alii cum Lessio affirmant; hoc enim esset malum, quod amplius impediri non potest, diminuere. Alii cum Laymano dicunt licitum quidem esse ei apponere vinum meracissimum, ut ita se inebriet; non tamen ad ebrietatem eum inducere; etenim licet quidem malum permittere, non vero illud directe suadere. Alii cum Tournely neutrum concedunt; quia cum talis neutiquam de vino cogitet, est verum ac positivum malum curare, ut ipse se inebriet (1). *His tamen non obstantibus,* concludit S. Alphonsus (2), *prima sententia satis probabilis videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis sive formalis* (sive nempe simpliciter eam permittamus, sive ad eam etiam inducamus); *quia licitum est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur a majori.* Nempe tunc non jam est consulere malum; sed bonum, scilicet electionem minoris mali.

Q. 3. *Quid sentiendum est de malis in ebrietate admissis?*

R. Gravitas peccatorum, quæ ab ebrio committuntur, accipi debet, uti patet, juxta mensuram advertentiæ et voluntarietatis illorum in causa, scilicet in ebrietate. Si igitur mala ab ebrio nullo modo fuerint prævisa, ei imputari non possunt ad culpam; nam ea, quæ non sunt in prævisione, neque sunt in cognitione, et ideo neque esse possunt in electione (3). — Si tamen mala in ebrietate admissa prævisa fuerunt aliquo modo, saltem confuse et in causa, tunc, utique et merito imputantur utpote voluntaria in causa. Imo etsi non sequantur, adhuc imputantur coram Deo; nam cum se inebrians prævideret ea probabiliter ex ebrietate secutura, nec tamen se ab ebrietate voluit abstinere, ea voluisse censetur. Ajunt tamen ordinarie non imputari ad cul-

èst, si vinum ordinatur a libero agente, nempe ab homine, qui se, ut mortem vitet, voluntarie vult immodico vino ingurgitare. Quænam porro proportio inter electionem hujusmodi, et evasionem mortis? si nulla proportio naturaliter esse potest, neque etiam eligi debet tamquam medium, et proinde licet in hoc casu velit ipse præscindere ab ebrietate secutura et velit tantum suæ vitæ conservationem tueri ex illa immodica vini sumptione; tamen, cum ista non sit naturaliter ad hoc ordinata, neque potest sub tali respectu intendi et eligi, et ideo semper remanet in ipsa malitia ebrietatis, quam nata est producere, et quæ solummodo censetur a tali homine intendi. Neque etiam dicas quod licite permittitur amissio usus rationis, cum agitur de morte vitanda, quæ est majus malum, sicuti quis potest permittere abscissionem manus; quia pars de se ordinatur ad conservationem totius corporis. Nam usus rationis non ordinatur ad corporis vitam, sed ad animæ integritatem: unde paritas non tenet.

(1) Certe tamen esset mortale alicui *sine justa causa* vinum quantum ipse velit suppeditare, si inde prævideatur ebrietas secutura; cum sit rei graviter malæ cooperari. Dictum est *sine justa causa;* nam ex justa rationabili causa illud ministrare liceret: sic v. g. licitum est cauponi dare vinum aut cervisiam se inebriaturis, si secus notabiliter læderetur in diminutione concurrentium, uti docent probabilius et satis communiter cum Billuart, qui *de Temperantia* hæc verba ponit S. Thomæ: *licite possumus uti malitia ulterius, vel etiam materiam, qua abuteretur, non subtrahere, sed præbere pro aliquo incommodo vitando.* — *V. De Leg.* App. c. 2, a. 2, q. 5.

(2) *Opus Mor.* l. V, n. 77; et l. II, n. 57. — *V.* etiam dicenda *de scandalo.*

(3) Angelicus, 1, 2, q. 77, a. 7.

pam contumelias *in hominem* ab ebrio prolatas, licet prævisas ; quia illæ non habentur dedecori, sed potius risu excipiuntur.

Diximus: 1 *ordinarie;* nam aliter esset, si quis proferat aliquod infame delictum; quia hoc esse non potest sine læsione famæ;—2 *in hominem ;* nam prolatæ in Deum semper sunt peccata. Quia ex una parte sunt voluntariæ in causa; ex alia semper Deo sunt injuriosæ et audientibus scandalo, qui semper ab eis cum horrore refugiunt (1).

Q. 4. *Quænam sunt gulæ filiæ et remedia?*

R. Ad 1: Gulæ filiæ sunt quinque ex Gregorio Magno: — 1 *inepta lætitia*, sive immoderata quædam hilaritas percepta ex rebus, quæ nullam parere possunt delectationem; —2 *scurrilitas*, sive immoderatum studium commovendi in aliis risum per jocos et ludicra; — 3 *immunditia,* sive impuritas verborum atque factorum : *venter cibo meroque distentus despumat in lididinem*, inquit S. Hieronymus (2);—4 *multiloquium*, seu nimia loquacitas, quæ aliquando potest esse mortalis, si in gravem Dei vel proximi injuriam effundatur: quod hominibus gulæ deditis non raro contingere solet. Certo certius *in multiloquio non deerit peccatum* (3); —5 *hebetudo mentis ;* crapula enim et ebrietas ita mentis aciem obtundunt, ut homo fiat ineptus tam ad veritatis et rerum cœlestium contemplationem, quam ad actiones quascumque, in quibus ingenii, consilii et prudentiæ quidquam expostuletur, experientia teste (4). Hinc versus :

Lætus, scurrilis, fœdus, verbosus et hebes.

R. Ad 2: Gulæ remedium efficax est, ut helluones considerent: —1 mortem, quæ tam ventri quam escis, et omnibus gulæ voluptatibus finem erit impositura: *esca ventri et venter escis*, ait Apostolus, *Deus autem et hunc et has destruet* (5): —2 quot mala ex gula, nempe corporis morbi, mentis tenebræ, incitamenta luxuriæ, memoriæ obscuratio, ingenii hebetudo, etc.; — 3 optimum erit in mensa aliquid propriæ voluptati subtrahere, quod præsertim palato sit gratius; —4 præstabit meditari Dominum Jesum non solum in vita usum fuisse victu vulgari, sed morti proximum sitim acerbissimam voluisse pati pro nobis. Ubi *poculum bibiturus acceperis* (inquit Joannes Climacus) *memineris acetum et fel Jesu Christo oblatum, atque ita sobrietatis limites non transilies* (6). Hinc versus:

Mors, mala, subtracta, in cruce Christus sitio *dicens.*

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost. tr.* VIII, n. 8.

(2) Ep. ad *Ocean.* (3) Prov. 10.

(4) Hisce omnibus adde corporis infirmitates juxta illud Eccli. 37: *in multis escis erit infirmitas. et uxiditas appropinquabit usque ad choleram.* Et omnibus notum est illud: *plus occidit gula quam gladius.* (5) Cor. 6.

(6) *V.* Castelvetere, *Direttorio* etc. p. 4, c. 23.

CAPUT QUARTUM

DE IRA, INVIDIA ET ACEDIA.

Q. 1. *Quid est ira?*

R. Ira est *inordinatus appetitus vindictæ, vel quasi vindictæ.* Est ex genere suo mortalis, quia est directe contra charitatem; hinc ab Apostolo ea numeratur inter opera excludentia a Regno Cœlorum (1).

Dicitur *inordinatus appetitus;* nam debita cum moderatione et ordine appetere vel sumere mali vindictam, non est vitium, sed boni amor et zelus. Sic Christus Judæos circumspexit *cum ira* (2)*; et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes ejecit de templo*, nempe vendentes et ementes (3). Sic virtutis actum exercet judex a reo vindictam assumens, pater a filio, dominus a servo. Unde vindictam appetere uti est malum proximi prohibetur; non vero uti est medicinalis delinquentis correctio, aliorum exemplum, conservatio ordinis et violati juris vel irrogati scandali condigna reparatio. Additum est *vel quasi vindictæ*, ad significandum posse hominem aliquando irasci inorditate etiam in res inanimes, v. g. pictorem in penicillum, quasi manus suæ conatibus male respondeat; agricolam in falcem, quasi fuerit ab ipsa læsus, studiosum in calamum, qui atramentum non effundit. In his haberetur quasi vindicta.

Dupliciter ira fit culpabilis; ex parte objecti et modi:

1. *Ex parte objecti:* siquis appetat vindictam alicui, qui eam vel minime sibi meretur, vel ultra quam meretur, vel ob finem minime justum: profecto graviter lædit charitatem et peccabit mortaliter, nisi materiæ levitas aut advertentiæ defectus eum excuset.

2. *Ex parte modi:* si v. g. justam appetens vindictam nimis ardenter animo agitetur, vel nimis vehementer exterius iræ suæ signa manifestet. Id per se rationem peccati venialis non videtur excedere; cum excessus sit in passione ex se indifferenti. Sed per accidens fieri potest mortalis, vel ratione scandali, vel quando quis ira exardescens prorumpat deliberate in blasphemias, in contumelias graves, etc. (4).

Quænam (quæres) *sunt iræ filiæ, et remedia?*

R. Ad 1: Ira prout est genitrix aliorum vitiorum, tripliciter spectari potest, vel in quantum est in corde, vel in quantum est in ore, vel in quantum transit ad facta. *In quantum est in corde,* producit indignationem, nempe animi commotionem in aliquem; et mentis tumorem, nempe motum animi diversas vindictæ vias excogitantis. *In quantum est in ore*, producit clamorem, inordinatam nempe locutionem atque blasphemiam. *In quantum transit ad facta*, generat contumeliam, maledictionem et rixam: ad has referuntur damna, quæ ex ira solent proximo obvenire, uti est pugna, vulnus,

(1) Gal. 5.
(2) Marc. 3. — Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 79.
(3) Joann. 2.
(4) S. Thomas, 2, 2, q. 158, a. 3.

mors. Quæ omnia per se sunt mortalia; quia charitati et justitiæ adversantur (1). — Hinc facit sequens versus :

Corde fremens, ore exilit, actu vulnerat ira.

R. Ad 2: Iræ remedia præcipua sunt: — 1 orare, et Domini N. J. C. mansuetudinem meditari: oratio enim obtinet vires, Christi exemplum robur addit; — 2 in ipso iræ motu nihil neque agere neque loqui, sed expectare quod evanescat: *mala cuncta ministrat impetus*, ajebat Poëta; — 3 motus iræ impedire, aut nascentes statim reprimere, et actus contrarios mansuetudinis, patientiæ et humilitatis elicere; contraria enim contrariis curantur; — 4 secum animo reputare nos complura habere vitia, quæ alios facile offendunt; quæ tamen ab iis patienter ferenda sunt: *patienter illatam injuriam tolerat qui meminit, quod fortasse adhuc habeat in quo debeat ipse tolerari*, ait S. Gregorius Magnus (2). Hinc versus :

Ores, attendas, cohibe, tua vitia pendas.

Q. 2. *Quid est invidia et quale peccatum?*

R. Invidia definitur cum Angelico: *tristitia de bono alterius in quantum est diminutivum gloriæ propriæ* (3). — Invidia est profecto peccatum ex genere suo lethale; quia invidia per se est contra charitatem proximi, ac voluntatem Dei omnia bona distribuentis. Quare Apostolus peccatum invidiæ reponit in eorum classe, quæ excludunt a Regno Dei (4). Imo aliquo sensu invidia peccatum diabolicum est juxta illud: *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius* (5). Quot autem malorum sit causa invidia, Cain, Esau, fratrum Joseph, atque Saulis historia testatur: unde merito invidia inter vitia capitalia numeratur. Poterit tamen aliquando esse venialis vel ex parvitate materiæ vel ex indeliberatione actus (6) *(M)*.

Quot modis (quæres) *quis potest de proximi bono tristari?*

R. Quinque modis potest quis de bono alterius tristari:

1. Cum quis contristatur de bono alterius absolute, quia proximi bonum est: et dicitur odium inimicitiæ, vel simpliciter odium seu aversio personæ, cui volumus malum, quatenus ejus malum est. Quod quidem ex genere suo mortale est; cum directe opponatur præcepto diligendi proximum, alteri ex maximis Dei mandatis.

2. Cum quis contristatur de bono proximi relative; quia nempe ab eo timet aliquod malum: et dicitur timor. Qui erit licitus si malum sibi vel suis timeat inferendum injuste: sic v. g. Esther et Mardochæus contristabantur de exaltatione Amani; quia malum ingens tam sibi quam universo Judæorum populo pertimescebant.

3. Cum quis contristatur de bono proximi, non quia illud proximus habeat, sed quia eodem ipse careat. Hæc tristitia si sit circa bona spiritualia, dicitur æmulatio, et est laudanda, dicente Apostolo: *æmulamini spiritua-*

(1) Angelicus, 2, 2, q. 158. a. 7; et Prov. 15, v. 18.
(2) 5 *Mor.* c. 30. (3) 2, 2, q. 36, a. 1. (4) Gal. 3. (5) Sap. 2.
(6) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 72.

lia (1). Si circa bona temporalia, erit bona vel mala, prout bonum vel malum erit ejusdem objectum.

4. Cum quis contristatur de bono alterius; quia talis boni eumdem putat indignum: et est indignatio seu abominatio, qua aversamur personam ex displicentia ejus qualitatum, quia sunt malæ aut noxiæ, aut ingratæ vel in se, vel nobis, vel aliis. Unde dicitur odium abominationis. Potest esse bonum, si a justitiæ vel boni publici amore proficiscatur (2): ut cum quis v. g. dolet, quia improbi promoventur ad dignitates ob damnum publicum, quod inde evenire potest. Erit tamen peccatum et quidem blasphemiæ, si quis serio contristetur de Dei providentia, quod impiis bona largiatur.

5. Denique cum quis ideo contristatur de bono alterius, quia per illud ipse timet, ne æquetur; vel quia jam æquatur aut superatur, et sic imminuatur ejus excellentia. Hæc est invidia proprie dicta, de qua habet Augustinus: *amando quisque excellentiam suam vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur* (3). Ad hanc revocatur gaudium de malo proximi, quatenus per illud ejus vulneratur et minuitur excellentia, et nostra augetur et fulget.

Q. 3. *Quænam sunt invidiæ filiæ et remedia?*

R. Ad 1: Invidiæ filiæ sequentes numerantur a D. Thoma (4): nempe *detractio, exultatio in proximi rebus adversis, susurratio, afflictio in prosperis rebus et odium.* — Susurratio est sermo, quo sine causa aliquid refertur alicui personæ de alia, quod quidem ex se aptum sit ad utriusque amicitiam disrumpendam. Est autem susurratio peccatum gravissimum contra justitiam juxta illud Scripturæ: *sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus... eum, qui seminat inter fratres discordias* (5). Et iterum: *susurro et bilinguis maledictus* (6). Hinc versus:

Detrahit, exultat, susurrat, et angitur, odit.

R. Ad 2: Invidiæ remedia sunt hæc quinque præcipua:

1. Pugnare contra superbiam; ait enim Augustinus: *invidia filia est superbiæ...; soffoca matrem, et non erit filia* (7); — 2 considerare quod invidia invido tantum nocet juxta illud Poëtæ: *invidus alterius rebus macrescit opimis;* et Sapiens: *putredo ossium invidia* (8); — 3 quod *sicut... invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (9), ita per invidiam intrant in hominem peccata ac crimina sine numero, et cum iisdem mors animæ; — 4 perpendere, quod omnes unius Dei et unius Ecclesiæ sunt filii, membra unius et ejusdem corporis, cujus caput Christum, quorum proinde decet esse cor unum et animam unam: — 5 motibus invidiæ prompte resistere per actum benevolentiæ non tam verbis quam factis; ac gloriam humanam despicere juxta

(1) Cor. 14. (2) *V.* Veith, *Sacra Scriptura, in Ps.* n. 7, coroll.

(3) *De Genesi ad lit.* c. 14. Quare si pœnitens de invidia se accuset, interrogandus erit qualis fuerit ejus tristitia de bono alterius; cum quælibet res e suo objecto specificetur. Item docendus in quo invidia sita sit, ne forte peccet ex conscientia erronea putans esse invidiam, ubi invidia non est.

(4) 2, 2, q. 36 a. 4. (5) Prov. 6. (6) Eccli. 28.

(7) *De Gen. ad lit.* c. 14. (8) Prov. 13. (9) Sap. 2.

illud: *non efficiamur inanis gloriæ cupidi invicem provocantes, invicem invidentes* (1). Hinc versus:

Tolle superba; tibi quæ damna et crimina gignat,
Invide pende puer; quæ Christi schismata membris;
Invidiam cohibe præstans contraria factis.

Q. 4. *Quid est acedia, quæ acediæ filiæ ac remedia?*

R. Docet D. Thomas acediam accipi posse: 1 late pro fastidio et tepore animi in exercitio virtutum ob laborem aliquem et aliquam arduitatem ipsis inhærentem. Esset si quis ob frigus, quod pati debet in auditione Missæ, eam distracte audiat nimium difficultati incumbens; 2 stricte pro tristitia in Dei amicitia comparanda per mandatorum observantiam, et ideo amicitiam illam non curat (2). — Primo modo accepta acedia est venialis; quia non inficit rei substantiam: aliter esset, si inde omitteretur actus virtutis graviter præceptæ, v. g. recitatio Breviarii vel auditio Missæ die festivo. Secundo modo accepta semper est ex genere suo lethalis, quia repugnat charitati Dei, avertit a bono spirituali et in peccata conjicit.

Acediæ filiæ præcipuæ sunt: — 1 *tepor* in servitio divino, ut negligens præparatio ad Sacramenta suscipienda et administranda; — 2 *evagatio mentis* in spiritualibus exercitiis; — 3 *pusillanimitas*, seu nimia virium diffidentia in suscipiendo, quæ ad Dei obsequium pertinent; — 4 *nausea*, seu odium rerum spiritualium, quo quis vellet eas ne esse quidem, aut Dei beneficia contemnit, v. g. desiderando se natum non fuisse, vel Christum non agnovisse; — 5 *desperatio* de salute æterna; — 6 *rancor*, quo eos nos fastidimus, qui spiritualia nos docent. Hinc versus:

Si tepidus, si mente vagus, si corde pusillus,
Nausea si fuerit, si desperatio, rancor.

Acediosi considerent: — 1 terribilem Dei vocem in acediosos prolatam: *utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* (3); — 2 innumera beneficia sibi a Deo collata, quæ sane gratitudinem fervidam expostulant; — 3 vitam et mortem Christi, et Sanctorum actiones, ut eorum exemplo in pietate inflammentur; — 4 brevem et exiguum laborem pro mercede in cœlis immensa ac numquam peritura juxta illud: *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (4); — 5 quantum impendant pro mundo et corpore: ideoque quam sit opprobriosum, quod si non majorem, saltem æqualem fervorem impendant pro anima. Hinc sequentes versus:

Vox, benefacta Dei; Christus; revelandaque cœli
Gloria; quæ mundo, quæ carni munia præstas.

Quomodo (quæres) *se gerere debet Confessarius cum tepido?* — Videat imprimis Confessarius in quo acediæ gradu pœnitens sit. Si non adeo sit pro-

(1) Gal. 5. (2) 2, 2, q. 36, a. 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 84.
(3) Apocal. 3. (4) Rom. 8.

gressus, eidem jubeat, ut omnia resumat pietatis officia neglecta, ad mentem ipsi revocans jacturam gratiæ, ejus pretium et pericula teporis: neque omittat memorare terribiles Dei minas: *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* — Si vero sit in teporem valde progressus, curet eum excitare ad exercitia spiritualia convenienti modo peragenda, etiam domi, si nequeat alio se conferre: veritatum enim æternarum consideratio salutariter terrendo ferventiores nos facit. — Si autem in profundum jam venerit, caveat, ne de emendatione desperet; sed spem erigat, ac primo omni charitate utatur, ostendens pœnitenti emendationem redundaturam in maximam Dei gloriam. Quod si videat his argumentis se parum proficere, ad terrorem deflectat, exponens gravissimis verbis teporis pericula, mortem tepidi valde periculosam et similia (1).

DISPUTATIO TERTIA

DE CENSURIS.

CAPUT PRIMUM

DE CENSURÆ NOMINE, NATURA, DIVISIONE AC CONDITIONIBUS.

Q. 1. *Quid est censura?*

R. Censuræ nomen a latinis repetendum est, penes quos vigebat olim *Censoris* officium; et ejus pars erat præcipua, ut delinquentium mores corrigeret atque notaret: nota autem ista, qua Censor personam vel ejus factum vel scriptum afficiebat, dicebatur *censura*. Hoc vocabulo Scriptores Ecclesiastici multis abhinc sæculis usi sunt ad pœnam illam significandam, qua Ecclesia filios suos quorumdam criminum reos corrigere nititur. Et hoc sensu Censura definitur: *pœna spiritualis et medicinalis auctoritate Ecclesiæ inflicta in foro externo, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci tollitur usus quorumdam bonorum primario spiritualium.*

Dicitur 1 *Pœna*, nam censura supponit præcedentem culpam; *spiritualis* tamen; tum quia fertur a potestate spirituali; tum quia in spiritualem Christianorum utilitatem ordinatur: tum quia ligat in cœlo et animas obligat, uti constat ex Bulla *Auctorem fidei*, in qua contraria doctrina sub n. 48 damnatur uti *falsa, perniciosa, in articulo* 23° *Lutheri damnata, et ad minus erronea;*—2 *medicinalis;* quia illa est Ecclesiæ mens in censuris ferendis, ut Christianus a peccato suo resurgat: atque ad bonam, uti ajunt, vitæ frugem sese convertat (1);—3 *auctoritate Ecclesiæ inflicta;* sic indicatur necessarium

(1) *V.* Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tr. 1, n. 82 etc. — Stapf, § 635.

(2) Aliquando tamen censurantur etiam illi, de quibus correptio desperatur, scilicet ad terrorem aliorum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 1.

esse actum aliquem ex parte Ecclesiasticæ potestatis, ut censura inferatur ; —4 *in foro externo;* licet enim censura liget homines etiam in foro interno; a nemine tamen inferri potest, nisi in foro externo, et ab iis, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent;—5 *per quam homini baptizato;* quia Ecclesia nullam a Christo accepit jurisdictionem in judæos, gentiles et turcas ; *quid enim mihi*, ait Apostolus, *de iis, qui foris sunt, judicare* (1) ?—6 *delinquenti et contumaci;* cum enim censura sit pœna, non alios, quam delinquentes, afficere debet. Cum vero sit medicinalis, debet in contumaces inferri, in illos videlicet, qui monita aspernantur, et in peccato malunt obstinate vitam peragere ;—7 *tollitur usus;* est enim de ratione censuræ non bona ipsa, sed ipsorum usum tantummodo auferre. Sic censura suspensionis a beneficio privat Clericum redditibus Beneficii, non ipso Beneficio ;—8 *usus quorumdam bonorum.* Hoc ut intelligatur, sciendum triplicis sunt genera bonorum in Ecclesia: alia procedunt *a capite*, ut merita Christi, gratia, fides, spes, charitas ; alia procedunt *a corpore*, ut Sacramenta, sacrificia, communia suffragia ; alia vero procedunt *a membris*, uti sunt preces ac bona opera singulorum fidelium. Jam vero censura non tollit usum bonorum prioris generis; cum ab Ecclesia non dependeant ; item per se neque tertii generis, neque enim vult Ecclesia privatorum preces impedire : sed tantum bonorum secundi generis, aliquando quidem in toto, aliquando vero tantum in parte;—9 *primario spiritualium ;* hæc enim pœna, utpote spiritualis, si quandoque privat fructibus beneficiorum et communione fidelium etiam in civilibus, hoc non agit nisi secundarie et indirecte, nempe tantum per ordinem ad ipsa bona spiritualia.

Q. 2. *Quomodo censura dividitur?*

R. Tripliciter præsertim dividitur censura: 1 *ratione formæ*, qua fertur, in censuram a jure et in censuram ab homine ; 2 *ratione ministri,* ad quem pertinet absolvendi facultas, in reservatam et non reservatam ; 3 *ratione actus*, quo ipsa infertur , in censuram latæ sententiæ et sententiæ ferendæ.

1. *Censura a jure* dicitur ea quæ fertur per canones et per statuta Ecclesiastica. Hæc, ut plurimum, generalis est et perpetua; *generalis,* quia omnes subditos delinquentes et contumaces complectitur ; *perpetua,* quia durat quamdiu durat lex ipsa.—*Censura* vero *ab homine* dicitur ea, quæ fertur a legitimo superiore per modum mandati aut edicti , aut præcepti ; vel per modum sententiæ judiciariæ ex facto, aut causa particulari ; vel per sententiam privatam in determinatam, aut determinatas personas. Et est vel *generalis,* si generaliter et indeterminate feratur: v. g. in Clericos omnes; vel *particularis*, si feratur in personam particularem. Censura ab homine cessat morte vel renuntiatione superioris a quo illata (si tamen nondum sit contracta : nam contracta tempore habili, non tollitur nisi per absolutionem superioris aut successoris superioris, a quo illata): et ideo dicitur etiam transitoria. Sic censuræ, quæ ab Episcopo feruntur in Synodo, cum sint a jure, perdurant etiam post ejus mortem ; aliæ vero si quæ forte ab eo extra Synodum illatæ fuerint, cum sint ab homine, cessant (2), adveniente morte

(1) I Cor. 5.

(2) Excipe nisi Episcopus clare significet eas habendas esse ut perpetuas.

illius aut renuntiatione; cum enim non sustineantur nisi ab homine, homine deficiente, et tales censuræ deficere debent, nisi jam incursæ sint.

2. *Censura reservata* est, cujus absolutionem sibi Superior reservavit: *non reservata*, cujus absolutio aliis ministris relicta est.

3. *Censura latæ sententiæ* est, quando lex vel Superior statuit eam incurrendam ipso facto, quo quis legem violaverit (1), v. g. hominem interfecerit. *Sententiæ ferendæ* est, cum lex vel Superior statuit, eam non esse incurrendam ipso facto, quo crimen patratur; sed quando per judicis sententiam ea infligenda declaratur.

Erit generatim censura latæ sententiæ, si verba quibus infertur, excludant alterius cujuscumque actionem, seu ministerium. Ac 1 si adsint hæc vocabula: *ipso facto, ipso jure, eo ipso, ex tunc, illico, protinus, sine alia sententia* et similia; 2 si verba sint temporis vel præteriti vel præsentis, v. g. *excommunicavimus, excommunico;* 3 si verba sint modi imperativi, v. g. *incidat in excommunicationem, maneat suspensus, interdictus;* 4 si in censura contra hæresim dicatur: *excommunicatus sit, anathema sit* (2). Dicimus *in censura contra hæresim;* quia si hæc eadem verba adhiberentur contra aliud crimen, sentiunt Layman atque Sanchez non continere censuram latæ sententiæ: quamquam æque probabiliter id negent Tournely et Suarez (3) *(N)*.

Erit vero censura sententiæ ferendæ: 1 si verba, quibus infertur, includant alterius actionem et ministerium, v. g. *excommunicetur per Episcopum*; 2 si verba illa sint comminatoria tantum, v. g. *præcipimus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis:* sed excipe, nisi aliud ex adjunctis colligatur; 3 si verba tempus exprimant futurum, v. g. *excommunicabitur, excommunicatus erit.*—Si his rite perpensis, adhuc sit dubium, utrum censura habeatur latæ sententiæ an ferendæ, habenda erit uti ferendæ; quia in dubiis circa pœnas interpretatio benigna est præferenda. Ita Continuator Tournely, Concina, Filliucius, Sanchez, etc.

Q. 3. *Quænam conditiones requiruntur ad censuram?*

R. Aliæ requiruntur ex parte illius, qui censuram infert. Aliæ ex parte illius, in quem infertur. Aliæ ex parte materiæ, ob quam fertur. Aliæ ex parte modi, qui servandus est in ea ferenda.

(1) Sunt falsi nominis Canonistæ, qui licet non audeant damnare hanc speciem censurarum, docent tamen, eam non fuisse in usu prioribus decem Ecclesiæ sæculis. Id Benedictus XIV (*De Syn. Diœc.* l. X, c. 1) erudite ostendit historicæ veritati contrarium: imo excommunicatio severissima olim lata erat in idololatras, homicidas, adulteros, relapsos etsi occulte, et in Clericos grave facinus occulte admittentes.

(2) *Anathema*, si penultimam vocalem longam facias, rem designat in alto collocatam: et a Græcis adhibebatur ad sacra donaria ac vota designanda, quæ in alto collocabantur. Si brevem, separationem indicat, ut in usu est in decretis fidei.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIX, n. 2.

CAPUT SECUNDUM

DE IIS QUI CENSURAS INFERRE POSSUNT.

Q. 1. *An Ecclesia gaudeat potestate ferendi censuras?*

R. Affirmative: Ecclesia gaudet potestate ferendi censuras (1).

Probatur 1 *ex Scripturis:* Christus Ecclesiæ suæ tradidit potestatem proprio e sinu ejiciendi filios delinquentes et contumaces iis verbis: *si autem Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo* (2). Atqui hæc potestas in se et ratione substantiæ nihil est aliud, quam potestas ipsa inferendi censuras.

2. *Ex Patribus;* sufficiat pro omnibus D. Augustinus, qui ait: *nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: jam judicavi... congregatis vobis et meo spiritu... tradere hujusmodi satanæ* (3).

3. *Ex Conciliis:* sit Tridentinum, quod hanc supponens in Ecclesia potestatem dicit esse *nervum Ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutarem, et spiritualem gladium* (4).

4. *Ex ipsa universali et perpetua Ecclesiæ praxi;* ab ætate Apostolorum ad nostra usque tempora semper viguit in Ecclesia usus ferendi censuras. Sic Paulus satanæ tradidit incestuosum Corinthium, Hymenæum et Alexandrum blasphemos (5). Ejus porro vestigiis inhærentes sequentibus sæculis eadem potestate usi sunt pedetentim Pontifices et Ecclesiæ Prælati, uti ex historia constat (6).

5. Denique *ex ratione.* Quælibet enim bene ordinata hominum societas habet potestatem arcendi e proprio sinu membra noxia; atqui Ecclesia est profecto societas bene ordinata; ergo hanc ipsam habet potestatem. Habere autem eam non potest nisi a Christo fundatore sapientissimo, et ideo ea dicenda est *juris divini* (7).

(1) Est de fide propositio definita tum in Concilio Constantiensi contra Wiclephistas et Hussitas, qui *excommunicationem Papæ vel cujuscumque prælati dicebant non timendam;* tum in Bulla Leonis X contra Lutherum, qui ajebat *excommunicationes esse tantum externas pœnas, nec privare homines communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.*

(2) Matth. 18. Hinc sub. n. 90 damnata est hæc propositio Quesnelliana: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.* (3) *De fide et oper.* c. 2. (4) Sess. 25, c. 3 de Ref. (5) I Cor. 5; et I Tim. 1.

(6) *V.* Devoti, *Inst. Can.* L. IV, ubi ad rem plura congerit erudissimus Episcopus.

(7) *V.* Scotti, *Teoremi* ecc. P. 2ª, Teor. VII. *Saggio Elementare di diritto pubblico ecclesiast.* Lugano 1844, t. I, pag. 291. —« La Iglesia (ad rem *Saggio intorno al Socialismo*) no puede asistir impasible á lo que ella enseña ser la ruina del alma, seria *vender á Dios, y negociar con sus propios hijos.* De aquí es que los pastores levantan la voz, amenazan y luego fulminan la pena: « *la política puede afligirse por ello, la razon no tiene mas que aplaudir.*» Así se espresa tambien Lamartine en ocasion de las dificultades suscitadas en los últimos años del reinado de Luis Felipe entre algunos Obispos y el Poder civil, con motivo de las doctrinas que se enseñaban á nombre del Estado en algunas escuelas. (*pag.* 397).»

Ergo etiamsi concederetur censuræ nomen sæculis recentioribus in Ecclesia fuisse inductum, nihil inde consequeretur; cum sit indubitatum semper in usu fuisse rem eo nomine significatam. Sane semper in usu fuerunt in Ecclesia tum Latina tum Græca vocabula *canonicæ destructionis; pœnæ et gladii spiritualis, mucronis medicinalis*, etc.: quæ idem sonant ac censura. Verum falsum est censuræ nomen recenter fuisse inductum; Gratianus enim citat canonem Concilii Toletani anno 675, ubi legitur: *quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communione privatus... sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus.* Quis autem dicere audeat recenter inductum nomen, quod ut notissimum ac vulgare legimus usurpatum in Hispania jam a VII sæculo (1)?

Q. 2. *Quid requiritur, ut quis possit ferre censuras?*

R. Ut quis possit ferre censuras, requiritur;—1 ut sit masculus;—2 baptizatus;—3 prima saltem tonsura insignitus. Ratio horum est, quia qui non est in Ecclesia superior, non est capax ecclesiasticæ jurisdictionis;—4 ut sit compos rationis, et libere agat; exercet enim actum liberum. Censura tamen lata metu gravi est valida; quia sufficienter voluntaria;—5 ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum; alioquin frustra ageret, cum in exercitio ligatus sit;—6 ut eam ferat in sibi subjectos servando solemnitates essentiales; alioquin nulla esset censura, cum deficeret in substantialibus (2);—7 ut non feratur in propria causa personali; hoc enim in jure reputatur vindicta (3).

Q. 3. *Quinam ex Clericis censuras inferre possunt?*

R. Vel sermo est de potestate ordinaria, vel de delegata:

Si sermo est de potestate ordinaria, eam habent omnes, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent:—1 S. Pontifex independenter a cujuscumque consensu. Unde merito lutherana illa Quesnelli propositio sub n. 90 a Clemente XI Bulla *Unigenitus* damnata fuit: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis;*—2 Archiepiscopi in Diœcesibus propriis, et etiam in Suffraganeis tempore visitationis, et cum agitur de causa ad eorum tribunal per appellationem delata; cum tunc de jure ordinario in Suffraganeos jurisdictione polleant;—3 Episcopi in Diœcesi sua, modo tamen electi et confirmati et possessionem adepti sint; quia tunc tantum hodie habent jurisdictionem expeditam (4). Item Cardinales in Ecclesia proprii tituli. Item Legati in territorio propriæ Legationis;—4 Vicarii Episcoporum generales, uti recte dicunt Fagnanus, Suarez, Tournely; unum enim cum Episcopis tribunal constituunt;—5 Generales, Provinciales et Superiores locales Religionum

(1) *Decr.* pars. 4, Dist. 12 c. 13.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 12. Non negamus aliquando in ferenda censura modum non fuisse servatum, qua de re conquerebatur S. Damianus; at hoc est vitium hominis, non rei; et semper censura timenda foret, quia nostrum non est superiorum actis obsistere, sed iis obtemperare. Cæterum, ad rem Tridentinum, sess. 25. cap. 3 de R.: *quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ et ad continendos in suo officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem.* — *V.* Muzzarelli, *Il buon uso della Logica*, Opusc. Istoria Eccles. § II; uso ed abuso delle censure.

(3) Can. 27, c. 23, q. 4.

(4) *V. De Legibus*, c. 4, a. 1.

respectu subditorum. Item Congregationes Religionum, Concilia et Capitula provincialia;—6 Capitulum cathedralis Ecclesiæ, Sede nempe Episcopali vacante, seu Vicarii capitulares;—7 omnes qui per communem errorem cum titulo præsumpto habentur uti legitimi Superiores (1).

Si vero sermo est de potestate delegata, ea est in iis omnibus, quibus committitur ab eo qui habet ordinariam. Qua in re duo jure notanda sunt:—1 quod delegata potestas expirat morte delegantis, nisi causa a delegato jam fuerit incepta, et quidem etiam per solam citationem;—2 quod delegatus non potest alterum subdelegare, nisi vel expressam habuerit licentiam ab ipso delegante; vel sit delegatus a Pontifice; vel ad universalitatem causarum, uti jus loquitur (2).

Marsalius Patavinus docuit, ad censuram inferendam requiri etiam civilis Principis vel Reipublicæ auctoritas; sed tamquam hæretica semper hæc ejus doctrina in Ecclesia Catholica habita est (3). Sane Christus non Principibus, non Reipublicæ civili, sed solis Apostolis imprimis D. Petro hanc potestatem tradidit. Et ea semper tam Pontifices, quam Episcopi usi sunt absque ulla dependentia ab auctoritate civili. Adde: Tridentinum solemniter ad rem hoc tulisse Decretum: *nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet;..... cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat* (4) *(O)*.

Q. 4. *An Parochi possint ferre censuras?*

R. In praxi recepta ac tenenda sententia, contra Thomassinum, negat. Audiatur D. Thomas: *quia per excommunicationem* (id est per censuram; nomen enim *excommunicationis* primitus generatim sumebatur) *homo a communione fidelium separatur; ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet. Et illi solum possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, et majores Prælati possunt excommunicare; non Presbyteri Parochiales* (5): quippe qui non habent, nisi administrationem ad rectum Parochiæ ordinem cum potestate tantum cognoscendi causas hominis ad Deum.

Quod autem de Parochis dictum est, illud a fortiori de simplicibus Sacerdotibus cæterisque Clericis inferioribus erit affirmandum (6).

(1) Quæ omnia in jure definita habentur, ut videre est pœnes S. Alphonsum nostrum, *Opus Mor.* l. VII, nn. 9 et seqq. Hæc censurandi potestas acquiri etiam potest:—1 præscriptione, ad quam requiruntur 40 anni, si adsit titulus coloratus; sin autem tempus immemorabile ex cap. 1 et 15 *de præscr.*;—2 consuetudine ex cap. 13 *de off. jud. ord.*;—3 privilegio ex cap. 23 *de verb. sign.*

(2) Ex cap. 3. *Si pro debilit.;* et cap. 20 *Gratum*, de offic. jud. deleg.

(3) V. Devoti, *Inst. Can.* lib. IV, § 12, nota 4.—Muzzarelli, *Il buon uso della logica* ecc. Opusc. IX: *la scomunica.* — Liber, *Comandi chi può, obbedisca chi dee* ecc., pag. 177. — Bianchi, *Polizia della Chiesa*, tom. III.

(4) *Sess.* 25, c. 3 *de Ref.* Potest etiam Episcopus contra aliquem de Capitulo procedere, quin Capitulum audiat: excipe nisi Capitulum sit exemptum, tunc enim ex Tridentino non potest Episcopus contra aliquem de Capitulo procedere, nisi cum duobus Canonicis conjudicibus a Capitulo ipso electis, et habentibus unam vocem, dum Episcopus habet alteram. V. Bouix, *De Capitulis.*

(5) In 4, d. 18, q. 3, a. 3.

(6) *V.* Gonzales, c. 3 *de off. et potest. jud. deleg.* — Bouix. *De Parocho*, pars 1ª, c. 4. — Benedictus XIV, *De Synodo* l. V, c. 4.— Liguori, *Op. Mor.* l. VII, n. 107.

Q. 5. *An sæculares valeant censuras inferre?*

R. Certum est fœminas non posse censuras inferre, quia fœminæ jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt incapaces. Imo neque ipse Pontifex probabilius potest cum illis dispensare, ut docent Salmanticenses, Sotus et D. Thomas contra Croix, Suarez et nonnullos alios. Ratio, quia potestas hæc data est Apostolis et eorum successoribus, quibus nempe traditæ sunt claves Ecclesiæ; at potestas clavium nullo modo mulieribus tradi potest: *mulier*, ait S. Thomas, *non potest habere aliquam jurisdictionem; quia non habet neque clavem ordinis neque clavem jurisdictionis* (1).—Quod vero pertinet ad viros sæculares, item pariter certum est, quod neque ipsi de potestate ordinaria valent censuras inferre; quia hæc potestas tantum residet in ipsis Ecclesiæ Superioribus. Communiter tamen docent Continuator Tournely et Salmanticenses, posse Pontificem sæcularibus viris delegare hanc facultatem ex ea, qua præditus est plenitudine potestatis; cum radicitus non habeantur incapaces, ut fœminæ.

Sed (dices) *quid de prælatis hæreticis, excommunicatis atque suspensis?* Generatim isti valide non possunt censuras inferre; cum jurisdictionem non habeant expeditam quoad usum (2).

Diximus *generatim;* quia docent communiter eos, si non sint notorie tales, valide (etsi non licite) censuras inferre: cum Ecclesia ob bonum publicum eisdem adhuc usum jurisdictionis conservet. Imo Avila, Bonacina, Diana docent supradictos, etsi notorios, adhuc valide censuras ferre, quia ex Constitutione Martini V, ut quis jurisdictione privetur, requiritur ut sit vel denuntiatus nominatim, vel publicus Clerici percussor, adeo ut sit vitandus.

Q. 6. *An Episcopus, si sit extra Diœcesim, possit censurare suos?*

R. Regulariter Episcopus non potest censurare suos extra Diœcesim existens; quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere. Diximus *regulariter;* in jure enim excipitur: 1 si contumacia sit tam manifesta, ut non egeat cognitione causæ; tunc enim ipsa res per se interpellat. Vel si causa jam sit cognita in proprio territorio: jam enim Episcopus jus acquisivit; 2 si censura feratur per modum præcepti aut statuti ad vitanda delicta communia; cum nullus tunc interveniat strepitus judicialis: 3 si Episcopus sit injuste expulsus a sua Diœcesi (modo ab Ordinario loci licentiam petat, licet eam non obtineat); neque enim sine culpa est jure suo privandus (3).

(1) *Suppl.* q. 19, a. 3. — Unde si quando dicitur in jure abbatissas sibi subjectas ab officio vel beneficio suspendere posse, id intelligitur de simplici interdictione, non de proprie dicta censura. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 12.

(2) C. *except.* de except. — *V.* Pavone, *Spicilegio* ecc. nn. 314 et seqq.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 21.

CAPUT TERTIUM

DE CENSURÆ SUBJECTO ET MATERIA.

Q. 1. *Quodnam est subjectum censuræ?*

R. Subjectum censuræ est *homo viator, baptizatus, rationis capax, et subditus* (1); est enim censura actus jurisdictionis ad correctionem instituta voluntarie delinquentis. — Hinc versus:

Iste viator erit, sacro et Baptismate lotus,
Sitque sui compos, liganti subditus esto.

An (quæres) *amentes et impuberes ligari possint censura?*

R. Ad 1: Amentes si ita perpetuo sunt, non possunt ligari; cum habeantur uti pueri, qui sicut sunt incapaces culpæ, ita et censuræ. Si vero nonnisi ad tempus amentes sint, ligari utique possunt; quia habitualiter capaces sunt contumaciæ, licet per accidens priventur ad tempus usu rationis. Hinc etiam ebrii et dormientes censuras incurrunt, si tempore quo erant rationis compotes, causam iisdem dederint.

R. Ad 2: Impuberes etsi doli capaces, ob eorum tamen infirmitatem non ligantur censura (2), nisi lex expresse exprimat contrarium: uti exprimit, si fuerint ingressi Monialium Monasteria (3); vel si Clericos graviter percusserint (4).

Item nemo seipsum censura ligare potest: nemo enim fit sui subditus vi coactiva, sed tantum directiva. Unde Episcopi et Cardinales non ligantur censuris a se latis: item ex privilegio neque suspensione et interdicto latis a jure, nisi illorum mentio fiat specialis (5).

Q. 2. *An Episcopus in propria Diœcesi existens possit ferre censuras in suum subditum, qui in aliena Diœcesi delinquit; vel in non subditum, qui delinquit in propria Episcopi Diœcesi?*

R. Ad 1: Si censura feratur per præceptum particulare, subditus ligabitur etiam in aliena Diœcesi delinquens, ut probabilius tuentur Croix, Lay-

(1) Item debet esse persona particularis ac determinata, si sit excommunicanda. ex c. *Romana de sent. excomm.* in 6. Ubi etiam notandum: — 1 jure sunt privilegiati Officiales Romanæ Curiæ et Nuntii Apostolici (*cap.* 1 *de priv.* in 6), qui inde non possunt ab Episcopo loci censurari;—2 etiam Reges ac Reginæ, eorumque filii, quamvis in spiritualibus subjiciantur Episcopis, non possunt censura ligari, nisi a R. Pontifice ex Privilegio, quod eis hodie communiter tribuunt Doctores, uti dicunt Salmanticenses cum S. Antonino, aliisque. (Liguori, *Ho. Ap.* tr. XIX, n. 4: *Op. Mor.* l. VII, n. 17.) Aliter omnino dicendum de regiis consiliariis, de populorum repræsentatoribus, parlamentis etc. His nullum privilegium; neque aliunde Episcopalis potestas coërcenda, nisi certa extent argumenta. Adde id Regibus datum esse non ideo præcise, quia leges ferunt: sed ob eorum singularem, sacram, et excellentissimam dignitatem. Est certum.

(2) Hoc tamen currit, quando censura est generaliter lata vel a jure vel ab homine; censuram enim etiam impuberes incurrerent, si ea lata sit per modum præcepti, uti omnes dicunt. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, n. 14.

(3) Tridentinum, sess. 2. c. 5.

(4) C. *Pueris fin. de sent. excomm.*

(5) C. *Quia periculosum de sent. exc.* in 6.

man, Sporer et Suarez contra Continuatorem Tournely, Roncaglia, Avila et Holzman; ratio est, quia præceptum immediate afficit personam ubicumque sit. Necesse tamen est, ut ipse ante transgressionem fuerit monitus, nempe ut sciat datum esse tale præceptum sub pœna censuræ, ut sic dici possit contumax: quod quidem satis fit per particulare edictum. Esset v. g. si Episcopus speciali mandato typis dato Sacerdotibus sub pœna suspensionis ipso facto vetuerit, ne Missam absolvant breviorem horæ quadrante. — Si vero lata sit per modum statuti quod afficit locum, non ligatur uti patet: quo sensu Bonifacius VII ait, non incurrere excomunicationem latam contra furantes a suo Ordinario eum, qui extra ejus territorium furatur (1). Excipe: nisi delictum censeatur commissum in propria Diœcesi, uti est de censura lata in eos, qui non resident vel ad Synodum non accedunt (2). Vel si Episcopus censuret Clericum, qui tali Ecclesiæ assistere debeat et extra Diœcesim sit, et renuat assistere; ratio autem est, quia peccatum non residentiæ intra proprium territorium consummatur.

R. Ad 2: Etsi peregrini, qui peccant in aliena Diœcesi, non incurrant censuram, quam illius Diœcesis Episcopus jam inflixit in taliter peccantes, cum non sint ejus subditi; possunt tamen hic et nunc censura puniri: quod jure merito constitutum est, ut sic coërceantur mali (3). Sed requiritur, ut non agatur de persona exempta (4): item ut Episcopus eum antequam e territorio discedat, citatione præveniant; tunc enim non subditus ratione judicii inchoati subjectus illi remanet.

Q. 3. *Quomodo se gerere debet dubitans circa censuram?*

R. Cum distinctione: vel dubitat utrum censuram incurrerit: vel utrum ab ea sit absolutus, aut appellationem interposuerit. — Si 1, præcluso scandalo, si dubium vinci non possit debita inquisitione, dubitans de censura se gerere potest perinde ac si eam minime incurrerit; quia ipse possidet in hoc casu propriam libertatem, et *in dubio melior est conditio possidentis.* Ita Layman, Roncaglia, Mazzota, Holzman, Salmanticenses, Sanchez, etc. — Si 2, haberi debet tamquam censura innodatus ob contrariam rationem: cum possessio in hoc casu stet pro censura. Idem dicendum si dubitetur de potestate Superioris, qui illam jam pacifice teneat (5).

Q. 4. *An quis possit censuris pluribus simul innodari?*

R. Affirmative; sicut enim potest quis plura perpetrare peccata specie, numero et gravitate diversa, ita et diversis ligari censuris: est commune cum D. Thoma (6). Imo probabilius propter unum delictum potest quis ligari a diversis, a jure et ab homine, a Papa et Episcopo, ita ut ab utroque debeat absolvi. Sicuti reus catenis obstrictus ab uno, nihil prohibet quominus possit devinci novis catenis ab alio. Hinc si quis Clericum occideret in loco

(1) C. *Ut animar. de constit.* in 6. (2) *V.* Liguori, *Homo Ap. tr.* XIX, n. 5.

(3) C. *fin. de foro compt.* — *V.* Liguori, *Op Mor.* l. VII, n. 23; et l. VI, n. 591. — Bouix, *De judiciis*, p. I.

(4) Prælati regulares possunt censurare suos subditos quocumque loco existentes; quia eorum jurisdictio est magis personalis, quam territorialis. — Etiam Episcopi possunt regulares licet exemptos censurare, nempe si delinquunt extra clausuram vel Ecclesiam propriam, quia exemptio respicit directe locum, non personas. (5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, nn. 66, et 67.

(6) P. 3, p. 22, a. 6. — *Vid.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 28, ubi plures effingit casus.

ubi homicidium sub censura Episcopali est prohibitum, esset censuratus a Papa et ab Episcopo; a Papa ob injuriam in Clericum, ab Episcopo ob homicidium in hominem.

Q. 5. *Quænam est censuræ materia?*

R. Censuræ materia est *culpa mortalis, propria, externa, in genere suo completa, contra legem Ecclesiasticam, et contumaciæ conjuncta.* Explicatur per partes definitio:

Dicitur 1. *Culpa;* nemo enim puniri debet, nisi peccaverit. — Hic notandum, quod si quis esset innocens, sed contra ex probatis juste esset censura ligatus, quamvis in conscientia obstrictus non remaneat, nec fiat irregularis administrando in Sacris, in foro tamen externo se gerere debet uti censuratum, ad vitandum scandalum.

2. *Culpa mortalis;* pœna enim debet esse culpæ proportionata. Quare si quidquam præcipiatur sub censura gravi et totali, quod omnibus inspectis sit leve, illud non poterit obligare ad mortale, et censura non incurreretur (1).

3. *Culpa propria;* nam peccata (ideo et pœna) suos auctores tenere debent. Si vero agatur de communitate, ea quidem ob patratum crimen per modum sententiæ potest interdici; imo suspendi ob bonum commune, licet non singuli deliquerint (hæc tamen suspensio est potius dicenda inhabilitas, quam censura). Quod vero pertinet ad excommunicationem, cum ea sit pœna gravissima, quæ animam afficit, ut Episcopus valide in totam communitatem eam infligat, oportet ut singuli ex communitate deliquerint. Imo debent singuli, qui sunt in culpa, nominatim excommunicari (2).

4. *Externa;* censura enim est actus fori externi ad externam disciplinam pertinens. Neque Ecclesia de iis legem ferre potest, de quibus judicare non valet, uti sunt actus mere interni.

5. *In genere suo completa,* nisi aliud exprimatur. Ratio: odia restringenda sunt, favores ampliandi: quare censuram latam in homicidas non incurrit qui graviter aliquem percutit cum intentione eum interficiendi, si homicidium non sequatur. Eadem de causa censuram non incurrunt homicidium mandantes et consulentes: nisi censura expresse iis sit imposita, et præcise ob mandatum vel consilium; tunc jam delictum esset consummatum, semel dato illo consilio, vel mandato (3).

6. *Contra legem Ecclesiasticam;* quia censura est pœna Ecclesiæ constituta adversus eos, qui præcepta Ecclesiastica violaverint.

7. *Contumaciæ conjuncta,* ita ut adhuc post monitionem delinquatur; secus censura non esset pœna medicinalis, sed mere vindicativa. Hinc non debet imponi ob peccata mere præterita in eos, qui ad meliorem frugem se

(1) Diximus 1; *sub censura gravi et totali;* quia fatentur culpam venialem sufficere ad excommunicationem minorem (vel levem suspensionem aut leve interdictum) v. g. ad breve temporis spatium, et privantem aliquo tantum usu; — *omnibus inspectis,* nam aliquando materia ex se levis potest fieri gravis ex adjunctis, uti scandali, periculi: quod dignoscitur, si prohibitio sit sub censura latæ sententiæ, etc. — *V.* Liguori, *Opus Morale,* l. VII, n. 30; et *Homo Ap. tract.* XIX, n. 4.

(2) C. *Romana de sent. exc.* in 6.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, n. 38, ubi alia disputat.

receperunt, nisi agatur de suspensione et interdicto, quæ aliquando infliguntur per modum puræ pœnæ (1).

Quid (dices) *in dubio circa materiæ gravitatem?* — In tali dubio obligat præceptum Superioris censurantis: possidet enim ejus potestas. Idem est, si dubium sit de justitia causæ, qua Superior movetur ad ferendam censuram: hinc cui mandatur hujus censuræ executio, eam exequi tenetur; quia ad inferiorem non causæ cognitio, sed executio pertinet. Quod valet licet privatim sciat talem esse innocentem; si tamen secundum allegata et probata talis non sit (2), ne scilicet ordo judicii pervertatur.

Q. 6. *An censura possit esse injusta, sed valida?*

R. Si injustitia censuræ se teneat tantum ex parte excommunicantis, uti si censuram ferat ob verum crimen, sed ex odio, ex invidia, ex privata vindicta, etc.; censura servanda est et timenda: *sententia pastoris*, ait S. Gregorius Magnus, *sive justa sive injusta sit, timenda est* (3). Sane tunc deficit solummodo in accidentali.

Si vero censura injusta sit, quia deficit in substantialibus, nullius est roboris; si tamen in foro externo valida appareret esset exterius servanda, ad vitandum scandalum et judiciorum perturbationem.

CAPUT QUARTUM

DE SOLEMNITATIBUS IN CENSURA FERENDA ET CAUSIS EXCUSANTIBUS.

Q. 1. *Quotupliciter ferri potest censura* (4)?

R. Ferri solet censura: — 1 per modum legis generalis: tales sunt omnes censuræ, quæ in jure Canonico ac Pontificum Bullis habentur; — 2 per modum præcepti particularis, ut si superior alicui minetur censuram, si tale opus agat; — 3 per modum puræ pœnæ seu punitionis peculiaris, ut si v. g. Episcopus Titium sacerdotem hic et nunc suspendat a celebratione, volens ita eum punire ob admissam ebrietatem; — 4 per modum sententiæ judicialis, ut si quis v. g. furatus sit, et judex sententiam ipsi mandet, ut intra tot dies restituat, alias ipso facto incidat in excommunicationem.

Q. 2. *An censuræ sit præmittenda monitio?*

R. Generatim loquendo censuræ monitio a judice vel ab alio ejus nomine est præmittenda; cum enim censura sit pœna medicinalis, necessario supponit contumaciam; atqui nemo contumax dici potest, nisi fuerit de errore præmonitus. Confirmatur ex illis Evangelii verbis: *si autem Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (5); ergo coërcitio fieri debet *in non audientes*, id est in contumaces. Sic etiam in jure habetur (6).

(1) Porro ad contumaciam constituendam, sufficit contemptus interpretativus auctoritatis Ecclesiasticæ aliquid sub pœna præcipientis, qualem habere censetur qui scit quidem legis illius transgressioni adnexam esse censuram, sed eam nihilominus committit.

(2) C. *Pastoralis de off. et potest. jud. deleg.*

(3) Hom. 6. *in Evang.*

(4) *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* lib. X, c. 1, n. 7.

(5) Matth. 18.

(6) C. *Statuimus* de sent. excomm.

Diximus *generatim loquendo;* nam si feratur censura per modum simplicis punitionis, nulla requiritur monitio, cum tunc hæc habeat rationem puræ pœnæ. Item est si feratur per modum legis generalis vel præcepti particularis, nulla requiritur monitio; quia ipsa lex ac præceptum jam satis monet.—Monitio ergo proprie dicta tunc requiritur cum censura imponitur per modum sententiæ judicialis: et quidem requiritur trina monitio; vel saltem una pro tribus, modo hæc abbreviatio enuntietur, et tempus tribus monitionibus æquivalens concedatur, spatium nempe duorum dierum pro singula, ideoque dierum sex (1). Hæc ad validitatem; ad licitatem requiritur etiam, ut censura scripto authentico feratur, adnotatis persona, censura, culpa et copia infra mensem censurando exhibita, si petat (2). Neque ipsa ferri debet diebus feriatis, nisi contumacia sit admodum evidens (3).

Q. 3. *Quænam causæ excusant a censura?*

R. Solent adsignari: *ignorantia, metus, impotentia, consensus illius in cujus favorem censura lata est, et appellatio legitime interposita.*

1. *Ignorantia invincibilis* tum juris, tum facti, tum pœnæ: *juris* ut scias a te percutiendum v. g. esse Clericum, sed nescias hanc percussionem adnexam habere excommunicationem; *facti* ut si scias hanc excommunicationem adesse, sed ignoras a te percussum esse Clericum; *pœnæ,* uti si scias et percussionem Clerici ab Ecclesia prohiberi, et quem verberas esse Clericum, sed invincibiliter nescias, percussorem Clerici censurari; nam semper deesset contumacia et censuræ contemptus; voluntas enim non potest ferri in rem ignoratam: quare certum est excusare ignorantiam invincibilem. Imo hoc currit, etiamsi ignorantia sit concomitans, ut si quis v. g. percutit Clericum ignorans esse clericum, sed eo animo, ut adhuc percuteret, si sciret; nam ille licet censuram contemneret, si sciret; actu tamen dici non potest, quod contemnat, cum ipse actu eam ignoret. Si vero ignorantia sit graviter culpabilis seu crassa, per se non excusat a censura, ut merito ac communiter docent; quia hæc involvit summam negligentiam in veritate indaganda et grave pecatum et jam satis Ecclesia contemnitur: talis esset ignorantia illius Clerici qui spectaculis scenicis interesse præsumit fortiter dubitans, an id sit sub censura prohibitum, quin aliquam de dubio expurgando curam agat. Diximus *per se;* nam plerumque ignorantia crassa seu supina excusat, cum plerumque in ea infligenda dicatur: *qui hoc fecerit scienter, consulto, præsumpserit ausu temerario,* etc. (4).

2. *Metus:* metus (respective gravis) si agatur de præcepto ecclesiastico, plerumque tollit obligationem et inde censuram; quia lex ecclesiastica in se sumpta non obligat cum tanto incommodo. Diximus *plerumque;* quia si me-

(1) Sufficit v. g. si dicatur: *mandamus ut intra sex dies restituat, alias excommunicatur ipso facto;* tunc elapsis sex diebus sine restitutione, statim incurritur censura. Quod si periculum sit in mora, v. g. urgeret necessitas violentiam hic et nunc reprimendi, sufficeret una monitio, modo terminus designetur censuram incurrendi.

(2) C. *Cum medicinalis I de sent. excomm.* in 6; et c. *Final. de Feriis.*

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, nn. 52 et seqq., ubi late disserit.

(4) Et ideo tunc ad hanc incurrendam expresse requiritur scientia. Utrum autem in hoc casu excuset etiam ignorantia affectata, negant communius: quia hæc includit dolum formalem et æquivalet scientiæ.

tus incutiatur ad contemptum Religionis aut Ecclesiasticæ potestatis, vel ad patrandum malum gravissimum, de se veluti includens talem contemptum, tunc lex ecclesiastica adhuc obligat; quia non agitur de sola observatione legis, sed de bono publico Religionis conservando (1). Et Ecclesia potestatem habet, uti ait Suarez, obligandi in eo vel simili casu cum dicto rigore: et ita expedit facere, igitur ita obligat; et si censuram imponit, maxime pro illo casu eam imponere censenda est (2). Hoc notent nonnulli, qui ob temporale quod timent damnum, illico et sine ullo scrupulo omnium Ecclesiæ legum violatores se constituunt, vel violatoribus se subscribunt, adeo ut omnis ecclesiasticæ potestatis vis penitus evanescat (3).

3. *Impotentia* sive physica sit, sive moralis; quia ex regula juris: *nemo potest ad impossibilia obligari.* Hinc qui non habet unde restituat, vel non possit id agere sine gravi incommodo, non incurrit censuras latas in non restituentes.

4. *Consensus illius, in cujus favorem censura lata est.* Casus esset si censura lata sit in debitorem, qui intra datum tempus debitum creditori non solvat, sed creditor ei proroget tempus (4).

5. *Appellatio legitime interposita;* hæc enim devolvit causam ad Superiorem, et suspendit usum jurisdictionis in inferiore. Ut tamen appellatio sit legitima, requiritur: 1 ut adsit causa sufficiens; nam appellationis remedium (dicente Innocentio III) *non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum;* 2 ut fiat a judice inferiori ad Superiorem: neque enim quod majus est, coërcetur a minori; 3 ut fiat ante illatam censuram; etenim, re consummata, nullus est amplius consilio locus.

CAPUT QUINTUM

DE CENSURÆ CESSATIONE, SEU DE MODIS QUIBUS CENSURA DELETUR.

Q. 1. *Quot modis censura deleri potest?*

R. Multipliciter: nempe abrogatione, revocatione, cassatione, morte ferentis, morte censura irretiti, lapsu temporis et absolutione.

1. *Abrogatio* censuræ fit, cum lex nova, vel legitima consuetudo revocat legem veterem, a qua censura illata erat. — Abrogationis effectus non est,

(1) Quando non intervenit hæc ratio, metus excusat a censura; etsi adhuc non excusaret a culpa, ut cum res jam est prohibita jure naturæ. Et ideo qui ob gravem metum patraret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem; sed non incurreret censuram quia non peccaret contra jus Ecclesiæ, contra cujus potestatem specialis injusta contumacia ad censuram requiritur. Excipe nisi aliter Ecclesia declaret, uti declaravit contra duellantes, quos vult incurrere pœnas ecclesiasticas, etsi duellum acceptetur ex gravi metu.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, n. 46.

(3) Cæterum non est tam facilis inquisitio, quando res instituitur de casu aliquo particulari, num scilicet liceat eo in casu agere, non obstante ecclesiastica lege, quin culpa incurratur ac censura; id pendet a variis locorum, temporum ac personarum circumstantiis, quæ veniunt mature pensandæ; quare sine consilio nihil est resolvendum. Plerumque etiam ad vitanda majora mala præstat dissimulare.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 63.

ut qui in censuram inciderit, statim incipiat ab eadem esse solutus (nam qui semel ligatus est, non liberatur sine obtenta absolutione); sed tantum ut si post legem abrogatam aliquid commiserit adversus ipsam, non amplius censuram incurrat.

2. *Revocatio* contingit in censura, quando Superior, causa melius perspecta, latam censuram revocat.

3. *Cassatio* fit auctoritate Superioris in judicio appellationis. In hoc differt ab ipsa revocatione, quod revocatio locum habeat extra judicium appellationis; cassatio vero in eo tantummodo.

4. *Morte ferentis* cessat censura, si sit ab homine. Sic v. g. si Prælatus sub censura alicui indixisset, ut se abstineret a certa aliqua re, si præcepto illo numquam violato, Prælatus moriatur vel etiam a jurisdictione suspendatur, aut ad aliam Ecclesiam transferatur, subditus post ejus mortem vel suspensionem aut translationem, etiamsi rem agat præcepto illo prohibitam, nullam censuram incurreret.

5. *Mors censura irretiti* intelligitur tamen de suspensione et excommunicatione minori; non vero de interdicto et excommunicatione majori, quæ durat in privatione sepulturæ, suffragiorum, etc.

6. *Lapsus temporis* censuram extinguit, si ad modum pœnæ ad tempus fuerit inflicta. Idem dicitur de censura *sub conditione*, quæ suum jam habuerit implementum, ut ipsa res patet per se.

7. Numeratur *absolutio*, quæ est relaxatio pœnæ formis ab Ecclesia præscriptis peracta. Hæc adeo necessaria est, ut etiam præstita satisfactione et secuta emendatione (nisi interveniant causæ mox dictæ), adhuc censura etiam coram Deo maneat, quoadusque absolutio sequatur, uti patet ex hac sub n. 44 propositione ab Alexandro VII diris devota: *quoad forum conscientiæ, reo correpto ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

Q. 2. *Quod modis spectari potest absolutio a censura?*

R. Triplici modo: vel ratione fori, in quo conceditur; vel ratione modi, quo datur; vel ratione personæ, cui vel a qua tribuitur (1).

1. Ratione *fori:* cum forum Ecclesiæ sit duplex interius et exterius; cumque censuræ absolutio in utroque habeat locum, duplex ideo est absolutio: alia ad forum *interius*, alia ad *exterius* pertinet.

2. Ratione *modi* est multiplex. Alia est *pura* et *simplex*. Alia *sub conditione* vel de præterito, v. g. si jam satisfecisti, ego te absolvo; vel de præsenti, v. g. si nunc satisfacias, te absolvo; vel de futuro, v. g. si satisfacies in posterum, nunc pro tunc te absolvo. Alia *ad cautelam*, qua si forte quis ligatus est censura, ad cautelam absolvitur in foro interno. Alia *ad reincidentiam;* quæ datur sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat. Alia *totalis*, qua censura ex integro tollitur tam in se, quam in omnibus suis effectibus. Alia *partialis*, qua non tolluntur nisi effectus quidam partiales, v. g. privatio vocis activæ in electione canonica: et hæc est absolutio improprie dicta.

3. Ratione *personæ* considerari potest vel ex parte illius, qui absolutionem elargitur; vel ex parte illius, qui eam in se recipit. Qua in re hoc maxi-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 116 et seqq.

me requiritur, ut absolvens potestatem habeat censuram auferendi; et absolvendus nullo detineatur impedimento, quo quidem prohibeatur absolvi.

Q. 3. *Quinam a censuris absolvere possunt?*

R. In ipso mortis articulo seu periculo quilibet Sacerdos etiam nondum approbatus ad Confessiones (imo etiam excommunicatus, si alii desint), habet facultatem absolvendi a quibuscumque censuris, uti receptum est. Sane æquum est, ut omnis tunc reservatio cesset, atque omnibus modis juvetur moribundus. Exigenda tamen est ab infirmo (ut ratio suadet, et docent communissime), (1) promissio satisfaciendi parti læsæ, et se præsentandi Superiori, si convaluerit: nempe pro congrua pœnitentia ab eo suscipienda: secus ex jure reincidit in censuram (2). — Si vero non agatur de casu necessitatis, tunc distinguendum: vel sermo est de censuris non reservatis, vel de censuris reservatis.

1. Si sermo sit de censuris *non reservatis*, quilibet Sacerdos approbatus absolvere potest, *nisi censuræ latæ sint ab homine per sententiam specialem;* vel *etiam a jure, sed in aliquam designatam communitatem.* Ita se habet Ecclesiæ universalis usus, ut docent communiter Concina, Roncaglia, Salmanticenses et Tournely cum D. Thoma (3); et colligitur ex jure (4). Idque affirmatur tam pro foro interno, quam pro externo; cum probabilius qui habet potestatem absolvendi in foro interno, id possit etiam extra Confessionem; quia hæc absolutio magis externum forum respicit. Excipe tamen Episcopos, qui extra Sacramentum Pœnitentiæ nequeunt absolvere a censuris Papalibus occultis, uti declaravit Gregorius XIII. Diximus: 1 *nisi latæ sint ab homine per sententiam specialem*, nam in hoc casu vim retinent, ut ille solus eas valeat solvere qui easdem intulit, vel ejus delegatus, vel superior (5); 2 *vel etiam a jure, sed in aliquam designatam communitatem;* eo enim in casu nemo potest absolvere qui in illam jurisdictione non polleat; cum locus foro pœnitentiali non subjiciatur.

2. Si vero sit sermo de censuris *reservatis*, ne frustranea evadat hæc reservatio, dicendum est Sacerdotes etiam ad Confessiones approbatos nullam habere ex se facultatem super censuras istas, nisi speciali mandato ad id deputentur; ideo *id unum pœnitentibus persuadere nitantur*, verba sunt Tridentini, *ut ad Superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.*

Quæres: *quinam sunt Superiores et legitimi judices, qui possunt a censuris reservatis valide absolvere?* — Generatim sunt qui possunt censuras inferre; nam per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur. Cui tamen generali principio hæc specialia subdimus:

1. Episcopi possunt ex Tridentini decreto (6) absolvere subditos ab omnibus censuris R. Pontifici reservatis; modo tamen censuræ contractæ sint per

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 83 et 91: atque l. VI, n. 585.

(2) *V.* Pavone, *La luce fra le tenebre,* nn. 75 et seqq. (3) Suppl. q. 42, a. 1.

(4) C. *Nuper*, 29 *de sent. excomm.*

(5) Nota: *per sententiam specialem*; etenim si censura sit quidem ab homine sed per sententiam generalem absque ulla reservatione, est communissimum eas tunc æquiparari censuris latis a jure non specialiter reservatis. (6) Sess. 24, c. 6 de Ref.

delictum occultum, nec fuerint ad forum contentiosum deductæ; et etiam suspensione et irregularitate excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario (1).

2. Concessa alicui facultate absolvendi a casibus Papalibus, non intelligitur simul ei concessa facultas absolvendi a casibus in Bulla *Cœnæ* expressis; quia in generali concessione non veniunt, quæ Superior sibi specialiter reservavit, uti sunt casus illi *(P)*.

3. Concessa alicui facultate absolvendi etiam a casibus in Bulla *Cœnæ* expressis, non comprehenditur facultas absolvendi ab hæresi, quamvis occulta, uti tradit Benedictus XIV in Bulla *Convocatis*. Si tamen causa ad forum Episcopi deducta sit et resipiscat hæreticus, Episcopus poterit eum tunc absolvere, uti dicunt auctores.

4. Vi juris communis potest Episcopus per se vel per alios absolvere in utroque foro ab omnibus casibus reservatis impeditos Romam adire, ut communiter habentur senes, pueri, filiifamilias, regulares, carceribus detenti, infirmi, mulieres, pauperes, impuberes, collegialiter viventes, obstricti cura alendi familiam vel gerendi publicum officium, et cæteri qui nequeunt Romam proficisci sine gravi damno suo vel suorum, sive temporali sive spirituali. Et tunc si impedimentum sit *perpetuum*, et tale habetur si durare possit per decennium, absoluti ab Episcopo omnino remanent liberi (2); si sit *ad longum tempus*, nempe si duret per annum vel sex menses, potest adhuc absolvere Episcopus, sed emitti debet (excepto impedimento ætatis puerilis) juramentum ab eo, qui absolvitur, de se nempe quantocius Superiori præsentando, sub pœna reincidentiæ; si sit *ad breve tempus*, nempe per dies, potest tantum absolvere Episcopus, si urgeat necessitas celebrandi aut communicandi, ad vitandam infamiam vel scandalum, in suo statu manente censura et cum obligatione se præsentandi Superiori; nam censura non pug-

(1) Ita Tridentinum ex cap. *Liceat* 6; sess. 24. Imo Episcopi possunt absolvere et a papalibus occultis, etiam post Tridentinum reservatis, quia Concilium indefinite dat hanc facultatem: excipe si in aliqua posteriori Bulla adsit clausula derogatoria, ut si dicatur, *non obstantibus decretis cujusvis Concilii*, vel *nisi in mortis articulo*, etc. Possunt autem Episcopi ab hisce occultis casibus absolvere etiam alienigenas, cum fiant subditi in Pœnitentiæ Sacramento. Hanc ipsam facultatem habent etiam Vicarii capitulares, sede vacante. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 593, etc.

Quæstio est, *an Episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata in Confessarium qui complicem suum absolvit, si casus sit occultus*. Negat Diana, nam casus iste per se occultus est, et ideo si Episcopus posset ab illo absolvere, foret inutilis Pontificis reservatio. Sed alii plures probabiliter affirmant cum Salmanticensibus; nam non omnino redderetur inutilis reservatio; quamvis enim ordinarie loquendo casus ille occultus sit, potest tamen evenire ut publicus evadat ex divulgatione pœnitentis, etc. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 556.

Illi casus reputantur occulti, qui in judicio non fuerunt probati, et aliqua tergiversatione celari possunt in vicinia, ut si paucis, v. g. tribus aut quatuor personis discretis innotesceret tantum, aut si factum appareret dubium. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 593. — Crimen autem habetur *deductum ad forum contentiosum*, quando ibi probatum est saltem per unum testem; si tamen reus se purgavit a crimine in judicio, etiam malis artibus, poterit ab Episcopo absolvi tamquam de delicto occulto.

(2) Ex c. *De cætero* de sent. excomm. — Neque perpetuo impediti tenentur R. Pontificem vel per epistolam adire vel per procuratorem, cum nihil tale præscribatur. Quod autem ad Pœnitentiariam fiat recursus, non concludit; hoc enim privilegium est favorabile, quo nemo uti tenetur: vel etiam ad illam fit recursus ob temporarium impedimentum, ut eo tunc cessante, obligatio minime reviviscat.

nat cum statu gratiæ, sed tantum Ecclesia facit pœnitentem indispositum, et prohibet a Sacramentis: quæ prohibitio desinit obligare, ubi contra ipsam concurrat præceptum fortius, vitandi grave sui damnum.

5. Demum concessa facultate ab Episcopo absolvendi a casibus reservatis, non intelligitur de iis peccatis, quibus adnexa est censura reservata. Secus si talis concessio fiat a R. Pontifice; quia omnes casus Papales sunt reservati cum censura et propter censuram, si duo excipiantur, uti videbimus de Pœnitentia agendo. — Pariter facultas concessa in Jubilæo absolvendi ab omnibus reservatis intelligitur ex communi usu etiam a reservatis ab Episcopis (1).

Q. 4. *Quidnam requiritur in absolvendo a censura?*

R. In absolvendo a censura hæc jure requiruntur: 1 ut absolutionem postulet: *nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur* (2). Cum textus non dicat *non potest*, sed *non debet*, ideo ex Angelico censuratus, si emendatus, etiam renitens valide posset absolvi (3); 2 ut primum satisfaciat parti læsæ, in cujus damnum commissum est crimen cum censura (nisi pars remittat): quod si non possit, juret se quamprimum poterit satisfacturum (4); 3 ut si sermo sit de crimine enormi, v. g. de scandalosa Ecclesiæ violatione, gravi Clericorum percussione, ante absolutionem juramentum exhibeat de tali crimine amplius non patrando (5); tanta enim solemnitate criminis enormitas magis aperitur, atque magis homines terrentur ab illo.

Etiam absens valide absolvitur; absolutio enim a censuris non est Sacramentum, sed mera relaxatio vinculi ab Ecclesia impositi, quæ potest etiam in absentes pronuntiari per nuntium, vel litteram (6). Non id tamen licet sine gravi causa, cum sit contra usum.

An (quæres) *valida sit absolutio extorta per metum?* — Si metus ille juste incussus est, v. g. si absolutio extorta sit a judice, qui, cessante contumacia, nolit absolvere, absolutio valida est; quia cogitur superior ad quod jam tenetur. Si vero metus sit injuste incussus, absolutio illa erit invalida: imo qui metum incutit, excommunicatione irretitur (7). Pariter nulla est absolutio data ob falsam causam, quæ sit principalis.

Q. 5. *Quænam est forma pro censuræ absolutione?*

R. Ad valide absolvendum nulla requiritur determinata verborum vel actuum externorum forma; cum in jure nihil determinetur usurpandum sub pœna nullitatis: unde sufficit ut Superioris voluntas signo aliquo sensibili manifestetur, ut alteri nota fiat. Sed ad licite absolvendum in foro interno ista adhibetur forma in Pœnitentia consueta: *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti*, in foro vero externo adhibetur forma in Rituali descripta (8).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII. n. 84 et seqq.

(2) C. *Per tuas* de sent. excommunicat. — Liguori, *Homo Apost.* tr. XIX, n. 14.

(3) P. 3, q. 24, a. 2.

(4) C. *Odoard. de solut.* et c. 23 de verb. sign.

(5) C. *de cætero;* et c. *ex tenore*, de sent. excomm. — *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. VI, n. 537; l. VII, n. 116 etc.

(6) *Decr.* 2, par. caus. 2, q. 1, c. 17 de manifesta.

(7) C. unic. *de his, quæ vi* in 6.

(8) Collegiorum maxime Directores, si eveniat casus, quo alumnum debeant ab incursa censura

CAPUT SEXTUM

DE SINGULIS CENSURÆ SPECIEBUS.

Ex recenti disciplina omnis censura revocatur *ad excommunicationem, suspensionem* et *interdictum*. Id deducimus ab illo Innocentii III responso: *quærenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi... respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi* (1).

ARTICULUS I — De excommunicatione (2).

Q. *Quid est excommunicatio?*

R. Excommunicatio pressius definitur *a communione exclusio;* sed communiter definiri solet *censura, per quam ab Ecclesiæ communione aliquis separatur:* sive *bonis quæ inter fideles communia sunt; vel ex parte vel ex toto privatur*. Diximus *bonis quæ inter fideles communia sunt;* quia tam Lutheri quam Jansenistarum in Pseudosynodo Pistoriensi sedentium doctrina tradens *excommunicationem esse pœnam tantummodo externam, neque privare fidelem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus*, damnata est ab Ecclesia Catholica, in Lutheranis a Leone X Bulla *Exurge*, in Jansenistis a Pio VI Bulla *Auctorem fidei;* cum enim sit pœna spiritualis, maxime spiritualia afficere debet.

Excommunicatio duplex est: 1 una major, quæ semper intelligitur cum absolute fit mentio excommunicationis, et privat excommunicatum omni Ecclesiastica communione, sive omnibus bonis, quæ in Ecclesia communia sunt; 2 alia minor, quæ eumdem privat dumtaxat usu passivo seu receptione Sacramentorum.

§ 1—*De excommunicatione majori in genere.*

Q. 1. *Quomodo distinguuntur excommunicatione majori irretiti?*

R. Distinguuntur in duas quasi classes: quarum alia complectitur eos qui

absolvere, hæc notent: —1 si agatur de censuris a jure latis nec reservatis, etsi alumnum possint etiam extra Confessionem absolvere, id tamen non agant, nisi in Confessione juxta hodiernam praxim, adhibendo tantummodo formam consuetam: *absolvo te ab omni vinculo* etc.: quæ absolutio valet etiam pro foro externo; — 2 si censura est reservata, sed Director sit vel ab Episcopo vel a S. Pœnitentiaria ad absolvendum delegatus (ut solet delegari in casu percussionis alicujus Clerici, tunc nonnisi secreto, et in Confessione absolvere potest: utatur autem supradicta forma: — 3 ad solemnem et publicam absolutionem, prout ea describitur in Rituali, procedere non debet sine mandato Episcopi, qui id tantum præcipere solet, quando crimen toti communitati maximo scandalo fuit. Hoc valet etiam pro cæteris a censura absolventibus.

(1) C. 20 *de verb. signif.*

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 133 et seqq. Olim triplex excommunicatio major: *simplex, anathema, et maranatha:* 1ª solo verbo; 2ª pluribus cæremoniis pronuntiabatur; per 3ᵐ excommunicatus ab Ecclesia perpetuo arcebatur, solius Dei judicio relictus. Vid. Benedictus XIV, *De Synod.* l. X, c. 1.

dicuntur *non tolerati* et *vitandi*, quos scilicet fideles vitare tenentur ; altera eos complectitur, quos vocant *toleratos* et *non vitandos*, quos nempe fideles non tenentur vitare. Hic notandum est, quod veteri disciplina omnes excommunicati erant æque vitandi et non tolerati. Sed post *Extravagantem* Martini V. *Ad evitanda scandala* anno 1418, hoc nomine non veniunt, nisi qui expresse et nominatim excommunicati sunt, atque ut tales denuntiati: necnon publici et notorii Clericorum aut Regularium percussores. Non adest ergo obligatio vitandi excommunicatos, etiam notorios, licet hæreticos, nisi isti sint nominatim excommunicati, expressis nomine et circumstantiis personæ, atque amplius nisi sint publice denuntiati, nempe declarati excommunicati in loco publico aut scripto aut voce (1).—Verum etsi ex juris dispositione non teneamur eos vitare, adsunt tamen circumstantiæ peculiares, in quibus etiam isti vitandi sunt ex præcepto prudentiæ vel charitatis, quoties nempe eosdem non vitando adesset periculum scandali aut damni spiritualis : vel cum ex illorum fuga spes prudens oriretur eorum emendationis; quæ omnia in hæreticis præsertim locum habere solent. Quare Apostolus inquiebat: *hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita* (2). In dubio, an quis sit vitandus, non tenemur eum vitare : etenim ex illo juris: *odia sunt restringenda* (3).

At (quæres) *ipse toleratus poteritne cum fidelibus communicare?*

Vel ab ipsis fidelibus rogatur; vel nullimode rogatur. Si non rogatur communicare non potest sine gravi peccato neque in Divinis neque in humanis : quia Martinus V facultatem communicandi concessit in favorem fidelium, non in gratiam excommunicati. Si vero rogatur ab ipsis fidelibus, tunc haud peccat cum iis communicando ; ex quo enim facta fuit fidelibus ab Ecclesia facultas communicandi cum excommunicato tolerato, indirecte indultum est etiam excommunicato, ut communicare valeat sine peccato cum iis, a quibus rogatur. Hoc omne etiam de suspenso et de interdicto tolerato valet; nam Concilium Constantiense in Constitutione *Ad evitanda* universe loquitur de quacumque censura (4).

Q. 2. *Quinam sunt effectus excommunicationis majoris?*

R. Octo sunt effectus majoris excommunicationis: 1 *privatio activa* usus Sacramentorum, idest privatio facultatis ea conficiendi et ministrandi :

(1) Liguori, *Homo Apost.* tract. XIX, n. 15. (2) Tit. 3.

(3) Cum Pius VII, celebri Bulla, *Quam memoranda* 10 junii 1809 (quam refert card. Pacca, *Memorie Storiche* ecc.) excommunicasset ipso facto qui usurpaverant civilem R. Ecclesiæ Principatum, quo quidem *divina providentia illam donatam voluit ad ejus dignitatem, atque ad liberum supremi Apostolatus exercitium tuendum*, ut ait Pius IX Encycl. 17 apr. 1848, illico dubitatum fuit, an essent vitandi, qui in contextu Bullæ indicabantur his verbis: *mandantes, fautores, consultores, adhærentes vel alii quicumque prædictorum executionem procurantes, vel per se ipsos exequentes.* — Responsio fuit negativa: quia nonnisi generatim ipsi designabantur, nec ullus eorum erat nominatim denuntiatus, neque ipse Napoleon I, contra quem principaliter excommunicatio lata erat (*V. Correspondence Authent. de la Cour de Rome avec la France*, pag. 129). Hæc autem excommunicatio jam erat incursa, utpote jam lata in Bulla *Cœna;* sed iterum fuit renovata ad terrorem, etc.

(4) Idque non modo in humanis negotiis licet, quod omnes fatentur; sed etiam in divinis, ut fert opinio probabilior. Neque enim facultas fidelibus concessa distinguit ; sed universim data fuit, uti notant Sanchez, Sotus, Salmanticenses, etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 140.

2 *privatio passiva* ejusdem usus, idest privatio facultatis ea suscipiendi; 3 *privatio* participationis publicorum suffragiorum et precum in Ecclesia communium; 4 *privatio* usus divinorum Officiorum; 5 *privatio* communionis forensis et civilis; 6 *privatio* jurisdictionis; 7 *privatio* sepulturæ ecclesiasticæ; 8 *inhabilitas* ad obtinenda Beneficia, Officia Ecclesiastica et Rescripta (*Q*).

N. 1—*Privatio activa et passiva Sacramentorum.*

Q. 1. *An excommunicatus valide Sacramenta conficiat et ministret?*

Ad validam confectionem et administrationem quod attinet Sacramentorum, excommunicatus sive toleratus sive non, ea valide conficit et ministrat; nam ubi omnia ad Sacramentum necessaria concurrunt, nequit Ecclesia illud invalidare. Excipitur *Pœnitentia* pro excommunicato vitando; certum est enim a vitando invalide hoc Sacramentum administrari extra casum necessitatis; cum requiratur potestas non tantum Ordinis, sed etiam jurisdictionis, qua excommunicatus vitandus caret ex Ecclesiæ præscripto extra dictum necessitatis casum.

Si vero quæratur, an excommunicatus etiam licite Sacramenta conficiat atque ministret, distinguendum est inter toleratum et non toleratum., 1 toleratus potest utique licite Sacramenta conficere et administrare, quotiescumque a fidelibus expostuletur. Imo docent complures eumdem posse etiam probabiliter celebrare, tametsi non expostuletur, si dies festus occurrat, neque alius adsit Sacerdos qui Missam valeat pro populo celebrare; nam tunc juste præsumitur populus Missam petere ad implendum præceptum;—2 non toleratus nequit ne rogatus quidem Sacramenta conficere aut ministrare; quia omnis cum fidelibus communicatio expresse interdicta est a jure. Excipe nisi in ea circumstantia constituatur, in qua non administrans grave sit passurus incommodum, v. g. jacturam bonorum; cum Ecclesiæ præcepta non obligent cum gravi incommodo. Item potest Viaticum et Extremam Unctionem ministrare infirmo, quando iste nequeat rite confiteri peccata ob infirmitatis suæ indolem, ideoque nec rite et complete Pœnitentiæ Sacramentum suscipere: quia forte illis potest omnino indigere. Sane proximus in extremis constitutus omni, quo potest modo, juvandus est (1).

Quid (quæres) *de illo, qui a vitando Sacramenta recipit?*—Qui a vitando Sacramenta scienter recipit sine necessitate, peccat graviter; cum transgrediatur præceptum grave, et jure incurrit etiam in excommunicationem minorem. Imo qui scienter suscipit Ordinem ab Episcopo vitando, incurrit suspensionem ab illius exercitio (2).

Q. 2. *An excommunicatus possit Sacramenta suscipere?*

(1) Hic autem notandum est, quod excommunicatus illicite sacramenta ministrans incurrit irregularitatem sive sit vitandus sive non. Nam Martinus V declarat irregularem quemlibet constitutum *in Sacris, qui post excommunicationem præsumpserit, quasi in officio suo agere sicut prius.* Quod vero pertinet ad Baptismum et Nuptiarum benedictionem, irregularitas non tenet, si privatim tantummodo hæc fiant; tunc enim non est proprie officium suum exercere.— V. Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 166.

(2) C. *Cum illorum* § fin. de sent. excomm.

R. Si sermo sit de valida susceptione, certum est excommunicatum sive toleratum sive non toleratum valide omnia Sacramenta saltem quoad substantiam suscipere, excepto Sacramento Pœnitentiæ. Imo verius ne isto quidem excepto, si invincibiliter ignoret id sibi prohiberi, nec cætera desint requisita in excommunicato; cum ex una parte non sit indispositus, quia ignorando prohibitionem, ignorat etiam suam indispositionem: et ex altera nequeat Ecclesia directe inhabiles reddere ad Sacramenta eos, qui jure divino habiles sunt.

Si vero quæratur de licitate, dicimus cuilibet excommunicato sive vitando sive non nefas esse Sacramenta suscipere, nisi eum excuset ignorantia invincibilis, vel metus gravis, qui non sit incussus in contemptum censuræ. Alioquin frustraretur Ecclesiæ lex in re gravi.

Quid (quæres) *si Minister Sacramentum conferat excommunicato?*

Si Minister scienter confert Sacramentum excommunicato vitando, peccat graviter; quia communicat in Divinis cum indigno, et incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ et excommunicationem minorem, imo aliquando etiam majorem (1).—Si vero Sacramentum scienter conferat excommunicato non vitando, peccabit quidem gravissime contra præceptum divinum, quod prohibet Sacramenta indignis ministrari, tanto magis si aliis id notum sit, cum tunc addatur etiam scandalum; non tamen peccabit vi censuræ, idest contra legem Ecclesiasticam; quia hæc probabilius non impedit communicationem cum excommunicato tolerato neque in Divinis (2). Hinc licet ministrare Sacramenta excommunicato, qui sit in bona fide; quia tunc ea non dantur indigno: idem est si excommunicatus publice petat, et hæc ejus indignitas sit occulta, ne prodigatur ejus fama.

Quid (dices) *si dubium sit, an quis absolutionem ab incursa censura jam sit consecutus, necne?*—Sacramentum fas erit ei administrare si petat, maxime si ipse affirmet se fuisse absolutum; quia non est præsumendus velle de novo delinquere. Ita Croix, Suarez, etc.

(1) *V.* infra *de excomm. minori.*

(2) En extravagans Martini V in Concilio Constantiensi: *insuper ad vitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christifidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra: prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere vel aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare. Nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, Collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, a judice publicata vel denuntiata specialiter et expresse. Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: salvo si quem pro sacrilegio et manuum injectione in Clerum, sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari. nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstinere, juxta canonicas sanctiones. V.* Bonacina, *De excommunicatione*, disp. 2, q. 2, punct. 2, § 2, ubi clare et fuse pro more.

Et inde additur ex Bulla Leonis X quinto Lateranensi inserta: *per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos et interdictos seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare. nec eis quomodolibet suffragari.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 135.

N. 2—*Privatio suffragiorum, precum ac divinorum Officiorum.*

Q. 1. *An possint fieri suffragia pro excommunicatis?*

R. 1. Si sermo sit de precibus suffragiisque privatis, quæ proveniunt ex bonis operibus, quæ fideles proprio nomine et persona sua particulari peragunt, uti sint jejunia, orationes aliaque, quæ a privatis fidelibus, aut ab Ecclesiæ ministris, sed in persona privata, fiunt, privatus quilibet certe potest pro excommunicatis etiam vitandis orare, et facere secreta suffragia etiam in Ecclesia et loco publico: imo Sacerdos uti persona privata potest etiam pro iis Sacrum offerre, vel eorum in specie meminisse in *Memento*, ad hoc nempe ut Deus eos convertat. Ratio est quia excommunicati etiam vitandi privantur quidem communione Ecclesiæ hoc sensu quod Ecclesia sua bona non participet nisi iis, qui sunt ejus membra viva; at non privantur communione charitatis quippequæ omnes etiam infideles amplectitur: unde est quidem prohibitum ipsis applicare merita Ecclesiæ, quatenus Ecclesiæ, non vero applicare opera charitatis.

R. 2. Si vero sermo sit de precibus ac suffragiis, quæ fidelibus proveniunt ex operibus nomine Ecclesiæ ab ejusdem ministro actis, uti sunt Missæ, exequiæ, Officia, aliaque pia opera, quæ fiunt ab Ecclesiæ Ministris prout sunt tales, et in nomine Ecclesiæ (ad quæ etiam Indulgentiæ revocantur), tunc certum est hæc pia opera non posse applicari excommunicatis vitandis, uti constat ex variis juris capitibus (1) et Ecclesiæ usu. Hinc nullæ sunt preces, quæ pro talibus in persona Ecclesiæ intercedentis pro ipsis, Deo offeruntur. Quod longe probabilius valet, etsi taliter excommunicati contriti sint et in gratia, nec per ipsos stet quominus absolvantur; nam vinculum ab Ecclesia positum, ab ipsa Ecclesia auferendum est, ut habeantur apud ipsam absoluti.—Tota quæstio est de excommunicatis non vitandis, an videlicet pro ipsis (præsertim si sint manifesti), possint oferri Sacrificia, fieri suffragia, et communes in Ecclesiæ preces fundi ac Officia decantari: alii probabiliter negant cum Bellarmino et Suarez; tum quia concessio facta a Concilio Constantiensi communicandi cum excommunicatis toleratis, est tantum in favorem fidelium, non vero in levamen excommunicatorum; at hi multum sublevarentur, si liceret hoc modo pro iis orare; tum quia hæc communicatio est tantum concessa ad vitanda scandala et pericula, et subveniendum timoratis: porro si ista suffragia fiant, nedum scandalum auferatur, augeretur.

Sed alii non minus probabiliter cum Navarro, Palao, Coninchio, Hurtado et Diana docent licitum esse pro illis offerri Sacrificia, etc. etiam nomine Ecclesiæ; quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendæ sunt; dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, id concessum etiam fuit quoad divina Officia; ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Nec obstat quod Concilium non intendat per hoc sublevare excommunicatos; quia hoc intelligendum est de sublevatione directa: nam indirecte et ex consequenti, ex hoc ipso quo aliis conceditur fa-

(1) Cap. *Sacris*, et *a nobis de sent. excomm.*

cultas cum iis communicandi, aliqua utique sublevatio conceditur. Quod autem additur fore scandalosum, si publice pro tolerato excommunicato Sacrificium offeratur vel aliud simile, generatim non est verum : imo sæpe potest magna turbatio timeri, si id omittatur, uti esset (inquit Coninchius) si in aliquibus locis in Sacrificio vel alia prece publica semper nominetur Princeps vel Episcopus, sed statim eorum nomina omnes omitterent, postquam illi publice aliquod fecissent prohibitum sub excommunicatione latæ sententiæ (1).

Q. 2. *An excommunicatus possit divinis Officiis interesse?*

Nota. Per Officia divina hic intelliguntur: Missa, publicæ processiones, Horæ solemniter decantatæ, solemnis benedictio, consecratio chrismatis, et similes cœremoniæ, quæ fiunt ex instituto Christi vel Ecclesiæ; aut quæ propriæ sunt Ordinis clericalis, ut cantus Epistolæ vel Evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica, etc. Hoc autem posito:

R. Excommunicatus prohibetur sub mortali his interesse; quia censura privatur eorumdem usu, nisi eum excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandali. Unde excommunicatus si Sacrum faciat, et excommunicationis recordetur, tenetur illico ipsam Missam interrumpere, nisi jam consecraverit; quia tunc debet continuare Sacrificium, ne illud faciat mutilum. Hic duæ ponuntur exceptiones: 1 *excipitur auditio concionis;* nam eam excommunicatus potest audire, cum in hoc nulla sit communicatio proprie dicta. Sed non potest per se eam peragere, nisi sit toleratus et ab aliis requiratur, vel ad hoc per se obligetur ex officio; quia tunc requiri præsumitur;—2 *usus excipitur Sacramentalium;* nam ista licet summam venerationem et reverentiam mereantur, inter officia tamen divina non recensentur. Unde excommunicato non prohibetur eorum usus, non quidem ut participet fructum, quem producunt ex benedictione Ecclesiæ; sed tantum, ut ea veneretur (2). Ita potest uti imaginibus, Reliquiis, aqua benedicta et aliis rebus sacris, ut eas honorando, gratias, quibus indiget, obtineat.—Hinc versus licentia poëtica dimensi:

Missa, preces publicæ, processio, cantus Horarum,
Cunctaque per Clerum celebranda solemniter. Usus
Excipitur Sacramentalium, atque auditio Verbi.

(1) Ceterum si revera offendantur fideles, id non liceret; sed scandalum esset prius amovendum: quo remoto, ajunt, Parochum v. g. posse, si aliter gravissima timeat incommoda ac turbationes, excommunicatis toleratis funebres honores concedere, pro iis sacrificia oferre, etc. quasi nempe in tali necessitate passive se habendo. Quod enim iis debeant suffragia negari, non est de jure divino, quod tantum vetat sacramenta ipsis ministrari, ne sanctum detur canibus; neque de jure naturali, cum orationes publicas agere per se bonum sit (modo tamen si agatur de suffragando defuncto, non constet ipsum esse mortuum impœnitentem); nam per suffragia honor Deo exhibetur, et si ea non prosunt defuncto, cedunt directe in commodum fidelium tum spirituale ob meritum charitatis, tum temporale ob stipendia, etc., quæ hi percipere possunt ex oblationibus pro ipso oblatis. Unde prohibitio esset tantum ab Ecclesia: porro hæc vel id non prohibet, vel si prohibet generatim talis prohibitio in præsenti gravissimæ necessitatis casu cessat, cum lex humana non obliget cum gravi incommodo. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 164.

(2) Imo neque eidem prohibetur Ecclesiæ ingressus ad orandum private, quando divina Officia non celebrantur. Poterit etiam ingredi cum recitantur Officia divina, dummodo id fiat justa de causa, quæ communionem in Divinis minime importet cum fidelibus, v. g. ut satellitum manus effugiat.

Q. 3. *An obligatus ad Horas per excommunicationem liberetur?*

R. Negative: ab Horis non liberatur, nam *nemo debet reportare commodum a propria iniquitate.* Eas tamen recitando non debet dicere: *Dominus vobiscum*, sed *Domine, exaudi orationem meam;* quia illa formula importat quamdam salutationem ad populum: secus venialiter peccaret. Sunt tamen qui censent, eum omnino non peccare etiam illam salutationem usurpando, si solus recitet; quia tunc est tantum privata oratio (uti ajunt) pro aliis.—Imo Horas privatim recitare cum aliis non videtur, nisi veniale pro ipso vitando. Quia licet iste prohibeatur cum aliis communicare etiam in oratione privata; attamen, secluso scandali periculo et Ecclesiæ contemptu, non censetur materia gravis socium sibi sumere ad recitandum privatim Officium divinum vel Rosarium vel preces hujusmodi (1).

Q. 4. *An possit Sacerdos Sacra peragere, et fideles Sacris interesse una cum excommunicato?*

R. Affirmative, si excommunicatus sit toleratus; quia tunc ipsis permittitur cum tali excommunicato communicare. Si vero excommunicatus sit vitandus, hoc nefas est ob rationem contrariam. Hinc qui assistit eidem Missæ, quam audit talis excommunicatus, incurrit minorem excommunicationem, et probabilius peccat mortaliter; quia audientes simul conveniunt in Missa in una oblatione.

Sed (dices) *quid agendum erit, si adsit talis excommunicatus vitandus in templo?*—Si monitus non velit egredi, tenentur Clerici eum (etsi Sacerdotio insignitum), expellere si possunt; sine percussione tamen et scandalo. Si non possunt, Divina Officia cessabunt: videlicet Sacerdos, si Missam celebrat, abrumpat extemplo, Canone nondum inchoato. Si Canonem inchoaverit, poterit (cæteris abeuntibus) Sacrum perficere, vel in aliorum sententia æque probabili illud adhuc abrumpere. Si vero jam consecraverit, solo ibi manente Ministro, pergat usque ad Communionem inclusive, et alia perficiat vel in Sacrario vel in alio loco decenti; quia integritas Sacrificii est de jure Divino, ideo anteponenda Ecclesiastico juri.—Excommunicatus autem nolens ad Sacerdotis monitionem ab Ecclesia egredi incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Idem dicendum de interdictis denuntiatis et de iis qui impediunt, quominus illi egrediantur (2).

N. 3—*Privatio communionis forensis atque civilis, item jurisdictionis et sepulturæ Ecclesiasticæ.*

Q. 1. *Quid de privatione communionis forensis et civilis?*

R. Privatio communionis forensis (3) in eo consistit, quod excommunicatus privetur omni actu ad judicium pertinente in foro sive civili sive ecclesiastico, adeo ut nequeat esse judex, scriba, testis, notarius, advocatus, procurator; atque reo convento facultas semper erit in judicio eum repellendi,

(1) Diximus *pro vitando*: nam si agatur de non vitando, ex dictis, nullo modo peccat, si iste recitet cum alio, a quo sit requisitus. (2) *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. VII, n. 175.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 184. Hæc amplius non admittitur pluribus in locis.

etiamsi non sit vitandus. Imo judex, si sit excommunicatus vitandus, privatur etiam jurisdictione, et idcirco ejus sententia prorsus erit invalida. Insuper excommunicatus nequit esse neque tutor, curator, neque executor testamentarius (si repellatur a parte cujus interest), neque licite inire contractus, neque licite testari; valide tamen hæc potest.

Privatio communionis civilis importat prohibitionem communicandi cum fidelibus etiam in civilibus, ita ut nec ipse excommunicatus cum aliis; imo si sit vitandus, nec alii cum ipso communicare valeant in civilibus, per modum sive commercii sive societatis sive conversationis, adeo ut aliter incurrant minorem excommunicationem, nisi urgeat necessitas cum tali vitando communicandi (1).

Q. 2. *Quid de privatione jurisdictionis, et sepulturæ ecclesiasticæ?*

R. Ad 1: Excommunicatus vitandus pro foro tam interno, quam externo privatur usu jurisdictionis, si quam antea habebat. Unde valide nequit eligere neque præsentare ad Beneficium, tanto minus illud conferre, neque leges condere, aut sententias dare: quæ si ipse perageret, nulla prorsus essent. Diximus excommunicatus *vitandus;* quia si talis non esset, peccaret quidem graviter, si in re gravi jurisdictionem exerceret absque necessitate; sed valide tamen ageret, cum nullibi id invalidetur.

R. Ad 2: Excommunicatus vitandus privatur a jure sepultura Ecclesiastica, ita ut nequeat in loco sacro ejus cadaver tumulari: et si contrarium fiat erui omnino debeat (si adhuc possit), et locus sacer reconciliari: excipe nisi decessisset cum signis pœnitentiæ, quo in casu absolvendus est, si pro eo veniam petant hæredes (2). Qui scienter sepelire præsumunt excommunicatum vitandum, incurrunt ipso facto majorem excommunicationem: per *sepelientes* autem non intelliguntur qui funus associantur, aut canunt preces, aut deferunt Crucem, luminaria, sepulcrum effodiunt, cadaver deferunt, etsi graviter peccent. An autem intelligantur procurantes sepeliri, qui scilicet in causa sunt cur excommunicatus vitandus in loco sacro sepeliatur, alii probabiliter affirmant cum Suarez: quis enim magis reus est quam qui impellit ad violandas Ecclesiæ leges? alii item probabiliter negant cum Cajetano; quia omnis pœna est strictæ interpretationis, ita ut non sit extendenda ultra casum expressum (*R*).

N. 4.—*Inhabilitas quoad Beneficia Officia et Rescripta.*

Q. 1. *Quid de inhabilitate ad Beneficia, Officia ac Rescripta?*

R. Ad 1: Ad Beneficia quod attinet, dicimus excommunicatum sive vitandum sive non, *fieri prorsus inhabilem ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda,* nam *Beneficium datur propter Officium*: atqui excommunicatus sive vitandus sive non, inhabilis est Officio. Excipitur casus a Concilio Constantiensi,

(1) *V.* Infra de *minori excommunicatione.*

(2) *Clement. I de sepul.* — *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. VII, nn. 186 et seqq. Quando fit impossibile ut excommunicati vitandi eruantur, uti maxime evenit tempore belli, in quo tot confuse sepeliuntur, tunc satis est ut cœmeterium postmodum reconcilietur, casu quo in exercitu fuerint milites taliter excommunicati.

et est cum Officium Beneficio inhærens exercendum sit in commodum collatoris petentis communionem cum excommunicato non vitando circa officia beneficii ipsius (1). Diximus: 1 *fieri prorsus inhabilem:* unde communius docent, id quoque locum habere in illo, qui invincibiliter hic et nunc ignorat se esse excommunicatum; quia ignorantia tollit culpam, non inhabilitatem, nisi collatio fiat a superiore cum absolutione *ad cautelam*, ut solet fieri; 2 *ad Beneficia ecclesiastica obtinenda;* jam enim obtentis beneficiis non privat excommunicatio, nisi in casu hæresis.

R. Ad 2: Quod dictum est de Beneficiis, idem communiter dicunt de ipsis Officiis Ecclesiasticis, id est de collatione et receptione dignitatum, quibus aliqua inhæreat jurisdictio. — Excommunicatus sive vitandus sive non, fit etiam ineptus ad obtinenda quæcumque Rescripta tam gratiæ quam justitiæ, ita ut quidquid fuerit impetratum, ipso jure nullum extet atque invalidum (2).

Quomodo se geret excommunicatus circa fructus sui Beneficii? — Vel ipse excommunicatus fuit ante Beneficii receptionem, vel post. Si 1, non potest suos facere fructus perceptos tempore excommunicationis, etiamsi postea absolvatur et rite Beneficium obtineat; quia nec valide nec licite illud obtinebat: excepto casu, quo Beneficii onera implevisset vel per se vel per alium. — Si 2, debebit quidem fructus Beneficii restituere, quia est privatus officio, fructus autem dantur propter officium, veluti merces propter opus; sed non ante sententiam judicis, si per se vel per alium onera ejusdem impleverit. Pœnæ enim requirentes actionem ex parte delinquentis indigent semper sententia judicis, saltem declaratoria (3).

(1) Extra hunc casum omnis Beneficii collatio, electio, præsentatio et institutio facta *in favorem ejus, qui actu excommunicatione majori illaqueatur,* nulla est et invalida. Imo conferentes ipsi graviter peccant, et præter excommunicationem minorem incurrunt etiam in suspensionem a collatione, nisi sit ipse summus Pontifex, qui scienter Beneficium conferat excommunicato; vel in ejus concessione adsit clausula absolutionis a censura ad effectus valide consequendos: adhuc tamen excepta excommunicatione lata ob hæresim; quæ quidem non comprehenditur sub generali absolutione.— Diximus: *in favorem ejus, qui actu excommunicatione majori illaqueatur;* quia si ante illatam censuram facta fuerit præsentatio et electio, valida tunc est, et valida erit etiam Beneficii acceptatio et possessio, etiamsi tempore illius acceptationis et possessionis excommunicatio existat. Quia nempe tam acceptatio, quam possessio sunt actus privati; non vero actus jurisdictionis.

Quid si ex adverso quis esset excommunicatus tempore præsentationis, et tempore acceptationis sit absolutus?—Distinguere oportet: si non constat quod collator sciens et volens perseverat in prima sua voluntate, nova collatis requiritur; nam possidet nullitas. Si constet, probabile existimant Salmanticenses eamdem minime requiri; censetur enim virtualiter de novo ipsa repræsentatio fieri. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 179.

(2) Ex cap. *Dilectus* 26 de rescript. Hinc in Apostolicis Litteris, in quibus confertur aliqua gratia, præmitti solet absolutio a censuris; quæ quidem est tantum ad effectum gratiam illam specialem consequendi: unde non est vera absolutio; sed potius dispensatio, qua conceditur, ut non obstante censura, quæ quoad alios suos effectus adhuc subsistit, possit quis frui hac vel illa gratia, cujus aliunde incapax foret utpote censuratus. Hujus rei recens exemplum habemus in Brevi *Quamquam* Pii IX dato die 6 sept. 1853 pro reductione festorum in Sabaudiæ Regno, ubi legitur: *itaque omnes et singulas personas, quibus hæ litteræ favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes* etc.

(3) Hac declaratione data, tenetur restituere, nisi sibi jam fructus applicasset ut vere pauperi.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 183.

Q. 2. *An excommunicatus teneatur curare absolutionem ad implendum præceptum Missæ, Confessionis et Communionis?*

R. Quoad Missam negant communiter, excommunicatum teneri obstaculum abmovere, ut eam audiat, nisi agatur de impedimento levi: quia nemo tenetur ad impedimenta extraordinaria auferenda, ut se habilem reddat ad tale præceptum Ecclesiasticum adimplendum, quod quidem non obligat cum incommodo gravi. — Secus tamen dicunt quoad Confessionem et Communionem; cum radicaliter hoc sit unum ex præceptis divinis, erga quæ tenemur tollere impedimenta omnia quoad possumus; nam præcepta divina magis urgent, quam humana, minusque humanam patiuntur interpretationem. — Cæterum qui per annum animo pertinaci et cum potestatis contemptu perseverat in eadem excommunicatione, sive ut jura loquuntur, *insordescit*, fit suspectus de hæresi (1); et contra eum uti talem procedi potest. Quod explicant Auctores etiam de aliis censuris (2).

§ II — *De excommunicatione majori in particulari.*

Jure Ecclesiastico universali multæ habentur excommunicationes latæ sententiæ, quarum aliæ nemini; aliæ Episcopo; aliæ Pontifici reservantur, ut videre est penes S. Alphonsum (3). Nobis principaliores adnotare satis erit, præter eas quæ adnotabimus in Tractatu *De Pœnitentia*, ubi *de casibus reservatis*.

N. 1 — *Excommunicationes nemini reservatæ.*

1. In extorquentem absolutionem a censuris (c. unic. *de iis quæ vi* in 6);— 2 in contrahentes intra gradus prohibitos *(Clem. unic. de consang.)*; — 3 in occupantes bona Ecclesiæ vacantis (c. *generali de elect.* in 6); — 4 in mandantes occisionem alicujus Christifidelis (cap. I *de hom.* in 6); — 5 in Clericos dignitate præditos, nec non in Sacerdotes sine licentia docentes legem vel medicinam (c. fin. *ne Cler. vel Monachi)*. Item in Sacerdotes præfecturas laicales suscipientes (c. *Clerici eodem)*. Item in Clericos alienantes vel locantes ultra triennium bona Ecclesiæ (Extr. *Ambitiosæ de rebus Eccl. non alienandis*; — 6 in ficte renuntiantes aut commutantes beneficia *(Pius V)*; 7 in raptores mulierum, et cooperantes (Tridentinum, sess. 24, c. 9); — 8 in docentes non esse necessariam Confessionem ante Eucharistiam in casu peccati (Tridentinum, sess. 13, can 11); — 9 in ingredientes monasteria Monialium sine licentia in scriptis (Tridentinum, sess. 25, c. 5 *de Reg.)*. Item in impedientes sine justa causa sanctam voluntatem mulierum accipiendi velum, vel emittendi votum. Item in cogentes (idem de cooperantibus) quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum Monasterium vel ad suscipiendum habitum Religionis, vel ad emittendam professionem (Tridentinum, sess. 24, c. 9; et sess. 25, c. 18).

(1) Tridentinum, sess. 25, c. 5. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 157.
(3) *Opus Mor.* l. VII, nn. 208 et seqq.; et *Homo Ap.* tr. XIX, nn. 28 et seqq.

N. 2 — *Excommunicationes Episcopo reservatæ.*

1. In eum, qui leviter percutit Clericum (c. *pervenit de sent. excomm.*);— 2 in eos, qui procurant abortum fœtus animati, effectu secuto (Bulla *Sedes Apostolica* Gregorii XIV 31 maji 1591); —5 in eos, qui communicant in crimine criminoso cum excommunicatis ab Episcopo, id est in crimine, propter quod aliquis fuit excommunicatus (c. *nuper* 29, *et duobus* 55 *de sent. excomm.*); — 4 in eos, contra quos Episcopus tulit talem sibi reservatam censuram, uti patet. Item in eos, qui in mortis periculo a non habente facultatem absoluti a censura Episcopo reservata, non se eidem præsentaverint, si postea convaluerint (cap. *Eos qui de sent. excomm.* in 6); —5 in incidentes in casus papales publicos, si perpetuo impediantur Romam adire pro absolutione, uti infirmi, senes, mulieres (c. *de cætero de sent. excomm.*), Item in incidentes in casus papales occultos, qui sint extra Bullam *Cœnæ*. Ex Tridentino (sess. 24, cap. 6 de Ref.): *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum non eorum Vicariis sit permissum* (1).

N. 3 — *Excommunicationes Pontifici reservatæ.*

Contra Clericos ac *Religiosos:* —1 in concionantes de tempore judicii novissimi contra sensum sanctorum Patrum (*Extr. Viam de r.* in 6); —2 in obtinentes a Papa Ecclesias parochiales cum juramento inserviendi personaliter infra certum tempus, sed postea juramentum non implentes. Ita Pius V Bulla *Inter multiplices* (sed observat Bonacina, quod hoc obsolevit, quia hujusmodi juramentum non solet nunc Parochis deferri; — 3 in Moniales exeuntes claustra sine licentia obtenta (*Pius V*); — 4 in Religiosos, qui sine licentia Viaticum vel Extremam Unctionem ministrare vel Matrimonium solemnizare præsumunt (*Clem.* 1 *de priv.*); — 5 in Confessarios absolventes complicem peccati turpis (*Benedictus XIV*).

Contra omnes in generali (2):—1 in hæreticos, eorumque fautores. — In

(1) Ubi viget Concilium provinciale Romanum sub Benedicto XIII celebratum, est lata excommunicatio Episcopo reservata in medicos, qui post trinam infirmi visitationem a cura infirmi non abstineant, usque dum ipse Pœnitentiam susceperit (*tit.* 23, c. I).

(2) Diximus *omnes;* igitur et quacumque fulgenti dignitate præditos; ubi enim lex non excipit, nullus excluditur. Hinc Clemens XIII et Bullam *Cœnæ* et cæteras Constitutiones ac Conciliorum statuta renovans Bulla *Pastoralis R. Pontificis*, anno 1759, omnes includit, et addit: *nullus per alium, quam per R. Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis et satisfaciendo cautione præstita) absolvi possit, etiam prætextu cujuscis facultatis et*

scienter retinentes, legentes, imprimentes et defendentes libros hæreticorum de Religione tractantes vel hæresim continentes. — In schismaticos et apostatas. — In surripientes bona Christianorum naufragantium. — In falsificatores Litterarum Apostolicarum. — In vexantes Romipetas devotionis causa, aut alios pietatis causa peregrinos. — In piratas in mari pontificio, eorumque fautores. — In usurpantes jurisdictionem beneficiorum (Bulla *Cœnæ*); — 2 in incendiarios ab homine excommunicatos et denuntiatos (c. *Tua nos de sent. excomm.*); — 3 in communicantes in crimine cum excommunicato a Papa (c. *nuper eod.*); — 4 in vexantes censurantes (c. *Quicumq. de sent. exc.* in 6); — 5 in violantes interdictum Papale (*Extr. Etsi de pœn.*). Item in violantes interdictum, modis prohibitis (*Clem. Gravis de sent. exc.*); — 6 in simoniacos confidentiales (*Pius IV* et *Pius V*); — 7 in docentes aut sustinentes propositiones damnatas (*Decr. S. Congr.*); — 8 in perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ (c. *quærenti de off. del.*); — 9 in ingredientes septa monasteriorum Monialium prætextu licentiarum (*Gregorius XIII*). Item in violantes clausuram Monialium aut Religiosorum ad malum finem, nempe libidinosum (*Decr. S. C. jussu Clementis XIII*). Item in fœminas ingredientes clausuram Religiosorum (*Benedictus XIV*). Item in dantes vel accipientes aliquid grave ex pacto ob admissionem in Religionem (*Extrav. Com. I de Simonia*); — 10 in defendentes praxim interrogandi nomen complicis in Sacramentali Confessione (*Benedictus XIV*); — 11 in absolutos ab excommunicatione sub conditione, si eam postea non adimpleant (c. *eos qui* etc.); — 12 in impedientes executionem Litterarum S. Pœnitentiariæ (*Julius III*); — 13 in laicos collectores eleemosynarum pro Missis, si minora quam acceperint, stipendia tribuant (*Benedictus XIV*); — 14 in adscriptos sectis occultis et clandestinis: in eorum fautores: item in eos non denuntiantes (*Leo XII, cæterique dein Pontifices*); — 15 in percussores Clericorum; de quibus sit:

Corollarium — *De Clericorum percussione* (1).

In Concilio Latheranensi II (anno 1139 celebrato) contra Clericorum percussores celeberrimus latus est Canon his verbis: *siquis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo), donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.* Inde natum privilegium canonis.

Præter ipsos percussores cujuscumque sexus sint, conditionis et status, licet impuberes, modo rationis compotes sint et doli capaces, item licet Cle-

indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis..... nec non laicis etiam imperiali, regali et alia mundana excellentia fulgentibus... concessorum etc. Et Pius VII cum Napoleonem I excommunicavit (ut quoad posset hanc gravissimam pœnam temperaret, nec illum vitandum faceret), ipsum non nominavit expresse. — *V De immunitate Ecclesiast.* Taurini 1850. — Bonacina, in Bulla *Cœnæ*, disp. 1, q. 1, punct. IV.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 264; et *Homo Ap.* tract. XIX, n. 48.

rici (1), ex jure excommunicationem incurrunt (2):

1. Quicumque percussionem efficaciter mandant, consulunt, vel in illam consentiunt, quando nempe isti per mandatum, consilium, consensum graviter influant in percussionem, quæ de facto contigerit. Excipe (in probabiliori saltem sententia) nisi ante executionem mandatum, consilium, consensum revocaverint, prout magis potuerint, percussionem impediendo; quia tunc non adest contumacia (3).

2. Qui ratam habent percussionem ipsam: sed si hæc tria concurrunt: 1 si percussio facta sit nomine et in favorem ipsius, qui eam ratihabet; 2 si ratihabitio patefiat aliis externe; 3 si ratihabens actu, quo percussio contingit, aptus fuerit ipsi mandato vel consilio saltem habitualiter (4).

3. Qui percussionem non impediunt, cum ex justitia vel officio impedire tenentur, uti Principes, Prælati, judices, tutores, domini. Diximus *ex justitia vel officio;* nam qui tenentur tantum ex charitate, non censentur efficaciter in percussionem influere (5).

Q. 1. *Quinam huc veniunt nomine Clerici vel Monachi?*

R. Ad 1: Nomine *Clerici* venit omnis Clericus prima saltem Tonsura initiatus, licet excommunicatus, suspensus, interdictus (6): dummodo deferat habitum et alicui Ecclesiæ inserviat (7). Quod si habitum dimiserit neque post tres Prælati sui monitiones eumdem resumpserit, privabitur tunc privilegio Canonis (8). Item privatur etiam realiter degradatus.

R. Ad 2: Nomine *Monachi* intelligitur quilibet Religiosus utriusque sexus sive professus sive non, etiam conversus et novitius. — Item omnes vitam agentes in communi sub Prælato ex Pontificis auctoritate saltem tacita, quamvis eorum Religio nondum sit approbata.—Veniunt denique Hæremitæ, qui voto aut pacto sese addicunt servitio alicujus loci sacri, sub Episcopi tamen obedientia et approbatione. Non tamen vagi illi, quos interdum videmus habitu singulari indutos huc illud discurrentes ad eleemosynas colligendas, licet de Episcopi licentia alicui Ecclesiæ inserviant. Ex decisione Rotæ Romanæ.

(1) «An autem sit excommunicatus Clericus, qui seipsum percutit ira perculsus, affirmant Layman, Navarrus, Suarez. Sed probabiliter negant Castropalaus, Toletus, Barbosa, Croix, Tournely, etc.; quia revera canon videtur loqui tantum de diversa persona, quæ Clericum lædit.» Liguori, *Homo Apost.* tract. XIX, n. 51.

(2) C. *Pueris* de sent. excomm. — Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 271.

(3) C. *Quantæ;* et c. *Mulieres* de sent. excomm.

(4) C. *cum quis* de sent. excomm.

(5) Cap. *Quantæ*, 47. de sent. excomm.

(6) Imo licet sit conjugatus, modo tamen cum unica tantum et quidem virgine contraxerit et clericalem habitum atque tonsuram deferat et alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat ex cap. 3 *de Cler. conj.* in 6. Quia tamen apud nos Clericus conjugatus non potest clericalem habitum retinere, ideo nubendo censetur Clericatui renuntiasse.

(7) Ex Continuatore Tournely immunis est a censura qui in mortuum Clericum desævit, quia is non est vere Clerici percussor, sed Clerici cadaveris. — Contrarium vero docet Alasia cum Felino, quia hæc percussio est adhuc injuriosa statui Clericali, ob quam rationem hic canon latus est: et sunt qui citant declarationem S. C.

(8) Attamen non perdunt hoc privilegium qui habitum clericalem non gestant, quia non possunt, uti in Anglia; modo tamen qui eos percutit, sciat ipsos Clericos esse; per ipsos enim non stat, si habitum non deferant.

Q. 2. *Quid significant ea verba:* suadente diabolo?

R. Significant ad excommunicationem requiri, ut percussio sit mortaliter peccaminosa. Hinc a censura ista eximitur: 1 qui Clericum percutiendo non peccat graviter ex defectu advertentiæ aut consensus ob subitam iram. Imo jure excusatur qui Clericum turpiter agentem cum sua matre, filia, sorore aut uxore occidit; 2 qui percutit jocose vel casualiter, quamvis percussio sit gravis et sanguis effundatur a naribus, et quamvis cum aliqua etiam ira conjuncta sit, quæ tamen non pertingat ad peccatum mortale; 3 qui percutit ad defensionem sui aut suorum, vel etiam ad defensionem bonorum temporalium; 4 qui auctoritate præfulget, uti Prælatus, magister, pater; et etiam frater ætate major, qui curam in Clericum exerceat, modo percussio sit moderata atque ad correptionem peracta (1).

Q. 3. *Quid indicant verba:* violentas manus injecerit?

R. Significant requiri, ut percussio sit violenta, sive fiat manibus sive pedibus sive baculo sive alio quocumque modo, quæ tamen revera cadat in personam, vel in rem ipsi personæ adhærentem: hinc qui lapidem injicit in Clericum quin eum tangat, non incurrit censuram; quia deest complementum seu realitas percussionis. — Censetur autem percussio de se violenta ac proinde sufficiens ad censuram incurrendam, quotiescumque sit graviter injuriosa ratione reverentiæ Clerico exhibendæ, licet in se levis sit, et tactum physicum levissimum complectatur. Ratio est, quia in hoc canone interpretatio fieri debet late, utpote favorabilis cætui Ecclesiastico. Quare docent Theologi incurrere hanc censuram eos omnes: 1 qui vel expuant in faciem Clerici vel eumdem luto contaminent, vel aqua per contemptum perfundant; 2 qui Clericum in carcerem vel in locum carceri similem conjiciant: 3 qui eum insequatur, ut in foveam cadat, vel ut ab equo excutiatur; 4 fur qui rebus Clerico adhærentibus inferret, puta vestes, quas indutas habet lacerando, aliquid quod in manibus habet, injuriose rapiendo: sic enim persona ipsa læditur. Ex his deducunt non incurrere hanc censuram neque eum qui actu subdulo aufert aliquid a Clerico v. g. marsupium cingulumque quo actu cingitur, etsi interveniat præcisio; neque eum qui vestes Clerici dormientis surripit aut lacerat; neque eum qui Clericum metu cogit, ut a certo loco exeat, modo metus incutiatur solum per verba, aut actiones quæ personam ipsam non attingant; nam tunc est fraudulenta, non violenta manuum injectio.

Quid vero (dices) *si Clericus ipse in suimet percussionem, vel actionem injuriosam assentiatur?* — Percutiens adhuc incurrit excommunicationem latæ sententiæ; neque enim huic privilegio cedere potest Clericus, cum sit in

(1) « Dicunt Bonacina, Filliucius, Layman, Molina, Salmanticenses, et Castropalaus, censuram non incurrere pueros tonsuratos aut in minoribus, qui se invicem pugnis percutiunt, licet sanguis e naribus emanet; quia tales percussiones non reputantur graviter injuriosæ, cum proveniant primum ex levitate jocosa. Et hoc, addit Sotus, tenet, etsi percussio sit gravis; sed hoc intelligendum modo non fuerit deliberata... Rationabiliter vero Suarez, Sayrius, Sylvius, Salmanticenses, etc. excusant mulierem quæ percutit Clericum qui eam sollicitat, cum illa non potest alia via se liberare, etiamsi ille eam tentasset solis pravis verbis: intellige quando mulier pro tali sollicitatione est in periculo labendi. » *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIX, n. 52.

favorem totius Ordinis. Clericus vero consentiens excommunicationem ferendæ sententiæ meretur ex jure (1).

Quid (quæres) *de illo qui Clerico venenum præbet?* — Croix cum Beja et Sperelli ait venenum Clerico præbentem excommunicationem statim incurrere; quia venenum de se est aptum statim lædere. Verum communior opinio, quæ nobis probabilior videtur, docet eam non incurri, nisi actu quo venenum lædere inceperit. Nam ad censuram incurrendam requiritur effectus secutus, nempe violentia illata; atqui antequam venenum lædere inceperit, nulla adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam. Ita Diana et Viva cum Squillante et Rencio.

Q. 4. *Quotuplex distinguitur percussio Clericorum?*

R. Triplex communiter: enormis, mediocris et levis.

Enormis est cum magna intervenit vulneratio; vel magna sanguinis effusio, aliunde tamen quam a naribus; vel magna injuria. — *Mediocris* est cum fit carnis contusio, qua sanguinis quidem copia effundatur, sed absque gravi læsione vel injuria, ut si extrahatur dens vel capillorum copia evellatur. — *Levis* tandem (non quidem in se, quæ nempe importet tantummodo peccatum veniale, cum ad incurrendam excommunicationem semper requiratur culpa gravis; sed relata ad mediocrem et enormem) dicitur ea, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, lapide, dummodo neque maculam ullam importet, neque carnium contusionem relinquat, neque sanguinis effusionem producat. Levis percussio potest gravis fieri ratione circumstantiarum: ac 1 ratione personæ læsæ, v. g. si sit Episcopus, Prælatus, Judex vel alius in dignitate constitutus; 2 personæ lædentis, v. g. si officialis laicus auctoritative percutiat Clericum; 3 personæ, coram qua percussio contingit, v. g. si coram Prælato; 4 gravis scandali; 5 loci et temporis, v. g. si percussio fiat in Ecclesia, vel tempore functionum sacrarum; 6 injuriæ in se valde gravis, v. g. siquis Clerici vultum stercore fœdaret. In dubio percussio est judicanda gravis ex ipso jure, ne occasio præbatur lædendi statum Ecclesiasticum.

Q. 5. *Quid requiritur, ut Clericorum percussores sint vitandi?*

R. Ut Clericorum percussores sint vitandi requiritur:

1. Ut eorum crimen sit notum non solum notorietate juris, sed etiam notorietate facti; 2 ut factum non possit ulla tergiversatione celari: verba hæc sunt Concilii Constantiensis. Ex hoc deducitur:

1. Neminem teneri vitare ac fugere illum Clerici percussorem, qui sibi quidem est notus ut talis, aliis tamen est occultus. Nam ut crimen sit notorium notorietate facti, requiritur ut notum sit *vel* majori parti communitatis, *vel* magno personarum numero, *vel* saltem ut credatur in earum notitiam quamcito esse venturum.

2. Neminem teneri vitare Clerici percussorem, qui nondum in judicio fuerit ut talis *vel* confessus *vel* per sententiam declaratus; etenim ad inducendam obligationem vitandi percussorem illum, requiritur, ut constet non solum de facto publice notorio, sed etiam de censura ob factum illud illata. At reus usquedum non fuerit in judicio confessus vel condemnatus, semper po-

(1) Ex c. *contingit* de sent. excomm. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 264.

test aliquo suffragio excusari, v. g. dicendo se id egisse ad defensionem sui vel suorum.

Q. 6. *Quinam potest absolvere ab hac excommunicatione?*

R. Vel agitur de percussione levi, vel de mediocri, aut enormi. — Si agitur de percussione *levi,* quamvis ea sit publica, ab illa absolvere possunt Episcopi, uti dicunt communiter (1). Et cum Episcopis competat hæc potestas de jure ordinario, eam habent etiam eorum Vicarii generales; quia unum cum ipsis tribunal faciunt. — Si agitur vero de *mediocri* et *enormi* percussione, tunc si illa non est publica, eadem inest facultas Episcopis (2): si est publica, nemo generatim potest absolvere, nisi Papa aut Legatus a latere (3), aut Legatus missus (4). Diximus *generatim* quia jure excipiuntur: 1 mulieres et impuberes, etsi post pubertatem petant absolutionem (5); 2 collegialiter viventes, si percussio non sit enormis (6); 3 alii impediti adire Romam: qui omnes ab Episcopo absolvi possunt (7).

Pro absolutione ab hæc censura recurritur ad S. Pœnitentiariam, ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV.

Scholium — *De Monitoriis.*

Q. *Quid est monitorium, et quid de illo?*

R. Monitorium seu publicum edictum, est *mandatum Ecclesiæ seu Judicis ecclesiastici, quo sub excommunicatione præcipitur manifesta tio auctorum criminis gravis Reipublicæ, vel privato perniciosi* (8). Obligat sub gravi, cum res gravis sit: et si delictum vergat in damnum commune etsi occultum, est revelandum, nisi adesset firmissima emendationis spes, delinquentem corrigendo. Quod si vergat solummodo in damnum tertii, tunc tantum est revelandum, cum crimen probari potest. Si tandem non vergat in ullius damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi præcedat infamia, sive rumor de illo; quia tunc neque judex potest de eo inquirere.

Qui autem delictum noverint sub secreto ad consilium præbendum, non tenentur ad denuntiationem uti docet Angelicus (9); quia jus positivum non potest juri naturæ derogare (10).

§ III — *De excommunicatione minori* (11).

Q. 1. *Cuando incurritur excommunicatio minor?*

R. Una tantum est causa, ob quam incurritur excommunicatio minor, et

(1) Ex c. *Pervenit, de sent. excomm.*
(2) Ex c. *Liceat* 6 in sess. 14, Trid.
(3) Ex c. *ad eminentiam, de sent. excomm.*
(4) C. *pœn. de Off. Leg.*
(5) C. *Mulieres de sent. excomm.*; et c. *Pueris* fin. eod. tit.
(6) C. *Quoniam de vita et hon. Cler.*
(7) C. *quamvis de sent. excomm.*
(8) Excommunicatio imponitur vi monitorii non tantum ad revelanda aliqua crimina, sed vel ad restituendum alienum, et similia. — *V.* Lucius Ferraris, *Bibliot.* V. Monitorium.
(9) 2, 2, q. 70, a. 1. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV n. 248; l. VII, n. 214.
(10) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIII, n. 75 ubi alia plura ad rem.
(11) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 188 et seqq.

est quando fidelis communicat cum excommunicato vitando in casibus, qui memoriæ juvandæ causa his versiculis continentur:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1. *Os:* et significat communicationem per colloquium aut litteras, item quodcumque benevolentiæ signum, uti esset dona mittere, vel acceptare etiam privatim; 2 *Orare:* et significat omnem communicationem in Divinis, uti esset assistere publicis functionibus Missarum, processionum, funerum, etc.; 3 *Vale:* et significat quamlibet salutationem et honoris exhibitionem, nisi hæc fiant ad vitandum damnum atque indignationem ipsius excommunicati (1); 4 *Communio:* et significat omnem societatem, contractum, et cohabitationem per modum mutuæ societatis; 5 *Mensa:* et significat societatem in eadem mensa (2), non tamen casu; nam mensæ communionem nemo diceretur habere, qui ederet cum excommunicato in diversorio, ubi quisque sibi intendit.

Ad excommunicationem minorem incurrendam sufficit culpa venialis, quæ tamen sit plene deliberata; quia ad incurrendam pœnam requiritur actus perfectus in genere suo. Hinc licet in Confessione omitti possit peccatum veniale; non tamen omitti poterit illud, ob quod illata est excommunicatio minor; quia Sacramenti susceptionem impedit.

Q. 2. *Quale peccatum est communicare cum vitando?*

R. Regulariter est peccatum veniale communicare cum vitando, et regulariter minor tantum excommunicatio incurritur:

Diximus 1: *regulariter est peccatum veniale.* Peccat enim etiam mortaliter: 1 qui communicat in contemptum prohibitionis Ecclesiæ; — 2 qui communicat in Divinis in re gravi; — 3 qui communicat in crimine criminoso, nempe in eodem crimine, ob quod ille fuit excommunicatus: esset v. g. si post excommunicationem latam ob furtum, quis adhuc communicaret cum excommunicato, ut eidem consilium aut opem suppeditet, vel ne locum habeat restitutio, vel ne ab excommunicatione resipiscat; — 4 qui communicat valde frequenter in rebus ipsis civilibus; quia tali modo communicans in periculum animæ suæ communicat (3).

Diximus 2 *regulariter minor tantum excommunicatio incurritur;* nam communicatio cum vitando importat etiam excommunicationem majorem: 1 si Clericus scienter communicat in Divinis cum excommunicato nominatim a Pontifice et denunciato; — 2 si excommunicatio lata est contra aliquem, et simul contra participantes; — 3 siquis communicat in crimine criminoso. In his autem casibus qui communicat, non potest absolvi, nisi ab illo, a quo est absolvendus ipse principalis.

(1) «Item communissime S. Antoninus, Navarrus, Mai, Filliucius, Sotus, Avila, Sayrius, Bonacina, Castropalaus, Salmanticenses, Escobar, etc. admittunt probabile esse licere certa signa urbanitatis exhibere erga excommunicatum. Quia hujusmodi actus non exhibentur ut ei honor præstetur; sed ut inurbanitatis et contumeliæ nota vitetur, maxime si excommunicatus est superior, aut persona publica, etc.» Ita Liguori, *Homo Ap.* tr. XIX n. 21.

(2) Quam ipse vetat Apostolus, I Cor. 5.

(3) Ex c. 7 *de except.*

Legitimæ tamen sunt causæ communicandi cum excommunicato vitando, nempe:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse (1).

Utile: utilitas nempe tam ipsius excommunicati, v. g. ut aliquod spirituale auxilium recipiat; quam aliorum v. g. ut ipsi ab eo recipiant opem vel spiritualem vel temporalem; — 2 *Lex:* intelligitur lex matrimonialis, ob quam conjuges possuntinvicem communicare et debitum petere et reddere. Excipitur tamen, si sint per divortium separati, divortio ipso perseverante, quia tunc non amplius mutua obsequia debentur; vel si excommunicatio lata sit ob dubium de matrimonii valore; vel propter compartis hæresim: vel si communicent in Divinis; — 3 *Humile:* intelligitur subjectio, quæ debetur majoribus, quæ nempe adhuc licite eis exhibetur, etsi excommunicatis vitandis. Hanc igitur debent filii, etiamsi jam emancipatione donati, erga proprios parentes, et extenditur usque ad pronepotes atque affines in eodem genere. Idem dicatur de Religiosis, et Clericis erga Prælatos, de militibus erga Duces, de servis erga dominos et vicissim; sed in iis rebus, quæ ex famulatu debentur; — 4 *Res ignorata:* intelligitur quando quis ignorat aliquem esse excommunicatum, sive ignoret ipsum deliquisse, sive ignoret tali delicto adnexam censuram (2). Est autem probabilius et communius excusare etiam ignorantiam crassam, uti eruitur ex jure (3); — 5 *Necesse:* intelligitur gravis necessitas tam spiritualis quam temporalis, tam ipsius communicantis quam excommunicati et aliorum; nam Ecclesiæ leges de se non obligant cum gravi incommodo.

Q. 3. *Quinam est effectus excommunicationis minoris?*

R. Duo recensentur: primus dicitur directus, alter indirectus (4): — 1 *effectus directus* excommunicationis minoris consistit in privatione usus passivi Sacramentorum, ita ut graviter sit peccaturus qui excommunicatione minori illaqueatus ea suscipiat (5); — 2 *effectus indirectus* est inhabilitas sub gravi ad ecclesiastica beneficia recipienda. Electio tamen non esset irrita, sed irritanda; cum in textu habeatur: *si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Quæ scientia esse debet, saltem in probabiliori sententia, ex parte ipsius electi, nempe quod recordetur se esse excommunicatum, dum sibi Beneficium confertur.

Ab excommunicatione autem minori absolvit omnis Sacerdos, qui ad Sacramentales Confessiones excipiendas sit approbatus: ita usus.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 200 et seqq.

(2) Ex c. *quoniam multos* 11, q. 3.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 147.

(4) C. *si celebr. de Cleric. excomm.*

(5) Dicimus *usus passivi;* nam commune est non peccare graviter, imo satis probabiliter nec leviter qui ea irretitus Sacramenta ministrat; cum textus Canonicus dicat: *non videtur a collatione, sed a perceptione Sacramentorum remotus.* Excipe nisi sit sermo de eo, qui antequam Sacramentum ministret, debeat illud ipse suscipere: ut esset v. g. Sacerdos ministrans in Missa.

ARTICULUS II—De suspensione (1).

§ I.—*De suspensione in genere.*

Q. 1. *Quid est suspensio?*

R. Suspensio est *censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere vetatur*. Ex quo patet: 1 suspensionis subjectum solum esse Clericum; 2 per hanc censuram non privari Clericum passiva Sacramentorum receptione, neque ingressu Ecclesiæ, aut communibus suffragiis, neque Ecclesiastica sepultura. Hinc siquis sit suspensus ab audiendis Confessionibus, a Missa, etc. et hæc suspensio sit reservata, simplex Confessarius non poterit quidem auferre suspensionem, sed bene poterit suspensum a peccato absolvere, atque ad Communionem admittere, si ipsum vere pœniteat de admisso scelere.—Suspensio autem Clericum comitatur ubique; cum ea immediate afficiat personam (2).

Hanc pœnam, utpote gravissimam, Prælati non debent infligere sine scriptura, ita ut si Superior oretenus Clerico suo dicat: *ego te suspendo,* hæc loquendi formula habenda sit potius uti simplex celebrandi prohibitio, quam veri nominis suspensio: et qui eam violaverit, gravis inobedientiæ reus evadet, sed irregularitatem non incurret (3).—Neque suspensio incurritur, nisi ob peccatum mortale; cum pœna debeat culpæ proportionari: excipe si sit partialis; aut totalis, sed ad breve tempus, puta per hebdomadam; aut ferendæ sententiæ, nec indicta a jure: poterit tunc sufficere culpa venialis (4).

Q. 2. *Quotupliciter accipi potest suspensio?*

R. Triplici modo suspensio accipi potest ex communi DD. sensu:

1. *Ratione functionum*, quas Clericus exercere prohibetur. Et alia est ab Officio; alia a Beneficio; alia ab utroque totalis vel partialis, prout totaliter vel partialiter afficit Officium vel Beneficium.—Porro suspensus pure, simpliciter et absolute, sive absque ulla determinatione, ut si dicatur *qui talia egerit, suspensionem incurrat*, intelligitur totaliter et ab utroque suspensus, ita ut ipsi sit interdictus omnis usus Ordinis ac jurisdictionis et fructuum Beneficii perceptio. Hinc Parochus suspensus pure et simpliciter nec Missam celebrare, nec prædicare, nec Officiis præesse, nec Parochiam regere, nec Sacramenta ministrare potest. Sane nulla tunc est ratio, cur suspensio intelligatur magis de uno quam de alio (5).—Suspensus vero ab officio tantum (nem-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII. n. 312; et *Homo Ap.* tr. IX, n. 64.

(2) Ita Glossa, in Can. 24, q. 1, c. 7, 2ª Part. Decr.

(3) S. Congregatio Concilii in *Vercellen.* 18 aug. 1703 penes Monacelli *Formul. Legal. Pract. for. Eccl. Suppl.* ad III tom. pag. 120, n. 6.

(4) Si feratur in communitatem, tenet quidem in omnes quoad officia communia, sed non ut censura proprie dicta; bene vero ut quædam inhabilitas seu prohibitio. At si lata sit in communitatem et in singulas ejus personas, erit vera censura, sed non afficiet nisi delinquentes; pœna enim proprie dictam culpam supponit.

(5) Excipiunt cum Suarez casum quo vel ratione materiæ vel ratione causæ, ob quam suspensio lata est, eruatur ipsam esse tantummodo partialem: sic inquiunt, suspensio lata in male celebrantes, esset intelligenda de sola suspensione a celebratione Missæ: vel lata in male adminis-

pe ab actibus tum jurisdictionis, tum Ordinis (1), seu officii ad quod exercendum requiritur, ut quis sit Clericus) non censetur suspensus a beneficio: quare adhuc poterit illius fructus percipere. Si tamen 1 per alios impleat Beneficii onera; 2 delictum non sit enorme; 3 per anni spatium in suspensione non *insordescat.*—Tandem suspensus a Beneficio, nempe ab emolumentis et administratione Beneficii, non censetur suspensus ab Officio: neque ab aliis Beneficiis quæ extra Diœcesim haberet, si Episcopus non exprimat; nam odia sunt restringenda. Hinc etiam probabilius est, quod si suspensus a beneficio, tempore suspensionis aliud beneficium acquirit, ejus collatio non est irrita, cum nulla lege id sit expressum; ideo tantum irritanda (2).

2. *Ratione temporis*, quo perdurat. Et alia est temporanea, quæ ad tempus; alia indefinita seu absoluta, quæ obtinet donec tollatur.

3. *Ratione causæ,* ob quam infligitur. Et alia est medicinalis, si ad emendationem; alia pœnalis et impropria, si detur ad vindictam; alia denique ad cautelam.—Hæc porro suspensio, quæ dicitur *ad cautelam,* in eo posita est, ut per Episcopale præceptum Clericus arceatur ab exercitio ministerii sacri, non quia criminis reus sit, aut de crimine jam convictus vel confessus; sed quia non decet sancta tractari ab illo, contra quem fama publica male refert, vel jam criminis publici accusatio aut inquisitio judicialiter fuerit instituta: idque Episcopi prudentiæ et sapientiæ prorsus relinquendum est. Postulat nempe *politiæ Ecclesiasticæ* ratio, ut ad sacrorum exercitium non accedant, nisi ii, qui integræ vitæ et bonæ famæ sint penes populum christianum: et hujus quidem censuræ exempla habemus non pauca in jure (3). Ex dictis sequitur 1 prædictam suspensionis speciem esse partialem, scilicet a solo exercitio Ordinis, non a Beneficio; 2 eamdem stricto censuræ nomine appellari non posse; ideo non requiri ad eam formulas canonicas, quæ pro censuris infligendis præscriptæ sunt: nec irregularitatem incurri, si violetur; 3 eam graviter obligare, cum lata sit ob gravem causam.

Quid (quæres) *importat* suspensio a Divinis *sine alio addito?*—Suspensio *a Divinis* juxta Fagnanum importat suspensionem ab omnibus divinis Offi-

trantes beneficium, esset suspensio a solo beneficio, ut sic in eo puniatur in quo quis deliquit. Verum si ex textu legis vel legislatoris mente id clare non eruatur, quando imponitur suspensio absolute, de utroque et ab officio et a beneficio intelligenda est; ubi enim superior non distinguit, neque nos distinguere debemus.

(1) Suspensus ab Ordine superiori, non censetur suspensus ab inferiori et vicissim. Hinc suspensus a Presbyterato potest adhuc canere Epistolam vel Evangelium; confessarius suspensus a Diaconatu potest adhuc absolvere, etc.

(2) «Suspensus a beneficio tenetur ad officia præstanda, etsi ab ipso beneficio proveniant; hinc tenetur ad Horas et cætera onera, quamvis fructus non percipiat, quia id sibi debet imputare. Non tamen privatur commodo quod provenit ex anniversariis, stipendiis Missarum, nec eo quod datur ob onus personale Clerici; quia hæc non sunt fructus beneficii. Quoad distributiones an eas possit percipere sic suspensus, disputant. — Suspensus a beneficio si sit pauper, et suspensio sit in crimen omnino præteritum, uti dicunt Suarez et Renzi cum communi, potest fructus sibi retinere. Imo dicunt Tournely et alii, quod si beneficiatus est occulte suspensus et onera adimplet, potest retinere partem, quam deberet substituto; quia esset stipendium laboris. — Suspenso a beneficio non est interdictum præsentare alia beneficia, licet jus ei competat ratione ipsius beneficii; ratio quia isti actus non sunt actus beneficii; præcise, ut sic; sed potius officii et jurisdictionis.» Liguori *Opus Mor.* l. III. n. 316.

(3) *V.* Berardi, *Commentaria in Jus Ecclesiasticum,* tom. 4, pag. 262.

ciis, una excepta concione (1). Juxta aliquos solam indicat suspensionem a celebranda Missa. Hac de re Goritia scribit: *Suspensus a Divinis nequit in choro recitare Psalmos, neque iis interesse; aut Officia divina audire tamquam Clericus. Quod si intersit tamquam Clericus et Minister ex officio, fit irregularis* (intellige, si solemniter Ordinem sacrum exerceat); *secus si id faciat tamquam laicus. Et hinc potest tamquam laicus audire Sacrum; non vero celebrare, aut coram se facere celebrare, etsi esset Episcopus.*

Verum (nisi alicubi forsan ea verba aliter explicet usus) ex Maynardi, Rotario, Suarez, Ursaja aliisque colligitur, suspensionem *a Divinis* eamdem esse ac suspensionem *ab Officio*. Idque sane est Canonico juri conformius, ubi ea verba indiscriminatim videntur sumi ad unum significandum (2). Unde sic intellecta suspensio a Divinis importat suspensionem ab omni Officio ecclesiastico, sive illud ab Ordine, sive a jurisdictione dependeat. Quare sic suspensus prohibetur celebrare Missam, audire Confessiones, vel alios ad Confessiones approbare; item prædicare, solemniter benedicere et baptizare, canere Evangelium, imo etiam Epistolam cum vestibus sacris (licet sine vestibus eo plane modo, quo laici Epistolam cantant, adhuc possit); item beneficia conferre, excommunicare, divinis Officiis interesse ut Clericus sive in choro sive extra, v. g. processionibus, funeribus, etc.; item quascumque functiones agere nomine Ecclesiæ. Poterit tamen divinis Officiis interesse ut laicus, et canere ut laici faciunt: an vero eo in casu possit distributiones accipere, affirmat Avila, quia illæ dantur præsentibus; sed negat Bonacina, quia esto, quod iste sit præsens, non tamen est talis ex officio: porro distributiones dantur tantum ex officio præsentibus, qui nempe præsentes sunt tamquam viva membra Capituli.

Q. 3. *Quænam est Episcopi potestas in suspensione ferenda?*

R. Ex jure tanta est Episcopi potestas in suspensione ferenda, ut eam valeat in Clericos sibi subditos irrogare non solum per modum censuræ; sed etiam per modum simplicis punitionis ob crimen præteritum, atque ex causis sibi notis, sive ut ajunt, *ex informata conscientia*, et absque prævia ulla Clerici monitione: sicque Clericum eumdem prohibere tam ab ascensu ad Ordines, quam ab eorum exercitio, v. g. a celebratione Missæ. Ita Tridentinum (3), et Benedictus XIV (4). Idem patet ex Bulla *Auctorem Fidei*, quæ sub n. 49 propositionem Synodi Pistoriensis docentis *nullas et invalidas esse suspensiones ex informata conscientia,* solemniter damnavit uti *falsam, perniciosam, et in Tridentinum injuriosam.*

Imo potest etiam eodem modo Episcopus suspendere Parochum ab omni curæ suæ exercitio: et S. Congregatio Concilii *in Sagonensi* 21 junii anno 1625 declaravit irregularitatem contraxisse Parochum, qui a proprio Episcopo *ex informata conscientia* ab omni suæ Parœciæ exercitio indeterminate suspensus, appellatione interposita, adhuc in celebratione et curæ exercitio manebat (5) *(S)*.

(1) In 5 Decr. c. *Responsio*, n. 20.
(2) C. 1 *de sent. et re jud.* in 6.
(3) Sess. 14, c. 1.
(4) *De Syn. Diœc.* l. XII, c. 8.
(5) «Quæ suspensio in his duobus ex Tridentino concluitur: interdicere assensum ad sacros Ordines, et suspendere ab iisdem Ordinibus, necnon a dignitatibus, officiis, gradibus, honoribus

Q. 4. *Quinam sunt effectus suspensionis?*

R. Effectus suspensionis sunt:

1. Peccat graviter qui suspensus exercet actum sibi vetitum per suspensionem; quia violat in re gravi Ecclesiæ præceptum. Imo suspensus ab Ordine sacro non solum graviter peccat, sed etiam irregularitatem incurrit, si ejudem Ordinis officium scienter et solemniter exerceat (1). Attamen excusatur et a peccato et ab irregularitate, si gravis adsit causa functiones exercendi et alioquin actus, qui ponitur sit validus; præcepta enim Ecclesiæ per se non censentur obligare cum tanto onere (2). Item excusatur tum ob censuræ ignorantiam, quia ubi nulla est cognitio, nullum est peccatum; tum ob materiæ parvitatem, v. g. si exerceret actum levem jurisdictionis, puta si benediceret mensam aut Ordinem non sacrum exerceret, vel sacrum, sed non solemniter. Ita S. Antoninus, Habert, Collet, Suarez, etc.; quia hoc non videtur esse tanta irreverentia (3).

2. Suspensus non toleratus et publicus exerceret invalide actus jurisdictionis; cum jure illa privatus existat: hinc si quis nominatim suspensus sit, invalide absolvit extra casum necessitatis. Toleratus vero (vel non toleratus, sed occultus) eam exerceret quidem valide; at illicite, nisi ab aliis sit requisitus. *Valide;* quia in communitatis bonum illius actus firmantur ab Ecclesia: *illicite,* quia illius tolerantia non est in sui, sed in aliorum gratiam tantum.—Actus vero Ordinis a suspenso etiam non tolerato positi, si non dependeant a jurisdictione, sunt validi; quia Ecclesia nequit tollere potestatem Ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Hinc si Sacerdos suspensus a celebratione Missæ, celebret, verum Sacrificium facit, etsi gravissime peccet contra latam prohibitionem, grande sacrilegium committat, atque irregularitatem incurrat.

Sed (quæres) *incurritne irregularitatem Clericus exercens actum, a quo erat suspensus, si suspensio lata sit pro tempore determinato?*—Alii absolute negant cum Avila; nam sic lata sententia habet rationem puræ pœnæ, quæ nullam inducit irregularitatem.—Alii absolute affirmant cum Viva, si suspensio in scriptis lata sit, quia tunc ipsa induit etiam rationem censuræ: sic in

ecclesiasticis, ideoque a curæ exercitio. At probabilius suspensio a beneficio hoc modo non potest ab Episcopis ferri, cum de hoc nullum verbum sit in Tridentino. » *Bouix*.

(1) C. *Is cui* de sent. exc. in 6 etc.

(2) Ad rem *Continuator Tournely:* «Non fieret irregularis homo censuratus, si ex gravi metu ministraret in Sacris; quia censura aufert quidem usum Ordinis, ad eum vero inhabilem non facit. Unde infert Navarrus, homicidam post debitam contritionem et Confessionem, etiam nondum obtenta dispensatione, posse Sacrum facere, si probabiliter timeat se homicidii hujus suspectum fore, nisi celebret.—Idem dicit tum de excommunicato occulto in simili periculo infamiæ constituto; tum de Moniali, quæ occultissime in censuram reservatam incidisset: ea enim, inquit, ante moram petendæ absolutionis posset Choro interesse et communicare, cum aliæ ad id tenentur, si ab iis abstinendo fama ejus aut Monasterii periclitaretur. — Idem cum aliis dicunt Sayrius, Bonacina, Auctor Collat. Andeg. Unde etiam colligunt excommunicatum occultum posse sine peccato et irregularitatis metu audire Sacrum, celebrare, absolvere, etc. ad vitandum grave scandalum, vel infamiam, vel detractionem, vel grave proximi periculum aut necessitatem. Nomine scandali, ait Suarez, non intelligo admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de ea re; sed occasionem peccati, ut detractionis et judicii temerarii.»

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIX, n. 64.

jure Canonico quidam Clericus qui fuerat suspensus ad tempus et tamen ministraverat, fuit expresse declaratus irregularis (1).—Alii tandem (et mihi videtur absolute probabilius) distinguunt cum Roncaglia : vel suspensio lata est ob crimen futurum, aut etiam ob crimen præteritum, quod tamen tractum habeat successivum (ut si quis pro injuria atroci jam irrogata satisfacere contumaciter detrectet) ; vel suspensio lata est ab homine ob meram punitionem criminis omnino præteriti. In primo casu incurritur irregularitas, si violetur suspensio, quia hæc revera habet rationem censuræ : in altero non incurritur ob rationem contrariam. Exemplum autem ex jure desumptum non est ad rem ; quia ibi agitur de suspensione lata a jure ipso per edictum generale (2).

Q. 5. *Quisnam absolvere potest a suspensione ?*

R. Sacerdos suspensus potest absolvi a simplici Confessario a peccatis antequam solvatur a censura per superiorem ; ratio est quia effectus suspensionis non est privare receptione Sacramentorum. Sed requiritur, ut sit dispositus ad curandam liberationem suspensionis, et quod interea abstineat ab exercendo illo, a quo est suspensus.

Si suspensio rationem habeat censuræ, tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem et quidem superioris, si sit reservata, vel ab homine : attamen si lata ad certum tempus vel sub conditione, cessat per se, tempore illo transacto, vel statuta conditione impleta. Si vero sit imposita in perpetuum propter præteritam culpam, tollitur ut mera pœna per solam Prælati dispensationem, vel ejus delegati ; ratio est quod tunc non est vera censura.

Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem illa generali forma *absolvo te ab omni vinculo* etc. Si sit publica, in foro interno eadem iterum adhibetur forma ; in foro vero externo adhibenda est forma Ritualis, et fieri debet vel ab ipso superiore, vel ab ejus delegato tantum.

§ II.—*De suspensionibus in particulari.*

Suspensiones præcipuæ latæ sententiæ Papæ reservatæ.

I. *Contra Episcopos :* porro suspensionem incurrunt :—1° ordinantes non subditum absque licentia sui Episcopi *(Trid.* sess. 23, c. 8 *de Reform.)* ;—2° ordinantes Religiosos non professos *(S. Pius V,* Const. *Romanus Pontifex)* ;—3° ordinantes Monachum sine licentia (*Decr.* part. I, dist. 55, can. 2) ;—4° conferentes tonsuram conjugato, aut infanti illiterato (*Sexti,* lib. I, tit. 9, c. 4) ;—5° conferentes Ordines extra Diœcesim sine licentia Episcopi loci, licet ordinatus sit subditus ;—6° conferentes Ordines sacros ante ætatem præscriptam (*Decretal.* lib. I, tit. 11, cap. 14) ;—7° conferentes Ordines simoniace (*Extravag.* l. V, *de simonia,* cap. 2) : — 8° submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ sine consensu Capituli et licentia R. Sedis (*Sexti,* l. III, tit. 9, c. 2) ;—9° alienantes bona Ecclesiæ *(Extravag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis)* ;—10° ingredientes in monasteria Monialium sine necessitate.

(1) C. 1 *de sent. et re jud.* in 6. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 314.

II. *Contra Regulares.* Hi incurrunt suspensionem:—1° non deferentes habitum regula determinatum;—2° recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis (*Sexti*, l. III, tit. 14, c. 2);—3° apostatæ suscipientes Ordines sacros in apostasia (*Decret.* l. V, tit. 9, c. 6);—4° suscipientes Ordines sacros ante professionem (*S. Pius V*, Constit. *Romanus Pontifex*);—5° introducentes mulieres in claustra Monialium (*S. Pius V*);—6° introducentes mulieres in sua monasteria.

III. *Contra Clericos:* incurrunt suspensionem:—1° suscipientes duos Ordines majores eodem die, vel duobus diebus continuis (*Decret.* l. I, tit. 11, c. 13 et 15);—2° suscipientes Ordines furtive, id est sine prævio examine et sine admissione ab Episcopo facta;—3° recipientes Ordinem sacrum post matrimonium initum, etiam non consummatum (*Joann. XXII*, tit. 6);—4° suscipientes Ordines sacros simoniace:—5° celebrantes Misam sine Communione. (*Can. nullus de consec.* dist. 1.)

Suspensiones præcipuæ latæ sententiæ Episcopis reservatæ.

Sequentes præcipui casus exhibentur: 1° susceptio Ordinis per saltum, vel ante ætatem præscriptam, vel non servatis interstitiis (*Trid.* sess. 23, cap. 14 *de Reform.*);—2° susceptio Ordinis ab Episcopo alieno sine dimissoria proprii Episcopi; vel a proprio Episcopo extra Diœcesim, sine Ordinarii licentia (*Trid.* sess. 23, c. 6 *de R.*);—3° susceptio Ordinis sine titulo clericali, vel cum titulo ficto sine dispensatione;—4° benedictio nuptialis a quocumque sacerdote, sine licentia Parochi sponsorum (*Trid.* sess. 24, c. 1 *de Ref.*);—5° interruptio totalis Missæ sine gravi causa;—6° Ordinatio, sede vacante, cum dimissoria accepta a Vicario capitulari ante annum elapsum (*Trid.* sess. 7, c. 10 *de R.*);—7° adde insuper omnes suspensiones papales occultas, et etiam publicas, quando recursus ad summum Pontificem est mortaliter impossibilis.

ARTICULUS III — De interdicto (1).

§ I — *De Interdicto in genere.*

Q. 1. *Quid est Interdictum?*

R. Interdictum est *censura, qua prohibetur usus divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturæ Ecclesiasticæ:* illud possunt ferre omnes, qui possunt excommunicare. Ad interdicendum locum vel communitatem requiritur peccatum atrox commissum a capite, vel a principalibus. Sed si sit ad breve tempus, et in ordine ad unum vel alium usum, sufficit veniale.

Interdictum aliud est *locale*, quod immediate afficit locum; aliud *personale*, quod immediate afficit personas; aliud *mixtum*, quod immediate afficit et personam et locum. Utrumque subdividitur in *generale*, quod locum generalem, v. g. totam regionem, communitatem vel regnum complecti-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 328 etc.; et *Homo Ap.*, tr XIX, nn. 68 etc.

tur; et in *particulare*, quod complectitur locum peculiarem, v. g. datum Oratorium vel personas in dato loco degentes.

Porro interdicto populo, non intelliguntur interdicti qui non sunt pars populi, ut Clerici, studiosi, peregrini. Item interdicto Clero, non interdicuntur laici neque Religiosi, imo neque alii Clerici, qui ibi nullum habent officium, ita ut cum Clero unum corpus non constituant.—Quando interdictum est generale-locale, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia et Ecclesiæ exemptæ Regularium : et omnes illud tenentur servare, etiam Episcopus qui tulit, uno excepto Pontifice. Licet autem in hoc casu iis, qui interdicto causam non dederunt, alio ire, ut divinis Officiis assistant. Si vero interdictum est generale personale, excipiuntur : 1 Episcopi, qui eximuntur etiam a suspensione generali ; 2 innocentes, si alibi domicilium collocant; 3 exteri ; 4 infantes et amentes doli incapaces, qui tamen privantur adhuc sepultura Ecclesiastica (1) *(T)*.

Q. 2. *Quinam sunt effectus interdicti?*

R. Sunt sequentes tum ex jure (2), tum ex communi Doctorum :

1. Prohibitio divinorum Officiorum, eorum nempe, quæ solemniter a Clericis exercentur in loco designato, excepta concione (3). Idque singulis diebus, præter dies Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis et Conceptionis B. V., die et per octavam Corporis Christi (4) : tunc permittuntur divina Officia solemniter celebrari, admissis etiam personis interdictis (quæ quidem tenentur iis festis Missam audire) : modo qui causam interdicto dederunt, ad altare non accedant, neque ad offertorium, neque ad communionem (5).

2. Prohibitio administrandi Sacramenta, excepto Baptismo (qui potest dari etiam solemniter, sed non a specialiter interdicto); Confirmatione et Pœnitentia (non tamen in eorum gratia, qui causam vel favorem interdicto dederunt, vel qui specialiter interdicti sunt, nisi præstent satisfactionem, aut juratoriam cautionem).—Item permittitur Eucharistia morituris atque Extrema Unctio. Et probabilius etiam Matrimonium, cum in jure habeatur illud *posse contrahi quovis tempore;* solemnis tamen benedictio tunc sponsis dari nequit (6).

(1) C. 10, 16, 17 *de sent. exc.* in 6.

(2) C. *Alma Mater* 24 de sent. exc. in 6.

(3) «Nomine divinorum Officiorum tempore interdicti prohibitorum (*ex* c. *si sententia* 16 *de sent. excomm. in* 6 ; et cap. *permittimus* 57 *h. tit.*) intelliguntur celebratio publica Missæ, publica recitatio Horarum canonicarum in Choro, processiones publicæ, benedictiones publicæ templi, fontis baptismalis, cinerum, palmarum, candelarum, nuptiarum, solemnis aspersio aquæ lustralis, professio solemnis in religione et similia. Excepta *privata recitatione Horarum*, ad quam omnes obligati tenentur, licet interdicti; et *concione*, ad quam et per campanæ pulsum possunt convocari interdicti, ut ad resipiscentiam inducantur, ex c. *Responso de sent. exc.*» Ita L. Ferraris, *Bibl. h. tit.*

(4) Cap. 2 *de interd.* In Ecclesis tamen specialiter interdictis, in quibus Eucharistia servatur, fas est tantum semel in hebdomada Sacrum facere ad renovandam Eucharistiam. — Si solum interdicatur altare, prohibentur functiones tantum in altari, non in Ecclesia.

(5) Aliis diebus licet Religiosis ac Clericis in interdicto generali Officia celebrare, si ipsi interdicti non sint, et celebrent januis clausis, ac sine campanarum sonitu.

(6) Ex c. *Alma mater* 24 de sent. excomm. in 6. — Notant autem L. Ferraris, *Bibl. Conc.* etc. *h. tit.*: « Casu magnæ necessitatis et penuriæ Sacerdotum etiam Sacramentum Ordinis Clericis

3. Prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ, cum hoc discrimine Clericos inter et laicos, quod isti sepeliendi sint in loco non sacro, etiamsi agatur de infantibus, et si sepulti fuerint, exhumari debeant: illi vero, si non sint nominatim interdicti, possint sepeliri in Ecclesia etiam cum Missa, sed sine pompa. Si vero Ecclesia illa sit nominatim interdicta, adhuc poterunt in ea sepeliri; sed sine Missa.

Notamus: si interdictum sit latum ex sententia injusta, quæ videbatur justa ex probatis, in foro externo debet servari, sed non in interno: quare cessante scandalo, possunt audiri Sacra, recipi Sacramenta. Religiosi tamen quando servatur interdictum ab Ecclesia cathedrali vel matrice, tenentur illud servare, etiamsi nullum sit ex quocumque capite (1).

Q. 3. *Quid dicendum de iis, qui interdictum violaverint?*

R. Cum distinctione: vel Clerici sunt, vel laici violatores interdicti.

Si 1, peccant graviter, quando agatur de re gravi, et interdictum directe Clericos afficiat: et ubi Ordinem exerceant, incurrunt etiam irregularitatem (2). Si vero ipsi interdicti non sint, sed violent interdictum locale, privantur jure sepulturæ, quod alioquin haberent (3); necnon voce activa et passiva electionis (4). Si autem laicos interdictos admittant ad divina Officia interdicuntur ipso facto ab ingressu Ecclesiæ (5). Tandem Clerici, si quem sepeliant in loco interdicto, ipso facto excommunicantur (6).

Si 2, peccant mortaliter: 1 si interdictum sit personale; cum ipsos quoque directe afficiat; 2 si compellant Clericos ad divina Officia celebranda; maxime ratione injuriæ: imo incurrunt excommunicationem Papæ reservatam (7); 3 si Sacramentum, vel quid aliud in tali loco administrari prohibitum, ipsi recipiant; cooperarent enim ad id, quod sub gravi Clerici prohibentur agere. Si tamen in loco interdicto ipsi non personaliter interdicti simpliciter divinis Officiis intersint, probabilius solum venialiter peccant, ut docet Layman; nam cum tunc interdictum directe, atque principaliter ipsos non respiciat, non videtur eos obligare sub gravi.

Q. 4. *Quid de iis qui tantum interdicti sunt ab Ecclesiæ ingressu?*

R. Isti nequeunt Ecclesiam ingredi, ut Missæ aliisve divinis Officiis intersint, ideo enim interdicti sunt: item neque possunt in eadem Ecclesia vel ejus cœmeterio sepeliri. Missam autem adhuc audire possunt in Oratoriis privatis, quia hæc Oratoria proprie Ecclesiæ nomine non veniunt: imo juxta plures possunt ipsam ingredi Ecclesiam extra tempus divinorum Officiorum, ut ibi preces fundant privatim; nam tunc non ingrederentur formaliter, ut ajunt, et cum effectu (8).

specialiter non interdictis conferri potest, ut cum multis colligunt Pirhing, Innocentius et Abbas ex c. *Non est de sponsalibus*, n. 8.»

(1) Clement. I. *de sent excomm.* (2) C. 2 *de sent. exc.* in 6.
(3) C. 20 *de pœn. et rem.* (4) C. 1 *de postulat. prælator.*
(5) C. 8 *de priv.* in 6. (6) Clem. 1 *de sepul.* (7) Loco cit. *de sepul.*
(8) Cap. *Is cui* 10 de sent. excomm. in 6.

§ II—*De nonnullis Interdictis latæ sententiæ* (1).

Interdicta personalia generalia.

In dantes causam interdicto locali, licet sit universitas (c. *si sentent. de sent. excomm.* in 6);—2 in Capitulum, quod, Sede vacante, dimissorias litteras concedit infra annum non arctatis (*Trid.* sess. 7, c. 10):—3 in universitatem et Capitulum, quod appellat a sententiis Pontificis ad futurum Concilium (*Bulla Cœnæ*): reservatum est;—4 in universitatem permittentem usurariis conducere domum in suis terris ad fœnus exercendum (c. *usurar. de usur.* in 6);—5 in universitatem, quæ concedit repræsalias in Ecclesiasticos, si concessionem non revocet intra mensem (c. unico *de inj.* in 6).

Interdicta personalia specialia.

1. In recipientem de manu laici Episcopatum vel aliam dignitatem. Item in dantem (c. *si quis* 16, q. 7): ab ingressu Ecclesiæ;—2 in violantes interdictum generale locale (c. *Episc. de priv.* in 6): ab ingressu Ecclesiæ;—3 in conferentes Ordines simoniace (ita *Sixtus V*): ab ingressu Ecclesiæ, et reservatum est;—4 in Episcopos aliosque Prælatos recipientes beneficia in confidentiam (*Pius V*): reservatum est;—5 in Prælatos scholia edentes in Concilium Tridentinum (*Pius V*): ab ingressu Ecclesiæ.

Interdicta localia.

1. In territorium et loca illius, qui injuriose aut temere Episcopum percutit aut rapit, vel hoc fieri mandat (*Clem. I de pœn.*);—2 in regna, terras, loca eorum, qui impedire præsumunt Legatum seu Nuncium Pontificium, ne sibi subjectas terras ingrediatur (*Extr. super gentes de cons.*);—3 in locum, in quo scienter sepultus fuit hæreticus, aut ejus fautor (c. *quicumq. de hær.* in 6);—4 in civitatem, quæ insequentibus hostiliter Cardinales auxilium præbet, vel delinquentes non punit intra mensem (c. *Felic. de pœn.* in 6).

Scholium—*Censuræ et aliæ pœnæ ex Synodo Novariensi* (2).

In commodum Clericorum Diœcesis Novariensis exhibemus sub uno oculo censuras et pecuniarias pœnas adnotatas in Synodo postrema (3).

(1) *V. Operum Moralium*, t. 3, Episcopi Mart. Bonacinæ, ubi accurate auctor disserit de censuris omnibus in particulari, easque fuse explicat. In *Theologia* autem Edmundi Voit censurarum collectio habetur alphabetico ordine disposita. — Non disputamus hoc loco neque de *Irregularitate* neque de *Cessatione a Divinis*, neque de *Depositione* et *Degradatione*. Quæ quidem censuræ proprie non sunt, sed potius quædam pœnarum aut inhabilitatum species. Erit de hisce Tract. *De Ordine*.

(2) Est etiam suspensio ipso facto incurrenda et reservata, in eos qui breviori quartæ horæ partis tempore Missam absolvere audent. Ex Edicto 20 junii 1849: quæ suspensio ex ipsa Episcopi mente est a sola celebratione Missæ.

(3) Hic notandum: — 1 censura non habetur uti reservata, nisi [illegible] id sit a legislatore expres-

Excommunicationes.—Excommunicatur *ipso facto* qui, denuntiato Confessario sollicitante et juramento emisso de silentio, aliquid contra ipsum revelaverit (quæ censura Episcopo est reservata: *pag.* 314). Item Sacerdos, qui non approbatus ad Confessionem, hoc ministerium sibi vindicat extra necessitatem (non reservatur: *pag.* 117). Item qui neglectis denuntiationibus, aliisque omissis, coram Parocho inscio vel invito matrimonium contrahit (non reservatur: *pag.* 156). Sunt vero excommunicandi qui culpabiliter negligunt ultra octiduum, quominus puer bautizetur *(pag.* 78).

Suspensiones.—Est *ipso facto* suspensus qui in Sacris constitutus vel comœdias agere vel in choreis publicis saltare, vel deposito habitu, per vias personatus incedere præsumpserit. Ecclesiasticus, qui in cauponis certis lusibus luserit *(pag.* 168). Sacerdos, qui Missas quas non celebravit; adnotat sciens et volens per fraudem *(pag.* 112). Item civis aut oppidanus (1), scilicet in loco proprii domicilii commorans absque veste talari celebrat *(pag.* 106). Quæ suspensiones sunt reservatæ Episcopo; sed ultima tantum ad 15 dies. Suspenditur etiam *ipso facto* ab audiendis Confessionibus, qui extra necessitatem audet mulieris Confessionem excipere extra Confessionalem sedem *(pag.* 120). Sub pœna autem suspensionis *ferendæ* ad tres menses vetitum est in prima Missa munera a novo Sacerdote in Ecclesia colligi (*pag.* 104). Item sub suspensione *ferenda* vetitum est, tum ne Ecclesiasticus choreas sive publicas, sive privatas, et spectacula scenica adeat, vel ea permittat in ædibus ecclesiasticis etiam sub alieno nomine *(pag.* 168); tum ne Parochus agat festum Oratorii, nisi prius functionibus in parochiali Ecclesia expletis *(pag.* 102); tum ne contra incendia, vel tempestates deferatur Eucharistia *(pag.* 99).

Interdicta ferenda.—In Oratoria, si in iis agatur festum, non expletis functionibus parochialibus *(pag.* 102); vel detur benedictio Sanctissimi sine licentia (*pag.* 110); vel in iis aut Sacrario comessatio habeatur (*pag.* 206).

Pœnæ pecuniariæ.—In ludentes certis lusibus (*pag.* 168). In habentes ancillas 40 annis minores (*pag.* 167). In non interessentes Congregationibus (*pag.* 37). In Reliquias contra præscriptum Rubricæ deferentes (*pag.* 217) In Beneficii arbores sine licentia cædentes (*pag.* 227). In beneficiatos inventarium non conficientes *(pag.* 225). In non adnotantes Missas, quas debent adnotare, vel non celebrantes tempore ac loco definitis (*pag.* 399).—Quæ pecuniariæ pœnæ Ecclesiasticos tantum afficiunt.

sum; — 2 si censura ad tempus determinatum jam lata est, pro toto eo tempore est reservata;— 3 si censura latæ sententiæ sit suspensio a Confessionibus audiendis, censetur reservata, cum nullus Sacerdos possit jurisdictionem tribuere; — 4 pœna pecuniaria usu non solvitur nisi post sententiam superioris declaratoriam.

(1) Cum lex Synodalis dicat *oppidanus*, et res admodum odiosa sit, volunt hanc suspensionem non incurri ab habitatore parvæ Parœciæ, loci, aut pagi; oppidum enim in sua genuina significatione est locus, in quem homines multi habitandi causa conveniunt ac quasi parva civitas, ubi aliquis etiam publicæ justitiæ administer, uti esset judex, residet.

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 380.

Audiatur Roselly, *Della morte anteriore all'uomo*, c. 3, quoad originis peccatum: «Registrad los archivos de las naciones: en la portada de cada historia se presenta á la vista una mancha misteriosa, objeto de tristeza y de dudas. Las partes incivilizadas del globo, los habitantes del antiguo mundo y de los nuevos continentes, de las islas y de los montes han conservado la impresion del misterioso suceso, que mudó la naturaleza humana. Los Indios, los Chinos, los Persas, los Escandinavos, los Tártaros, los Tibetanos, los Egipcios, los Griegos, los Romanos, los Galos, los Mejicanos, los Iroqueses, la mayor parte de las tribus de América y de las hordas Africanas, nos muestran igualmente por castigo del hombre *la fatal desobediencia, inspirada por el orgullo ó sugestion de un sér malévolo.*»

Idem Auctor in libro: *Cristo dinanzi al secolo* c. 10 habet ad rem: «Los Persas dicen: el cielo estaba destinado para el hombre con el pacto que fuese humilde, puro en sus pensamientos y en sus acciones. La serpiente, este Ahriman lleno de muerte, recorrió Oranusd, despues de haber hecho el Ecrimé-Véedio (el paraiso terrenal).—Ahriman y todos los dews vieron al hombre puro y se consternaron. Ahriman fascinó el pensamiento de Adan y de Eva, desordenó sus disposiciones, les engañó sobre todo lo que miraba á los dews, y hasta el fin aquel cruel procuró solamente seducirlos.

«Los libros chinos esponen una relacion semejante. Al principio, el hombre obedecia al cielo, era todo espíritu.—La tierra producia espontáneamente frutos en abundancia. Entonces no habia enfermedades, desgracias, ni muerte. Pero cuando degeneró de tan feliz estado, los pájaros y las bestias feroces, los gusanos y las serpientes, todos á la vez y de comun acuerdo movieron guerra al hombre.—Por esto dice el antiguo proverbio: *no dés oidos á la mujer*. La decadencia de nuestros primeros Padres no fué olvidada de los Tártaros. Refieren, que iluminados por sí mismos sin privaciones y sin deseos, gozaban de una vida feliz; que la tierra producia una planta, cuya dulzura igualaba la de la miel mas pura, cuya belleza encantaba la vista; que no pudieron resistir á su seduccion: comieron de aquella planta funesta, y esperimentaron el mismo infortunio. Sus dias se abreviaron, sus fuerzas se debilitaron, y por primera vez esperimentaron el tormento del miedo.

«Los Thibetanos atribuian igualmente la pérdida de las prendas primitivas de la mente y del cuerpo al pecado de haber gustado de la peligrosa planta del Chimæ, dulce y blanca como el azúcar: este fruto les inspiró el conocimiento de su estado de desnudez. Los Escandinavos se acuerdan del

árbol de la ciencia del bien y del mal. Segun ellos, un enorme fresno llamado *idrasils* estiende sus ramas en el mundo entero y la serpiente lo roe por debajo. Sciur (la serpiente) subiendo y bajando á lo largo del fresno profiere la envidiosa palabra: etc.»

V. Stevenson, *Viaggio nell'America del sud.*—Sonerat, *Viaggio alle Indie.*—Belzoni, *Viaggio in Egitto e in Nubia.*—Bruce, *Viaggio in Abissinia.*—Gomara, *Storia generale delle Indie occidentali e di Terra Nuova.*—*Storia Generale dei viaggi.*—*Il gran Dizionario chinese.*—*Lettere edificanti* ecc.—Bergier, *Dizionario*, *Append.* V. Riparatore.—Nicolas, *Studi filosofici intorno al Cristianesimo*, p. 1. lib. II, c. 4.—Gaume, *Catechismo*, parte 1.ª—Martinet, *Soluzione di gran problemi* ecc.

(*B*) *Pag.* 384.

Quare ut aliqua exempla proferamus:

1. Non eos probamus, qui peccatum originale *peccatum* dicunt, non vero *culpam*. « Cuyas nociones de *pecado* y de *culpa* (ad rem percelebris Audisio, *Introduzione agli studi Eccles.* l. III, c. 8) de cualquier modo que se puedan distinguir en abstracto, no creo yo nunca en el caso concreto del pecado original, ni de alguna otra accion que sea un hecho humano repugnante á la ley. Por esto Sto. Tomas ha llamado indistintamente culpa tanto al pecado de orígen como al actual: *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur; ad culpam vero naturæ, non requiritur nisi voluntas in natura illa* » (in 2, dis. 30, q. 2, n. 2).

2. Neque illis subscribimus ullo modo, qui docent per originis peccatum nos damnari, non tamen illud nobis imputari. « Diciéndose (iterum cit. Auctor), que este pecado nos daña sin sernos imputado, parece que se ofusque el *inest cuique proprium* del Tridentino. A mas se opone á aquel concepto tan universal y justo, que la imputacion debe por necesidad preceder á la condenacion; y á manera que en un individuo no puede haber pena sin culpa, así no puede haber condenacion sin una verdadera y propia imputacion de la misma culpa.—Esta doctrina es de Sto. Tomás: *Pœna simpliciter semper habet rationem ad culpam propriam, sed quandoque ad culpam actualem... quandoque vero ad culpam originalem.* Y á mas: *Non autem punitur aliquis in spiritualibus bonis sine propria culpa, neque in præsenti neque in futuro.* ¿Cómo será propia la culpa sin la imputacion divina? Finalmente me parece que es esta la mente esplícita de los Padres Tridentinos: *Siquis per J. C. D. N. gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit.* Se ve 1.° que se debe tener por de fe, que el pecado original no es simplemente una deformidad, sino un reato que liga el alma espiritualmente, y que los teólogos llaman *reato de culpa.* 2.° que este reato con todas sus dependencias de culpa y de pena eterna, se quita en el Bautismo. 3.° que repugna á la fe el decir, que en el Bautismo este pecado solamente es borrado del alma, ó que no se le imputa: *radi aut non imputari.* Ahora allá se las ha-

yan con el Tridentino aquellos pocos, que con nuevas maneras de hablar afirman que en el pecado original que contraemos no hay ni reato de culpa ni imputacion. Digan como puede componerse, que el Bautismo nos libre de una ofensa divina, que no nos ha sido imputada; como este desata lo que jamás ha sido atado, finalmente, si el Concilio ha pronunciado el anatema contra los que sostenian que á los bautizados no se les imputa el pecado original, digan si es conforme á la idea católica el pretender que ninguna imputacion de aquel subsista ni antes ni despues del Bautismo.»

(*C*) *Pag.* 384.

Quoad B. Virginis Conceptionem *V.* Salzano *Corso di storia Eccl.* l. XVII, n. 17.—Liguori, *Opus Morale*, *Dissert. super censuris circa Imm. B. V. Conceptionem*, l. VII, n. 244.—Frassen, *Scotus Academicus*, hic.—Suarez, *hac disp.*—Card. Lambruschini, *Dissertazione polemica sull'Immacolato Concepimento di Maria.* Roma 1843.—Cerri, *Triumphus B. M. Virginis Matris Dei in originale peccatum.* Taurini 1851.—Perrone, *apud* De-Lucca, *Annali* ecc. Roma, vol. 16, p. 328; et *Prælectiones Theologicæ*, Edit. 25ª, anno 1857 vol. 3.—Mazzola in Ven. Seminario Novariensi olim Professor, *De Beata Virgine, Disput. Historico-Theologicæ*, ubi fuse veritatem prosequitur, ac solide undequaque tuetur.—*Amico Cattolico.* Milano, serie 2ª t. 1, p. 343.—*Collezione de'buoni libri a favore della Cattolica Religione.* Torino 1850, dispensa XI, nota 4; e dispensa 133: *riflessioni e cenni storici, e Bolla dogmatica della Immacolata Concezione.*—Knol, *Institutiones Theologicæ*, vol. 2.—Ballerini, *Sylloge monumentorum ad mysterium Conceptionis Immaculatæ Virginis Deiparæ illustrandum.* Romæ, 1854.—Croiset, *Esercizi di pietà per tutti i giorni dell'anno: il mese di dicembre.*—*Civiltà cattolica*, ser. 2ª, vol. 8 e 9.—Passaglia, *De immaculato Deiparæ Concepto Commentarius theologicus*, Opus a Pio IX laudibus cumulatum.

Plures cum Galatino, Cusano, Ponte, Salazar, Catharino, Navarrino, Viva, Lugo, Egidio, Richerio fortiter tuentur, Mariam non solum a macula originali fuisse mundam, sed etiam ab ipso eam contrahendi debito exemptam, quamvis ab Adamo descendat per carnem. Nempe in æterno Dei decreto de futura peccati originalis existentia, supposito Adami lapsu, eam comprehensam non fuisse; adhuc tamen dici debere redemptam, quia propter Christum fuit ab illa lege excepta, ideoque merito semper canitur, quod Deus eam præservavit.—Etsi hoc pie credi possit, et videatur probabile, nec certo repugnantiam involvat; tenent nihilominus communiter, Mariam in Adamo peccasse, et vi Conceptionis suæ habuisse debitum culpam originalem contrahendi; originem enim habuit a natura corrupta. Neque ideo Mariæ dignitas imminuitur; quia, ut ait Augustinus, l. VI *contra Jul.* c. 4: *peccatum originale qualenus consideratur in actione alterius, alienum est; fit autem proprium tantum contagione propaginis,* id est per contractionem actualem: quod de Maria dici nequit (*vide* Liguori, *Opera Dogmatica*, sess. 5, n. 26).

Hic non abs re erit indicare piam societatem, cui ab *aurea corona* nomen, Immaculatæ Conceptionis B. V. M. quam quidem Pius IX die 11 sept. 1853

libenter erexit, seque ejusdem patronum declaravit Indulgentias sociis largiendo. Constat ex celebratione Sacrorum, quæ singulis mensibus ab uno et triginta Sacerdotibus præfinito die in Deiparæ honorem erunt peragendæ, orando insuper juxta mentem S. Pontificis. Cui bono etiam singuli fideles participare possunt, sub datis conditionibus, ut videre est in Regulis hujusce novæ societatis.

(D) Pag. 386.

1. Cum tanti sit D. Thomæ auctoritas *(quem*, ut graphice ajunt, *si solum scias, omnia scias, etsi cætera omnia ignores; si solum ignores, ignores omnia, etsi cætera omnia scias)*, præstat ut ipsius Angelici auctoritatem proferamus circa exemptionem B. Virginis a peccato originali.—Qua de re videatur P. Angelo Bigoni ministro generale dei Minori Conventuali, *In lode di Maria SS. senza macchia concetta,* Dissertazione panegirica. Roma 1845. Is primis Patribus testimonium S. Doctoris addit, proferens hæc genuina verba illius Opusculi, *Expositio Salutationis Angelicæ,* quæ quidem ipse suis oculis perlegit in Codice membranaceo Vaticanæ bibliothecæ: *ipsa* (Virgo) *fuit purissima quantum ad culpam, quia nec originale nec veniale peccatum incurrit* (Amico Cattolico, vol. 10, pag. 62; Mem. Modonesi, serie 3ª, fasc. 4). Unde non immerito ex antiquis etiam ac sincerioribus Codicibus probant, recentiores præsertim, textum qui habetur 3 p. q. 22, a. 2 contrarius, fuisse corruptum.—Adde: quo utitur argumento Angelicus in *cit. loco.* nostram firmat sententiam; nam ibi probat Mariam fuisse in utero sanctificatam, quia Ecclesia celebrat ejus Nativitatem. Quid ergo nunc temporis dixisset, quo etiam celebratur Festum Conceptionis? dicere debuisset hac ipsa de causa et Virginis Conceptionem sanctam esse atque immaculatam. *V.* Opusculum Nicolai Cichovii, *Angelici Doctoris S. Thomæ de B. M. V. Deiparæ immaculata Conceptione sententiæ.* Patavii, 1720. Adde sine ulla difficultate objecta verba D. Thomæ explicari posse de debito peccatum originis contrahendi, ut clarius ipse indicat 4, dist. 45, q. 1, a. 4, ad 3.—*V.* Joannes a S. Thoma, *Tract. de approbat. et auctoritate doctrinæ Angelicæ D. Thomæ,* disp. 2, a. 2.—Mariano Spada dell'ordine de'Predicatori. *Esame critico sulla dottrina dell'Angelico dottore S. Tommaso circa il peccato originale relativamente alla B. V. Maria.*—Francesco Gaude dell'ordine de'Predicatori, *De immaculato Deiparæ conceptu ejusque dogmatica definitione in ordine præsertim ad scholam Thomisticam.* Romæ.

2. Opponunt auctoritatem D. Bernardi in celebri Epistola ad Canonicos Lugdunenses, in qua aperte videtur negare hoc Virgini Privilegium. Sed respondemus cum P. Perrone: in confesso est.—1 S. Bernardum Canonicos illos redarguisse quod, inconsulta Sede Apostolica, festum de Virginis Conceptione adoptaverint;—2 ipsum ex eo Virginis ortum sanctum fuisse deducere, quod solemnitas ejus Nativitatis in universa Ecclesia celebraretur; —3 impetivisse Conceptionis cultum eo quod careret objecto: siquidem ex ipsius mente Virgo sancta esse non potuit priusquam conciperetur, quum nequiverit *ante sancta esse, quam esse.* Sed nec in ipso Conceptionis momen-

to id potuit; *quomodo namque*, pergit, *aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit ubi libido non defuit? nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam, et non de viro conceptam fuisse: sed hoc hactenus inauditum.*—Nempe ideo S. Doctor inficiatur sanctam Virginis Conceptionem, quia maritali complexu genita est. Unde patet, ipsum esse locutum de prima Virginis Conceptione, quam *activam* dicunt, de ea nempe, in qua sancti B. Virginis parentes opere maritali invicem convenientes, præstiterunt ea, quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem, et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam. Non autem de Conceptione *passiva*, seu de animationis momento, de quo hic agimus. Reapse hoc sensu auctores S. Bernardo suppares *conceptionis* vocabulum usurpasse ostendit Mabillonius (*nota* 141, *in Epist.* 174 *S. Bernardi* col. XLII): unde legitime colligitur S. Doctor piæ sententiæ haud infensus. Imo cum ipse ex celebritate Festi de Natali Virginis die, quæ jam in Ecclesia ubique vigebat, intulerit sanctam eam extitisse ante Nativitatem, merito concludimus ipsum sanctam pariter Conceptionem propugnaturum fuisse, si idem festum ubique celebrari, ut nunc fit, cognovisset.

(E) Pag. 388.

Incertum quæ futura sit conditio eorum, qui cum solo originali moriuntur. Exules erunt a patria cœlesti; sed quæ erit eorum sors æterna?

Alii cum Sylvio, Petavio, Gregorio Ariminensi, qui ideo dictus fuit *tortor parvulorum*, etc. docent parvulos solo originali maculatos pœna ignis, mitissima tamen, esse cruciandos: et probant ex Concilio Florentino, ubi habetur: *credimus... illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Hoc dicunt Scripturæ, latinis Patribus et fidelium persuasioni conformius.—*V.* Bergier, *Dizionario,* V. Bambini.—Berti, *Theol.* l. XIII, c. 8.

Alii cum Valentia, Bellarmino, etc. tenent tales infantes pœna sensus non esse plectendos; cum hanc Scriptura iis solum comminetur, qui actuali peccato tenentur. Attamen docent eos habituros esse perpetuam tristitiam de amissione beatitudinis, ad quam ab origine erant destinati; talis enim exclusio non potest esse sine dolore. Hanc sententiam communiorem appellat Bouvier, et ei videtur probabilior.—*V.* Bellarminus, *De amissione gratiæ*, l. VI, c. 6 et 7.—Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo;* conferenza: *la salute degli uomini.*

Alii cum Petro Lombardo, Soto, D. Bonaventura, Innocentio III, D. Thoma censent tales parvulos esse prorsus immunes a pœna sensus; ratio est, ait Angelicus (*de malo* q. 5, a. 2), *quia pœna sensus respondet conversioni ad creaturam, et in peccato originali non est conversio ad creaturam, et ideo peccato originali non debetur pœna sensus.* Imo docet tales pueros nullam percepturos esse tristitiam de amissione gloriæ; *nam sicut nullus sapiens* ait (2, D. 33, q. 2, a 1), *affligitur de hoc quod non possit volare sicut avis, vel quia non est rex vel imperator, cum sibi non sit debitum; ita pueri non dolebunt de amis-*

sione visionis beatæ, cum non sit debita, nec ad illam habeant proportionem. Imo adhuc tradit, quod illi infantes participabunt de bonis naturalibus, *et de Deo gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione.* Quod tamen Billuart explicat de dilectione naturali necessaria (eo enim amore, quo quis necessario diligit seipsum, diligit etiam suum essendi principium); non autem de amore libero et amicabili. *Del resto,* ad rem S. Alphonsus (*Opera dogmatica,* sess. 5, n. 10), *prescindendo da questo godimento naturale è molto equa, ed a me più probabile secondo la divina Misericordia, la sentenza, che essi nell' altra vita non ricevano nè premio, nè pena; e da questa sentenza non è discorde lo stesso S. Agostino,* l. III, *de l. arb.* c. 23... *Tanto più che S. Gregorio Nazianzeno, e S. Gregorio Nisseno sacrissero lo stesso,* etc.

Alii cum Catharino docent eos parvulos post judicii diem esse in quodam paradiso terrestri collocandos, ubi sua sorte optime contenti beatitudine naturali perfruentur in Dei cognitione et amore fundata: qui amor erit liber, efficax et perfectus in genere suo. Id ex parte defendit Cardinalis Sfondrati in libro, *Nodus prædestinationis dissolutus.* Romæ 1696. Item lib. cui titulus *Delle cose divine, e specialmente degli ultimi tempi del mondo, Ammonimenti di* Giovanna Le Royer, Suora ecc. Rovigo 1852.—Quæ opinio etsi non sit communiter admissa, non est tamen confundenda cum hæresi Pelagianorum: isti quoque illis pueris naturalem beatitudinem concedunt, sed sine morte animæ: unde juxta ipsos exclusio ab intuitiva Dei visione non habet rationem pœnæ, quod negant Catholici.

Alii tandem eo usque progressi sunt, ut credant Deum in ultima judicii die gratiam Baptismatis illis infantibus elargiturum fore. Ita in libro, *Considerazioni sullo stato dei bambini morti senza Battesimo,* Lugano 1839.—Quid sit sentiendum de hoc singulari ac noviter excogitato medio, videant sapientes.

(F) Pag. 389.

Mundus quoad essentiam semper idem est, voluptatibus inhians, æternitatis immemor, Dei inimicus, et varias pro diversis temporibus formas induit. Quænam porro sit præsens forma spiritus mundani, quam alio nomine appellamus *genium sæculi,* aperte declaravit Pius IX, tot machinationibus apta remedia suggerens. De hisce erit in Tractatu, *de Justitia* atque de *Virtutibus Theologicis.*

Hic interim hæc notamus cum cl. Stapf (*Th. Mor.* § 125): «Maxima calamitas in Ecclesiam Dei redundat, si ipsi sacrorum Ministri genio sui temporis turpiter assentiantur. Cum enim mundus spiritum veritatis non possit accipere (*Joann.* 14, 17), ille, qui hominibus placere gestit, Christi servus non est (*Gal.* 1, 10)... Equidem quod ad animi cultum et morum comitatem attinet, Sacerdos ea neutiquam aspernabitur, quæ *ævum* nostrum vere commendant; attamen, ut veterum aliquis monet *nimium ne crede colori; fallit enim vitium specie virtutis et umbra.* Revera tentatio sectandi genium temporis non est minima, præsertim pro viris junioribus; egoismo enim vix aliud magis arridet, quam placere illis, qui ex moderno genio sentiunt.»

(G) Pag. 398.

Regius Psaltes (*Ps.* 18) etiam de alienis peccatis timet: *ab alienis parce servo tuo.* Quod tamen non ita accipiendum est, quasi nempe ad ea committenda non debeat concurrere nostra voluntas; quæ sola est peccati sedis. Sed eo sensu, quia illa sub aliqua ratione etiam nobis debent imputari. Hæc imputatio incurritur dupliciter:— 1° *positive*, quando quis alium ad peccatum inducit vel imperio vel consilio vel plausu vel per illecebras, ut si qui perversos libros evulgent, turpes imagines exponant;—2° *negative*, si ob desidiam nostram alii peccatis libere indulgent. Ex qua parte parentes, magistratus, Parochi qui suis non invigilant, horrendum plane judicium expectent. Ex his vero patet, hanc peccatorum alienorum imputationem immensum non raro orbem describere, prout notat *Stapf*, § 122.

(H) Pag. 408.

« *Non concupisces rem proximi tui:* hæc est differentia inter legem divinam et mundanam, quod lex mundana judicat facta et dicta; divina autem non hæc tantum, sed etiam cogitata. Et ratio hujus est, quia illa est per homines, qui indicant ea quæ apparent exterius; sed divina est a Deo, qui interius exteriusque conspicit.» Ita Angelicus (*Op. de* 10 *præceptis, de* IX). Hinc bene Balmes (*El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, l. XIII: «Si penetramos en el sacrario del pensamiento, á donde no llega la vista del hombre, abierto solo á los ojos de Dios, ¿qué significa libertad de pensamiento? ¿Por ventura no tiene el pensamiento sus leyes, á las cuales necesariamente debe sujetarse, cuando no quiera perderse en un caos? ¿puede acaso separarse de la norma de una sana razon? ¿puede dejar de oir los consejos del buen sentido? ¿puede olvidarse de que su objeto es la verdad? ¿puede desconocer los eternos principios de la moral?»— *V. Collezione di buoni libri*. Torino, dispensa 16.—Bergier, *Dizionario* ecc. V. Libertà di coscienza, Tolleranza.— *Saggio elementare di diritto publico Eccles.* vol. 1.

(I) Pag. 409.

Ad rem Careno (*Delle Regula* ecc. Es. IX). «Se puede dar ocasion á un pensamiento malo con un acto inocente, ó indiferente. Por ejemplo con conversar moderada y circunspectamente: con pasear é ir por las calles, si bien se encuentren objetos de peligro para la castidad, cuando aparte prontamente la vista de ellos: con leer libros no malos, ó ver alguna representacion por sí honesta. Si todo esto me dispierta pensamientos torpes, pero con el ausilio divino sé resistir, no soy culpable porque tengo derecho á aquellas acciones indiferentes. Podria no mirar el rostro de personas de otro sexo; podria separarme enteramente de ellas; pero esto no pasa de consejo. Así lo practicaban un S. Bruno, un S. Luis Gonzaga, y algunos otros Santos y Santas; pero estos tenian á mas el adorno de las demás virtudes, y tal gravedad era

en ellos admirable y edificante. Pero si un Eclesiástico, y aun mas un secular no tuviese casi otra virtud, que el fijar los ojos en el suelo en presencia de las mujeres, seria una afectacion. Estos Santos tenian los ojos fijos en tierra, pero sus pensamientos y afectos estaban en el cielo.

«Puedo dar ocasion culpable á la tentacion, y el acto que la ocasiona, puede ser leve ó gravemente culpable. Un acto de pasajera curiosidad ó en mirar, escuchar, ó preguntar, puede pintarme torpes objetos; pero sé por otra parte, que si con el ausilio de Dios resisto, solo soy reo de culpa venial. Pero cuando un acto por si levemente culpable viniese á ser para mí un peligro próximo de un deleite malo, atendida mi fragilidad en tal materia, entonces soy culpable de pecado grave por razon del peligro próximo relativo, á que me espongo.

Puedo dar ocasion gravemente culpable al mal pensamiento. Fijé la vista en una mujer vestida inmodestamente. Dijo *fijé:* porque si fuese una ojeada accidental, que luego se retirase, no tendríamos caso: entonces me haria reo de pecado grave, porque esta libertad indecente de una mirada fija está anexa y conexa con el peligro próximo de un mal deleite. Fijar la vista y no encenderse el corazon en fuego impuro seria aquel caso tan raro como en un fusil encenderse la pólvora de cerca del eslabon y no comunicarse con la de dentro.»

(J) Pag. 415.

«Hé aquí Virgilio (ad rem Caussette, in suo sermone, *De inferno*) que condena á Prometeo á una pena eterna, bajo el pico de un buitre que nunca se sacia. Platon condena al malvado á una eternidad dolorosa. Celso declara esta creencia comun á los paganos y á los cristianos. Lucrecio no se toma la molestia de formar la felicidad del mundo, sino cuando haya pasado á ser un código universal este artículo de fe. Finalmente Voltaire mismo se ve obligado á proclamar este dogma como una opinion de todos los tiempos y de todos los paises.

«Ciertamente que hay lo infinito en la pena del réprobo, pero tambien habia lo infinito en la redencion que pisoteaba, lo infinito en el cielo que despreció, lo infinito en la absolucion que recibió, lo infinito por fin en todos los Sacramentos que profanó. Ahora añadid todos estos infinitos por una parte, y por otra poned lo infinito de la pena, y decidme ¿quién ganará, la justicia ó la bondad? No se quieran destrozar los dogmas discutiéndolos, porque es un atentado contra la verdad: tomad la verdad de la pena en su medio natural, es decir ante la Redencion y la Eucaristía, y decidme lo que queda absorbido, si la justicia ó la bondad? No: la bondad no es absorbida. Es verdad que Dios crió el infierno, pero esta creacion, lo digo sobre la fe de un Santo, fué un acto de amor, porque tenia intencion de preservarnos del mal. Un dia la tentacion os sonrió: vos con el pecado mortal dijiste á Dios: ¡Retírate! Dios se retiró: desde aquel momento no se lanzó el rayo á vuestra alma para tocarla. No, solamente llegó la muerte, y en aquel dia Dios no estaba con vos, y por el solo hecho, vino el infierno: de modo que

el infierno no es otra cosa que el pecado mortal continuado hasta la muerte, y que por consiguiente, en la muerte, no puede ya imputarse á Dios el pecado de todos los dias, que vos no pensais en imputarle.»

Item *V.* Lacordaire, *Conferenza* LXXII.—Sed maxime Nicolas, *Studi filosofici intorno al Cristianesimo*, vol 3 in fine, Opus a Pio IX laudibus cumulatum. —Item Rusca, *De inferno et statu dæmonum ante mundi exitium*, libri quinque, in quibus tartarea civitas, paratorum ibi cruciatuum genera, ethnicorum etiam de his opiniones, etc. varia eruditione describuntur. Mediol. 1621. — Patuzzi, *De futuro impiorum statu.* — Liguori, *Dissertaz. Teologico-Morali*, Dissertaz. VIII. — Passaglia, *De æternitate pœnarum, deque igne inferni.* —Martinet, *Soluzione de' gran problemi.* Ventura, *La ragione filosofica e la religione cattolica*, Confer. XXI: *eternità delle pene;* vol. 3. Milano 1857.

(K) Pag. 446.

Quoad luxuriæ materiam, quædam notanda specialius pro praxi, ac recto Confessariorum regimine.

1. Quoad *pollutionem:* nullum vitium est tam forsan emendatu difficilius et tam noxium sub omni respectu juvenibus et præsertim masculis, quam habitus se polluendi. Etenim prava hac consuetudine deprehensi obdurantur, hebetantur, virtutes fastidiunt, Religionem contemnunt; eorum indoles fit tristis, fortitudinis incapax, nullius propositi tenax: vires corporis deficiunt, graves nascuntur infirmitates, advenit caducitas præmatura, et sæpe mors ignominiosa *(medicis et experientia quotidiana testibus)*. Sollicite ergo studeant Confessarii eos, qui sibi creduntur, adversus tanta mala præmunire, vel ab infami habitu jam contracto retrahere. Execrandus *masturbationis* habitus, si inveteratus sit, Confessarios in quamdam desperationem conjicit; nam si (pœnitentes) *severius* tractentur, timendum est, ne deinceps non redeant et pejores fiant; si *nimia indulgentia* suscipiantur, in cœno vitii torpentes manebunt. Summa igitur prudentia magnoque zelo curare oportet, ut infelices isti pœnitentes ad sacrum Pœnitentiæ tribunal sæpe, v. g. singulis hebdomadis accedant, de culpis admissis doleant, et propositum amplius non peccandi frequenter renovent, orent, orent et iterum orent.

2. Quoad *fornicationem:* fornicatio fidelis cum infideli, puta cum hebræa aut mahumetana, in communi sententia longe gravior est, quam cum catholica. Imo hæc infidelitatis circumstantia, ex Continuatore Tournely speciem mutat; quia sicut ab Ecclesia nubere prohibitum est christianis cum infideli in honorem catholicæ fidei et ad semovendum perversionis periculum, ita eadem de causa prohibita censetur ab Ecclesia quævis copula cum infideli, quæ semper vergit in dedecus Religionis: ideo non est solum contra castitatem, sed etiam contra Religionis virtutem. Hanc tamen specialem circumstantiam mortalem esse alii negant.

3. Quoad *Concubinatum.* Jure civili concubinatus tunc tantum putatur, quando concubinarii habitant eamdem domum. Non ita tamen jure Canoni-

co, uti constat ex stylo Curiæ Romanæ, et ex Tridentino, Sess. 24, c. 8 (*V.* Salmanticenses, *tract.* XXVI, c. 2, punct. 2). — Concubinatus idem est ac *simul cubitum ire;* fornicatio vero deducta est a verbo *fornicor*, sumpta denominatione ab eo, quod meretrices in fornicibus, hoc est locis concameratis seu ad modum arcus fabricatis, honestatem nundinabantur. Hic advertendum, nomen *concubinæ* non semper in malo sensu usurpari: in veteri Lege hoc nomine (tunc permissa uxorum pluralitate) vocabatur vera uxor, sed secundaria, quæ scilicet honorem et domus administrationem non habebat. — *V.* Veith, *Scriptura Sacra contra incredulos vindicata*, De libro Job, n. 126.

4. Quoad *sodomiam.* Perfecta est sodomia in quacumque parte corporis fiat congressus; quia ordinarie semper adest tunc affectus ad indebitum sexum. Ideo non est opus explicare in Confessione, an pollutio fuerit intra vel extra vas præposterum; quamvis ad incurrendam reservationem requiratur seminatio intra vas, ut ait P. Mazzota... Pollutio habita tangendo puerum vel mulierem dormientem, absque tamen concubitu sive conjunctione corporum, non habet nisi simplicis pollutionis malitiam, ut probabilius dicunt Salmanticenses, Cajetanus, Azor, Bonacina, etc. Item qui polluitur tactibus alienis, jam dupliciter peccat cooperando peccato alterius; non tenetur tamen explicare, an tactibus maris vel fœminæ, nisi ista habeat virum aut votum castitatis. «Liguori, *Homo Apost. tr.* IX, nn. 24 et 25. — Hic notandum etiam: non refert in quo vase coëant masculi aut fœminæ inter se, vel in anteriori vel in posteriori, vel in alia corporis parte; cum malitia sodomiæ in affectu ad sexum indebitum consistat, atque in genere suo completa sit, dum fit applicatio membri genitalis ad partem corporis ejusdem sexus per modum concubitus. Si autem fieret tantum applicatio manus, pedis vel oris ad partes genitales alterius, etsi pollutio ex utraque parte sequatur, non reputaretur sodomia; quia non esset concubitus.»

5. Quoad *turpia verba* proferentem, audiatur Stapf, § 310: «qui turpia proferre amat, hoc ipso depravatum animum, et immunditiam cordis testatur, quandoquidem *ex abundantia cordis os loquitur* (Matth. 12). Tum vero in semetipso non minus quam in aliis sensum pudoris, hoc firmissimum integritatis munimen, subvertit ac destruit: unde irrumpenti libidini jam facilis accessus panditur. Denique neminem latere potest quot scandala inde oriantur, dum per hujusmodi verba salacia phantasia turpissimas imagines concipit, stimulus venereus irritatur, et nefandorum flagitiorum horror sensim abstergitur. Præsertim res est luctuosissima, si juventus adhuc incorrupta talia auribus usurpet, sicque pudendas illecebras, quas hucusque feliciter nescivit, pessime edocetur. Quamobrem jubet Apostolus: *omnis immunditia nec nominetur in nobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet* (Eph. 5).»

6. Quoad *theatra* observandum, quod aliquando scenici ludi rure obtinent, et ab ipsis rudibus instituuntur vel ad ipsum divinum cultum augendum. De his habet Stapf, § 318: «equidem hucusque nonnisi spectacula religiosa, et insuper non de nocte, sed tempore pomeridiano edi consueverunt. Sed præterquamquod per hæc spectacula tum in ipso loco, tum in vicinia

cultus divinus et christiana institutio multum defraudentur, tot etiam abusus, et morum corruptelæ inde resultant, ut pastores animarum de illis nonnisi dolere possint. Etenim *actores ipsi* exinde vanæ ostentationi, petulantiæ, ebrietati, aliisque vitiis assuefiunt; ex numero autem *spectantium* plurimi hac occasione corrumpuntur, dum præcipue utriusque sexus juventus liberius sibi indulget, finita comœdia ad tabernam divertit, et tum ibidem tum in reditu plurimis peccandi periculis exponitur.» Videat tamen Parochus, ne obstando majora provocet mala: curet, si fieri possit, ut partes fœminarum excludantur, et nullus vir veste fœminea utatur.

7. Quoad *remedia contra luxuriam* et maxime *pollutionem:* nullum remedium validius est, quam sæpe confiteri, si credere est Philippo Nerio, B. Leonardo, etc. — *V.* Liguori, *Praxis Conf.* n. 77, ubi docet eos, qui hoc remedio non utuntur, emendationem sperare non posse, nisi per miraculum.— Et liber, *Il Sacerdote santificato*, n. 94 habet: «Mirad con buena esperanza, y tened por válidas aquellas confesiones despues de las cuales el penitente ha disminuido notablemente las culpas, aunque haya recaido despues. De otra suerte seria confundir el fruto de una sola confesion con el fruto de muchas: como si uno no quisiese distinguir el provecho de un buen remedio tomado una sola vez, del provecho del mismo tomado por largo tiempo. Así, pues, como se dice, que es eficaz aquella medicina, que tomada hoy impide de hecho, y quita la fiebre, aunque vuelva despues de algunos dias; y el quitarle del todo y constantemente, está reservado á la continuacion del remedio, que además de la fiebre, quita tambien y consume aquellos malos humores que volverian á causarla de nuevo; así Dios no ha dado á cada confesion una fuerza y virtud ilimitada para toda suerte de efectos. Toda confesion bien hecha quita el resto de todas las culpas acusadas con buen dolor; pero no quita todas las reliquias, la debilidad, la mala inclinacion á recaer; disminuye, sí, pero no doma enteramente la fuerza del mal hábito. Este copioso efecto está reservado, segun el curso ordinario de la presente providencia, á sola la continuacion de las confesiones, las cuales poco á poco van purgando hasta de las reliquias del pecado, y de tal manera fortifican el alma, que en fuerza de ellas dura despues constante y sólida su entera sanidad. Y por esto el Ritual Romano sugiere como remedio específico para los recidivos la frecuencia de Sacramentos; y todos los Santos y Maestros de espíritu convienen en inculcarla.» — It. *V.* Gousset, *Giustificazione della Teol. di S. Alfonso*, c. IX. — P. Ventura, *Le donne del Vangelo: appendice all' Omelia:* La donna malata, o la pietà: *il rimedio contra il trizio della carne:* ubi maxime commendatur etiam frequens Eucharistiæ susceptio.

Hic venit etiam maxime juvenibus commendanda devotio erga Angelicum juvenem Aloysium Gonzagam, quem Benedictus XIII Sanctorum fastis adscripsit, atque innocentiæ et castitatis exemplar simul et patronum studiosæ præsertim juventuti dedit. Qua in re cumulatissime faciet notissima oratio: *O Luigi Sancto,* pro qua Pius VII et partiales et plenarias Indulgentias concessit. — Ita extollenda maxime pro studiosis juvenibus devotio erga S. Thomam, qui fortiter dimicans ad tuendam suam puritatem, meruit sacro cingulo ab Angelis constringi, quo perpetuæ virginitatis gratia

donatus fuit. Hinc nata devotio, et sub nomine *Militiæ angelicæ* instituta de hoc sacro cingulo pia societas, quam plures Pontifices Indulgentiis cumularunt. *V. Il giglio della purità conservato con vari mezzi, e specialmente con la divozione del sacro Cingolo dell' Angelico Dottore S. Tommaso d' Aquino.* Torino, Paravia 1843.

(L) Pag. 448.

Vitium ebrietatis præ reliquis formidandum est, quod præter dissipationem bonorum, plerumque etiam officiorum neglectum, complura scandala et sat numerosam catervam peccatorum pedissequam habere soleat, et quod in diram consuetudinem abeat, quæ semel contracta ægerrime corrigitur. Hinc D. Hieronymus hominem ebriosum non solum mortuum, sed etiam sepultum dicit. Et plerumque aliud remedium non restat, quam ut per longius tempus ab omni potu inebriante prorsus abstineant; si enim dulci huic veneno labia denuo admovent, omnium propositorum immemores se iterum concitato naturæ pruritui permittunt. Sunt etiam omnino prohibendi ab ingressu cauponarum.

Attamen præ reliquis hoc vitium in Sacerdote, præsertim pastore animarum, atrocitatem fere portentosam acquirit, dum nempe illi infra conditionem brutorum dejecti conspiciuntur, quos populi christiani duces et angelos esse oportet. Hæc Sacerdotum perversitas jam ab Isaia (*cap.* 28) inter præcipua incitamenta computatur, quibus populus ad omnem impietatem, Deus vero ad acerbissimam vindictam provocetur. — Qui vitæ decursu ab hoc pessimo vitio vinci non vult, juvenis utatur modico vino, et sollicite caveat ab occasionibus. Sæpe pia quidem, ast et malesana ruricularum liberalitas Sacerdotem præcipue juniorem ad hoc vitium deflectit, dum nempe eidem ad suas ædes divertenti vinum adustum non tantum offerunt, sed obtrudunt etiam. (Ita Stapf, § 294 et seqq.) — *V.* Raineri, *Istruzioni,* ecc. t. 3, *rimedii contro l' ubbriachezza.*

(M) Pag. 453.

Invidiam ad vivum pingit Ovidius l. II *Metamorph.:*

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
Nusquam recta acies; livent rubigine dentes;
Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi movere dolores;
Nec fruitur sommo, vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum; carpitque, et carpitur una,
Suppliciumque suum est....

(N) Pag. 458.

Quoad censuram, quæ ipso facto incurritur, notamus: — 1 etsi censura latæ sententiæ illico suum sortiatur effectum; aliquando tamen, si agitur de magna re, Pontifex eam incursam esse declarat, ac quasi de novo infligit.

Quod tamen non est de necessitate; sed fit, ut sic magis terreantur homines et a malo arceantur, vel etiam ut omnis tergiversatio de medio tollatur. Sic Pius VII excommunicavit Principatus Romani usurpatores; et tamen certum erat, ab istis excommunicationem fuisse incursam, utpote latam jam in Bulla *Cœnæ;* — 2 qui alicui facto jam consummato, cui censura latæ sententiæ adnexa est, subscribunt vel illud approbant ac laudant simpliciter, non ideo censuram et ipsi incurrunt; sed illa solummodo ii ligantur, qui efficaciter ad factum illud concurrerunt, id est vel ad illud efficaciter ponendum vel ad illud efficaciter exequendum: excipe nisi in censuræ comminatione aliter statuatur ab ipso superiore. Non est tamen dubitandum, quod tales laudatores ac subscriptores peccent, cum opus malum approbent. Et si forte primitus valeant excusari, putantes id sibi exemplo aliorum licere; cessat tamen hæc bona eorum fides, statim ac Ecclesia per suos Prælatos loquitur. Neque tunc amplius excusantur, sed eorum peccatum ex materiali in faciem Ecclesiæ fit formale, si admissum publice non corrigant. Sane actum esset de magisterio Ecclesiæ docentis, si quis tuto se egisse contendat; quia dictamen suæ conscientiæ secutus fuit: hoc est spiritum privatum velle sequi: hoc est Protestantium placita adoptare.

Aliquando etiam *bruta* dicuntur excommunicari vel anathematizari, ad significandum videlicet quamdam adjurationem pro ipsorum interitu et expulsione; non autem in sensu genuino et proprio. — Imo aliquando etiam *mortui* excommunicari dicuntur, sed improprie: hoc intelligitur vel de quadam execrationis specie; vel de excommunicationis declaratione, quam ante mortem incurrerint; vel tandem de excommunicatione indirecta, qua nempe Ecclesia prohibet, ne orationes pro iis effundantur, aut alia iisdem præstentur externa ac publica christianæ charitatis officia.

(O) Pag. 461.

Hinc etiam ubi viget *Regium Placitum* quoad Bullas Pontificias, ab eo semper excipiuntur, ut debent excipi illæ, quæ rectam vivendi normam atque mores respiciunt. Et hos quidem respicit censura; cum ejus comminatio sit utique ad continendos homines, eorumque religiosos mores firmandos.— *V.* Riccardi, *Gemiti* etc. *Convers.* IV. — *Civiltà Cattolica,* vol. VII, anno 1852, pag. 40: *L' Exequatur. — Concordatum Austriacum*, art. 2. — Et *Allocutio* Pii IX habita in Concistorio 3 nov. 1855 aperte tradit *falsam jam opinionem perversam, funestissimam, oppositam aperte divino Primatui et jam damnatam, quæ docet placitum Regium necessarium esse pro rebus spiritualibus et ecclesiasticis negotiis.*

Dices: *cum Ecclesia sit in Statu, nihil nisi dependenter ab ipso constituere potest, ne confusio inducatur; ergo leges et maxime punitiones nullius roboris esse debent, neque tolerandæ sine Regis venia et probatione.* — R. cum Nardi, *Elementi di diritto Eccl.* p. 2, c. 2, a. 1: «El estado no debe tolerar dentro de sí algun poder y gobierno, que gire en su misma esfera, y no dependa de él. No es empero necesario que absorba toda fuerza y actividad, sino aquellas únicamente, que se infieren á la razon de su existencia. Por lo

que concluyamos: el Estado y la Iglesia no van comprendidos el uno en la otra; sino que coexisten la una por el otro, como dos personas morales, jurídicas, libres, independientes y perfectas, entrambas constituidas para promover la felicidad del género humano, pero bajo diversas relaciones y por diversos caminos. » Unde unaquæque potestas circa actus suos omnino libera est, et potest sicuti indicere præcepta, ita etiam transgressores punire. «Hé aquí las bellas palabras del ilustre Arzobispo de Colonia hace poco arrebatado á la Iglesia Germánica: ¿qué es la Iglesia? se dice: *es una Sociedad en el Estado.* ¿Una sociedad quizás como aquellas de ferro-carriles, de navegacion á vapor, de aquellas que para existir necesitan ellas, sus estatutos, la sancion de los gobiernos, y que un decreto de estos disuelve? ¿O una sociedad, que se reune para rogar, y fuera del tiempo y lugar de la oracion no se conoce? ¿O una sociedad como aquellas, que al separarse de la Iglesia Católica, se echaron en brazos del Estado? ¿O tal vez tambien una feliz invencion, una institucion política de utilidad?»

«*¿La Iglesia católica en el estado?* ¿Esta que no conoce otros límites que los de la tierra, otro término que la duracion del mundo; que está destinada para reunir y como tierna madre educar á todos los hombres gobernantes y gobernados, á todos los pueblos del mundo, á bendecir y santificar los lazos sociales tanto los grandes como los pequeños? *¿La Iglesia católica en el estado?* ¿Ella que contra la voluntad del Soberano, en oposicion á las así llamadas *leyes de estado*, por voluntad de aquel, á quien ha sido dada toda potestad en los cielos y en la tierra (*Matt.* XVIII, 18) nació, creció, se estendió por todas las naciones, ella una sociedad en el Estado? ¿Tal vez en aquellos estados que se levantaron despues que la Iglesia hubo florecido y fructificado por muchos siglos? ¿Ó en aquellos que abandonaron la casa de su madre diciendo, que jamás habia sido su madre? ¿Ó será tal vez desmembrada en muchos estados grandes y pequeños segun sus confines políticos, como las confesiones separadas de ella? ¿Ella, la única Iglesia católica en el Estado? ¿El reino de los cielos que no es de este mundo, en los reinos, que solo son de este y por este mundo? Ella la inmortal é inmutable, en lo mutable bajo todo aspecto, en lo continua é infatigablemente mudado? ¿La que guarda las cosas supremas y eternas, en el Estado que solo guarda las terrenas?» (*Ueber den Frieden unter der Kirche, und den Staaten;* id est *Della pace tra la Chiesa e lo Stato* di Clemente Augusto bar. di Droste Vichering Arcivescovo di Colonia, pag. 7-9).—*Vid.* etiam *Annali religiosi*, t. XII, pag. 207.—*Civ. Catt.* serie 2, vol. VI: *L'autorità sociale.*—Boyer, *Difesa della Chiesa cattolica contro la eresia costituzionale, che sottomette la Religione al magistrato, rinnovata in questi ultimi tempi.* Parigi 1840.

(P) Pag. 471.

Celebris Bulla *Cœnæ* est antiquissima, de cujus origine certo non constat: ab immemorabili publicabatur Romæ singulis annis feria V in *Cœna Domini;* ac propterea dicta fuit Bulla *Cœnæ.* Quæ tamen, uti dicunt, numquam fuit recepta in Hispania, neque in Germania, neque Venetiis, neque in Gallia.

Lata est propter tria: tum ut servetur *integritas fidei catholicæ;* tum *unio fidelium cum Christo* ejusque *Vicario;* tum *societas* inter ipsos fideles. Bullam exponunt inter cæteros Bonacina; Duardus; Palaus; Abreu, *Instructio Parochi*. Casus autem his versibus contrahuntur penes Edmundum Voit:

Hæretici; a Papa appellans; cum fure pirata;
Augens vectigal; vel Breve falsificans.
Hostibus arma ferens; seu victum qui amovet urbe;
Quos Papa aut pietas aut sua causa ciat.
Præsulibus gravis, ad laicos et sacra trahentes;
Prælati, Ecclesiæque usurpans jura, onus et qui
His statuit: laicus Clerum si crimine damnat.
Sedis Apostolicæ terras quique occupet atrox:
Hos omnes Domini Cœnæ anathema ligat.

Etsi a tempore Clementis XIV, non amplius Romæ publicetur Bulla *Cœnæ*, ut prius erat in more singulis annis; adhuc tamen pergit obligare, et passim ab omnibus citatur pro iis locis, ubi jam erat in vigore. Illa enim publicatio non erat necessaria conditio ad Bullam, cum id nullibi legatur præscriptum, sed quædam tantum solemnitas ideo inducta, tum ut nullus illius oblivisceretur, tum ut magis terrerentur mali. Sic plura quotannis contra sectas occultas, bonorum ecclesiasticorum usurpatores, decimarum detentores, etc. in Ecclesia Dei repetuntur Constitutiones ac Decreta, quæ si non repeterentur, non ideo vim amitterent suam.

(Q) Pag. 475.

Res per se loquitur: qui in excommunicationem incidit, ideo est quia Ecclesiam non voluit audire; sed qui Ecclesiam non audit, ex Christi verbis, est habendus ut ethnicus ac publicanus. At numquid poterit ethnico Sacramentum rite ministrari, sepultura ecclesiastica donari, et alia bona Ecclesiæ ei tribui? qui renuit Ecclesiæ præsulibus se subdi, neque Ecclesiæ bonis frui meretur. Necesse ergo est, ut primum se retractet a sua pervicacia: vel privatim, si ejus delictum occultum sit; vel publice, si ejus delictum fuerit publicum.

Neque sufficit protestari, se velle catholice vivere et mori; Ecclesiæ non verbis tantum, sed maxime operibus obtemperandum est: unde quando Ecclesia aperte loquitur, absoluta et absque ulla conditione sumissio nostra esse oportet.—Neque etiam faceret, siquis protestaretur, se omnia peccata sua confessum fuisse, ideoque suæ obligationi satisfecisse; nam Confessio est de foro interno, et nemo potest vel debet scire quid in Confessione actum sit. Sed quoad alia Ecclesiæ Sacramenta res est de foro externo: hinc si publico censura nota est, publico debet esse nota, si aliud non obstat hic et nunc, retractatio, ne dicatur indignis Sacramenta ministrari (*V. Allocutio* Pii IX, 1 nov. 1850, *In Consistoriali*).—Norma autem hæc esse solet, ut requiratur tum generalis fidei professio, tum et maxime expressa retractatio erroris, in quem quis lapsus merito creditur. Hinc refert Lucchesini, *L'incredulità convinta dai suoi stessi seguaci*, quod ab Archiepiscopo Parisiensi Beaumont, ut

insufficiens fuit declarata hæc Voltairii retractatio: «Yo el abajo firmado declaro, que viéndome atacado cuatro dias ha de un vómito de sangre á la edad de ochenta y cuatro años, y no habiendo podido ir á la Iglesia, habiéndose dignado el Señor Cura de san Sulpicio añadir á sus buenas obras la de enviarme al Sr. abate Gaultier, sacerdote, me he confesado con él, y que si Dios dispone de mí, muero en la Religion católica en que he nacido, esperando de la Misericordia Divina que se dignará perdonarme todas mis faltas, y que si hubiese escandalizado la Iglesia, pido de ello perdon á Dios, y á ella. 2 marzo 1778. En casa del Sr. marqués de Villete á presencia del señor abate Mignot mi sobrino, y del Sr. marqués Villevicille: *firmado* Voltaire. Firmaron tambien Mignot y Villevicille. Detrás del mismo papel añadió: PS. Habiéndome advertido el Sr. abate Gaultier que se decia entre cierta gente, que protestaria contra todo lo que hubiese hecho en la muerte, declaro que esto es una antigua chanza atribuida de largo tiempo á muchos mas iluminados que Voltaire.»

Si tot sint ac ita graves excommunicationis effectus, certe illam irridere non possunt, qui sunt ex animo catholici. Excommunicatio nullam utique directam corpori coactionem infert: quid inde? animam ligat. Quamquam et in hoc mundo censurarum contemptores sæpe punit Deus. Hinc ad rem Salzano, *Storia Eccl.* lib. ult. « Habia dicho Napoleon en el esceso de su soberbia, que la escomunion del Papa no podia hacer caer las bayonetas de las manos de sus soldados. Pero el indómito no conoció, que con Dios no hay burlas: y ¡ay de aquel, que la dá contra su Iglesia y maltrata á los ministros del Santuario! La campaña de Rusia le fué funesta: el hielo, el frio, la nieve hicieron caer las bayonetas de las manos de sus soldados, y Dios se sirvió de los elementos para aplastar á aquel soberbio, de quien se habia servido como de instrumento para castigar á los pueblos en los dias de su furor. Una sola noche consumió veinte mil caballos, y murieron cuatrocientos mil combatientes sin poder desenvainar la espada: único caso en la historia de los tiempos.»

Hic etiam notare non abs re erit, nempe jansenianum esse dicere excommunicationem non incurri ab illo, qui intentionem non habet eam incurrendi, imo habet intentionem contrariam, servandi scilicet unionem cum Ecclesia per charitatem, qua etiam expulsus non intendit ab ejusdem sinu disjungi. Hæc fuit tristissima et fallax Paschassi Quesnelli argutia ad eludendam Ecclesiæ potestatem in censuris ferendis; *numquam nos* (inquiebat iste) *eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo et ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus:* quæ propositio sub numero 91 a sancta Sede damnata fuit. Et jure merito, nam quid, quæso, discriminis est (in re quidem, si non in verbis) inter dictam Quesnellianam sententiam et illam Martini Lutheri: *excommunicationes sunt pœnæ externæ?* Atque ut discipulos suos ad conculcandas Ecclesiæ excommunicationes inflammaret magister audacissimus, hæc addebat pravitatis hæreticæ plenissima verba: *excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo officio nostro. Pati potius iniquam excommunicationem et anathema injustum quam prodere veritatem, est imitari sanctum*

Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem et scindere unitatem. Proh Jupiter! *Apage hæc immitia poma* e scholis nostris in æternum et ultra!—Vel apud ipsos gentiles obtinebat hæc spiritualis pœna, absit ergo, ut eos audiamus, qui ideo Ecclesiam insectantur. *Siquis privatus aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt* (ita de Druidibus Sacerdotibus scribit Cæsar, *de Bell. Gall.* l. VI. c. 5). *Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur; ab iis omnes decedunt; aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur neque honor ullus communicatur.* Similia fere habet Tacitus in *Hist.* l. V, n. 5.—Apud Judæos autem triplex erat excommunicatio: alia minor *separatio* (*niddui*) nuncupata, in qua triginta diebus usus Sacrorum erat interdictus; alia *anathema (cherem)*, quæ reum Synagoga et civili commercio extorrem faciebat; alia *excisio (schammata)*, quæ 400 tubis promulgabatur, omnemque in Synagogam regressus spem præcidebat; imo juxta plures etiam sententiam mortis involvebat. *V.* Calmet, *Dictionarium histor. cronol. Sacræ Scripturæ,* V. Excommunicatio.

Ultimo ponimus pro praxi quædam S. Pœnitentiariæ responsa quoad eos, qui bona Ecclesiarum usurparunt vel usurpatoribus auxilium dederunt, pro quibus adest excommunicatio latæ sententiæ: quæ responsio pro casibus similibus valere poterit.

« *Quæsit.* 1: *Si las personas que han en cierto modo cooperado* (dictæ videlicet usurpationi) *pueden admitirse por Padrinos en los Sacramentos del Bautismo y Confirmacion.—Respuesta:* la S. Penitenciaria maduramente consideradas las propuestas dudas, responde que despues de la Estravagante *Ad evitanda* de Martino V en la administracion ó recepcion de los Sacramentos, ó cualesquiera otro acto divino, ó no, no están los fieles obligados á evitar una persona bajo pretesto de una sentencia cualesquiera ó de censura *á jure* ó *ab homine* promulgada en términos generales, si esta censura ó sentencia no ha sido publicada y denunciada especial y espresamente contra una determinada persona, principalmente si se prevén escándalos ó males. Así como pues los escomunicados, suspendidos, interdichos ó prohibidos de tal especie en nada fueron rehabilitados por la mencionada Estravagante, es claro que cometerán pecado, y tanto mas grave cuanto mayor será el escándalo, si no obstante la censura, se atreven á comunicar con los fieles en las cosas divinas.

« *Quæsit.* 2: *Si el Párroco ó alguno en su lugar puede asistir al Matrimonio que las mismas personas quisiesen contraer, sin que antes hayan hecho constar haber sido debidamente absueltas de la censura contraida. Respuesta:* el Párroco llamado para asistir al Matrimonio de un público y notorio escomulgado, debe antes disuadir á los contrayentes, é impedir ó suspender el Matrimonio, hasta que el escomulgado se haya reconciliado con la Iglesia. Y si estos cuidados hubiesen de salir vanos, y por otra parte vayan á originarse graves escándalos, nacer peligros para el Párroco con daño de su misma parroquia, cuando se hubiese de suspender por mas tiempo la asistencia, podrá en tal caso el Párroco lícitamente asistir al Matrimonio de un público y

notorio escomulgado tolerado. Igualmente podrá el Obispo concurriendo estas circunstancias, y tomadas las providencias oportunas, dar al Párroco licencia para asistir á tal Matrimonio.

« *Quæsit.* 3: *la S. Penitenciaria á los* 5 *setiembre* 1855 *habiendo respuesto que los Obispos y Párrocos* passive se habeant, *cuando sea grave é inminente el peligro de públicas desgracias, de uso de la fuerza pública, si no se procede á la sepultura de las referidas personas, si no hicieron pública retractacion; se pregunta si las mencionadas palabras se deben referir á la simple tumulacion, de modo que se pueda permitir que sean sepultadas en lugar sagrado, ó bien si por evitar los temidos trastornos, puede el Párroco conceder los honores fúnebres al difunto, con acompañamiento á la Iglesia con intervencion del Clero y de las Cofradías, cantar la Misa,* etc.—*Respuesta:* consulten el derecho divino y eclesiástico, y los autores aprobados. (*V.* dicta *de privatione suffragiorum*).

« *Quæsit.* 4: *en algunos rescritos con los cuales se concede la facultad de absolver* Intendentes et Insinuantes *que tomaron parte en la mencionada ley y la mandaron cumplir con la fuerza, entre las condiciones que se ponen, hay la de reparar el escándalo* eo meliori modo quo potest. *Esta condicion es interpretada de varios modos, y se sabe que en ciertos lugares alguno de los súbditos á nada fueron obligados, y se admitieron á los Sacramentos. Se pregunta, si se puede seguir tal ejemplo por la sola razon, que dándose por los mismos empleados una retractacion cualquiera en presencia de testimonios, correrian riesgo de ser destituidos de su empleo que no podrian dejar sin gravísimo daño propio y de la familia.*

« *Quæsit.* 5: *Se pregunta á mas, si, en la circunstancia en que tales empleados corren riesgo próximo de ser destituidos de sus empleos, cuando se manifestase su retractacion, pueda bastar que la hagan solo en presencia del Obispo ó del Confesor. Para evitar pues el escándalo, que tal vez habria en el pueblo cuando se acercasen públicamente á los Sacramentos sin hacer la retractacion en público, se pregunta si puede adaptarse el medio de administrárselos privadamente, con tal que estén siempre dispuestos á la pública retractacion, en caso de enfermedad peligrosa, ó de cambio de cosas en el Estado.*

« *Respuesta* á las dos preguntas antecedentes. Para la retractacion basta que se pida perdon á la Iglesia ofendida, y se repare el escándalo causado á los fieles: lo que debe hacerse con prudencia y del mejor modo posible, para evitar los graves daños que pudiesen venir al penitente; y á mas basta que la retractacion se haga en manos del Obispo, y se deposite para ser custodiada en la Cancillería episcopal, y aun en las manos del Confesor para que este la pase al Obispo como arriba, y luego prudentemente y no sin discernimiento se divulgue. Y si se trata de enfermos puestos en peligro de la vida, basta una retractacion hecha segun lo dicho arriba y suficientemente publicada antes de recibir el Viático. Y si esta no se hubiese hecho todavía, basta que se haga delante del Confesor y dos testimonios para entregarse luego al Obispo y publicarse despues de la muerte del enfermo. Por lo demás, la S. Penitenciaria no cree ser en ningun modo conveniente que se hayan de admitir secretamente á la participacion de los Sacramentos los que

no han hecho la retractacion en el modo predicho por el verdadero escándalo de los pusilánimes que resultaria á los fieles de la creida pertinacia del penitente en la censura.

«*Quæsit.* 6: *Tratándose pero de los empleados, que están continuamente espuestos á ejecutar nuevos actos mandados por la ejecucion de la ley, seria de desear, que los Obispos fuesen autorizados para concederles en los casos particulares las oportunas facultades, despues de haber recorrido á la S. Sede.*

«*Quæsit.* 7: *Son tambien de desear mas amplias facultades por lo que mira á la compra ó arriendo de los bienes estables de la Iglesia que han sido usurpados... Respuesta:* la S. Penitenciaria responderá con cartas separadas.»

Dado en Roma, en la Penitenciaria á los 5 Julio 1857.

(R) Pag. 480.

Eamdem circa cœmeteria jurisdictionem habet Episcopus, quam circa Ecclesias *(de immut. Eccl.* c. 2, in 6 *de sepult.* c. 13), sunt enim cœmeteria loca religiosa ac sacra speciali benedictione consecrata, ideoque ab humanis subducta: imo est veluti pars Ecclesiæ, ad quam quidem spectat, cujus etiam loco sufficitur; cœmeterium enim in suo sinu religiose recipit mortuos quos Ecclesia habuit vivos. Hinc Ecclesiæ tantum esse debet dignos in eo recipere, indignos repellere. *V.* Gibert, *Corpus juris Canonici*, *Tract. de Eccles.* tit. 7, § 2.—*L.* Ferraris, *Bibl. Canonica*, art. novissimus: *Cœmeterium.*—Affre, *Traité de la proprieté des biens ecclésiastiques.* Paris 1837.—*Armonia.* Torino, anno 1854, n. 138, 16 novembre.—*Il Cattolico di Lugano*, anno 1848 vol. xxxi.

Cum ecclesiastica sepultura pars sit catholicæ communionis quæ etiam post mortem manet, ideo merito ab illa repelluntur, qui viventes ea communione carebant, atque ab Ecclesia sejuncti ab hac vita publice migraverunt. Hinc e pluribus juris capitibus ecclesiastica sepultura privantur judæi, ethnici, infideles omnes et infantes non baptizati; apostatæ, hæretici, schismatici manifesti, nominatim interdicti, excommunicati, suicidæ, duellantes in torneamentis, usurarii manifesti, fures et latrones in crimine deprehensi et occisi, raptores Ecclesiarum si non satisfecerint, qui Paschate non communicaverint, uno verbo publici peccatores, quos constet impœnitentes decessisse. Qui hos temerarie sepelierint in catholico cœmeterio graviter delinquunt: imo si sepelierint aliquem infidelem, aut hæreticum declaratum, aut excommunicatos vitandos, nempe vel publicos Clericorum percussores, vel nominatim declaratos excommunicatos, vel suicidas (can. *si quis;* Extr. *ad evitanda*, et Bulla *Detestabilem* Benedicti XIV), incurrunt etiam excommunicationem ipso facto; taliter sepulti, si adhuc fieri possit, sunt extrahendi ex sepultura, et cœmeterium est reconciliandum; et interim sub gravi peccato prohibetur aliquem in eo sepeliri; quod si necessitas urgeat sepeliendi, locus sepulturæ benedicatur, prout habetur in Rituali. —*V.* Devoti, *Inst. Can. de sepulturis.* — L. Ferraris, *Bibl. Canonica*, V. Sepultura; Ecclesia, art. iv. — Liguori, *Op. Mor.* l. I, *append.* 2, n. 91; l. VI, n. 363;

Homo Apost. tract. XIX, n. 20; tract. XX, n. 91. — Nardi, *Elementi di diritto Eccles.* § 518.

Pro praxi hæc notamus: — 1 contingere potest, ut quis Sacramentis fuerit privatus, non tamen ecclesiastica sepultura, ut si quis v. g. excommunicatus in ultimo vitæ suo puncto sese pœniteat, nec amplius fiat locus Sacramentis; — 2 qui morte ab humana justitia plectuntur, sepeliendi sunt in loco sacro, si signa dederint pœnitentiæ, sed sine solemnitate;—3 in dubio, an sit deneganda sepultura sacra, interrogandus Episcopus; si non potest interrogari, concedenda juxta illud: *in dubio odia restringenda;* idque magis, cum hodie tot incommoda ex denegatione sequantur, quibus præstat occurrere. Hinc etiam si Sacerdos solus testis fuerit repulsæ moribundi, taceat, ni aliud obstet, ut sic vitet scandalum quantum fieri potest; — 4 mimis et comœdis sacra sepultura non est deneganda, cum nulla sit lex Canonica, quæ eos sepultura ecclesiastica privet; — 5 cum benedicitur cœmeterium, pars aliqua extrema illius sine ulla benedictione relinquatur, ut inserviat pro sepultura infantium non baptizatorum, aliorumque, quibus denegatur sepultura Ecclesiæ: nec requiritur, ut illa pars per murum, vel quid aliud separetur (etsi murum desiderent), modo discerni possit. Cum tamen nonnullis in locis contingat, ut sacrilege per vim sepeliantur in loco sacro qui sepeliendi non sunt; sapienter in illis locis statutum est ad præcavendam profanationem, ut omittatur totius cœmeterii benedictio, sed ut singulis vicibus benedictio fiat ejus loci, in quo cadaver est deponendum. *Gousset, Gury*, etc. Cæterum quoad potest, servetur usus, et semper interrogetur Episcopus; —6 «se deberia negar la sepultura eclesiástica á los que tenidos en la opinion pública entre aquellos que no se han confesado en el año, ni recibieron la Eucaristía por Pascua, han muerto sin dar señales de contricion. Pero atendido que hoy dia, por desgracia hay un gran número que no cumplen el deber de la confesion anual, ni el de la comunion pascual, debe modificarse esta regla, restringiendo la negacion de la sepultura eclesiástica á aquellas de entre tales personas, que por impiedad, hubiesen públicamente rehusado los sacramentos en la hora de la muerte. Si, por ejemplo, el enfermo hubiese despedido al sacerdote blasfemando en presencia de los que le rodean, sin que este pudiese obtener hablarle en particular antes de la muerte, se le negaria la sepultura eclesiástica. Con todo, en el caso que las personas que asistian al moribundo afirmasen que antes de espirar y de perder todo el conocimiento, ha pedido un sacerdote ó implorado los ausilios de la religion, se podia darle sepultura con las ceremonias y con las preces de la Iglesia. — 7. Puede suceder que el lugar destinado á la sepultura de los fieles sea profanado por la sepultura de un judío, de un infiel, ó de un escomulgado denunciado. En este caso, no se debe, segun los cánones, reconciliar el cementerio, sino despues de haber exhumado el cuerpo que lo ha profanado. Si la autoridad civil se opone á que se le exhume, no obstante, las justas y legítimas instancias de la autoridad eclesiástica, el Obispo podrá permitir el reconciliar el cementerio con una nueva bendicion. La Iglesia no obliga á lo imposible. ¿Pero que hará el párroco, si, antes de haber recibido la decision del Ordinario, muere algun fiel de su parroquia?

¿Podrá acompañar el cuerpo al cementerio y hacer la ceremonia religiosa? Lo podrá, con motivo de los graves inconvenientes que habria de no hacerlo; pero bendecirá el hoyo en que debe deponerse el cadáver. Los tiempos no son los mismos: no debe pues maravillarse si las reglas, en materia de disciplina, varian en su aplicacion.

«El ilustre Obispo de Liegi M. Montpeiller en su pastoral para la presente cuaresma (1857) creyó oportuno tratar la importantísima cuestion de negar la sepultura eclesiástica. Existe una ley eclesiástica, que priva en ciertos casos á los católicos de los honores religiosos de la sepultura; ahora bien esta ley no es ni injusta en su orígen, ni en la pena que fulmina, ni en su objeto, ni intolerable en su aplicacion. 1 No es injusta *en su orígen;* la Iglesia, que ha hecho esta ley, ha recibido de Dios mismo el poder de promulgarla; Jesucristo ha dicho á la Iglesia: Se me ha dado toda potestad en el cielo y en la tierra (Matt. 28); todo lo que ligareis sobre la tierra será ligado en el cielo; todo lo que desatareis sobre la tierra, será desatado en el cielo (Matt. 18); el que no obedece á la Iglesia, sea tenido como pagano (Matt. 18); 2 no es injusta *en la pena* que fulmina, porque esta es proporcionada al delito y no se aplica sino cuando el delito es público y sin ninguna señal de arrepentimiento manifiesto. No es injusta, porque no es arbitraria: la pena se aplica sin distincion alguna de grado, fortuna, talento, ó reputacion. 3 No es injusta *en su objeto* porque tiende á obligar al hombre con un saludable temor, á dar á Dios lo que es de Dios, á cumplir sus deberes como cristiano, y así asegurarse la felicidad eterna. 4. No es una ley de intolerancia *en su aplicacion*, porque no castiga sino á aquellos, que voluntaria y públicamente provocaron aquella pena. Y en verdad, ¿qué hace la Iglesia negándoles la sepultura eclesiástica? La Iglesia los separa de los fieles despues de su muerte; pero ellos se habian separado voluntariamente de los fieles durante su vida, y perseveraron voluntariamente en esta separacion. La Iglesia, despues de la muerte, declara que no los reconoce; y ellos mismos declararon durante su vida con su conducta, que no reconocian la Iglesia, ni querian ser reconocidos por ella. La Iglesia, en una palabra, les aplica aquella pena que ellos se aplicaron á sí mismos con entera libertad: esta pena sabian que les tocaria, y con todo la eligieron: ¿dónde está pues la intolerancia?

«Por lo demás no se prohibe tributar al difunto aquellos deberes que su condicion reclama; pues que las leyes de la humanidad y de la caridad no se suspenden por lo que mira á él; y se puede tambien asistir á su sepultura, con tal que no vaya acompañada de ceremonias religiosas de otro culto, ni de parodias de las ceremonias del culto católico.» (Ita in Diario, *L'Armonia*, anno 1857, n. 59).

(S) Pag. 493.

Ante Tridentinum Episcopi facultatem non habebant Clericos sive excludendi sive suspendendi ab Ordinibus extrajudicialiter, sed tantum ob publice comprobata crimina, nempe per processum: hac facultate tunc frue-

bantur dumtaxat Regulares erga suos *(ex* cap. *ad aures de temp. ordin)*. Sed Tridentinum in Cleri reformationem sapientissime intendens, facultatem ipsam dedit etiam Episcopis indiscriminatim (*sess.* 14, *c.* 1), ut nempe Clericos suos possent ab Ordinibus tum excludere tum suspendere *ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet, extrajudicialiter*, idest nullo formato processu, id est *ex informata conscientia*, nempe ex causis ab ipsa Episcopi conscientia perpensis et cognitis. Quæ verba licet proferantur a Patribus solummodo in prima capitis parte, ubi agitur de exclusione; certum tamen est ea esse etiam intelligenda de suspensione, uti docent communiter Fagnanus, Barbosa, Gonzales, De-Luca, Giraldi cum Benedicto XIV, et pluries declaravit S. Congr. C. Item hæ exclusiones et suspensiones possunt etiam esse perpetuæ ex eadem S. Congr. Imo et declaravit *Episcopum in hujusmodi pœnis decernendis non teneri dicere causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si reus ad eam recursum habeat.*

Certum est autem, nullam dari appellationem ad Metropolitam in suspensionibus vel exclusionibus latis *ex informata conscientia*, cum tunc detur tantummodo recursus ad supremam Sedem, uti docet Benedictus XIV (*De Syn.*, l. XII, cap. 8). Potest Episcopus in hac censura ferenda formalitates ordinarii vel summarii processus judicii ex toto vel ex parte adhibere; nam Tridentinum ait posse *quomodolibet* censurare. Attamen in ferenda sententia exprimendum est, se agere vigore cap. 1, sess. 15 *Tridentini;* ne censeatur via ordinaria procedere, quo in casu essent necessariæ solemnitates.

V. Opusc. *Itorno ai giudizi ex informata conscientia*, Torino, Marietti 1850. —Ferraris, *Bibliot. Canon.* V. Suspensio, art. 1, n. 16.—Sed præ cæteris Bouix, *De judiciis*, t. 2, p. 2: qui hanc quæstionem undequaque resolvit; et multis quoque conatur tueri, Episcopum posse suspendere ex informata conscientia etiam quando delictum est omnino publicum; nam Tridentinum ait Episcopum posse procedere *extrajudicialiter ex quacumque causa. etiam ob occultum crimen;* porro illud *etiam* aperte supponit posse quando crimen non est occultum. Idque necessarium omnino; etsi enim delictum sit fama vulgatum, contingere potest ut aliquibus in locis formalitates servari nequeant absque difficultatibus, vel ob populi commotionem, vel ob gubernii minas vel ob temporum calamitatem etc. Id quoque tuetur Episcopus Lucionensis, Tract. *De sententia ex informata conscientia.*—Huic tamen adversatur vigens apud Romanos canonistas contraria persuasio; et Benedictus XIV de hac suspensione loquens, semper de occulto crimine loquitur.

(T) Pag. 497.

Audiendus Devoti circa Interdicti justitiam, *Inst. Can. h. loco:* «Apostata M. Antonius De-Dominis, *De repub.* l. V, cap. 9, n. 38, et Paulus Sarpius *in tract. Theol. Venet.*, et peculiari opere *Dell'interdetto*, multa contra generale præsertim, ac locale interdictum scripserunt. Graviter tamen ac solide contra hostes interdicti disserunt Bellarminus, *Risposta al trattato dei sette Teologi di Venezia sopra l'interdetto di N. S. P. Paolo V*, Rutilius Ben-

zonius, *de justit. pontif. interdict.;* Baronius, *Parænes. ad rempublic. Venet.;* Fagnanus, *de justit. et validit. censur.* Pauli V. Videndi sunt etiam auctor operis, *Conférences ecclésiastiques d'Angers pour l'année* 1772, t. 1, p. 324; et cl. Zaccaria, diss. 3 *della forza obligatoria della disciplina*, n. 37.

Dices: *Per generale interdictum puniuntur etiam innocentes: quod injustum est.* Audiatur iterum Devoti: «Novum atque insolens non est, quod pro alicujus crimine tota familia puniatur, quod multis ex sacris Litteris petitis exemplis ostendit Gratianus initio *qu.* 3, *caus.* 24. Et in l. V, *cod. ad. l. jul. majest.* etiam filii pro patris scelere pœna afficiuntur. Confer etiam Herodotum l. III, c. 118 et 119, pag. 108, edit. Londini 1679; Q. Curtium, *Hist. Alex. M.* l. VI, c. 11, n. 20, pag. 411; et l. VIII, c. 6, n. 28, pag. 558....

«Fac duas esse respublicas, quarum altera sese, alteri res quasdam, quibus ea caret, daturam promisserit, modo ipsa certa servet pacta, quæ mutuo conventa sunt. Negligunt hæc pacta ii, qui reipublicæ sunt præpositi; quare altera respublica nihil præstat eorum, quæ servatis pactis præstare debuisset. Magnum exinde capiunt detrimentum non solum reipublicæ præfecti, qui pacta contempserunt, sed etiam cæteri, qui eadem republica continentur, quoniam carent rebus, quibus omnino indigent; et hi quidem quamquam nulla propria culpa teneantur, pœnam tamen perferunt propter culpam præfectorum suorum. Quis jure reprehendat rempublicam, quæ alteri non dedit res necessarias, quas tantum servatis pactis, dare debuisset? Omne vitium est præfectorum, qui pactis defuerunt, quod omnes eorum reipublicæ subjecti, quamquam insontes, damnum capiunt; sed nullum est vitium alterius reipublicæ a qua, spretis contemptisque pactis, nihil dandum est.—Simili modo inter ecclesiasticam civilemque rempublicam pactum conventum videtur, ut altera alteri præbeat Sacramenta, et cætera ad æternam salutem necessaria, modo hæc sacros ministros alat, Ecclesiæ legibus obediat, cætera absolvat, quæ ad æternam salutem consequendam ab Ecclesia necessaria judicantur. Si ii, qui præsunt civili reipublicæ eamque repræsentant, Ecclesiam contemnunt, neque mutuis pactis obtemperant, reprehendendam putabimus Ecclesiam quod neget civili reipublicæ ea, quæ tantum sub certis pactis danda sunt, præsertim cum id faciat Ecclesia ut populi salutem curet? Adde: ut generale interdictum minus lædat innocuos, provisum, ut pueri atque ad vitæ exitum properantes habeant, quæ ad æternam salutem necessaria sunt.»

TRACTATUS QUINTUS

DE

VIRTUTE RELIGIONIS.

Ut homo dicatur bene et honeste vivere, requiritur tum ut declinet a malo, tum ut faciat bonum juxta illud Psalmi 36: *declina a malo et fac bonum*. Jam vero declinabit a malo, si numquam in agendo se abripi sinat a principiis actum humanum allicientibus ad malum: faciet bonum, si a principiis contrariis, actum nempe allicientibus ad bonum, fortiter suaviterque concussus honestatem amplectatur.—Postquam de primis principiis fuit disputatum, superest ut disseratur de cæteris, quæ actum alliciunt vel ad bonum naturale, et sunt *virtutes Morales:* vel ad bonum supernaturale, et sunt *virtutes Theologicæ* ac *Sacramenta*. Aliquid præmittamus de virtutibus generatim.

DISPUTATIO PRÆAMBULA

DE VIRTUTIBUS, AC DE RELIGIONIS NATURA ET ACTIBUS.

Q. 1. *Quid est virtus generatim?*

R. Virtus in sensu latissimo idem est ac *vis* seu *efficacia*, quo sensu et fortitudo et gratia miraculorum et ipsarum rerum naturalium efficacitas, virtus appellatur (1). In sensu vero stricto virtus communiter definiri solet cum Augustino: *animi habitus hominem inclinans ad bene recteque operandum* (2). Est nempe bona qualitas animum constanter et efficaciter disponens ad bonum: unde vera virtus ea non est, quæ pro data facultate oblataque occasione non operatur; sicut flamma quæ non urit, non est genuina.

Virtutes aliæ sunt *divinæ* sive ordinis supernaturalis, et Theologicæ nuncupantur, quæ scilicet habent pro objecto immediato Deum uti auctorem

(1) I Machab. 6; Matth. 7; Sap. 7, 17. *Virtutis* nomen a *viro* derivatum est; quia dicta vis et efficacia major est in viro, quam in fœmina.

(2) Lib. 1 *contra Julian.* c. 3. Etiam actus singulares, qui boni sunt, ex communi usu *virtutes* nuncupantur. *V.* Stapf. § 97.

gratiæ et gloriæ. Aliæ sunt *humanæ*, sive ordinis naturalis, quæ scilicet versantur circa objecta cognoscibilia ratione naturali, hominemque perficientia intra rationis limites (1). Homo utrisque opus habet, ut ostendit Angelicus (2): *humanis* videlicet, quibus naturalem felicitatem assequatur; *divinis*, quibus valeat etiam ad felicitatem supernaturalem pervenire.

Virtutes Theologicæ tres sunt ex Apostolo: *fides, spes, charitas, tria hæc* (3): fides respicit Deum uti primam veritatem; spes uti nostram beatitudinem; charitas uti summum bonum.—Virtutes autem humanæ duplicis sunt generis; nam si perficiant intellectum, seu hominem in cognitione veri, dicuntur *intellectuales*. Porro virtus intellectualis, si conducit ad considerandas prima principia, dicitur *intelligentia;* si conducit ad considerandas ipsorum principiorum conclusiones, dicitur *scientia;* si conducit ad considerandas altissimas causas dicitur *sapientia* (4). Si vero virtutes perficiant appetitum, seu honestatem et mores, dicuntur *morales:* quæ quidem quatuor sunt, prudentia (5), justitia, temperantia et fortitudo. Et hæ virtutes *cardinales* dicuntur, vel quia super iisdem tamquam porta super cardine suo tota hominis vita verti debet; vel quia ipsæ aliarum virtutum veluti matres et cardines sunt. Et 1 in iis tota fundatur vita hominis: nam per *temperantiam* homo moderatur affectus in se ipso, per *justitiam* moderatur actiones erga alios, per *prudentiam* omnia hæc secundum rectum ordinem disponit, demum per *fortitudinem* fit aptus ad superanda quæ identidem occurrunt obstacula (6); 2 in iis cæteræ virtutes continentur: sane per istas jam satis benemoratus homo habetur, ut nihil amplius in eo desideretur in ordine moris.

An (quæres) *omnes virtutes ita sint inter se connexæ, ut qui unam habet et alias virtutes debeat necessario possidere?*—R. Cum Billuart: certum est 1 omnes virtutes Theologicas non esse inter se connexas; amissa enim charitate per peccatum, possunt remanere fides et spes: 2 neque omnes virtutes intellectuales inter se connexas esse; neque enim qui habet unam scientiam, ideo habet et cæteras.—Tota quæstio est de virtutibus moralibus: contra Scotistas commune est cum Angelico, omnes virtutes morales perfectas, etiam acquisitas (7), ita inter se connexas esse, ut qui una caret, nullam

(1) Virtutes etiam *infusæ* dicuntur: et sunt illæ, quæ a Deo nobis infunduntur vel quoad modum tantum, si nempe illæ per actuum frequentiam etiam naturaliter acquiri possunt, uti sunt virtutes humanæ; vel quoad entitatem, si videlicet per nos naturaliter acquiri non possunt, sed sunt ordinis supernaturalis, uti sunt virtutes Theologicæ.

(2) 1, 2, q. 62, a. 1 (3) I Cor. 13. (4) S. Thomas, 1, 2, q. 57, a 2.

(5) Prudentia licet sit virtus intellectualis moralis, quia et mentem perficit in veritatis speculatione, et voluntatem dirigit in boni prosecutione; communiter tamen inter morales virtutes adnumeratur, quia opus et praxim potissimum respicit.

(6) S. Thomas, *In quæst. disp. de virt. card.* a. 1.—D. Bernardus, *De convers. ad Cler.* c. 10.

(7) 1, 2, q. 65, a. 1. Diximus 1 *perfectas*, quæ nempe firmiter subjectum actuent ac perficiant, illudque inclinent ad bonum opus faciendum bene, constanter, prompte et facile. Si enim imperfecta sit ea virtus, quatenus non est nisi aliqua simplex inclinatio, utique nulla datur cum aliis connexio: sic *videmus aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis,* ait S. Thomas; — 2 *etiam acquisitas;* etenim de virtutibus moralibus infusis, quæ sunt a charitate inseparabiles, utpote gratiæ sanctificantis proprietates, nulla quæstio; nam omnia dona pariter cum illa.

perfecte habeat, non quidem hoc sensu, quod debeant actu omnes virtutes exerceri; sed quod adesse debeat vera dispositio ad omnes communes virtutes exercendas subjecto proportionatas, occasione adveniente. Ratio est: non est perfecta virtus sine perfecta prudentia, cum sit prudentiæ omnem virtutem secundum ordinem disponere; sed perfecta prudentia importat appetitum rectum circa omnia, quæ agenda occurrunt, alioquin perfecta non esset; ergo prudentia perfecta habet comites alias virtutes. Hinc Augustinus: *virtutes, quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur; nullo tamen modo possunt separari ab invicem* (1).

An (inquires) *virtutes consistant in medio, et sint inter se æquales?* Medium generatim est illud, quod inter duo extrema positum ab iis æqualiter distat; erit ergo in medio virtus, si medium consistat inter duo vitia, quæ hinc inde ei opponantur, unum per excessum, aliud per defectum. Ex quo jam patet, alias virtutes in medio consistere, uti est liberalitas, cui opponitur hinc prodigalitas, inde avaritia; alias vero mediocritatem non admittere, uti est charitas in Deum, contra quam per excessum ex se peccari non potest; nam *modus diligendi Deum est diligere sine modo* (2).—Non omnes autem virtutes sunt ejusdem dignitatis; nam aliæ aliis nobilius habent objectum: sic inter Theologicas eminet *charitas*, quæ est omnium complementum: inter intellectuales eminet *sapientia*, quia altissima scrutatur: inter morales præeminet *religio*, cum magis ad Deum accedat, nempe *in quantum operatur ea, quæ directe et immediate ordinantur in honorem divinum* (3).

Q. 2. *Quid est Religio?*

R. Religionis nomen a *religando* ducit D. Augustinus; quia nempe hæc virtus *cum Deo nos ligat, eique plane devincit* (4). Triplici autem sensu nomen Religionis accipi solet:—1 pro societate hominum Deo O. M. cultum exhibentium, et sic dicitur *Religio Catholica;*—2 pro cætu quorumdam, qui per observantiam consiliorum Evangelii sub certa regula ab Ecclesia approbata Deo specialiter inserviunt, et sic dicitur v. g. Religio S. Benedicti, S. Dominici, etc.: et qui hæc Instituta amplectuntur, *Religiosi* appellantur; —3 pro peculiari quadam virtute morali, quæ hominem inclinat ad Deum colendum.

Hoc ultimo sensu religionis nomen hic a nobis accipitur, eamque cum D. Thoma (5) sic definimus, ut sit: *virtus moralis nos inclinans ad exhibendum cultum Deo debitum tamquam supremo rerum omnium Domino.* Dicitur: 1 *virtus;* nam habitus, qui ad cultum Deo exhibendum inclinat, honestus est et laudabilis, ideoque ad virtutem pertinet; 2 *moralis,* non theologica; quia non versatur directe circa Deum uti objectum materiale, sed circa cultum Dei, et in eo dirigendo, fovendo et bene ordinando tota occupatur: unde patet eam perficere mores; 3 *ad exhibendum cultum Deo;* nam per Religionem licet etiam Sancti colantur, adhuc ipse colitur Deus in Sanctis, quibus sanctitatem suam communicavit. Hoc sensu ait Apostolus: *soli Deo honor et gloria* (6); 4 *debitum tamquam Supremo rerum omnium Domino:* in quo quidem consistit ratio hujus cultus.

(1) L. VI *de Trin.* c. 9. (2) S. Bernardus, L. *de dilig. Deo.* (3) D. Thomas, 2, 2, q. 81, a. 6.
(4) *De vera Rel.* c. 5. (5) 2, 2, q. 81. a. 2. (6) I Tim. 1.

Ex his patet:—*Objectum materiale* religionis esse actus omnes, qui cultum Deo exhibendum constituunt; nam materiale objectum alicujus virtutis est illud, circa quod ipsa immediate versatur: atqui religio versatur circa actus, quibus debitus Deo honor exhiberi potest;—2 *Objectum formale* esse specialem illam honestatem et convenientiam, quæ est in divino cultu: seu est cultus Dei, sed prout divinæ excellentiæ, nostræque submissionis est signum. Sane quid est objectum formale virtutis? est specialis ea ratio, sub qua virtus in objectum materiale tendit;—3 *Deum* non esse, nisi *objectum cui* religionis; objectum enim *cui* est illud, quod attingitur ab aliqua virtute, non quidem immediate, sed alio mediante, quod quidem virtus illa primario et directe considerat. Atqui talis est Deus in religionis virtute, quæ nempe eum attingit quidem, sed mediantibus actibus, quibus idem colitur.

Q. 3. *Quid est cultus Deo debitus?*

R. Cultus Deo debitus definiri potest: *complexio illorum omnium actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus.* Quare hæc cultui inhæreant necesse est: 1 testimonium excellentiæ illius, qui colitur; 2 submissio illius, qui colit: nempe cultus est honor cum submissione.—Duplex cultus distinguitur: *internus* unus, qui intus in animo maxime residet, uti est oratio ac devotio; *externus* alter, qui præcipue ministerio corporis exercetur, uti est adoratio, votum, juramentum, sanctificatio testorum. Quæ divisio ex eo deducitur, quod homo sicuti constat animo et corpore; ita animo simul et corpore Deum suum colere tenetur.

Dices: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* non ergo cultu externo colendus.—R. Hisce verbis Christus (1) voluit solum excludere actus malos et falsos, quales erant gentilium cæremoniæ et sacrificia; et etiam bonos, sed mere corporeos quales erant cæremoniæ et sacrificia judaica, quæ non erant, nisi umbræ et figuræ rerum spiritualium, et natura sua non procedebant ex interiori spiritu, et raro ei sociabantur. Nempe ibi Christus loquebatur cum muliere Samaritana: eam porro docet, quod venit hora, qua veri adoratores adorabunt Deum non amplius in ignorantia et falsitate, ut Samaritani faciunt in monte Garizim, sed ubique et quidem *in veritate*, id est cultu vero, sincero et recto: nec etiam amplius solo corpore, ut hactenus Judæi in templo Hierosolymitano, sed ubivis gentium, et *in spiritu*, id est vitali cultu, ab interiori procedente. Unde patet per id non excludi cultum externum, imo potius animari ac perfici (2).

Adde si cæremoniæ atque externi ritus essent rejiciendi, omnia Sacramenta ipsaque Eucharistia, quæ in symbolis corporeis consistunt, a lege nova abjicienda forent: quod est absurdum etiam apud ipsos hæreticos. Sine Sa-

(1) *Joann.* 4.—*V.* Scotti, *Teoremi*, ecc. parte 4, teor. 3: la magnificenza del culto divino irragionevolmente si condanna come perniciosa allo Stato.—Châteaubriand, *Genio del Cristianesimo*, parte IV. — Tassoni, *La Religione dimostrata*, vol. III, c. 24: belleze, e buoni effetti del culto cattolico.—Bergier, *Dizionario*, V. Culto. — Valsecchi, *Fondamenti della Religione*, lib. II, c. 3: Del culto esteriore. La ragione lo suggerisce, la Rivelazione lo determine. Vaneggiamenti della gentilità; errori de' filosofi.—Opusc. *Quattro anni di esperienza della Religione cattolica*, c. 3.—Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo:* del culto.

(2) S. Cyrillus scripsit septemdecim libros de adoratione in spiritu et veritate.

crammentis enim et sacrificiis Ecclesia nequit consistere; quia sine iis nequit esse visibilis et nequit uniri et congregari. Adde: hæ cæremoniæ sunt ornamenta, excitamenta et effectus spiritus; nam manant ab interno spiritu fidei, spei, charitatis et devotionis; ergo ad spiritum pertinent, quasi effectus ad causam, quasi actus externus ad internum. Ita Cyrillus, Ambrosius, Hilarius, etc. (1).

DISPUTATIO PRIMA

DE ACTIBUS RELIGIONIS INTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE DEVOTIONE.

Q. 1. *Quid est devotio?*

R. A verbo *devovere* devotionem deduxit Angelicus: *devoti dicuntur qui seipsos quodam modo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant* (2). Definitur autem devotio: *voluntas prompta faciendi quæcumque pertinent ad Dei famulatum.* Dicitur:—1 *voluntas*, qua non magis ipsa volendi facultas indicatur, quam ejusdem actus et exercitium;—2 *prompta;* ea enim est indoles sinceræ devotionis, ut animum faciat alacrem et expeditum in omnibus, quæ sunt ad Deum juxta illud: *paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (3);—3 *faciendi,* etc.; nam *probatio amoris exhibitio est operis.* Ex his porro deducitur:

1. Licet vera devotio plerumque adjunctam habeat interiorem quamdam animi lætitiam; non tamen effectus illi ad devotionis naturam ita pertinent, ut sine iis devotio ipsa stare non possit. Animi promptitudo etiam cum summa sensuum acerbitate consistit, ut patet exemplo ipsius Christi, qui *cœpit pavere et tædere* (4). Sic plures Sancti in summa ariditate fuerunt, ita Deo permittente, vel ad eos in humilitate conservandos; vel ad ipsorum fidem firmandam (5);—2 errant qui credunt devotionem pertinere tantum ad Monachos, Moniales et Ecclesiasticos, adeo ut promptitudo in Dei famulatu non omnium sit: neque teneantur sæculares quæ Dei sunt, sollicite curare. Quare fortiter sunt redarguendi qui devotos passim irrident, atque de impru-

(1) *V. De Sacramentis in genere,* ubi *de cæremoniis.*

(2) 2, 2, q. 82, a. 1. (3) Ps. 36. (4) Marc. 14.

(5) Devotio in simplicibus et mulieribus magis abundare solet; quia qui scientia et ingenio præditus est, nimis confidens de se ipso, non totaliter se subdit Deo. *Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte subdat, ex hoc ipso devotio augetur*: ita Angelicus, 2. 2. q. 82, a 3.

dentia accusant Confessarios devotionem suis pœnitentibus suadentes, quasi nempe studium et alacritas sit tantum ponenda in iis, quæ sunt mundi (1) *(A)*.

An (quæres) *devotio differat a charitate?*

R. Etiamsi vera devotio præsupponat Dei charitatem et cum ipsa strictissime conjungatur; differt tamen in hoc, quod charitas efficit quidem ut omnia generatim Dei præcepta rite observentur juxta illud Christi: *si diligitis me, mandata mea servate* (2); devotio autem hoc superaddit, ut eadem observentur quadam animi promptitudine et alacritate plane singulari. Nempe ex præclarissimo devotionis magistro S. Francisco Salesio, si charitas est quidam velut ignis, devotio est quædam quasi flamma ignis ejusdem: hinc ut quis dicatur *vere devotus*, præter charitatem habere debet quamdam animi vivacitatem in ponendis actionibus, quæ charitatis sunt propriæ.—Ex quo patet quanta sit devotionis excellentia: «Creedme *ait Salesius*, la devocion es la dulzura de las dulzuras, es la reina de las virtudes, porque es la perfeccion de la caridad: si la caridad puede compararse á la leche, la devocion es la nata; si se la considera una planta, la devocion será la flor: si es una piedra preciosa, su pulimento, su brillo, será la devocion; si un bálsamo precioso, la devocion es el olor y suave fragancia que confortalos hombres y alegra los ángeles del cielo (3).

Q. 2. *Quænam est devotionis causa, effectus et finis?*

R. Duplex est *causa devotionis*. Alia extrinseca et primaria, et est Deus, qui dona sua prout vult, elargitur, et *quem vult, religiosum facit*, ut ait S. Ambrosius (4). Alia intrinseca et secundaria, et est consideratio tum divinæ bonitatis, tum nostrorum defectuum: prima consideratio excitat dilectionem; secunda impedit præsumptionem: utraque ergo mirifice juvat devotionem.—Duplex item est *devotionis effectus* ex Angelico (5). Primus est salutaris quædam tristitia, quæ enascitur ex nostræ infirmitatis consideratione juxta illud: *ad me ipsum anima mea conturbata est... quare tristis es, anima mea?... spera in Deo* (6). Hinc secundus effectus est spiritualis lætitia, quæ sponte consurgit ex meditatione bonitatis Dei juxta illud: *memor fui Dei, et delectatus sum* (7).—Tandem *finis devotionis* in eo situs est, ut anima facilius possit pervenire ad illam perfectionem, quam sic Christus commendat: *estote... perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (8).

Q. 3. *Quid est christiana perfectio, et an omnes obliget?*

R. Ad 1: Christiana perfectio est consecutio nostri ultimi finis, *inchoative* quidem in hac vita per gratiam, *complete* vero in altera per gloriam; res enim quælibet dicitur in genere suo perfecta, quando finem ad quem facta est, consequitur. Jam vero quisnam est, ex christianæ Religionis dictamine ultimus noster finis? non alius, nisi Deus O. M.; qui ergo Deum amat, per-

(1) *Cattolico*, Gior. Rel. Lugano, vol. v, art. Il Bigottismo. (2) Joann. 14.

(3) *La Filotea:* et in Epist. 31 habet: «Hay una diferencia entre el hombre de bien y el hombre devoto: el hombre de bien es el que observa los mandamientos de Dios, aunque no con mucha asiduidad y fervor; pero el hombre devoto es el que no solamente observa estos preceptos, sino que lo hace muy voluntariamente con mucha asiduidad y fervor.

(4) In Luc. c. 9. (5) 2, 2, q. 82, a. 4. (6) Ps. 41. (7) Ps. 76. (8) Matth. 5.

fectus est: *qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo* (1). Hinc Apostolus vocat charitatem *vinculum perfectionis* (2).

R. Ad 2: Dupliciter potest attendi perfectio: vel prout tantum excludit quod est charitati contrarium, et est solum peccatum mortale: quo sensu omnibus perfectio est de necessitate salutis; cum nemo salvari possit sine charitate. Vel prout etiam excludit quæ impediunt, quominus affectus totaliter dirigantur in Deum (quantum vitæ infirmitas patitur): et hoc sensu obligat eos solum, qui se totos Deo manciparunt in aliquo peculiari statu; non vero cæteros, quasi nempe ea necessaria sit ad salutem, nam etiam sine illa charitas esse potest (3) *(B)*.

Q. 4. *Quid sentiendum est de quibusdam exterioritatibus, quas aliquando videre est in devotis, præsertim incipientibus?*

R. Vel exterioritates hujusmodi respiciunt actiones communes et ordinarias, quæ nempe non indicant, nisi pietatem communem et ordinariam, qualem habere omnes Christiani deberent: uti sunt v. g. Sacramentorum frequentia, modestia in habitu et gressu, peccati odium, Ecclesiæ reverentia, obsequium erga Altaris Ministros, studiosa præceptorum Dei et Ecclesiæ observantia, etc. Vel actiones particulares atque extraordinarias, quæ indicant pietatem particularem et extraordinariam, uti sunt ciliciorum usus, jejunia specialia, singultus in Ecclesia, etc.

Si 1, exterioritates illæ permittendæ sunt, imo commendandæ et fortiter injungendæ; de his enim Christus ait: *videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (4). De his sic Philoteam alloquebatur Salesius: *Filotea, manifestad clara y abiertamente vuestra voluntad de ser devota, y no os avergonceis de aquellas acciones comunes, que son á propósito para conduciros al amor de Dios: confesad paladinamente vuestra intencion de orar y meditar, y vuestro deseo de morir mil veces antes que cometer un pecado mortal; así como que estais decidida á frecuentar los santos Sacramentos y á seguir los consejos de vuestro director espiritual.*

Si 2, tunc si illæ exterioritates particulares et extraordinariæ in publico contingunt, ordinarie prohibendæ sunt; tum quia animam exponunt periculo vanitatis propriæ; tum quia spiritum Domini absque ulla causa subjiciunt profanorum irrisionibus. Hæc sunt opera illa, de quibus dixit Christus: *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua... intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito* (5). Si vero contingant in privato, neque noceant corporis sanitati nec officiis propriis, nihil prohibet quominus concedantur ad devotionem fovendam: at si nocent, ut si caput aggravent, prohiberi debent; si quidem anima fieret minus apta ad ordinaria suæ pietatis ac status exercitia.

(1) I Jo 4. (2) Col. 3.
(3) S. Thomas, 2, 2, q. 184, a. 2. (4) Matth. 5.
(5) Matth. 6. — *Vid.* Castelvetere, *Direct.* n. 3. l. XI, c. 27. — Liguori, *Ho. Apost.* appeud. l. n. 27. — Sales, *Filotea*, ecc.

CAPUT SECUNDUM

DE ORATIONE.

Q. 1. *Quid est oratio?*

R. Oratio late sumpta est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animi affectus in Deum. In sensu vero stricto est *quoddam veluti mentis nostræ colloquium cum Deo, in quo rei alicujus obtinendæ desiderium eidem patefacimus.* Communiter autem cum Damasceno solet definiri: *petitio decentium a Deo.* Dicitur:—1 *petitio decentium*, id est eorum quæ honesta sunt, quæque non dedecet neque homines a Deo petere, neque Deum hominibus elargiri;—2 *a Deo,* tum ut pateat, orationem verum esse Religionis actum, quatenus homo per eam *Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum* (1); tum ut ostendatur orationem, proprie loquendo, soli Deo faciendam esse: quamvis enim ea dirigatur etiam ad Sanctos; semper tamen directe tendit in Deum, a quo solo quod per Sanctos petimus, consecuturos nos esse speramus *(C).*

Q. 2. *An oratio sit necessaria ad salutem?*

R. Nullum est dubium, quin oratio adultis sit necessaria de jure divino ad salutem: illud enim de jure divino adultis necessarium est ad salutem, quod in Scripturis tum a Christo tum ab Apostolis uti tale præcipitur; atqui ita est de oratione. *Oportet semper orare et numquam deficere: vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*, ait Christus (2). *Sine intermissione orate: volo viros orare in omni loco... similiter et mulieres*, ait Apostolus (3). Adde populorum consensum; etenim vel apud idolorum cultores opinio semper fuit, Divinitatem esse invocandam tum ad mala propulsanda, tum ad felicem rerum successum. Adde naturæ impulsum, qui nos quasi per vim trahit ad efflagitandum auxilium in necessitate (4). Hujus autem gravis præcepti duplex est ratio:—1ª ex parte Dei; quia Deus gratias suas, si paucas excipias, v. g. initium fidei, sub ea tantum conditione nobis elargiri ordinarie solet, ut easdem orando expostulemus. Unde Augustinus ait: *constat Deum alia non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque ad finem perseverantiam.* Huc facit illud: *non habetis propter quod non postulatis* (5);—2ª ex parte hominis; quia summa ejusdem est indigentia, ita ut quisque merito cum Propheta debeat exclamare: *libera me, quia egenus et*

(1) S. Thomas, 2, 2, q. 83, a. 3. Circa orationem plures errarunt. Alii voluerunt nihil a Deo determinate petendum esse, sed totum ipsius voluntati relinquendum: ita Quietistæ. Alii docuerunt numquam omnino esse ab orationibus desistendum: ita Messaliani, qui habiti sunt ut hæretici sub nomine *Euchitarum.* Alii frustra orari contendunt; vel enim Deus res nostras non curat, ita Epicurei; vel omnia fato reguntur, ita Fatalistæ. His essent addendi Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ et Jansenistæ, si suis principiis starent; negant enim homini veram electionis libertatem.

(2) Luc. 18 et 24.

(3) I Tess. 5; et I Tim. 2.

(4) *V.* Tertullianus, *De testim. animæ.*

(5) Jac. 4.

pauper ego sum... adjuva me, Domine Deus meus (1). Quare sic concludit Angelicus: *ad orationem quilibet homo tenetur ad bona spiritualia procuranda, quæ nonnisi divinitus dantur: unde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur* (2). Hinc probabilius accommuniter docent, adultis orationem necessariam quoque esse necessitate medii ad salutem; illud enim est de necessitate medii, sine quo, attento divino ordine Providentiæ, salus obtineri non potest: atqui talis est oratio (3).

Q. 3. *Quandonam obligat orationis præceptum?*

R. Obligat orationis præceptum per se, et per accidens:

Obligat *per se:* 1 initio vitæ moralis, quando scilicet homo usum rationis adipiscitur; tunc enim tenetur se ad Deum convertere, eum ut omnium bonorum fontem agnoscere, ac tamquam supremo rerum omnium Domino se eidem subjicere: ad quod mirifice oratio inservit ex S. Thoma (4); 2 tempore mortis: tunc enim maxime necessaria est perseverantia finalis, quæ absque oratione obtineri non potest; 3 sæpe in vita, ut impleatur illud Christi: *vigilate... omni tempore orantes, ut digni habeamini... stare ante Filium hominis: oportet semper orare* (5). Quæ tamen verba non probant singulis physice momentis orandum esse, quod foret impossibile; sed orandum esse omni tempore opportuno, idest *per certa intervalla horarum et temporum*, ut ait Augustinus (6). Porro alii docent orandum esse sub gravi saltem semel in anno; alii semel in mense; alii autem sæpius (7). Cæterum, notat Concina, Confessarius magis sollicitus esse debet in declaranda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda omissæ orationis gravitate.

Obligat vero *per accidens:* 1 quoties urget aliquod præceptum, quod impleri non possit absque oratione, v. g. susceptio Eucharistiæ; qui enim tenentur ad finem, tenentur etiam de mediis ad illum; 2 quando gravis insurgit tentatio, præsertim contra castitatem: *statim ut libido titillaverit sensum,* ait D. Hieronymus, *erumpamus in vocem, Domine auxiliator meus* (8). Ait enim Sapiens: *scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det* (9); 3 quando imminet gravis calamitas: hæc siquidem maxime est oratione avertenda (10).

Q. 4. *Quinam invocandi oratione nostra?*

R. Deus et Sancti: Deus invocandus est uti Auctor bonorum omnium et

(1) Ps. 108. (2) In 4, d, 15, q. 4, a. 1.

(3) S. Thomas, 2, 2, q. 83, a, 1. — Liguori, *Del gran mezzo della preghiera.*

(4) 1, 2, q. 89, a. 6. (5) Luc. 18 et 21. (6) Ep. 130.

(7) Qui tamen suæ salutis sollicitus est, non desinit identidem ad orationem confugere, mane præsertim ac vespere; quod quidem tempus universali piorum consuetudine consecratum est. *Et quæso,* ait Stapf, § 219, *quale judicium de illis ferendum est, qui more pecudum mane de stratu surgunt, illudque repetunt die finita, quin Dei suæque relationis ad illum recordentur? qui demum bonorum operum fructus ex terra tam inculta, et inaquosa expectare possunt?* Ajunt tamen, obligationem orandi mane et vespere esse sub levi, quia sic apprehenditur; at eum absolutione indignum putant qui id non curat omnino, tum quia valde probabiliter magno orandi præcepto non satisfaceret, tum quia talis omissio signum esset magni teporis animi.

(8) Ep. XXII *ad Eustach.*

(9) Sap. 8.

(10) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III in init.

Dator; cum ipse solus sit eorum causa et fons. Sancti autem invocantur tamquam patroni apud Deum ipsum (1): sane vel inter homines non solum rogamus eum qui nos exaudire valet, sed etiam eos, qui apud illum intercedere possunt; quid ergo prohibere potest, ne Deum per Sanctos nobis propitium reddamus? *Ira Dei,* ait D. Hieronymus, *precibus Sanctorum frangitur* (2). Id commendant Scripturæ exempla, praxis universalis ac perpetua et constans Ecclesiæ traditio (3). Hinc merito *affirmantes... Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jam quidem eos damnavit* (in Nicæno II), *et nunc etiam damnat Ecclesia* (in Tridentino) (4).

Præstat autem, ut præ cæteris Sanctis B. Virginem invocemus; nam si unus vel alter Sanctus ad hoc vel illud beneficium obtinendum singularis advocatus habetur (5), Maria ad omnia obtinenda est advocata universalis. Adde excellentissimam Virginis dignitatem adeo, ut pro ea specialis cultus determinatus sit; at quo quis dignior est, eo efficacius interpellat. Quare placet hic concludere verbis Gloriosissimi Pontificis Pii Papæ IX, qui Encyclica *Qui pluribus,* postquam commonuit assiduis orationibus esse insistendum, ut Ecclesia sancta Dei, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, et fiat unum ovile et unus pastor, addit: *Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces Nostras et Nostris annuat votis deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Mariam, quæ nostrum omnium dulcissima mater, mediatrix, advocata et spes fidissima ac maxima fiducia est, cujus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil præstantius* (6).

Sed licebitne (inquies) *Christiano privatim commendare se precibus animarum in purgatorio degentium?*—Sunt qui negant; quia purgatorio detenti non sunt in statu orandi, sed magis, ut oretur pro eis. Communius tamen et probabilius affirmant Bellarminus, Estius, Gotti, Lessius, Sylvius et alii; siquidem omnes qui sunt in purgatorio, amici Dei sunt: hinc legimus, animas Paschasii et S. Severini miracula fecisse adhuc in purgatorio degentes (7). Non repugnat autem eos, qui nostris precibus indigent, posse pro

(1) Intellige etiam Angelos, et maxime Angelum nostrum custodem; cum enim ei specialiter commissa sit nostra persona, ei specialiter cordi sumus.

(2) In Ezech. 13.

(3) *V.* Klee, *Storia de' dogmi* Mil. t. II, p. 280. — Orsini, *I fiori del Cielo,* c. 1.

(4) *Tridentinum,* sess. 25 *de venerat. SS.* declaravit, bonum et utile esse Sanctos invocare. Theologi vero docent respectu totius communitatis hanc invocationem esse de præcepto; cum ad eam teneantur Sacerdotes in Officio et Missa. Sed disputant an etiam singulis fidelibus sit in præcepto: saltem invocationem Virginis esse de præcepto *videtur colligi,* ait Dens, *ex Ss. Patribus et communi sensu fidelium*: idque magis, quia Beata Virgo peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta est. — Volunt etiam ipsos infantes baptizatos ante usum rationis defunctos privatim invocari posse, cum sancti sint et regnent cum Christo. Diximus *privatim;* cultus quippe publicus nulli potest exhiberi sine Ecclesiæ decreto. — *V.* Liguori *Opera dogmat.* sess. 25, n. 33.

(5) *V.* Siniscalchi, *Il giorno santificato,* p. 2, c. ult. ubi longum texuit cathalogum Sanctorum qui invocantur vel pro peculiaribus provinciis vel pro peculiaribus hominum conditionibus, vel pro peculiaribus gratiis. It. *V.* Riva, *Manuale di Filotea.*

(6) *V.* Mazzola, *De B. Virgine,* p. 3, disp. 5 et 6.

(7) S. Gregorius, Lib. IV, *Dial.* c. 40; et S. Petrus Damiani, *Epist. de miraculis sui temporis.*

nobis utiliter orare ; sicut viventes pro se invicem utiliter orant, licet etiam indigeant, ut pro ipsis oretur (1).

Q. 5. *Quid petere debemus per orationem?*

R. Petere debemus imprimis quæ æternæ saluti expediunt, uti sunt bona spiritualia, sanctificatio, victoria in tentationibus, amor divinus et beatitudo: *quærite... primum Regnum Dei et justitiam ejus,* inquit Christus (2). Bona autem hæc absolute a Deo petenda sunt ; quia certum est, non posse nos iisdem abuti; *hæc autem sunt, quibus beatificamur,* ait Angelicus, *et quibus beatitudinem meremur, quæ quidem Sancti orando absolute petunt, secundum illud Psalmi* 79 : ostende faciem tuam et salvi erimus (3). Bona temporalia vero, uti fructus agrorum, sanitas corporis, scientia, nonnisi conditionate petenda sunt; quia sæpe non expedit ut nobis concedantur : *eo tenore,* subdit Angelicus, *a Deo petimus ipsa, ut nobis concedantur secundum quod expediunt ad salutem.* — Etiam mala temporalia , quæ scilicet non sint peccata, sed pœnæ, v. g. infirmitas, paupertas, amoris proprii depressio , peti licite possunt ex recto fine, uti ad merita sibi comparanda , ad peccati pœnas luendas; inquit enim Angelicus ; *hoc licet orare, quod licet desiderare :* atqui hæc mala ex recto fine licet desiderare : ergo et orare. Hinc illud Augustini : *hic ure , hic seca, hic non parcas , ut in æternum parcas.*

Q. 6. *Pro quibus orare licet?*

R. Neque pro Sanctis, neque pro damnatis orandum est ; illi enim beatitudine numquam defutura jam potiuntur in cœlo : unde Augustinus ait : *injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre* (4) ; isti vero supplicis æternis jam sunt immutabiliter mancipati in inferis. Est autem bonum orare pro justis, qui in igne purgatorii detinentur juxta celebre illud Judæ Machabæi: *sancta... et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (5). Item orare licet (si de oratione privata est sermo) (6) pro omnibus, qui in terris degunt sive fideles sint sive infideles, sive amici sive inimici, sive peccatores sive justi, sive excommunicati sive non. Videlicet pro iis omnibus orare licet, quos jubemur diligere juxtà illud : *diliges proximum tuum sicut te ipsum* (7). Hinc Apostolus : *obsecro... primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus : pro Regibus et omnibus qui in sublimitate sunt... hoc enim bonum est et acceptum*

(1) Hæc opinio evasit communis Romæ, et pluribus etiam tuetur S. Alphonsus, *Gran mezzo della preghiera,* par. I, c. 1 ; it. *Dissertazioni teologico-morali,* diss. 2, n. 15.

(2) Matth. 6. (3) 2, 2, q. 83, a. 5.

(4) Sermo 17 *de Verbis Dom.* — Suarez, *De oratione,* l. II, c. 14 cum aliis arbitratur gloriam accidentalem Sanctorum in cœlis augeri posse, ac licitum esse hoc augmentum pro illis orare.

(5) II Macab. 12. — *Vid. Annali religiosi,* t. IX, pag. 28 ; ubi veritas catholica probatur ipsorum adversariorum testimoniis.

(6) *V.* de Censuris, ubi de *effectibus excommunicat.*

(7) *Matth.* 12. « Imo, ait Stapf, § 208, quantus eorum est numerus, quibus alio modo opem ferre haud possumus, nisi per solam orationem? Et profecto quam insigniter relationem nostram tum ad Deum tum ad nos invicem testatam facimus, dum filii ejusdem familiæ ad Deum communem Patrem nostrum pro nobis invicem obsecramus ! Talis supplicatio præter alia emolumenta jam ex indole sua, charitatem mutuam et involvit et provehit, estque rori cælesti non absimilis, quo officia humanitatis, ne flaccescant, irrigari debent.»

coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri (1).

Ordo autem ille in oratione nostra servari oportet, qui in charitate præscribitur; ita ut nostris in precibus peculiarem locum sibi habeant qui nobis consanguinitate, amicitia, beneficiis, religione et societate magis conjuncti sunt; ubi enim fortius est vinculum, inde fortior enascitur obligatio (2). Pro iis etiam specialiter orandum est, quibus vel scandalum vel ruinam spiritualem attulimus, ut sic quantum ipsis nocuit exemplum nostrum, tantum iisdem nostra prosit oratio.

Q. 7. *Quænam sunt conditiones, ut oratio legitime fiat?*

R. Præcipuæ conditiones ad orationem sunt, ut fiat:

1. Cum *attentione*, id est ut orans serio cogitet quis, quid, et quem alloquatur; qui enim voluntarie distrahitur actu quo orat, incurrit in illam Dei reprehensionem: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (3). *Quomodo tu audiri postulas a Deo*, inquit S. Cyprianus, *cum tu te ipsum non audias* (4)? Et D. Augustinus: *cum oratis, hoc versetur in corde quod profertur in ore* (5).

2. Cum *humilitate;* etenim scriptum est, *respexit* (Deus) *in orationem humilium, non sprevit precem eorum. Oratio humiliantis se nubes penetrabit* (6).

3. In *nomine Jesu*: *unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis* (7). Et D. Augustinus ajebat: *oratio quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed ipsa etiam fit in peccato* (8). Ut tamen nostra oratio sit in nomine Christi, necesse non est, ut nomen Christi ejusve merita semper explicite interponantur; id satis intelligitur, quando oratio fit a Christianis, et petuntur ea quæ ad æternam salutem conferunt, propter quam Christus Jesus factus est mediator Dei et hominum.

4. Cum *fiducia* et *firma fide*, qua orans credat se certo assecuturum quod saluti expediat juxta divinas promissiones: *omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis*, inquit Christus (9). Et Daniel. 3: *non est confusio confidentibus in te*. Quare procul sit omnis animi hæsitatio: *qui enim hæsitat*, inquit Jacobus, *similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur* (10).

5. Cum *desiderio*, scilicet obtinendi quod petitur; irrisorie enim petitur quod non desideratur. Unde Augustinus ajebat: *Deus dare vult, sed nonnisi petenti, ne det non cupienti* (11).

6. Cum *perseverantia; oportet semper orare et numquam deficere* ait Christus. Etsi enim Deus interdum statim exaudiat preces nostras, sæpius tamen orationis effectum protrahit; volens illum perseverantibus concedere et ne-

(1) I Tim. 2.

(2) Talis supplicatio *specialiter* fieri debet, si proximus magna calamitate percussus sit; *specialius*, si calamitas adeo late pateat, ut non unum hominem, sed universam regionem premat; *specialissime*, si gens illa sit virtutibus ornata ac meritis clara.

(3) Matth. 15. (4) In orat. Dom.

(5) Apud S. Thomam; 2, 2, q. 83 a. 3.

(6) Ps. 101; et Eccli. 35. (7) I Tim. 2. (8) In Ps. 180.

(9) Marc. 11. (10) Jacob. 1; et Ps. 102. (11) Ench. 18.

gare non perseverantibus. Idque sane congruenter ; ut enim habet Augustinus, *cum aliquando tardius dat Deus, commendat sua dona, non negat; diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt* (1).—Hinc versus:

Cum petis, attentæ, demissæ, nomine Christi,
Cum fide, cum voto, sint sine fine preces.

Sed nonne (dices) *ad orationem requiritur etiam status gratiæ?*—Hæc utique erat Quesnelli sententia : *oratio impiorum verum est peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium ;* sed fuit a Clemente XI damnata : sane præceptum orationis generale est ; ergo ad illud tenentur etiam peccatores. Audiatur Augustinus : *qui dixit propitius esto mihi peccatori, verum dixit an falsum ? si verum dixit, peccator erat et tamen exauditus est... lava interiorem faciem tuam, et videbis, quia peccatores Deus exaudiet* (2). Si quando autem peccatores non exaudiuntur, tota causa in ipsis est ; quia nempe precantur *secundum peccati desiderium,* ut Cain et Antiochus, idest sine debitis conditionibus : sub quo respectu eorum oratio fit execrabilis coram Deo. Est commune cum S. Thoma (3).

Dices : *oratio peccatoris, facta nempe extra statum gratiæ, erit saltem frustranea.*—R. Hæc doctrina ut Fidei Catholicæ contraria ab eodem Clemente XI damnata fuit contra Jansenianos Bulla *Unigenitus*, qua diris devotæ fuerunt perfidiosæ illæ theses. Sub n. 50: *frustra clamamus ad Deum :* Pater mi, *si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.* Sub n. 1 : *quid aliud remanet animæ quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones, superba paupertas et segnis indigentia ; hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum?* Sub n. 2: *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum : absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.*

Sed si (addes) *oratio peccatoris non est revera frustranea, ad quid valebit?* —Docet Angelicus bona omnia (et idcirco etiam ipsam orationem) peracta a fidelibus in statu peccati valere 1 *ad assuefactionem bonorum operum* ; 2 *ad temporalium consecutionem ;* 3 *ad dispositionem ad gratiam* (4).

Q. 7. *Quot sunt orationis effectus ?*

R. Oratio tres habet effectus, si debitis sit fulta conditionibus : ac 1 es *meritoria,* cum sit opus bonum : et quidem meritoria de *condigno*, si orans sit justus ; *de congruo*, si sit peccator ; 2 est *satisfactoria,* cum omne opus bonum vel religiosum in præsenti naturæ lapsæ statu pœnam ac laborem importet : hinc Tridentinum inter opera satisfactoria orationem collocat (5) ; 3 est *impetratoria* juxta illud : *petite et dabitur vobis ; omnis qui petit accipit* (6). Hinc Augustinus *ascendit precatio, et descendit Dei miseratio.*

Sed (quæres) *an oratio infallibiliter effectum sortiatur?*—Si sermo est de

(1) *Sermo* 61. Est autem notandum non in multiloquio orationis perseverantiam collocandam esse : si enim nostra oratio ab affectu disjuncta est, illam meretur Christi reprehensionem : *orantes nolite multum loqui, sicut ethnici ; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Matth. 6.

(2) Tract. 44 in Joann. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXII. (3) 2, 2, q. 83, a. 7.

(4) Supplemento, q. 14, a. 4.—*V.* Liguori, *Glorie di Maria,* par. 3 : *Breve risposta all' abate Rolli.*

(5) Sess. 14, can. 13. (6) Luc. 11.

oratione non rite peracta, certum est hanc effectum non sortiri, dicente Jacobo: *petite et non accipitis, eo quod male petatis.* Si autem oratio rite sit peracta, tunc distinguendum: vel ea ab orante funditur pro se vel pro aliis. Si pro aliis effectus non semper certus est et infallibilis, ut docet Angelicus (1): Christus enim non dixit absolute: *petite et dabitur,* sed *petite et dabitur vobis.* Ideo autem oratio pro aliis facta non est infallibiliter impetratoria; quia fieri potest, ut illi pro quibus ipsa effunditur, obicem ponant, quin pendeat a nobis meliores in ipsis dispositiones procreare. Si vero talis oratio sit pro nobis ipsis, *et petantur quæ ad salutem æternam conducentia sunt,* certum est orationem nostram effectum suum infallibiliter sortiri; clara sunt Scripturæ verba: *petite et dabitur vobis: quærite et invenietis: pulsate et aperietur; omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis et venient vobis.*—Diximus: *et petantur quæ ad salutem æternam conducentia sunt;* aliter esset, si quæ peteremus nobis dari non expediat; tunc gratia est, si non exaudiamur.

Q. 8. *Quomodo dividitur oratio?*

R. Oratio alia est mentalis, quæ fit sola mente, et pertinent ad eam verba Davidica: *meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* (2); vocalis alia, quæ mente simul et lingua peragitur.

ARTICULUS I — De meditatione et contemplatione.

Oratio mentalis dividitur in meditationem et contemplationem. Meditatio est *pia consideratio rerum divinarum ad concipiendam animi compunctionem, devotionem, fervorem et ad mores nostros ad virtutem informandos.* Contemplatio est *elevatio mentis in Deum suspensæ, æternæ dulcedinis gaudia in ipso degustantis.* — Ex hoc patet inter utramque discrimen: 1 in meditatione quæritur Deus labore discursus interioris; in contemplatione sine hoc labore anima Deum contemplatur inventum; 2 in illa, anima operatur actibus potentiæ suæ multiplicis; in ista operatur ipse Deus, anima autem patitur tantum, idest recipit in se quæ sibi a gratia infunduntur (3).

Q. 1. *An meditatio necessaria sit omnibus fidelibus adultis?*

R. Duplici modo meditatio accipi potest: vel prout est rerum divinarum consideratio peracta cum peculiari quadam forma et propria methodo, uti in claustris et in aliis religiosis communitatibus fieri solet; vel prout est pura et simplex rerum divinarum consideratio, abstrahendo a quacumque peculiari forma ac methodo. — Si primo modo accipiatur meditatio, dici nequit omnibus fidelibus adultis necessaria; cum ad illum terminum multiplex sit via: quamquam melius sit hanc viam aggredi, quam alii commodiorem experti sunt. Si vero accipiatur meditatio alio modo, omnibus adultis prorsus necessaria est ad salutem. Sane hoc est medium unicum ad

(1) 2, 2, q. 83, a. 7. Tamen adhuc multi cum S. Basilio censent orationem valere etiam pro aliis, licet sint peccatores, modo obstinati non sint: quod probant ex illo Joannis, I, c. 5: *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.*— *V.* Liguori, *Gran mezzo della preghiera,* p. 1, c. 3.

(2) Ps. 18. (3) *V.* Benedictus XIV, *De Canon. SS.* l. III, c. 26.

peccata vitanda, ad flammam divini amoris accendendam, et sine quo prono veluti alveo anima nostra in omne vitiorum genus prolaberetur; hinc de meditatione pure et simpliciter sumpta habet Scriptura: *memorare novissima tua, et in æternum non peccabis: in meditatione mea exardescet ignis: desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde* (1). Ad rem Stapf: *quid terribilius inferno, de cujus existentia nulli Catholicorum dubitare licet? et nihilominus qui hanc veritatem numquam considerant, ita plerumque vivunt ac si sibi nihil timendum esset. Fides illorum igni non absimilis est, qui in silice latet quidem, attamen tamdiu inefficax manet, donec repetitis ictibus eliciatur.* Hinc doctissimus et piissimus Gerson: *absque meditationis exercitio nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad rectissimam christianæ Religionis normam attingit* (2). Et S. Alphonsus hoc habet numquam animo delendum effatum: *téngase por perdido el dia, en que se omite la oracion mental* (3). Et Benedictus XIV Bulla *Quemadmodum* ad alliciendos fideles ad meditationis exercitium et illud docentibus et eo utentibus Indulgentias concessit.

Confessarius, si velit suum pœnitentem progredi in amore Dei, curet illum disponere ad bene peragendam orationem mentalem. Quod ut obtineat, videat an pœnitens sit rudis, necne: — 1 si litterarum rudis sit, ei imponat, ut saltem mane vel vespere, quando domi major est quies, vel (si tempus aliud habere nequeat) in ipsis etiam manualibus occupationibus mentem identidem elevet ad Deum et meditetur Fidei veritates, uti sunt novissima et Christi Domini passio. Neque eorum excusationibus facile acquiescat: omnes quantumvis rustici et idiotæ subtiles et diuturnas meditationes agunt de re familiari, de lucro captando, etc.: quod ergo faciunt in pecunia, faciant et in conscientia (4);—2 si pœnitens non sit litterarum ignarus, eum doceat ut aliquo libro ad rem idoneo utatur, quo facilius orationem hanc persolvat: *S. Theresia*, ait Salesius, *ab initio ita processit, et prospero quidem cum successu.* Moneat ut materia illa seligatur, in qua anima majorem experitur devotionem, atque ut ubi se vehementius affici sentit et commoveri, ibi diutius immoretur. Hoc modo mentalis oratio a Confessario insinuanda est non solum timoratis; sed etiam peccatoribus, cum sæpe ob ipsum meditationis defectum ad vomitum redeant. Exigat autem rationem meditationis peractæ de vice in vicem, inquirendo videlicet, an illam fecerint et qua ratione se gesserint, imponens insuper eis, ut ante omnia sese accusent de meditatione omissa, si omitti contingat. Ubi etiam notamus valde opportunum esse fidelibus hoc salutare exercitium insinuare post habitas Missiones, quia tunc magis sunt dispositi *(D)*.

(1) Eccli. 7; Ps. 38; et Jer. 12. (2) Tract. *De Meditatione.*

(3) *Opere spirituali.* Quæ omnia maxime nos Ecclesiasticos urgent, ut gratiam Dei, quæ est in nobis per impositionem manuum, quotidie resuscitare satagamus.

(4) *V.* Castelvetere, *Direttorio* ecc. p. 1, ubi hunc modum mire insinuat. — Liguori, *Pratica del Confessore*, c. 9. — *L'uomo d'affari occupato nelle massime degli Esercizi.* Torino 1844. — Spinola, *Meditazione sopra la vita di G. C. per ciascun giorno* ecc. vol. III. Novara 1847. Crotti. — Verum nullum fortasse utilius opus consuli potest, quam illud cui tit. *Meditazioni del venerab. p.* Ludovico da Ponte *della C. di G:* Auctoris virtutes in grado heroico declaratæ fuerunt a S. Sede 16 junii 1756.

Q. 2. *Quid circa tentationes in meditatione?*

R. Tres præcipue sunt tentationes, quibus dæmon solet meditationis bonum perturbare: ariditates, distractiones et somnus.

1. *Ariditates:* ubi desunt in meditatione consolationes sensibiles, anima dicitur in ariditate constitui. Hic præsto sit Confessarius animam confortando: — 1 ei suadeat ariditatem facilius nos perducere ad virtutem solidam; nam, ait S. Ignatius, *nihil aptius est ad excitandum ignem amoris divini, quam lignum Crucis;* — 2 ipsam hortetur, ut se examinet sine anxietate, utrum culpa sua ariditates exoriantur: si quid culpæ inveniat, sincere doleat et emendationem promittat; secus, gratias Deo peragat, et se illi humillime subjiciat; — 3 eidem expresse jubeat, ne ideo ullum devotionis exercitium omittat: imo si commode potest, aliquod superaddat, sciens opera in tali tædio Deo esse gratiora et magis meritoria. Quot ariditates passi sunt Ss. Franciscus, Antonius, Bernardus! qui eas tolerando Crucifixi imaginem in se expresserunt, et magnifici in sanctitate facti sunt (1).

2. *Distractiones:* quæ ab ariditate differunt in hoc, quod ariditas est defectus suavitatis sensibilis; distractio autem est varietas quædam cogitationum, quæ animam in meditatione perturbant. S. Bernardus de se ipso testatur numquam potuisse potiri illa intellectus quiete, quæ distractionibus omnino careret: intellectus nempe noster tanta vi et activitate præditus est, ut vix contineri in uno valeat saltem longo temporis spatio, quin ad plura simul quasi evolare videatur: *vix unum Pater noster* (ait D. Thomas) (2) *potest homo dicere, quin mens ad alia feratur.* Ne ergo animo concidat qui distractionem patitur; sed quando id agnoscit, absque anxietate ad meditationem redeat, et ita se gerat iterum atque iterum sciens se hoc modo, tot actus meritorios ponere, et bene meditationem suam peragere. Cæterum ante omnia curandum est, ut distractionum causæ repellantur: et sunt passiones, quæ animam occupant; loquacitas, quæ spiritum distrahit, tandem solitudinis defectus, nam nonnisi in quiete Dominus (3).

3. *Somnus:* hæc est tentatio periculi plena præsertim in adolescentibus, tum quia tempus teritur, tum quia res divinæ negligenter aguntur. Ea autem quandoque oritur ex naturali corporis indispositione, quandoque a dæmonis fraude. Huic malo occurri facile potest: 1 si tempus meditationi determinetur postquam conveniens requies corpori data fuerit (4); 2 si situs meditandi sit devotus et absque fulcris, quibus meditans innitatur; 3 si meditans erigat se, deambulet, manus ad cœlum attollat, in crucem conformet, si solus sit: quod si locus sit publicus, genuflectat, jungat manus,

(1) Melius est, ut pœnitentes (maxime mulieres) assuefiant meditari quæ Christus pro nobis passus est, quam sublimia Divinitatis mysteria, ut facilius *dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* S. Thomas, 2. 2, q. 82. Huc faciunt: Salvatori, *Riflessioni sulla Passione di G. C.* — Liguori, *item.* — P. Ventura, *Il tesoro nascosto.* — *La scuola di Gesù appassionato.* (2) In I Cor. 13, lect. 3. (3) III Reg. 19.

(4) «Unde (ait *Stapf.* § 549) cum S. Carolus Borromæus adverteret, se publicis functionibus assistentem subinde vehementi somno incommodari, imo et obdormire, nocturnam quietem paulisper producendam duxit. Quia porro pro diversa corporis complexione, nec non pro diversitate laboris, diversa quoque somni necessitas datur, absonum foret pro omnibus eamdem prorsus regulam scribere.»

oculos elevet et similia faciat, quibus corpus excitetur, quin tamen singularis appareat. Licet autem totum tempus consumere debeat in somno excutiendo, sciat se officio suo satisfecisse.

Q. 3. *Quid est contemplatio?*

R. Quando Deus vult concedere donum contemplationis, solet, ut plurimum, præmittere: 1 orationem recollectionis naturalis (vulgo *de abstraccion interior de todo lo terreno)*; 2 orationem otii contemplativi, ut vocant Mystici; 3 purgationem spiritualem. Cæterum *paucissimæ sunt* (ait S. Theresia) *animæ, quæ dirigantur a Deo per vias supernaturales: et in cælo permultas aspiciemus, quæ sine hujusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quæ gratias ipsas acceperunt* (1).

1: *Oratio recollectionis naturalis* tunc dicitur animæ concedi, quando intellectui meditationem peragenti opus amplius non est quasi extra se ipsum exire cum discursu, studio ac labore ad considerandum aliquod particulare mysterium, v. g. Incarnationis; vel aliquam particularem veritatem v. g. Paradisi felicitatem. Sed vix a rebus externis in se ipso collectus, statim cum facilitate et quiete, imo et magna cum suavitate attendit illi mysterio, aut veritati (2).

2: *Otium contemplativum* est fere idem ac recollectio, cum discrimine, quod anima in hac attendit alicui mysterio vel veritati particulari; in illo innititur generali quadam notitia et cogitatione Dei, in quem quasi vi pertrahi, totamque se colligi sentit (3).

3: *Purgatio* ab imperfectionibus consistit in duplici ariditate: una dicitur ariditas sensus vel sensibilis; altera ariditas spiritus vel spiritualis:—1 *ariditas sensus*, vel subtractio devotionis sensibilis: cum ea conjungitur tædium quoddam rerum spiritualium atque obscuritas quædam profunda, quæ de die in diem incrementum sumit (4). Hanc animam Confessarius confortet ad magna a Deo speranda, eique suadeat, ut minime conetur se exercere in meditatione; sed ut se humiliet, et emittat actus oblationis Deo suo;—2 *ariditas spiritus* consistit in quadam divina luce, qua Deus efficit, ut ani-

(1) Deus in suis donis liber est et quoad rem et quoad modum et quoad ordinem: ex quo fit, ut non desint exempla animarum, quæ ad ultimum contemplationis gradum inmediate evectæ sunt, quin per gradus anteriores pertransirent. Hæc bene cognoscat Confessarius, ne animabus damnum sit allaturus, ut ait S. Joannes a Cruce.

(2) Hæc dicitur *naturalis*, non quia anima illam consequi valeat ex se et naturaliter (cum hæc sit gratuitum Dei donum); sed quia anima tunc adhuc est in statu activo et operatur beneficio gratiæ ordinariæ.

(3) *V.* Segneri: *De concordia inter laborem et quietem.* — Bartoli, *Che orazione sia quella che chiamano di quiete, e come si pratichi?* In oratione recollectionis et otii contemplativi contendunt nonnulli animam cessare debere non solum a meditatione, sed etiam a quocumque alio actu voluntatis . v. g. amoris, humilitatis, etc., et sic totam remanere in pura ac mera attentione et vigilantia ad Deum ipsum. Verum spirituales hujusmodi quasi incantationum species haud placent; cum enim anima sit adhuc in statu activo, non videmus cur cessare debeat a meritoriis voluntatis suæ actibus, maxime si sponte eliciantur: imo quod tempus magis opportunum ad eos actus eliciendos poterit adsignari?

(4) Eo in statu anima, licet cogitationem teneat defixam in Deo cum ingenti desiderio et firma determinatione eum perfecte amandi; sentit tamen, se quasi impotentem ob suas imperfectiones; hoc non obstante, non cessat vel uno temporis puncto recte se gerere in exercitio virtutum. Id durat quousque sensus purificati sint.

ma proprium nihil clare cognoscat. Hic autem est ubi ipsa se cernit in quadam quasi agonia terribilissima, et licet libentius sit determinata ad singulas difficultates superandas; attamen quo magis videt proprias imperfectiones, eo magis sibi videtur a Deo quasi repulsa tamquam ingrata tot beneficiis collatis. Tunc vel ipsa pietatis exercitia eam contristant; quia credit omnia esse male peracta et æternis suppliciis digna: imo multoties sibi videtur Deum ipsum odisse (1). Confessarius ne terreatur tot audiendo expressiones timoris ac desperationis; sed animam confortet suadendo tentationes illas non esse consensum, sed pœnas, quæ (si bene tolerentur) fortius Deo conjungunt; proinde sufficere si se totam projiciat in brachia Misericordiæ divinæ, atque se committat protectioni B. M. V. quæ est *consolatrix afflictorum*.

Q. 4. *Quotuplex est contemplatio, et qui ejus gradus?*

R. Ad 1: Ubi completa sit purgatio spiritualis, Deus animam ponit in statu contemplationis, quæ duplex est, affirmativa et negativa: 1ª est quando anima beneficio lucis divinæ et sine ulla opera propria, cernit aliquam veritatem vel creatam, uti est v. g. felicitas Paradisi: vel increatam, uti est v. g. omnipotentia divina; 2ª est quando anima dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere: et cum quadam notitia, in se quidem confusa, sed quæ ingerit conceptum magnitudinis divinæ longe majorem (2).

R. Ad 2: Gradus sunt recollectio supernaturalis, quies, unio:

1. *Recollectio supernaturalis:* dicitur *supernaturalis*, quia Deus eam operatur in anima ministerio gratiæ extraordinariæ, per quam anima e statu activo ad passivum transfertur, et in eo sistit (3). In tam felici statu debet anima sinere se dirigi a Deo ad res illas considerandas, et illos actus eliciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit, quin curiosius investiget suum statum.

2. *Quies:* inter quietem et recollectionem supernaturalem hoc est discrimen, quod vis amoris divini in recollectione communicatur immediate sensibus externis; in quiete autem amor ipse communicatur immediate spiritui in ipsa anima, et sic evadit ardentior et aliquando diffunditur etiam ad ipsos sensus (4). Tunc anima non debet eniti ad colligendas cogitationes suas: sed

(1) Has tam funestas desolationes comitantur aliquando etiam molestissimæ tentationes sine fine et motus iracundiæ, blasphemiæ, impuritatis, incredulitatis. Qui status durat quoad anima capax evadat divinæ unionis; quamvis aliquando Deus eumdem permittat post ipsam unionem, ne anima seipsam negligat et sui nihili obliviscatur.

(2) Hæc est longe perfectior, et dicitur etiam *clara caligo*; quia in ipsa obscuratur anima ob nimiam lucis abundantiam, uti contingit illi, qui cum velit solem directe intueri, nimio radiorum fulgore quasi obcæcatur, et de ipso non aliud percipit, quam magnum quoddam et inmensum lumen. In tali caligine suspenduntur, ut plurimum, potentiæ animæ, et aliquando etiam seusus exteriores, ita ut anima ingrediatur in quamdam, uti vocant, *ebrietatem spiritualem*, et prorumpat in quædam amoris deliria; v. g. in cantus, in fletus insolitos, in saltus, etc. uti de pluribus Sanctis narrat historia.

(3) Dicitur etiam *infusa*, quia non evenit opera ipsius animæ sed beneficio lucis, quam ipse Deus infundit.

(4) Dein in quiete suspenditur quidem voluntas quæ manet quasi ligata, cum non aliud tunc valeat objectum diligere præter Deum qui eam ad se trahit; sed non suspenduntur neque intellectus neque memoria neque phantasia.

eos tantum actus emittere, ad quos eam Deus impellit, et sic tranquille se habere in omnibus.

3. *Unio*, quæ est ultimus animæ scopus in perfectionis via. Duplex est: 1ª activa, et est perfecta uniformitas Voluntati divinæ, in qua tota est perfectio: *perfectio* (ait eximia illa Mysticorum magistra S. Theresia) *non consistit in extasi; sed vera unio animæ cum Deo est unio voluntatis nostræ cum voluntate divina;* 2ª passiva, et est quando anima ita suspenditur in Deo per quamdam abundantiam lucis et amoris, ut in ipsa efformetur illa *beata caligo*, in qua dein suspenduntur omnes potentiæ animæ (1). Confessarius invigilet, ne anima in superbiam erigatur (2).

An (quæres) *Unioni activæ, et passivæ addantur aliæ species?* — Unioni activæ ac passivæ (utraque dicitur etiam unio simplex), duæ addi possunt, nempe unio sponsalitia et unio consummata.

1 *Sponsalitia unio* in hoc differt ab aliis, quod non sit solum quædam communicatio divini amoris; sed valde copiosior supernaturalis infusio quorumdam graduum amoris ejusdem (3); 2 *unio consummata* est unio omnium perfectissima, quam Deus animæ viatrici, concedit: et ideo dicitur *consummata.* In reliquis unionis speciebus potentiæ animæ suspenduntur ad tempus; in hac jam capaces evaserunt unionis divinæ permanentis, ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat et attendat huic intimæ unioni divinæ, quæ jam facta est in animæ centro. Idque contingit eo ipso modo, quo quis intueretur solis splendorem absque ulla oculorum suorum offensione. Hic autem solent in anima evenire visiones, locutiones, revelationes et alia dona supernaturalia.

ARTICULUS II — De oratione vocali.

Q. *Quotuplex distinguitur oratio vocalis?*

R. Oratio vocalis duplex est, privata et publica: *publica* est *quæ fit nomine Ecclesiæ ab ejus ministris pro populo; privata vero, propria et particularis, quam quisque nomine proprio aut alieno facit, non tamen sicut Ecclesiæ*

(1) *Memoria*, quæ non potest aliud amplius sibi recordari præter Deum; *intellectus*, qui cogitare non potest aliud præter ipsum Deum, imo nec gratiam ipsam quam actu recipit; denique *voluntas*, quæ se sentit ita Deo intime conjungi, ut nullum aliud objectum amare valeat. Hæc unionis species est perfectior, ut patet; sed parum durat, neque excedit dimidiam horæ partem, excepto casu extraordinario.

(2) Quare eam moneat per illum favorem non fieri impeccabilem. Imo S. Theresia fatetur se cognovisse animas, quæ postquam ad tam altum perfectionis gradum ascendissent, post superbientes in gravissimas culpas miserrime prolapsæ sunt.

(3) Anima ubi pervenerit ad tam sublimes amoris gradus, in proximo est, ut Deo suo spiritualiter conjungatur majori modo in hac vita possibili. Ordinarie solet hanc unionem præcedere alia purgatio spiritus etiam magis severa et dura, quam superius descripta, quæ complectitur etiam pœnas exteriores, v. g. calumnias, persecutiones, infirmitates, etc. Illius autem unionis gradus tres sunt, exstasis, raptus, elevatio spiritus. — *Exstasis* facit, ut amittatur usus sensuum etiam externorum, ita ut persona nec videat nec audiat imo nec sentiat adustiones aut incisiones, si fierent in ejus corpus. — *Raptus* est quædam divinæ gratiæ impressio tam viva et vehemens, ut anima quasi rapi se sentiat motu quodam subitaneo ac violento, et aliquando ipsum quoque corpus elevetur, et fiat leve ad instar plumæ. — *Elevatio spiritus* est quando anima sentit se extolli

minister (1).—Ad privatam revocatur a nobis oratio *Dominica*, quam Christus ipse nos docuit (2): et oratio quæ appellatur *Jaculatoria:* ad publicam pertinent quammaxime *Horæ* sic dictæ *Canonicæ*. Circa orationes publicas notat Benedictus XIV: 1 istæ orationes earumque formulæ non a privatis, sed ab Ecclesiastica auctoritate designandæ sunt: ita Bulla *Quemadmodum;* 2 in sacris ritibus non aliæ sunt adhibendæ nisi quæ ab Ecclesia sunt receptæ: ita Bulla *Inter omnigenas*. Quorum quidem præceptorum præstantia patet: sic enim sacra liturgia semper una erit ubique atque tuta.

§ I — *De oratione Dominica et Jaculatoria.*

Q. 1. *Quid de orationis Dominicæ origine et præstantia?*

R. Hanc precandi formulam nobis tradidit ipsemet Christus, atque immensam ejus bonitatem ea in re licet agnoscere. Videlicet non ei satis fuit nos monere et hortari, ut ad ipsum in omni necessitate nostra confugeremus, sed videns nos ne id quidem perspicere, quod debeamus expostulare, occurrit misericors ignorantiæ nostræ, et quod nostro captui deerat, ipse de suo supplevit inquiens (3): *sic ergo vos orabitis: Pater noster* etc. — A Tertulliano oratio Dominica vocatur *Evangelii Breviarium* (4); a S. Cypriano *Cœlestis doctrinæ compendium* (5); et divus Thomas habet: *oratio Dominica perfectissima est* (6). Nil sane perfectius excogitari potest; nam si *auctorem* quæris, Deus est: si *objectum* inspicis, nihil omnino prætermissum est: si *modum* scrutaris, universa, eo quo sunt desideranda ordine, continet: si *facilitatem*, paucis expletur verbis; si *necessitatem*, præceptum habes; si demum *efficaciam*, ideo nos illam docuit Christus.

Q. 2. *Quid dicendum de oratione Jaculatoria?*

R. Oratio Jaculatoria est quidam cordis actus præsertim in Deum, brevis quidem, sed fervidus et ardens ad instar ignis, quem anima in Deum dirigit tamquam jaculum, et ideo dicitur *jaculatoria*, v. g. *Deus meus, Deus meus!* Actus hujusmodi esse possunt: vel amoris, v. g. *amo te, dilectissime Jesu mi!* vel laudis, v. g. *laudetur Jesus Cristus!* vel oblationis, v. g. *offero tibi, Jesu, cor meum!* vel invocationis, v. g. *Deus in adjutorium meum intende* etc.

Diximus *præsertim in Deum*, quia ferri potest etiam in Angelos et in Sanctos ac præsertim in B. Virginem. Imo etiam in creaturas irrationales, eas invitando ad Deum laudandum et benedicendum, uti in more habebat S. Franciscus Assisiensis (7).—Confessarius enixe debet ejus usum pœnitentibus suis commendare ostendendo, quam utilis sit, quam facilis, immo quam dulcis atque suavis cuicumque personarum generi et conditioni. *Utilis*, si-

supra se ipsam magna quadam vi, cui ab initio experitur conjunctum etiam magnum timorem: unde in hoc gradu continentur duo præcedentes. — V. Liguori, *Praxis Conf.* § 2.—Scaramelli *Direttorio mistico.* — Castelvetere, *Dirctt. Asc. Mist.* l. II, p. 2.—Stapf. § 655 et seqq.—Alvarez, etc.

(1) Verba Benedicti XIV, *De SS. Beatificatione*, l. 1 c. 7, n. 5.

(2) Non quasi publice haud fiat, sed quia sola non solet nisi a privatis usurpari.

(3) Matth. 6. (4) De Orat. c. 9. (5) De Orat. Dom. (6) 2, 2, q. 83, a. 19.

(7) *V.* Paoli, *Cantici di S. Francesco d'Assisi.* Torino 1843.—I *poeti francescani in Italia nel secolo XIII*, opera di Ozanam recata in italiano dal p. Fanfani. Prato 1854.

quidem quilibet virtutis actus suum meretur præmium; *facilis*, nam consummatur unico instanti sine ullo labore: *dulcis* atque *suavis;* amor enim amore fovetur, quo quidem nil dulcius et suavius (1).

§ 2 — *De Horis Canonicis.*

Recitatio Horarum alia publica est, alia privata: *publica* quæ fit ab obligatis in Choro, nempe a Canonicis; *privata* quæ fit ab aliis, qui etsi aliquando simul recitent quasi choraliter, non ideo tamen proprie dici possunt recitare in Choro, adeo ut teneantur sub peccato legibus pro publica recitatione constitutis; etsi valde præstet ut leges illæ serventur ad devotionem fovendam. Attamen recitatio privata fit semper nomine Ecclesiæ; sub quo sensu etiam privata *publica* dici debet.

N. I — *De Horarum definitione, numero, origine et obligatione.*

Q. 1. *Quid sunt Horæ Canonicæ* (2)?

R. Horæ Canonicæ sunt *preces vocales ab Ecclesia institutæ juxta ejus præscriptum recitandæ a personis ad id deputatis.* Ac 1 *preces vocales:* sic enim habentur ab Ecclesia præscriptæ: unde qui non lingua, sed cordis loquela tantum eas persolvit, suæ obligationi non satisfacit; 2 *ab Ecclesia institutæ*, tum ut distinguantur a precibus iis, quas quilibet fidelium sibi potest eligere: tum etiam ut innuatur præceptum ecclesiasticum; 3 *juxta ejus præscriptum recitandæ,* quia preces publicæ tempore, modo et forma ab Ecclesia designatis recitari debent; 4 *a personis ad id deputatis*, quia totius Ecclesiæ nomine persolvuntur: et ideo *publicæ* appellantur sive in Choro recitentur sive extra. — Dicuntur *Horæ Canonicæ*, quia juxta Ecclesiæ canones certis horis recitandæ sunt. *Breviarii* etiam vocabulo donantur, quia Scripturarum oracula, SS. Patrum sententias, et Beatorum gesta breviter exhibent: et sunt precum longiorum, quæ olim vigebant, quoddam veluti compendium. Nuncupantur etiam Officium *Ecclesiasticum* vel *Divinum: Ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiæ persolvuntur; *Divinum*, quia ad cultum Dei sunt institutæ.

Horæ Canonicæ septem enumerantur, nempe *Matutinum* cum *Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ* et *Completorium*. Matutinum dividitur in tres partes, quæ appellantur *Nocturni:* Nocturnos sequitur pars quarta, quæ venit nomine *Laudum*. Matutinum cum Laudibus et Vesperæ dicuntur *Horæ majores* vel *magnæ;* cæteræ vero *minores* vel *parvæ* (3). Horæ canonicæ septenario illo numero videntur distributæ, tum ut septies in die preces

(1) V. Sales, *Filotea*, p. 2, c. 8. — Bourdaloue, *Pensieri diversi*, Tit.: Orazione. — Castelvetere, *Direttorio.* — Bona, *Via compendii ad Deum.* — Stapf, § 569.

(2) V. Benedictus XIV, *Notificatione* XXIV. — Suarez, qui fuse ubi *de Religione.* — Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. 4, lez. VIII, ecc.

(3) Totum Officium dividitur etiam in *Nocturnum* et *Diurnum*: nocturnum complectitur tres Nocturnos et Laudes, ideo dictum, quia noctu olim recitabatur: diurnum complectitur cæteras partes, ità dictum, quia recitabatur in die.

publicæ ad Deum effunderentur juxta illud: *septies in die laudem dixi tibi* (1); tum ut distinctis illis septem diei horis septem exhiberentur passionis Christi mysteria, ut hisce versiculis exprimitur:

Hæc sunt, septenis, propter quæ psallimus, Horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis; causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit; latus ejus Nona bipartit:
Vespera deponit; tumulo Completa reponit.

Q. 2. *Quænam Horarum Canonicarum origo?*

R. Vel Horæ Canonicæ accipiuntur quoad substantiam, uti sunt preces quædam diversis horis nomine Ecclesiæ recitandæ; vel quoad propriam peculiarem formam, qua hodie solent recitari. — Si 1 plures sentiunt earum originem esse Apostolicam; sæpe enim in novo Testamento fit mentio horarum quarumdam, quibus Apostoli orationi vacabant. Sic in Actis Apostolorum legitur: *Petrus autem et Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam.* Et Spiritus Sanctus dicitur super Apostolos orantes descendisse *hora tertia* (2).—Si 2, dicimus, in iis conficiendis manum primo habuisse RR. Pontifices: S. Damasum sæculo IV opera D. Hieronymi, et sæculo V Gelasium in Concilio Romano. Dein vero sæculo VI S. Gregorium M., et Gregorium IX sæculo XIII. Postea S. Pium V sæculo XVI, ut patet ex Bulla *Quod a nobis.* Tandem Clementem et Urbanum VIII sæculo XVII, uti videre est in Bullis initio Breviarii appositis (3).

Q. 3. *Undenam oritur obligatio Horas recitandi?*

R. Obligatio recitandi Horas non oritur ex jure divino, cum neque ex Scriptura, neque ex Divina traditione, neque ex Patribus colligatur; sed ex immemorabili consuetudine, quæ vim gravissimæ legis obtinuit, prout ait Benedictus XIV (4). Hanc vero confirmarunt et studiosissime commendarunt Concilia: inter cætera Concilium Generale Romanum (anno 1216) præcipit expresse Prælatis et Clericis *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote* (5). Ex quo patet obligationem hanc gravissimam omnino esse, ita ut fateantur omnes, mortaliter eum peccare, qui Horas Canonicas vel notabilem earum partem omittit, quia violat præceptum in re omnino gravissima pertinente ad virtutem Religionis (6) *(E).*

(1) Ps. 118. (2) Cap. 1 et 2.
(3) *V.* Selvagium, *Antiquit. Christ.* l. II. (4) In *Istruct. Cophtorum.*
(5) C. 9 *dolentes referimus*, t. de Celebr. Missæ.
(6) Sententia verior tradit cum Concina, Lessio, Tournely et Sanchez non multiplicem, sed unam esse obligationem, et unum præceptum constans partibus septem. Deducitur ex canone Concilii Romani, ubi orarum recitatio sub uno præcepto jubetur. Unde si quis petat quot peccata committat qui totum Officium omiserit, respondebimus cum D. Antonino: *qui omittit omnes Horas unius diei, non propterea committit septem peccata mortalia; sed unum, et tanto gravius quanto plus de Officio omittit, quia totum Officium unius diei cadit sub uno præcepto.* Si vero plures Horæ omitterentur ex intentionibus moraliter interruptis, tunc haberentur peccata plura; eum omnes omissiones ex se graves fiant unæ ab aliis independentes, illa intentionum interruptione. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 148.

Nonnulli cum Azorio et Navarro contendunt esse grave, et ideo mortale omittere dimidiam, vel etiam tertiam partem alicujus Horæ; quia (inquiunt) hæc pars respectu illius Horæ est sane notabilis. Sed alii cum Continuatore Tournely, Lessio, Pontas et Vanroy probabilius negant: quia licet pars illa sit notabilis respectu Horæ illius, est tamen levis in se, et respectu totius Officii. Quare in dijudicanda materiæ gravitate respicienda est quantitas totius Officii in se, non autem cujuslibet Horæ disjunctive. Cæterum videtur omnino certum unam Horam brevem, vel Officii partem eidem respondentem, uti unum integrum Nocturnum, sufficere ad gravem materiam, si excipiantur Vesperæ sabbati sancti ob suam parvitatem.

Quid (dices) *si quis dubitet, an Horam integram omiserit, necne?*

Si agitur de scrupulosis, generatim non sunt obligandi ad recitandum; cum istorum dubia, ut plurimum (maxime in his rebus) non tam dubia vera sint, quam inanes quædam apprehensiones. — Si vero de cæteris agitur, videndum, an dubium sit mere negativum, si nempe nullum prudens hinc inde motivum habeas necne, quod dixeris; an vero positivum, si nempe prudenter credas, te Horam illam jam recitasse, v. g. si memineris te incepisse Psalmum vel aliam partem, et soleas de more perficere quod semel incepisti. In primo casu tenet obligatio, quia in dubio possessio stat pro præcepto. In secundo non tenet: et hoc est communissimum cum Lugo, Navarro, Roncaglia, Sanchez et Tournely; quia præsumptio quod soleas perficere quod incepisti, te facit moraliter certum præcepto satisfecisse. Sane res resolvenda est ex communiter contingentibus. Adde: si secus esset, scrupulis lata via aperiretur (1).

Q. 4. *Quinam Horas Canonicas recitare tenentur?*

R. Horas Canonicas recitare tenentur alii vi Ordinis sacri; alii vi Beneficii; alii vi professionis in Religione approbata. Imo quoad omnes obligatos, adest quoque ex ipsa Breviarii præscriptione ac consuetudine gravis obligatio recitandi etiam extra chorum Officium Defunctorum die secunda novembris: quod tamen pridie anticipari potest. Item ex communiori, et ubique recepta sententia eadem gravis obligatio est recitandi Litanias Sanctorum tum die S. Marci, tum tribus Rogationum diebus: quæ tamen non possunt pridie recitari, quia illæ recitantur loco assistentiæ ad processionem: processio autem diebus naturalibus affixa est, uti declaravit S. C. R. 15 junii 1776 (2).

Q. 5. *Quinam tenentur ad Horas vi ordinis sacri?*

R. Tenentur sub mortali Clerici omnes ad Horas, si sint in Sacris constituti: idque ex variis textibus juris, ex Concilio Basileensi, et ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis habet (3): tenentur autem licet sint

(1) *V.* Liguori, *Homo ap. App.* III, n. 69.

(2) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXVIII. — Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 161. — P. Vincentius A. Massa, *Institutiones Liturgiæ sacræ.* — L. Ferraris, *Biblioth. canonica.* V. Officium. Ad integritatem Officii pertinent *Pater, Ave, Credo*; non vero *Aperi Domine*, nec *Sacrosanctæ*; nec *Antiphonæ B. Virginis.* Oratio *Sacrosanctæ* ad Indulgentiam obtinendam est flexis genibus recitanda.

(3) Apud Græcos nulla est lex expressa, sed quoad illos quoque consuetudo laudabilis invaluit Officium recitandi, uti ait Benedictus XIV; Constitutione *Eo quamvis.*

excommunicati, suspensi, degradati et in carceribus inclusi; nam *nemo debet reportare commodum ex propria iniquitate:* plures excipiunt damnatos ad triremes, quia tunc recitatio esset in dedecus Ordinis, et esset simul onus valde grave et ferme impossibile.—Certo autem ad recitationem non tenentur ordinati in infantili ætate ex Benedicto XIV: vel ante pubertatem, si postea non consenserint; habentur enim uti ordinati per metum gravem; et licet metus etiam gravis per se non tollat voluntarium, non tamen censetur Ecclesia velle eos obligare ad tale onus nimis grave, qui sponte Ordinem sacrum non susceperunt.

Subdiaconus quo die ordinatur, sine dubio tenetur recitare Horam quæ respondeat tempori, quo Ordinem suscepit: et si ante recitaverit, probabilius non censetur satisfecisse; quia nemo potest obligationem legitime implere, quæ nondum contracta est. Excipe, si iste sit etiam beneficiatus et recitaverit ante Ordinationem; nam tunc verificatur, quod recitavit nomine et ex præcepto Ecclesiæ atque Religionis motivo.

Q. 6. *Quinam tenentur ad Horas vi Beneficii?*

R. Quilibet Beneficiatus, etsi nondum in Sacris, tenetur sub gravi Horas quotidie recitare, uti constat tum ex Concilio Lateranensi sub Leone X; tum ex Constitutione *Ex proximo* S. Pii V. Qui vero duo vel plura habet Beneficia, unius tantum Officii obligationem habet: *talis*, ait S. Thomas (1), *quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit quod semel Officium dicat:* unde omittens recitationem unum peccatum facit, quamvis etiam vi Ordinis teneatur, quia obligatio ex uno oritur Religionis motivo.—Verum necesse est, ut Beneficium sit verum et proprie dictum (2), idest Ecclesiasticum: quod tunc ut tale habebitur, si Episcopi auctoritate sit erectum: item si ad illud habendum necessaria sit tonsura: sed maxime, si ad illud possessionis actus requiratur; aliquando enim, sic disponente fundatore, etiam Episcopi concursus requiritur in erectione, atque in ipso nominando tonsura, quamvis agatur de Beneficio laicali.

Quid (dices) *si Beneficium sit tenue? vigebitne adhuc onus Officium recitandi?*—Communiter tenent existimandum esse tenue illud Beneficium, quod non pertingit usque ad tertiam partem sustentationis Beneficiati; quæ sustentatio rationabiliter debet mensurari juxta diversitatem patrimoniorum, quæ in diversis locis solent Clericis adsignari ab Episcopo. Quo posito dicimus, vigere adhuc onus Officii: 1 in dubio de tenuitate; quia cum Beneficium sit certum et tenuitas dubia, possessio stat pro Beneficio, et ideo pro onere recitationis, 2 si tenuitas proveniat ex culpa Beneficiati, cum nemo debeat reportare commodum ex propria iniquitate; 4 si Beneficiatus speret fructus uberiores imposterum, quia tunc unus annus compensatur cum alio; 4 si qui percipiantur fructus, etsi onere Missarum gravati; cum adhuc

(1) Quod. 1, a. 13.

(2) Unde nullum erit Officii onus pro capellania mere laicali, vel mercenaria. Item neque ad Officium tenentur Coadjutores beneficiatorum, nisi sint in Sacris, quia Coadjutoria beneficii, beneficium non est; sed simplex facultas officium proprietarii exercendi, ut pluries declaravit S. C. Item neque tenentur qui pensionem laicalem obtinent, aut Regias Capellanias, quia vera beneficia non sunt.

sint veri fructus ad sustentationem deservientes. Sublatis hisce casibus, non consentiunt Auctores.

Alii cum Roncaglia volunt adhuc vigere onus recitationis; quia S. Pius V nullum Beneficiatum excludit: aliunde qui suscipit aliquid, intelligitur illud acceptare cum onere ei adnexo. Et talis revera videtur timoratorum praxis. Alii cum Sanchez volunt illud amplius non vigere; quia Beneficium quod non præbet ne tertiam quidem partem sustentationis, in jure Canonico (1) non reputatur pro vero Beneficio: et sic Beneficiatus habetur tamquam non Beneficiatus; et proinde censetur eximi ab onere Officii. Alii cum Lessio tandem docent onus istud vigere saltem pro diebus dominicis et festivis. Nos controversiam melioribus relinquimus (2), illud Tullii usurpantes in hac re: *in utramque partem disserimus: de nulla re dijudicamus* (3).

Quid (dices) *de eo, qui ad Beneficium electus est, vel in eo etiam canonice institutus; sed realem possessionem nondum sit consecutus?* — Si hæc possessionis dilatio ab eo pendet, quatenus malitiose moram trahat aut negligat aut impediat, ab Officii recitatione non liberatur; quia per eum in hoc casu vere stat habere Beneficii possessionem. Neque fraus sua aut negligentia debet eidem prodesse: neque Ecclesia ob culpam Beneficiati Officio suo privanda est. — Si vero possessionis dilatio sit sine culpa Beneficiati, v. g. si lis ei intentata sit super Beneficio, tunc ex communi et vera sententia ad Officium non tenetur; tum quia ante initam possessionem non censetur quis perfecte Beneficium consecutus et litem perdere potest; tum quia ante possessionem Beneficiatus nullum Beneficii jus exercere potest; ergo æquum est, ut neque ullum onus subeat; tum quia talis est hodierna praxis, ut nemo teneatur ad Horas nisi Beneficii sibi collati inita possessione.

Sed quid (quæres) *si jam quidem sit adepta possessio, sed lis vertatur inter duos, cujusnam sit revera Beneficium?* — Tunc si ille qui jam possidet Beneficium, habet spem moraliter certam vincendi litem, tenetur ad Officii recitationem, uti patet. Et idem currit, si per interim uni litigantium adjudicata fuerit Beneficii possessio: hic tenetur ad Horas, cum de facto reditus percipiat. Quod si firma non sit spes litem vincendi, et nec alicui possessio sit per interim adjudicata, nulla est Officii obligatio; quia nemo obstringendus est ad onus certum per mercedem incertam. Neque obstat quod si litem postea vincat, etiam fructus sequestratos obtineat: eos retinere potest, sicuti licite retinet fructus maturatos a tempore vacationis Beneficii, etsi Officium non dixerit; usquedum enim Beneficium liti subjicitur quoad ejus possessionem habetur pro vacante (4).

(1) C. *Is cui* 19 *de præb.* in 6. (2) *V.* Liguori, *Op. M.* l. III, n. 674. (3) *Acad.* q. IV, 33.

(4) *Sed.* (dices) *quid si possessionem quidem sit pacifice consecutus; nullus tamen adhuc fructus percipiat?* — Si habet spem certam fructus exigendi tractu temporis, ad recitationem tenetur, alioquin suo tempore gratis eos fructus reciperet. Si vero spem non habeat, iterum tenetur si eam per negligentiam amiserit, ne commodum ex sua iniquitate reportet: idem est si spe illa privetur juste, in pœnam alicujus criminis. Si secus est, non tenetur ne dicatur teneri sine mercede laborare: imo etsi præter spem postea fructus percipiat, ad nihil tenetur; si quid enim deberet, esset Officii recitatio; sed hæc singulis diebus est adfixa, qui in hypothesi, jam elapsi sunt: ad nihil ergo tenetur, tempore quo fructus insperato percipit. *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 664, et l. IV, n. 144.

Q. 7. *Quid de Beneficiato, qui Officium omittit?*

R. Certum est Beneficiatum, qui Officium omittit, graviter peccare contra Religionem, licet nondum sit constitutus in Sacris, et intentionem foveat fructus restituendi; quia duplex hic habetur præceptum: unum antiquissimum, quo obligantur Beneficiati ad Officii recitationem: aliud vero recens ex Concilio Lateranensi et ex Bulla S. Pii V, quibus Officium omittentes obligantur ad fructuum restitutionem. — Qui vero neque intentionem habet restituendi fructus, peccat etiam contra justitiam; quia Ecclesia pensum Officii Beneficiato imposuit etiam sub conditione, ut fructus Beneficii *non faciat suos*, si illud non recitaverit. Quare qui culpabiliter Officium non recitaverit in materia gravi, elapsis sex mensibus a Beneficii possessione, tenetur in posterum pro rata omissionis fructus restituere. *Statuimus*, ait Lateranense, *ut quilibet habens Beneficium, si post sex menses, obtento Beneficio, Officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos, pro rata omissionis recitationis Officii et temporis.*

Diximus 1: *Qui culpabiliter;* hæc enim restitutio non jure naturæ, sed ab Ecclesia imposita est ad puniendos non recitantes. At pœna culpam supponit, et satis colligitur ex verbis: *qui Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos.* Quamvis autem sit pœna, restitutio tamen facienda est ante sententiam; nam est pœna conditionalis, quæ quidem statim incurritur, conditione non impleta. Unde Alexander VII propositionem hanc sub n. 20 damnavit: *restitutio a Pio V imposita Beneficiariis Officium non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis.*

2. *Officium non recitaverit in materia gravi;* nam si partes omissæ materiam gravem non constituant, commune est nullam deberi restitutionem ne sub veniali quidem, etiamsi fructus parti illi respondentes ad magnam quantitatem pertingant. Ratio est tum quia sic fert usus Chori: tum quia fundamentum obligationis leve est, et simpliciter dici non potest transgressio illius præcepti gravis: quod quidem cum totam vim suam repetat ab Ecclesia, non ultra extendi debet, quam Ecclesia ipsa expresserit. Nempe Pius V restitutionem imposuit omittentibus tantum aliquam Horam, vel quod ei respondet: qui porro partem Horæ levem omittit uno die; Horam omisisse dici non potest: ita Concina, Garcias, Navarrus, Salmanticenses, Suarez, etc.

3. *Elapsis sex mensibus ab adepta Beneficii possessione;* sic statuitur in dicta Bulla et in Concilio Lateranensi. Quare qui primis sex mensibus Officium omittit, peccat quidem graviter contra Religionem; non tamen contra justitiam, nec tenetur restituere.

4. *Pro rata talis omissionis*, nempe ut explicat S. Pius V in sua Constitutione, *qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii fructus* (1), *qui illi vel illis diebus responderent; qui vero Ma-*

(1) Sanchez, Sotus, Salmanticenses, Lessius, Viva, etc. probabiliter dicunt ex benigna interpretatione beneficiatos non teneri omnes fructus restituere, nisi sint simplices Beneficiati, qui præter onus deferendi habitum alia onera non habent; docent enim id esse conformius juri naturali,

tutinum, tantum dimidiam; qui cæteras alias Horas, aliam dimidiam; qui Horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittat.

Quibusnam autem sit facienda restitutio ob omissionem Officii, patet ex hisce Lateranensis Concilii verbis: *quicumque divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii et temporis suos non faciat; sed eos tamquam injuste perceptos in fabricam ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenetur.* Quare legitime facta censebitur restitutio, etiamsi fructus illi in Beneficii utilitatem impendantur: imo ipse Beneficiatus poterit sibi fructus illos applicare; si tamen sit vere (id est non inani ac suo facili judicio) pauper, adeo ut neque ex suis bonis habeat, ut sibi provideat. — Hæc autem restitutio facienda nullimode *suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit:* quod asserere damnatum est ab Alexandro VII propositione 33.[a]

Q. 8. *Quinam tenentur ad officium vi professionis religiosæ?*

R. Communis sententia est (adeo ut temerarium sit aliter asserere) omnes Religiosos professos Choro addictos, quamvis nondum in Sacris, item Moniales professas, teneri quotidie sub gravi ad divinum Officium saltem private recitandum. Talis est consuetudo obligans sub gravi, quam quidem ipse Gregorius IX agnovit præcipiens Monachis, ut etiam *itinerantes Horas dicant in via.*—Diximus *professos Choro addictos;* neque enim tenentur novitii, cum nondum regulam sint professi: neque conversi etsi professi, qui ordinati sunt ad corporales labores, non ad Officii recitationem (1).

N. 2 — *De tempore, loco, ordine et forma in recitatione.*

Q. 1. *Quo tempore Horæ Canonicæ recitandæ sunt?*

R. Ad vitandum peccatum mortale sufficit, si Horæ Canonicæ persolvantur a media nocte usque ad aliam mediam noctem (2). Ut autem vitetur etiam veniale, recitatio fieri debet tempore ab Ecclesia adsignato, nisi obstet ra-

et sic esse receptam Bullam. Unde ajunt Episcopos, Parochos, Canonicos, etc. posse sibi aliquid retinere, si cætera munia impleant. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 663 et 673.

(1) Tenentur autem Religiosi, licet profugi sint; quia statum non amittunt: item licet suspensi vel excommunicati; cum sint in culpa, et adhuc commode possint. Non tamen probabiliter tenentur qua Religiosi, si per sententiam ejecti sint; quia tunc extincta habetur essentia status Religiosi. — Ceterum Religiosi, quoad Officium plura habent privilegia (*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 63). Hic notandum: 1 Religiosæ conversæ et associatæ, loco divini Officii tenentur recitare quotidie certas preces (et dicitur *Officium laicarum*); quæ quidem non obligant sub gravi: sicuti nullimode obligant preces, quæ aliquando addi solent Officio divino ex devotione potius, quam ex præcepto; 2 sunt nonnullæ monialium Religiones, quæ loco Officii majoris tenentur tantum ac Officium parvum B. V.: quæ porro quæstiones de uno resolvuntur, de alio quoque generatim valent. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 141. — De Alexandris, *Confessarius Monialium.*

(2) Ex cap. *Dolentes de cel. Missæ.* Cæterum juxta primævam institutionem erat, ut Matutinum diceretur circa mediam noctem, Laudes sub auroram, Prima ad ortum solis, Tertia tempore medio inter ortum solis et meridiem, Sexta Circa meridiem, Nona tempore medio inter meridiem et solis occasum, Vesperæ ad solis occasum, Completorium sub crepusculum nocturnum. Nostris temporibus in usu non est hæc Horarum distinctio. — *V.* Lucius Ferraris, *Bibl. Conc.* V. Officium, art. 4.— Bellarminus, *De Horis Canonicis.*

tionabilis causa. Porro extra Chorum Vesperæ et Completorium dici debent a meridie ad mediam noctem (1): cæteræ vero Horæ ab aurora ad meridiem; excepto Matutino, de quo infra: item Nona, et juxta alios, etiam Sexta, quæ quidem recitari possunt post meridiem.

Diximus 1: *nisi obstet rationabilis causa*, quæ quidem communiter esse potest quælibet utilis et honesta, v. g. concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis, iter agendum, major devotio, vel tempus aptius ad studendum. Hic attendenda est regula S. Antonini: *quando officium dici non potest propter occupationes, melius est prævenire, quam tardare; quia prævenire est providentiæ, tardare vero est negligentiæ.* Cæterum ad Matutinum cum Laudibus quod attinet, etiam sine causa pridie recitari potest, videlicet tempore, quo sol propior est ad occasum, quam ad meridiem (2); inquit enim Angelicus: *quantum ad ecclesiasticum Officium et Solemnitatum celebritates incipit dies a Vesperis: unde si aliquis post dictas Vesperas et Completorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem* (3). Et talis est consuetudo ubique recepta.

Diximus 2: *extra Chorum;* nam in Choro obligatio est, ut recitetur Officium ordine debito et statis horis, quæ quidem variant a recitatione privata; ita v. g. hora Vesperarum pro Choro est illa quæ est media inter meridiem et occasum. Attamen videtur probabilius, quod hæc obligatio non sit sub gravi, eo quod non constet de gravi præcepto super hac re imposito (4).

Q. 2. *Quo loco, ordine et forma Horæ recitandæ?*

R. Ad 1: Canonici Choro addicti recitare debent publice in Ecclesia seu Choro, ut habet eorum institutio (5). Alii autem possunt Officium recitare per se loquendo in omni loco, modo sit citra distractionis periculum: hinc ex generali etiam piorum praxi Officium etiam in curru, et deambulando recitari solet. Si vero fiat in locis immundis, alii dicunt esse veniale si sine causa, cum id non videatur carere irreverentia; alii volunt nullum esse peccatum, quia cum Deus sit ubique, ubique laudari potest. Hinc Apostolus: *volo... orari in omni loco* (6).

R. Ad 2: Eo ordine Horæ Canonicæ recitandæ sunt, quo exponuntur in Breviario, et qui absque justa causa illum inverterit, peccat; quia præceptum violat: hæc tamen inversio non invalidat Officium, neque mortalis est; cum adhuc tota illius substantia habeatur. Justæ autem causæ ordinem invertendi communiter sunt: 1 si quis ab amico invitetur ad Matutinum secum una recitandum pro die sequenti, nondum persolutis Vesperis; 2 si

(1) In Quadragesima, exceptis primis tribus diebus et Dominicis, Vesperæ dicuntur ante meridiem: quod quidem est de præcepto quoad Chorum ex Concilio Cabilonense *de consecr.*, dist. 1, c. *solent;* de consilio tantum pro recitantibus extra Chorum: et laudabilius est; cum sit se conformare veteri disciplinæ: quod dicendum est etiam de iis qui recitant parvum officium B. Virginis. Porro illud *ante meridiem* moraliter accipiendum est, nempe pro paulo ante: Concina admittit latitudinem unius horæ.

(2) Tempus determinat tabella posita in fine kalendarii cujusvis Diœcesis.

(3) Quodl. 5, a. 28.

(4) Cap. 1 *de celebr. Missæ;* et Tridentinum sess. 24, c. 12.—Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 675.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 171.

(6) I Tim. 2.

quis carens Breviario memoriter recitet Horas ante Matutinum, si non potest commode earum recitationem differre; 3 si quis Canonicus tarde ad Chorum accedat, Officio jam incepto. Idem est de alia simili causa rationabili.

R. Ad 3: Quoad formam in recitatione Horarum hoc maxime pertinet: 1 ut (nisi agatur de Religiosis, aut de iis, qui vel contrarium privilegium sint consecuti, uti Mediolanenses; vel alia usi sint consuetudine 200 annorum) quilibet utatur Breviario Romano a Pio V, Bulla *Quod a nobis* 1568 edito, a Clemente VIII Bulla *Cum in Ecclesia* 1602 recognito, et ab Urbano VIII Bulla *Divinam psalmodiam* 1631 expurgato: secus non faceret satis muneri suo (1); 2 ut Officium recitetur currentis diei ad præscriptum kalendarii propriæ Diœcesis: qua in re a S. Rituum Congregatione 23 maji 1835 fuit postulatum: «an in casibus dubiis adhærendum sit kalendario Diœcesis sive quoad Officium publicum et privatum, sive quoad Missam, sive quoad vestium sacrarum colorem, etiamsi quibusdam probabiliter videatur sententia kalendario opposita? et quatenus affirmative, an idem dicendum de casu quo certum alicui videretur errare kalendarium? Responsum fuit: *standum kalendario;*» et merito ne ob unius alteriusque sententiam ordo perturbetur (2).

Quid (quæres) *siquis Officium unius diei in aliud mutaverit?* — Si inadvertenter id egit, nullum erit peccatum, neque urgebit obligatio Officium repetendi; quia non præsumitur Ecclesia aliquem velle bis in die ad tale onus obligare: ita communiter cum Croix, Collet, Concina, etc.; in tali igitur casu pro axiomate habetur vulgare illud: *Officium pro Officio.* Quod multo magis currit, si causa adsit mutationis, ut si dicas Lectiones de Feria, quia Lectiones de Sancto non habes. Erit tamen observandum, quod si Officium persolutum sit notabiliter brevius, v. g. si Officium Sancti pro Officio Dominicæ sit recitatum, fiat aliqua compensatio, recitando v. g. novem Psalmos ex primo Nocturno; id enim rationi consentaneum est.

Si vero mutatio sit facta advertenter et sine causa, tunc si Officium currentis diei mutatur in aliud notabiliter brevius, erit mortale; quia non impleretur præceptum neque in sua forma neque in æquivalenti: unde adhuc urgeret obligatio Officii. Hinc Alexander VII damnavit hanc sub n. 34 propositionem: *in die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Quod si mutetur advertenter et sine causa in aliud ferme æquale, quale peccatum sit, adest hinc inde duplex plurimorum et satis probabilis sententia; æquius tamen videtur dicendum cum Elbel, Roncaglia, Sporer, Viva aliisque, esse mortale, si mutatio sit frequens, et ideo non satisfieri; veniale vero, si mutatio fiat raro, v. g. ter vel quater in anno. Ratio est quia si mu-

(1) Huic Breviario omnia alia exemplaria conformari debent: *v.* Appendix in fine vol. II: *V. Breviaria, Officium.*

(2) Non est mirum, si Sacerdos quilibet vicem salutantis ac resalutantis Ecclesiæ solus expleat dicens: *Dominus vobiscum* subindeque respondens: *et cum spiritu tuo;* rursumque et ejus vicem gerit. Ita S. Petrus Damiani, Opusculo cui titulus, *Dominus vobiscum*, c. 10. — benedictionem solus petat et reddat; nam per unitatem fidei Sacerdos tota Ecclesia est. Porro *Dominus vobiscum* dicitur tantum a Sacerdote et Diacono, qui non sint majori excommunicatione irretiti: ceteri ejus loco dicunt; *Domine, exaudi orationem meam* etc.; ita ex recepta ubique consuetudine. *Gavantus.*

tatio raro contingat, non graviter perturbatur ordo recitationis; e contra si contingat sæpe, evaderet gravis perturbatio ordinis: et licet quælibet variatio seorsim sumpta sit venialis ratione parvitatis materiæ, omnes tamen intra annum coalescunt, et graviter perturbant ordinem Breviarii præcepti pro totius anni Officiis, quæ simul sumptæ unum complexum faciunt (1).

Q. 3. *An Matutinum possit a Laudibus separari?*

R. Commune est, ait S. Alphonsus cum Abelly, Azorio, Bellarmino, Croix, Francolino, Filliucio, Garcia, Lessio, Navarro, Sanchez, Salmanticensibus, Suarez et aliis apud Bonacinam, quod Matutinum potest a Laudibus separari etiam sine causa, sive Matutinum et Laudes sint duæ Horæ, sive una tantum; nam etiam antiquitus separabantur, uti fatentur eruditi (2). Imo Concina dicit melius esse, si Matutinum recitetur Vespere præcedenti, et Laudes remittantur ad diem sequentem; quia hoc est conformius antiquæ consuetudini. Sed cum separantur adjici debet in fine *Pater noster*, uti Rubrica præcipit, cum terminatur Officium. Utrum vero sit etiam addenda *Oratio*, alii probabiliter negant, si excipias noctem Nativitatis, quia tunc ex Rubrica post Laudes dicitur Oratio, et postea celebratur Missa; alii item probabiliter affirmant, prout nempe tenent Matutinum et Laudes vel unam esse Horam, vel duas. Præstat autem, ut quando separantur initio Laudum præmittatur oratio, *Domine in unione* etc. cum *Pater* et *Ave*. — Imo non solum Matutinum a Laudibus, sed tres ipsi Nocturni possunt probabiliter licite inter se separari, saltem si inter eos non intercedat majus temporis spatium, quam trium horarum, quod quidem esset juxta ritum antiquum, prout refert D. Thomas. Neque tunc adest obligatio recitandi *Pater*; siquidem nullum hac de re præceptum adest.

Quid (quæres) *si una Hora, vel unus Psalmus interrumpatur notabiliter?* Alii ajunt totam esse repetendam Horam vel Psalmum interruptum, quia sublata fuit unitas præscripta; verum alii communius et probabilius negant, quia singuli Psalmi ac versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi vel per ipsam recitationem subsequentem, licet aliunde venialiter peccet qui nullam habet interrumpendi causam, quia tunc, ait Layman, sine ratione præscriptam ab Ecclesia unitatem rumpit. Ita Croix, Lessius, Sanchez, Sporer, etc. (3).

An (quæres) *Matutinum ante Missam sit persolvendum?* — Probabilior et

(1) Hæc Officii mutatio non esset neque venialis si fieret ex rationabili causa, nempe studii, itineris, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis vel specialis devotionis erga aliquem Sanctum. — Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 161. (2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 167.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 168. Justæ interrumpendi causæ habentur: 1° quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incommodo differri non posset; 2° ratio urbanitatis vel charitatis, aut ratio exequendi mandata superiorum; 3° si excipienda sit Confessio alicujus, qui non libenter expectaret; 4° si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. g. ne obliviscaris, etc., modo tamen non frequenter fiat; quia frequens interruptio ob talem causam aliqua irreverentia non caret: 5° licite etiam potest interjici aliqua brevis oratio inter orandum, vel aliquis interdum pius cordis affectus. Non tamen liceret, meditandi gratia, in istis diutius et frequenter immorari; quia ratio recitationis seu orationis vocalis non satis servaretur: item si vocalis oratio longior et minime pertinens ad Officium diceretur; pars enim notabilis adderetur Horis, quod esset veniale, utpote contra formam præscriptam.

communior sententia cum Anacleto, Bellarmino, Concina, Lessio, Sanchez, Sylvio aliisque docet non esse mortale Officium matutinale, id est Matutinum cum Laudibus post Missam persolvere; tum quia nulla vera adest connexio inter Officium et Missam; tum quia gravis obligatio non clare exprimitur in Rubrica, neque communiter sub gravi recepta est. Esset tamen veniale id agere sine causa; quia revera a Rubrica id inter defectus habetur (1): et si non necessaria, est profecto illa recitatio convenientissima dispositio ad celebrandum. In hanc sententiam consentit Benedictus XIV (2).— Ab hujusmodi tamen culpa veniali, ut recte dicunt cum Continuatore Tournely, excusabit quælibet mediocris causa rationabilis, v. g. si dans eleemosynam postulet, ut statim celebretur, si expectet populus, aut aliqua persona gravis, si tempus celebrandi transeat, si instet commoditas studii, itineris et cætera similia.

Q. 4. *Quid agere debet qui advertit, se errasse in Officio?*

R. Error contingere potest: vel circa Officium diei præteritæ; vel circa Officium diei futuræ; vel circa Officium diei currentis.

1. Qui animadvertit, se omisisse Officium diei præteritæ, non potest illud in aliam diem transferre, etiam non impeditam: ita declaravit S. R. C. 17 junii 1673, referente Bona: sane obligatio Officii unaquaque determinata die absolvitur. Et Rubrica tunc solum Officii translationem præscribit, cum illud impeditum est vel a Dominica vel ab Officio majori; non vero cum fuit omissum; — 2 qui advertit se hodie recitasse Officium, quod die crastina præscriptum est, tenetur illud crastina die repetere; quia per recitationem anticipatam non potuit satisfacere præcepto nondum vigenti; — 3 qui advertit, se errasse in Officio diei currentis postquam multum processerit, v. g. post recitatum jam Matutinum, si id inculpabiliter evenerit, non tenetur partem recitatam emendare per aliam recitationem; sed sufficit, si recitet quod superest de Officio debito, ne detectum errorem prosequatur. Si vero oblitus sit tantum partem Horæ, sufficit illam recitare, quin totum Officium repetat. Diximus *si id inculpabiliter evenerit;* si enim pars notabilis culpabiliter mutata sit, tota illa Hora probabilius est repetenda saltem sub levi; quia saltem sub levi extat obligatio orationem continuatam persolvendi secundum ritum præscriptum (3).

N. 3—*De modo recitandi Horas Canonicas.*

Q. 1. *Quomodo Horæ recitandæ sunt?*

R. Illud ipsum Lateranense Concilium sub Innocentio III, a quo antiquissima consuetudo Horas recitandi confirmata est et in legem scriptam deduc-

(1) Si Missa sit *de Requiem*, hanc inversionem nullum omnino includere peccatum alii docent; quia tunc nulla omnino vel levis adest connexio inter Missam et Officium.

(2) *De Sacr. Missæ*, l. III, c. 13. Verius tamen et communiter affirmant esse mortale, nisi adsit vera, publica et gravis causa, canere Missam conventualem solemnem antequam Officium Matutinale in Choro dicatur; cum sit contraria consuetudo; et aliter agendo lædatur graviter publicus Dei cultus, et conveniens regimen Ecclesiæ. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 348.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 667; et l. IV. n. 160, q. 5.

ta, modum etiam indicavit, quo illæ recitandæ sunt, inquiens: *districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote.* Vocabulum *studiose* pertinet ad munus oris; et postulat, ut Officium persolvatur vocaliter absque syncope, et abscissione verborum. Vocabulum *devote* pertinet ad munus cordis, et postulat, ut recitatio fiat cum debita intentione et attentione.

Q. 2. *An qui Officium recitat, debeat se ipsum audire?*

R: Alii affirmant cum Suarez; oratio enim, inquiunt, ut sit vocalis, exigere videtur, ut qui orat, audire se ipsum debeat. Sed satis probabiliter negant Azorius, Layman, Salmanticenses, Sporer, Tournely, et alii cum doctissimo Sylvio, cujus doctrinam magni æstimat Benedictus XIV in multis locis suarum Bullarum. Et sane ad satisfaciendum huic præcepto non præcipitur auditio, sed tantummodo recitatio, id est vocalis pronuntiatio verborum; hæc haberi potest, licet a recitante verba non audiantur. Ut enim habeatur vera recitatio, seu vera vocalis verborum pronuntiatio, sufficit, ut formetur aliquis verborum ipsorum sonitus, etsi modicus et vix sensibilis: hic porro sonitus semper fit cum verba proferuntur; quia proferri nequeunt, quin per linguam et labia fiat aliqua aëris compressio, ex qua necessario aliqualis sonitus enascatur oportet. Est autem per accidens, si sonitus iste audiatur vel non audiatur (1).

An (quæres) *qui recitat Officium cum sociis teneatur repetere quæ non satis auribus perceperit, si agatur de materia notabili?*—Commune est satisfacere qui audit a socio Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes et Antiphonas: item tenent probabiliter et illos satisfacere, qui dicunt soli Psalmos et Lectiones audiunt: vel soli partem Psalmorum dicunt, et partem cum socio; quia satis communicant ex recepto usu in eo, quod audiunt (2).—Hoc posito: non improbabiliter cum Elbel, Roncaglia, Salmanticensibus aliisque excusant a repetendo quod non satis auribus perceptum fuit, si id contingat propter strepitum alienum: imo etiamsi id evenerit propter culpam Chori, vel socii. Quæ sententia innititur auctoritate S. Antonini, qui ait: *si quis Lectionem, vel aliud quod in Choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.* Suffragatur ratio: recitans cum socio per illam ipsam societatem et suam applicationem censetur moraliter communicare cum eo in oratione; cum intendat Deo exhibere omnes laudes et preces, quas socius profert. Accedit: præceptum Officii ex Ecclesiæ benignitate est benigne interpretandum; alioquin innumeris anxietatibus locum faceret (3).

(1) Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 162.

(2) Valide et licite recitatur Officium alternatim cum socio non obligato ad Horas, et etiam cum laico, ut passim docent.

(3) «Certum est cum Holzman, Roncaglia, Azorio et Reginaldo, quod non oportet in Choro audire omnes; sed sufficit unum audire, et sufficit audire in confuso saltem partem alterius Chori, licet distincte nequeas audire. Ita Salmanticenses, qui testantur hoc docere fere omnes Doctores. Sic pariter est certum, ut docet Innocentius III, c. 9 *de celebr. Missæ*, quod *si in Choro omitas aliquod dicere verbum* (intellige non ultro), *non peccas; Chorus enim supplet.* Sed an satisfaciat surdus, qui ex obligatione Choro assistit, et suam tantum recitat partem? affirmant Suarez, Escobar,

Quid (dices) *de eo, qui in recitatione Breviarii syllabas mutilat?*—Si ista mutilatio est in tali quantitate, ut sensus verborum notabiliter varietur, qui sic voluntarie Officium recitat, non poterit excusari a mortali, casu, quo quantitas ilia sit gravis in ordine ad ipsum officium, neque ideo ab onere repetendi partem, in qua sensus fuit corruptus. Quid vero si id fiat involuntarie, scilicet ob balbutiem vel inveteratam consuetudinem et adhuc agatur de gravi quantitate relate ad totum Officium? Si studeat se emendare ad nihil amplius videtur teneri: ubi enim nulla culpa, nulla pœna; fecit enim quod in se est (1).

Sed quid (dices) *de eo, qui socium syllabas mutilantem sibi suscipit in Officii recitatione?*—Ille non tenetur Officium repetere, nisi certo constet socium ita syllabas mutilasse, ut pro notabili parte sensus notabiliter mutatus sit: præsumptio enim stat pro debita recitatione. Putamus tamen eumdem minime excusari a veniali, si sponte tali socio uniatur: excipe nisi adsit causa rationabilis, uti esset v. g. si a Superiore, vel a persona gravi ad id invitetur. —Certum est autem, eos non satisfacere, qui alternatim recitando non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magna quantitate; quia tunc una pars alteri non succedit. Et hoc caute notandum est: quot enim sunt qui tam insignem orationem præcipitanter agunt, invocantes non Dei benedictionem sed potius maledictum!

An (quæres) *qui cum aliis choraliter recitant Officium majus, aut defunctorum, etc. teneantur supplere omissa, si dum alii cantant, ipsi se parant ad celebrandum, aut transferunt libros, requirunt Psalmos, thurificant, pulsant campanas, vel alia Choro necessaria agant?*—Affirmant Bonacina, Navarro et Vasquez; unusquisque enim tenetur ad partem suam: nisi, excipit Holzman, sit modica materia omissa, v. g. quæ ad integrum Psalmum non pertingat. Sed communiter et satis probabiliter negant Azorius, Anacletus, Croix, Layman et alii; nam dum aliquis occupatur in rebus ad Officii celebrationem pertinentibus, totus Chorus pro eo supplet: prout qui Missæ inservit, censetur eam audire, dum in re necessaria paranda attendit (2).

Q. 3. *An in Officii recitatione requiratur intentio et attentio?*

R. Cum Luraschi affirmative; recitatio Horarum est vera oratio, id est *elevatio mentis in Deum:* sed hæc nequit fieri ut oportet sine convenienti intentione et attentione; quid est enim intentio? est volitio faciendi aliquid:

Roncaglia, Sa. Magis tamen mihi placet sententia opposita cum Palao, Sanchesio, Salmanticensibus, Elbel, qui dicunt surdum lucrari quidem distributiones; sed teneri ad repetendum non audita; sed bene tamen potest eodem tempore satisfacere submisse dicendo partem alterius Chori. Ita Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 163.

Sane surdus non potest dici, quod quantum in se est cum aliis communicet; cum imo totum per ipsum sit, quod non possit communicare cum aliis. Unde diversa est ratio illius, qui potens est communicare, et de facto quantum in se est, communicat; sed aliquid non percipit ob alterius impedimentum.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 165.

(2) Item probabiliter satisfacit qui dum alii recitant, tussit vel excreat, etsi integer Psalmus interim dicatur; non tamen satisfacit qui Choro alternatim respondet organum tantum pulsando quin versiculum suæ partis proferat; quia organum verba non profert. Item neque satisfacit qui devote audit Horas dum musici cantant, quia talis audiens non orat vocaliter, nec musicorum orationem facit suam, cum non alternet cum illis.—Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 143.

quid est attentio? est mentis applicatio ad id, quod agitur. Necessaria est igitur in Horarum recitatione: 1 *intentio*, seu volitio saltem generalis orandi: unde qui Horas puræ eruditionis causa, vel animo sese exercendi in legendo aut Psalmos memoriæ mandandi recitat, non facit satis, sed tenetur illas repetere; cum talis recitatio non sit oratio; 2 *attentio*, id est animi applicatio ad Officium quod persolvitur; secus ejus recitatio non fieret humano modo, sed materiali omnino.

Intentio autem alia est expressa alia implicita. *Expressa* est, qua quis ab initio Breviarium sumens dicit *volo orare*. *Implicita* vero qua id non dicit quidem actu, sed id virtualiter intendit, dum vult recitare Horas Canonicas juxta Ecclesiæ præceptum. Hæc porro sufficit; nam prima illa non est totaliter posita in nostra potestate.

Attentio item alia est *externa*, quæ nempe excludit omnem externam actionem physice incompossibilem cum eo, quod agitur; alia *interna*, quæ consistit in interiori mentis advertentia ad id, quod agitur. Certum est ad validitatem Officii attentionem externam requiri; cum sine ea haberi non possit ipsa recitatio: uti esset v. g. fabulari, scribere, os in risum laxare, attentam alienis sermonibus aurem præbere, magna animi applicatione aliquid diversum agere, sibi celeriter vestes accommodare: qui enim hæc agit, Deum potius irridere, quam eum exorare jure merito dicitur. Aliter esset, si quis dum recitat, ambulat, se lavat, flores colligit, ignem fodicat, collem aspicit: vel recitat ubi alii fabulantur vel canunt, modo his animum non serio applicet; hæc enim satis compatibilia sunt cum recitatione. Sed in hisce rebus non una regula est; nam quædam actiones, quæ pro uno sunt distractivæ, tales non sunt pro alio.—Non ita tamen res certa est, si quæratur de attentione interna; communior et probabilior sententia omnino consulenda docet, hanc quoque requiri; nam sine attentione interna non constituitur oratio, quæ universe definitur: *elevatio mentis ad Deum*. Unde quamvis Ecclesia non imposuerit speciale præceptum positivum attentionis internæ; tamen præcipiendo recitationem Officii per modum orationis ad Deum colendum, veram præcepit orationem, quæ sine attentione interna non est vera oratio; nec Deus colitur per solam recitationem externam ab iis qui voluntarie se distrahunt, imo de his conqueritur: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (1). Adde: Tridentinum vult Officium recitari *reverenter*, *distincte* ac *devote*: *reverenter*, en intentio; *distincte*, en attentio externa; *devote*, en attentio interna.

Sed (quæres) *quænam interna attentio requiritur?*—Præter attentionis divisionem tradi solitam in *actualem*, quæ est; in *virtualem*, quæ fuit et in alio perseverat; in *habitualem*, quæ pariter fuit, sed in nullo effectu

(1) Matth. 15—*Vid.* Casati, *De Sacram. Pœnit.* art. de interrogandis Ecclesiasticis, n. 3.—Liguori, *Homo Apost. App. III*, n. 75; et fusius in *Opere Mor.* l. IV, n. 177; et l. III, n. 669. Unde qui cum sola attentione externa recitat, non potest facere fructus suos; potest tamen retinere si eos suos jam fecerit bona fide; ratio primi, quia esto quod opinio quæ non requirit attentionem internam sit adhuc probabilis: at cum sola probabiliate nequit inchoari possessio fructuum. Ratio secundi, quia posito jure certo, quod ipse habet ad res jam bona fide possessas, non tenetur ad restitutionem, nisi sit certus de obligatione restituendi.

permanet; et in *interpretativam,* quæ esset, tripliciter adhuc distinguitur attentio interna. Alia *spiritualis* seu mystica, quæ est ad Deum ipsum; cum nempe mens ad eum elevatur, meditando v. g. ejusdem attributa, vel passionis Christi mysteria. Alia *litteralis*, idest ad sensum; cum nempe attenditur ad percipiendam verborum intelligentiam. Alia demum *superficialis,* quæ est tantum ad verba, cum nempe attenditur ad recte verba proferenda, ne error fiat ea mutilando vel transferendo, cum intentione generali colendi Deum. Hisce positis, dicimus:—1 attentio *habitualis* non sufficit, quia non est hominis agentis humano modo: item neque *interpretativa,* quia hæc nondum existit: *actualis* vero optima quidem est; sed non necessaria, cum ea non sit semper in nostra potestate, et ei opponantur distractiones etiam involuntariæ. Sufficit ergo et requiritur saltem attentio *virtualis,* cui quidem solum voluntariæ distractiones opponuntur;—2 attentio *spiritualis*, ut eam nos explicamus, non requiritur: hæc sane licet sit optima et ideo laudanda, non est necessaria; cum de facili haberi non possit: nec requiritur *litteralis;* quia secus non orarent qui latinam linguam ignorant. Sufficit ergo et requiritur saltem attentio *superficialis :* id est attentio ad verba, non quidem ad singula omnino, sed moralis et generalis conjuncta cum pia intentione orandi et colendi Deum. Hæc, inquam, attentio requiritur et sufficit: *requiritur*, quia Breviarium est oratio vocalis, et ideo orali vocis sono complenda per distinctam verborum pronuntiationem: *sufficit* autem; oratio enim sic facta est vera oratio: *primo est attentio ad verba quibus petimus*, inquit Angelicus, *deinde ad petitionem ipsam... et quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio* (1).

Q. 4. *Quænam sunt remedia contra distractiones in Officio?*

R. Remedia contra distractiones in Officio sunt negativa et positiva. *Negativa* sunt subtractio eorum, quæ distractionum sunt causa, v. g. impedire quominus oculi circumvagentur, a graviori hominum strepitu se subducere, ad negotia diversa non properare, etc. *Positiva* vero sunt procuratio eorum, quæ attentionem per se excitant, v. g. elicere sub initio intentionem laudandi Deum, hanc renovare sub fine Psalmorum, meminisse sæpius præsentiæ Dei, mysteria illa sibi exhibere, quæ per septem Horas repræsentantur, etc (2).—Ut tamen quis dicatur Officio minime satisfecisse ob habitas distractiones, non sufficit, ut quis voluntarie distrahatur, sed insuper requiritur, ut plene advertat, se distrahi ab Officio in materia notabili (nisi agatur de habituato in hisce admittendis distractionibus, qui scilicet numquam fecerit quantum in se est ad habitum vincendum); nam intentio prius deliberate concepta Officium persolvendi perseverat quousque non retractetur

(1) In 4, dist. 15, q. 4. — Ex his patet, optimam esse hanc orationem, licet eam recitaverit Monialis, quæ sensum verborum non intelligit. *V.* De Ponte, *La perfezione cristiana*, t. III, c. 6 § 1 et 2.

(2) Alii aliis utuntur remediis; sic optimum est, quoad potest, Officium oculis legere; oculis frænatis, facilius et mens frænatur a vagationibus: identidem considerare magnam, quam agimus, actionem; non enim alloquimur hominem, sed Deum: concipere animo ex una parte adstare nobis recitantibus Angelum custodem qui merita notet, ex altera dæmonem, qui demerita scribat, etc. — *V.* Liguori, *La Messa e l' Officio strapazzati. — L'Ecclesiastico novello santificato coll' attenta recitazione del divino Officio* ecc. — *Avvisi e norme per ben recitare l'Ufficio divino:* trad. dal francese. Casale 1856.

per contrariam plenam advertentiam circa ipsum Officium. Ita Cajetanus, Concina, Croix, Gobatius, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Suarez aliique (1).

Q. 5. *An peccet qui recitat Officium vel in mortali, vel non servando Rubricas in stando, genuflectendo, etc.?*

R. Ad 1: Verius et communius qui Officium recitat in mortali existens, satisfacit et non peccat mortaliter; quia ex una parte non exercet actum Ordinis sacri: ex alia quamvis nihil mereatur de condigno, quia tamen orat nomine Ecclesiæ, bene pro aliis obtinet; cum Ecclesia suppleat. Unde quod oret nomine Ecclesiæ in mortali existens, non videtur irreverentia de mortali damnanda.

R. Ad 2: In Choro recitantes Officium probabilius peccant, si absque causa situm non servent, quia agerent contra Rubricam: hæc tamen omissio, ut dicunt, non excedit veniale ex materiæ parvitate. Verum extra Chorum commune est, non peccare qui situm non servat, quia Rubrica respicit tantum recitantes in Choro (2); laudabiliter tamen ipse servatur ad fovendam devotionem.

Q. 6. *Quomodo dirigendus est scrupulosus circa Officium?*

R. Potest quis esse scrupulosus, vel quia dubitat de intentione debita; vel quia dubitat de attentione sufficienti; vel quia dubitat de accurata verborum expressione; vel quia timet; ne brevius, quam par sit, tempus impenderit in Horarum recitatione. Jam vero:

1. Ei, qui dubitat circa *intentionem debitam*, suadebit Confessarius dubium illud quamdam esse insaniæ speciem nemini aperiendam; intentio enim adest hoc ipso, quod Breviarium manu suscipit et Officium de facto recitat. Addat, non requiri intentionem satisfaciendi, sed sufficere intentionem recitandi: imo ne requiritur quidem intentio explicita; sed sufficit implicita, et virtualis intentio orandi, quæ certe adest quotiescumque vult quis Officium dicere vel colere Deum vel propriæ obligationi satisfacere. Unde ne sit anxius de intentione.

2. Ei, qui dubitat de *sufficienti attentione*, aperte dicat eam certo perseverare quoad ipse recitare pergit, et stat etiam cum distractione voluntaria, dummodo non sit certo voluntaria relate ad Officium. Et licet per hanc distractionem attentio esset amissa, sufficienter tamen renovaretur per distractionis exclusionem opus inceptum prosequendo. Imo metus ipse quo

(1) Imo complures etiam tradunt ne oportere quidem, ut quis tota semper eo tendat animi sollicitudine: cujus quidem doctrinæ fundamentum est, quod impossibile ferme sit omnes omnino distractiones vitare, et præsertim studiosis, quorum exercitia sunt præcipue in intellectu, qui ex assiduis occupationibus ita sæpe inflectitur, ut veluti calcaribus adjectis in suas controversias prolabatur. Quæ omnia diximus præsertim ad scrupulosorum levamen: videlicet quamvis Officium recitans advertat semiplene ad distractionem, et sic peccet venialiter; adhuc tamen satisfacit, quia semper perseverat attentio prima sive intentio attendendi, donec cum plena advertentia non fuerit revocata. Nam *si res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvi debet*, uti fert juris adagium, intentio cum plena deliberatione prius concepta tolli non potest, nisi cum alia item plena deliberatione retractetur. Hinc commune est, quod si quis advertens se distractionibus teneri, adhibeat contra illas mediocrem diligentiam, nullo modo peccat.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, nn. 178 et 179.

scrupulosus agitatur, ne intentio amissa sit, et non renovata, signum est certum quod ipsa adsit.

3. Ei, qui dubitat de *accurata verborum expressione* suadendum, ne inter recitandum hæreat, sed decurrat sine ulla anxia sollicitudine: neque examinet quomodo processerit, certus quod Deus magis honoratur cura moderata, cum tunc sit habere Deum ut benignum Patrem. Item ne quid repetat, tum quia libertas est in possessione, et tenere debet, bene illa fuisse peracta quæ certo omnino non constat fuisse peracta male; tum quia Ecclesia benigna Mater non vult filios suos meticulosos et anxios, sed hilares et quietos.

4. Ei, tandem, qui anxius est de *tempore* impendendo in recitatione, suadere poterit Confessarius, imo etiam injungere: 1 ut spatium sibi ipse determinet ordinarie necessarium, et quod a probis impendi solet; 2 ut illa quæ intra tale spatium recitare nequit, omittat; Ecclesia enim non plus ab ipso requirit.

N. 4—*De causis a recitatione excusantibus* (1).

Q. *Quot sunt causæ ab Officio excusantes?*

R. Causæ ab Officio excusantes communiter adsignari solent:—1 inculpata Breviarii carentia, 2 gravis metus, 3 oculorum cæcitas, 4 gravis infirmitas, 5 gravis occupatio, 6 dispensatio.

1. *Inculpata Breviarii carentia* cum impotentia aliud sibi comparandi, quia tunc quoque habetur impotentia physica. Diximus *inculpata carentia;* si enim quis Breviarium in ignem projiciat vel in flumen, peccat et tenetur retractare perversam illam voluntatem, simulque curam omnem impendere ad aliud sibi Breviarium comparandum, recitando interea quod memoria tenet (2): alioquin tot peccata committit quot sunt omissiones quas prævidet, nisi eum pœniteat primi peccati; quia perseverat voluntarium in causa.

2. *Oculorum cæcitas;* hæc enim constituit veram impotentiam physicam: idem dicatur de oculorum morbo, quo quis laboret. Si tamen Officii pars aliqua notabilis memoriæ teneatur, illa recitari debet ex dictis; sed non ideo obligatur ad Horas cæteras memoriter addiscendas, quia hoc esset medium extraordinarium.

3. *Gravis metus:* ob gravem metum liberatur *vel in toto vel in parte* ab Officio qui ideo sibi prudenter timet obventurum esse grave aliquod corporis vel honoris detrimentum, v. g. si quis Subdiaconus inter hæreticos vel infideles degens ob Officii recitationem tales eorum in se furores excitaret et odia, ut persecutiones graves pertimesceret; lex enim humana cum tanto detrimento non obligat. Diximus *vel in toto vel in parte;* nam quando præcepti materia divisibilis est, qui non potest implere totum, tenetur implere partem quam potest: ea ipsa ratione, qua ære alieno gravatus, cum non po-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, nn. 154 et seqq.

(2) Diximus *recitando interea* etc. qua in re en regula: si potes recitare quantum est parva Hora, teneris sub gravi, secus ad nihil neque sub levi; quia modicissima pars seorsim sumpta, non censetur æstimabilis ad finem legis. Quod si habeas Officium commune, non tamen proprium dici, adhuc teneris; quia satis observaretur substantia.

test solvere totum, debet solvere saltem quod potest. Unde damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 54 propositio: *qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

4. *Gravis infirmitas:* hac ratione excusantur ab Officio non solum qui actu laborant morbo gravi; sed etiam qui nequeunt illud recitare absque gravi ejusdem periculo, v. g. siquis prudenter timeat sibi inde obventuram notabilem capitis gravedinem aut virium lassitudinem. Idque probabiliter tenet, etiamsi infirmus per magnam diei partem legeret libros ad solandum animum; quod enim legere queat libros recreationis causa, non sequitur posse et teneri recitare Officium, quod requirit tum intentionem tum attentionem, quibus major profecto inhæret difficultas. Ita Elbel, Holzman, Salmanticenses, Sanchez, Sporer.—Quod de ægrotante, illud etiam de convalescente dicendum cum Concina ac Tournely, saltem per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec nempe viribus reficiatur: et quamvis interim Missam valeat celebrare; quia Missa non ita aggravare solet. In dubio, an infirmitas sufficiat, poterit quilibet acquiescere judicio Medici aut superioris aut viri prudentis: et regulariter favorabilem partem amplecti, cum possideat jus naturale de propria conservatione.

5. *Gravis occupatio:* quæ tamen tunc tantum excusat ab Officio, cum vel non potuit præveniri, vel non potest omitti sine gravi scandalo aut sine gravi damno alieno aut proprio, neque cum Officio potest conciliari: quæ ubi concurrant, censetur adesse impotentia moralis, ideoque obligationis cessatio. Sic excusantur, v. g. Parochi, qui occupantur tota die in cura infirmorum; cum eam haud possint differre, et hic et nunc necessitas urgeat: item Confessarii, qui per totam diem Confessiones excipiunt, quas omnino differre non possunt: item concionatores, si tamen nequeunt omittere concionem sine scandalo, aut infamia. Non vero excusantur qui studio vacant; secus actum esset de hac recitatione: hinc contraria propositio sub n. 21 ab Alexandro VII damnata est.—Qui tamen prævidet occupationem sibi in die obventuram, quæ stare nequeat cum recitatione, tenetur Officium, si ejus jam incæperit obligatio, in antecessum recitare, v. g. summo mane, casu quo nequeat reliquis diei horis. Ex quo merito inferunt, rarissime contingere, quod Officium omitti possit propter occupationem. Diximus, *si ejus jam incæperit obligatio;* quia nemo tenetur prævenire illius præcepti implementum, quod nondum existit. Sic valde probabile apparet cum Elbel, Holzman et Sporer, quod ille, qui non potest recitare Matutinum die sequenti, minime teneatur die antecedenti id agere; quia præcepti obligatio nondum incæpit; et licet permittatur recitari, id tamen non ex præcepto, cum nondum urgeat; sed ex privilegio inductum est, quo nemo ligatur.

6. *Dispensatio:* supremus Pontifex absolute, et etiam sine causa potest valide dispensare, licet agatur de Beneficiato; quia hæc obligatio (uti docent cum Benedicto XIV) non est de jure naturali, sed tantum positivo Ecclesiastico, a quo bene valet dispensare (1). Episcopus autem dispensare non

(1) *Notificatione* XIX.—In Bulla *Pastor bonus* idem Pontifex habet, § 30: *Major Pœnitentiarius super recitatione divini Officii seu Horarum canonicarum propter aliquam impossibilitatem seu moralem*

potest, nisi cum causa, et cum aliquo particulari, atque ad breve tempus: sic fert recepta ubique consuetudo: causa erit, quando dubitatur de morali Clerici impotentia. Hanc autem facultatem valet Episcopus exercere etiam per Vicarium suum generalem, modo tamen speciale illi mandatum eam in rem elargiatur; nam ex generali commissione non ipsi committuntur, nisi quæ sunt de jure Episcopi ordinario et proprio (1).—Hinc versus:

Quem Papa dispensat, multus labor opprimit, æger,
Qui timet, aut oculis Officioque caret.

An (quæres) *teneatur socium adhibere, qui non valet solus Horas recitare?* —Affirmative, si illum invenire potest; hoc enim in casu non potest dici quod vera sit impotentia, cum socium adhibere sit medium ordinarium ac facile. Si tamen socium habere non possit, nisi stipendio soluto, ad illum conducendum non tenetur qui nullum possidet Beneficium; cum nihil debeat ob officium, qui nihil ab officio percipit. An autem teneatur Beneficiatus socium pretio conducere ex fructibus Beneficii, adest duplex opinio probabilis: affirmativa est communior et tenenda, si ille velit fructus percipere; quia cum sola probabilitate nequit possessionem fructuum inchoare, ut recte ajunt Concina, Lessius, Sotus, Tournely, etc. (2). Hæc si adhuc fructus non perceperit: si enim talis Beneficiatus omisit Officium, eo quod non adhibuit socium, et in bona fide fructus jam perceperit, potest eos retinere: quia melior est conditio possidentis.

Quid (quæres) *de eo qui certus quidem est se non posse recitare Officium totum, dubitat tamen, an possit saltem recitare partem?*—Iste generatim loquendo ad partem, circa quam dubitat, tenetur; nam in dubio standum est pro obligatione, cum certa sit et possideat. Diximus *generatim loquendo;* si enim agatur de infirmo, qui ob suam infirmitatem certus est, se non posse totum Officium recitare, et anxie dubitat, an possit partem, rationabiliter docent ipsum ad nihil teneri Bouix, Lugo, Navarrus, Roncaglia, Sanchez, Viva, Croix, Layman, Cardenas et alii. Ratio, quia aliter scrupulis et anxietatibus infelix ille nimium excuteretur, nesciens quousque possit, aut non possit recitare: ex quo certe oriretur in homine conscientiæ timoratæ (talem enim supponimus) magna inquietudo, quæ magnum utique incommodum secum affert, tum quoad animam, eam perturbando; tum quoad corpus, physicam ejus indispositionem augendo (3). Ad rem Billuart: postquam docuit eum, qui non potest totam legem implere, teneri ad partem in re divisibili, excipit: *modo terminus potentiæ et impotentiæ non sit incertus et ambiguus, sicut v. g. in infirmis, in quibus vix ac ne vix determinari potest, quid*

difficultatem, dispensandi cum commutatione in alias preces vel orationes vel alia pia opera, earumque seu eorum injunctione, habeat facultatem. Quæ opera si omittantur, adhuc Beneficii fructus sunt restituendi, ac si ipsum Officium omitteretur: nam dispensatio cum commutatione reddidit quidem faciliorem, at non abstulit conditionem faciendi fructus suos; esto etiam quod opera commutationis sint non ita gravis momenti.

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 1033; et l. IV n. 159.

(2) Liguori, *Homo Ap. App.* III. n. 76; *Op. Mor.* l. IV, n. 158.

(3) Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 154.

possunt, usquequo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis et continua perplexitas in determinanda parte, ad quam tenerentur; et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem. Ita graves Theologi (F).

DISPUTATIO SECUNDA

DE ACTIBUS RELIGIONIS EXTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE VOTO.

ARTICULUS I—De voti definitione, honestate et divisione.

Q. 1. *Quid est votum?*

R. Votum prout est actus Religionis externus, definitur a D. Thoma: *promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili* (1).—1 *promissio,* id est talis actus voluntatis, quo quis erga Deum se obstringit ad aliquid agendum, vel omittendum: et sic distinguitur votum a simplici proposito; qui enim proponit, intendit quidem facere quod proponit; non intendit tamen in se assumere obligationem illud præstandi ne sub levi quidem;—3 *deliberata:* votum enim est lex, et quidem per se gravis, quam vovens sibi ipse libenter imponit; atqui nemo censetur citra sufficientem animi deliberationem sese obligare;—3 *Deo facta:* est enim votum actus Religionis, et quidem *latreuticus*, id est soli Deo debitus. Cum ergo Catholici quædam vovent B. Virgini cæterisque Sanctis, id est eo sensu, quod nempe vota nuncupant B. Virgini, et Sanctis tamquam testibus, patronis et adjutoribus;—4 *de bono meliori et possibili. De bono*, alioquin non esset Deo gratum; *de bono meliori*, promissio enim quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit, nec potest esse illi grata; *de bono possibili*, nam promissio de re impossibili est ridicula et stulta (2).

Q. 2. *An votum sit res bona, honesta et sancta?*

R. Lutherus et Calvinus docuerunt, votum tale quidem esse, si fiat de iis,

(1) 2, 2, q. 88, a. 1. Votum indicat in sensu lato tum *desiderium,* quo sensus dicitur Baptismum in voto; tum *suffragium*, quod tribuitur in electionibus; tum *propositum*, quod quidem est simplex voluntas aliquid faciendi. «Vulgus (ait S. Alphonsus, *Praxis Conf.* c. 2, n. 25) sæpe confundit desideria aut proposita cum votis. Ad hæc distinguenda parum juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an umquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato? siquidem rudes sic interrogati facile negant. Satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse an non, si postea non satisfecisset.»

(2) *V.* Bibbia di Vence, *Dissertaz.* vol. II: *Sul voto di Jefte.*

quæ jam in lege præcepta sunt, atque ex animo illa expeditius exequendi; sed esse rem illicitam, turpem et impiam, si fiat de iis, quæ in lege minime præcepta sunt, et ex solo motivo colendi Deum, uti sunt v. g. vota Monachorum. Sed falluntur: sane Apostolus sic scribit de viduis, quæ postquam continentiam Deo vovissent, nubere iterum cupiebant: *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (1). Hic profecto agitur de re, quæ minime præcipiebatur in lege, nempe de continentia perpetua in illo statu viduitatis servanda; atqui tamen voti materiam constituebat, et Apostolus eam habuit uti bonam, honestam et sanctam, ita ut damnationis sententiam edixerit contra mulieres, quæ votum illud voluissent infringere. Hinc in ipsa Scriptura, nulla votorum distinctione facta, de omnibus votis generatim dicitur: *redde Altissimo vota tua: si quid vovisti Deo, ne moreris reddere* (2). Deinde si res ita non esset, cur Ecclesia, columna veritatis, vota non solum semper admisit, sed et plurimum commendavit (3)? Hinc jam a sæculo IV acerbantur in perpetuum a fidelium communione virgines, quæ votum castitatis violaverunt, uti constat ex Concilio Eliberitano. Accedit populorum consensus; neque sane tantum penes gentem Israëliticam, sed etiam apud ethnicos vota nuncupabantur ad cultum divinum spectantia, cujus quidem rei complura exempla refert Livius. Accedit et ratio; per votum enim magis magisque voluntas nostra firmatur in bono, quod profecto pertinet ad perfectionem virtutis.

Ex hoc tria corollaria deducuntur:—1 opus factum ex voto melius esse opere, quod fit sine voto; tum quia quod fit ex voto, procedit a virtute præstantiori, nempe religione; tum quia sic magis Deo nos submittimus; tum quia propriæ ejus bonitati superaddit bonitatem voti (4);—2 non tenere votum de *non vovendo;* quia non est de bono meliori, nisi forte conjunctum sit cum illa conditione: *de consilio Confessarii expostulando* ad vitandum votum præceps. Si tamen, hoc voto non obstante, adhuc deliberate quis voveat, valet secundum votum; cum habeat objectum satis validum. Item valet votum de non ludendo etiam ludo honesto; quia actus majoris virtutis est se abstinere etiam ab aliquo actu virtuoso ad majorem perfectionem;—3 fideles non esse promiscue avertendos a votis nuncupandis; sed potius in iis recte dirigendos, ne imprudenter voveant, v. g. jejunia sanitatem læsura, eleemosynas facultatibus non accommodatas. Hæc generatim regula tenenda, ut facilius permittatur vota ad tempus, v. g. jejunii ad diem in mense; castitatis ad annum *(G)*.

Q. 3. *Quænam est voti divisio?*

R. Triplici modo votum spectari potest: nempe tum ratione rei quæ promittitur; tum ratione formæ, qua res promittitur; tum ratione temporis, ad quod se extendit executio rei promissæ.

1. Ratione *rei*, quæ promittitur, votum aliud est *positivum*, aliud *negati-*

(1) I Tim. 5. (2) Ps. 49; Eccles. 5.

(3) *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. Voto. Neque dicant hæretici votum adversari libertati Evangelicæ; nam libertas Evangelii est libertas a peccato, non autem a lege, a præcepto, aut a vinculo quocumque, quod fideles majoris perfectionis causa sibi voluntarie possint imponere.

(4) S. Thomas, 2, 2, q. 88, a. 6. — *V.* Liguori, *Op. M.* l. III, nn. 178 et 210.

rum, aliud *reale*, aliud *personale*, aliud *mixtum*, aliud *liberum*, aliud *necessarium*.—Voto positivo promittitur res facienda: negativo promittitur aliquid omittendum: reali promittitur res externa prætio æstimabilis, ut calix: personali promittitur personæ actio, v. g. Missæ auditio: mixto actio personalis simul et res prætio æstimabilis extra nos posita, ut si voveas peregrinationem cum oblatione calicis: libero res non præcepta; necessario res jam præcepta.

2. Ratione *formæ*, qua fit promissio, aliud est votum *absolutum* et *conditionatum*, aliud *solemne* et *simplex*, aliud *reservatum* et *non reservatum*, aliud *expressum* et *tacitum*.—Absolutum fit pure et simpliciter, v. g. voveo eleemosynam: conditionatum est quando adjungitur conditio, ita ut promissio non habeat vim obligandi, nisi ponatur conditio illa, v. g. voveo peregrinationem, si a morbo convaluero: huc revocatur votum quod vocant *pœnale*, cui nempe per modum conditionis adnectitur pœna, v. g. voveo eleemosynam, si iterum ad ludum redibo. Solemne est, quod fit ritibus ab Ecclesia præscriptis, accedente nempe Ecclesiæ ipsius approbatione, et absoluta in perpetuum acceptatione: tale est votum castitatis, quod Ordinibus sacris adnectitur ac professioni Religiosæ: simplex nullam habet talem solemnitatem. Reservatum est quod non potest relaxari nisi a Pontifice: non reservatum, cujus relaxatio haberi potest ab alio Superiore. Expressum, quod verbis exterius profertur, ut ordinarie contingit: tacitum, quando quis aliquid vult, cui scit votum esse adnexum: tale est votum, quod emittitur ab iis, qui promoventur ad Subdiaconatus Ordinem.

3. Ratione *temporis*, quo comprehenditur executio rei voto promissæ, votum aliud est *temporaneum*, aliud *perpetuum*.—Temporaneum limitatur ad tempus determinatum, v. g. voveo jejunium singulis sabbatis per anni spatium; perpetuum extenditur ad totam vitam: tale est votum ingrediendi Religionem approbatam.

ARTICULUS II—De conditionibus ad votum requisitis.

Q. 1. *Quinam possunt vovere?*

R. Omnes possunt vovere, qui sufficientem habent rationis usum, dummodo legitime non impediantur; isti enim et voti naturam cognoscere et cultum Deo O. M. exhibere queunt. Cum autem usus rationis in homine præsumatur post septennium; idcirco vota ante septennium emissa censentur invalida, nisi ex circumstantiis appareat usum rationis revera adfuisse.

Diximus *dummodo legitime non impediantur;* nam potest quis a voti nuncupatione legitime impediri, etiam postsufficientem usum rationis: 1 auctoritate Ecclesiæ, quando Ecclesia quasdam voventibus imponit conditiones, quibus minime servatis, votum est nullum: sic v. g. Tridentinum præscripsit decimumsextum ætatis annum completum pro emittenda professione religiosa; et ideo nulla esset ac prorsus invalida, si ante id temporis fieret: 2 ratione materiæ, si nempe res voto promissa ad dominium alterius pertineat, uti v. g. filiusfamilias relate ad substantiam patris; 3 voluntate illius a quo fortasse vovens dependeat, quatenus superioris voluntati subjiciatur: sic v. g. erit de Religioso relate ad Prælatum suum: sic etiam de minore rela-

te ad suum tutorem, licet probabilius in hoc ultimo casu votum non sit irritum; sed tantum irritari possit (1).

Q. 2. *Quænam voluntas ad voti valorem requiritur?*

R. Talis ad voti valorem requiritur in vovente voluntas, quæ sit vere et proprie se obligandi ad aliquid agendum vel omittendum, ita ut in promissario (scilicet in eo, cui promissio facta est) verum jus enascatur rem voto promissam exigendi. Est enim votum lex quædam privata, quam vovens sibi sponte imponit; atqui sine positiva obligationis inducendæ voluntate lex nulla esse potest. Hinc nudum propositum, quamvis firmissimum, ad voti naturam non sufficit (2). Quod si vovens hic et nunc non attendat ad voti obligationem, tunc vel iste conscius est obligationis, quæ voto inhæret, vel non. Si 1, valide vovet, modo verba votum significantia proferat; quia hoc ipso, quod voluntarie emittit votum conscius obligationis, censetur implicite ipsam quoque obligationem intendere. Si 2, nullum est votum; nemo enim obligationem contrahit, nisi velit: atqui nemo dici potest velle obligationem quam ignorat, cum voluntas non feratur in incognitum. Excipe casum, quo iste voluerit modo illo ordinario vovere, quo vovent alii; tunc enim implicite obligationem ipsam voluisse dicendum esset.

An (quæres) *quis possit vovere rem gravem, sed cum voluntate se obligandi tantum sub levi?*—Utique potest; vovens enim habetur in voto uti legislator: atqui communis opinio est legislatorem præcipere posse rem gravem sub levi. Si quis tamen rem gravem voveat, quin intentioni suæ limites expresse apponat, censetur se obligare secundum rei naturam et materiæ capacitatem, ac proinde sub gravi (3).

Q. 3. *Quænam advertentia requiratur ad voti valorem* (4)?

R. Ad voti valorem requiritur ut advertentia sit plena et directa: *plena*, qualis nempe requiritur ad mortale; nemo enim præsumitur obligationem ex genere suo gravem imponere sibi velle, nisi eam plene cognoverit atque elegerit: hinc votum cum advertentia semiplena, v. g. ex repentino animi motu, vel ex contracta loquendi consuetudine lingua mentem præveniente, non tenet (motus autem iræ raro, imo vix umquam impedire potest usum rationis). *Directa,* ut nempe votum sit in se volitum: hinc vota emissa in ebrietate, etiam ante prævisa, et sic volita in causa, non sunt valida; quia non sunt volita in se ipsis atque directe. Bonum enim non exurgit nisi *ex integra causa:* licet malum, id est peccatum oriatur etiam a voluntario indirecto, sive *a quocumque defectu.*

Sed (quæres) *quid de voto facto ex errore et ignorantia?*—Error sicut et ignorantia in voto versari potest: — 1 circa ipsam voti substantiam, v. g. si quis voveat ingressum in tale Monasterium putans esse S. Dominici, cum sit S. Francisci: vel dare Ecclesiæ calicem quem credebas argenteum, et pos-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n, 231.

(2) Notandum votum tenere, licet quis dum vovet, velit quidem se obligare, sed neutiquam votum implere; nam votum non facit intentio implendi; sed se obligandi.

(3) At nemo potest se obligare per votum ad rem levem sub gravi; quia materia undequaque levis est capax levis tantum obligationis. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 211.

(4) *V.* Liguori, *Opus Morale,* l. III, nn. 196 et seqq.

tea cognoscas esse aureum; —2 circa causam voti finalem: v. g. si quis voveat eleemosynam Titio pauperi elargiendam, eo quod sibi sit consanguineus, cum tamen non sit; —3 circa substantiales circumstantias, circa adjuncta videlicet, quæ substantiam voti ingrediantur, v. g. si quis voveat peregrinationem ad Domum Lauretanam putans illam non distare nisi triginta leucarum itinere, cum distet tercentum; —4 circa circumstantias accidentales, v. g. si quis voveat dare eleemosynam Titio pauperi, quem putabat probum; cum tamen probus non sit. Hisce positis, dicimus:

Ad tres primos casus quod attinet, votum in iis emissum nullum est; quia voluntas voventis, quæ est principium obligationis in votis, ferri non potest in incognitum. Ad quartum vero quod spectat, si circumstantiæ illæ accidentales sunt magni momenti, ita ut, iis prævisis, votum non fuisset emissum, votum non tenet; quia tales circumstantiæ pertinent ad rationem causæ finalis: secus tenet.

Q. 4. *Quænam libertas requiritur ad votum?*

R. Requiritur libertas perfecta, talis nempe, ut in nostra potestate sit votum elicere, vel non; nam votum est actus humanus ac gravissimus ab hominis arbitrio omnino dependens. Cum ideo fortis hæc obligatio sit omnino gratuita, absque plena libertate contrahi nequit.

Quid ergo (dices) *de votis factis ex metu?* — Si agitur de metu levi, probabilius validum erit votum; quia metus levis non potest, nec debet censeri causa rei tam gravis quale est per se votum. Item valet, si metus sit gravis, sed juste incussus; tum enim vovens non est rationabiliter invitus. Iterum valet, si metus gravis non sit ad extorquendum votum incussus: sic v. g. si quis timens latronis minas mortem minantis, votum Deo faciat cum sufficienti advertentia, ut liberetur, valide vovet. Item est, si metus gravis proveniat a principio intrinseco: hinc valide vovet qui ad evitandam mortem, quæ sibi imminet ex morbo, naufragio, peste, etc. votum deliberate emittit; tunc enim voluntas non necessario determinatur ad votum, sed libere illud eligit uti medium ad periculum superandum.

Tota ergo quæstio est de metu gravi ex causa extrinseca injusta. Alii stant pro voti valore; quia est adhuc satis voluntarium: alii certant probabilius pro illius nullitate; cum tota ratio voti in omnimoda libertate sita sit, neque Deus vult dare vim injustæ coactioni, tale votum acceptando (1). Quidquid sit de votis simplicibus, certum est, vota solemnia per metum gravem injuste incussum esse invalida jure saltem positivo Ecclesiastico; cum ista indigeant magna libertate.

Q. 5. *Quid requiritur ad votum ex parte rei promissæ?*

R. Ad votum ex parte rei promissæ tria requiruntur, ut ipsa voti definitio satis innuit: nempe ut res voto promissa sit de bono, de bono meliori et de bono possibili.

1. *De bono*, secus votum detraheret Deo (2); sed nihil refert, si illud lege

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. v, n. 23; et *Op. Mor.* l. III, n. 197.

(2) Plerumque excusantur matres, quæ vovent Deo, ut earum filii continuo ægrotantes ex hac vita commigrent et secum Deus eos in cœlum suscipiat; cum id agant potius ex simplicitate et compassionis impulsu, quam ex animo malevolo et mortis filiorum desiderio.

jam præceptum sit; uni enim vinculo novum addi potest. Ex his patet: — 1 votum de re indifferenti esse invalidum, nisi res illa ex circumstantiis vel fine evadat bona; quia tale votum non potest a Deo acceptari, cum ei displiceat *stulta promissio* (1); — 2 votum de re mala non solum esse irritum, sed etiam peccatum mortale, et quidem probabilius, etiamsi res illa sit tantum venialiter mala, v. g. mendacium jocosum: irrogatur enim injuria Deo gravis, cum sit velle, ut malum cedat in honorem Dei; communiter tamen si id contingat ob ignorantiam, non erit nisi veniale.

2. *De bono meliori;* quia promissio, quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit: unde non potest esse illi grata. Hoc tamen non est intelligendum comparate ad bonum quodcumque, alioquin oporteret nos Deo promittere debere rem omnium nobis possibilium præstantissimam; sed intelligendum est de bono, quod melius sit ejus opposito: sic v. g. non esset vere et proprie votum promissio Deo facta de matrimonio contrahendo, licet agatur de tollendo peccato alieno, quia cælibatus semper est Deo gratior: excipe tamen casum peculiaris circumstantiæ, quæ relate ad personam peculiarem reddat matrimonium melius quam continentiam, v. g. ad honorem puellæ contaminatæ reparandum: item ad carnis peccata vitanda in eo, qui aliud remedium non vult adhibere, prout certe et longe probabilius docent Bellarminus, Cajetanus, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Trullenchus, Viva aliique contra Lessium, Sotum, Fagnanum, etc. Ratio est, quia in tali casu matrimonium est majus bonum; cum ad concupiscentiam sedandam eis, qui alia remedia meliora suscipere nolunt, illud a Deo concessum sit juxta illud Apostoli Pauli: *melius est... nubere, quam uri* (2).

3. Tandem *de bono possibili;* promissio enim de re impossibili, v. g. manu cœlum tangendi, esset omnino ridicula, illusoria et stulta; *displicet enim ei* (Deo) *infidelis et stulta promissio* (3). Adde, hanc promissionem non posse efficaciter intendi: hinc nullum erit ex hac parte votum emissum tam de facto alieno, v. g. si pater voveat filii sui ingressum in Religionem, quia liberum factum alterius non est in potestate voventis: quam etiam de facto proprio moraliter vel physice impossibili, v. g. si quis votum faciat *numquam peccandi in genere;* tanta enim est nostra fragilitas, ut moraliter impossibile sit omnia in genere peccata (vel etiam sola et omnia venialia) evitare absque speciali Dei auxilio (4). Diximus *numquam peccandi in genere;* nam verius valeret votum, si esset de vitando omnia mortalia, vel etiam omnia venialia ex perfecta advertentia; quia utrumque ordinario Dei auxilio obtinere potest perfectionis amans. Votum item abstinendi a venialibus absolute in aliqua materia determinata communiter valet, v. g. non mentiendi; quamvis ob nimiam executionis difficultatem ejusmodi vota non expediant (5).

(1) *Eccles.* 5. Qui dubitat, an res sit indifferens, non tenetur de voto; cum nondum possideat: neque postea tenetur, licet evadat bona, quia *non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit* (Reg. jur. 18, in 6). Qui tamen sic inaniter vovet, præcluso contemptu, non censetur nisi leviter peccare: cum non videatur tam gravis inordinatio.

(2) I Cor. 7. — Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 75. (3) Eccles. 5.

(4) Tridentinum, sess. 6, c. 23. — *V.* Bellarminus, l. VI, *de amiss. grat.* c. 10.

(5) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 209. Laudabile tamen est propositum (non votum) omnia

Quid (dices) *de voto nuncupato ob finem pravum?* — Si finis pravus sit totalis et adæquatus illius voti, ut si quis voveat eleemosynam, ideo ut plausum captet, votum est nullum; quia sumitur tamquam medium ad rem malam, quo pacto malum est. Si vero finis ille pravus sit concomitans tantummodo, ut si quis ex corde jejunium voveat, sed id faciat elata voce, ut ab aliis commendetur; cum substantiam voti non inficiat, illud validum est: ideo sic voventem pœniteat de modo, et substantiam retineat.

Q. 6. *Quid de voto rei partim possibilis, partim impossibilis?*

R. In primis attendenda est intentio voventis, quæ quidem est causa voti, sicut intentio legislatoris est anima legis. Ideo videndum, num illius intentio sit, ut deficiente una parte, et alia censeatur deficere, an ex adverso. Si de intentione non constet, en regulæ cum Sporer:

1ª *Regula:* quando partes voti sunt divisim sine dependentia ad invicem, ita ut singulæ partes sint per se materia voti virtute quasi multiplicis, tunc si una pars sit vel fiat inepta, impossibilis vel minus bona, votum valet, et obligat ad partem remanentem possibilem et bonam juxta illud: *utile non debet per inutile vitiari:* intellige, si utile ab inutili separari possit. Hinc qui vovit dare 100, si factus impotens non possit dare nisi decem, ad decem tenetur (1).

2ª *Regula:* quando partes voto promissæ sunt copulatim per modum unius totius, ita ut obligatio unius partis pendeat ab obligatione alterius ac totius promissi, tunc deficiente parte una, deficit et alia; nam tunc voventis intentio non est, nisi de toto seu de re indivisibili. Hinc qui vovit jejunare pro defunctis, sed in die Animarum, si eo die sit legitime impeditus, non tenetur ad id alia die (2).

3ª *Regula:* videndum quid in voto sit principale, ut habeatur ratio illius regulæ; nam *ruente principali, ruit et accessorium*, non e contrario. Hinc qui vovit se peregrinaturum nudis pedibus, si postea non possit hoc modo peregrinari, vel quia indecens, vel quia ferme est impossibile, adhuc peregrinationem perficere tenetur; nam peregrinatio censetur principaliter promissa. E contrario vero, si non possis peregrinationem agere, non teneris tali die nudis pedibus stare; quia hoc accessorium est.

ARTICULUS III — De voti obligatione.

Q. 1. *An votum sit obligatorium?*

R. Affirmative, votum obligatorium est. Probant: 1 *Scripturæ*, ubi legitur: *cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in pecca-*

peccata vitandi, quod emittere solent Christiani, etsi interdum deficiat; proponendo majora vitamus, et ipsi nos quasi vim inferimus, ut quod animo promittimus effectu compleamus. Vel majus proponimus, ut minus saltem efficiamus, exemplo eorum (ait Perrone, *De gratia*) qui sagittas ad scopum emittunt; solent eas altius dirigere, ut optatum punctum attingant.

(1) Quod etiam dicendum de votis pœnalibus et afflictivis immoderate factis, quæ non obligant quoad excessum moraliter impossibilem; in reliquo obligant.

(2) Materiæ voti tum ex natura rei tum ex hominum æstimatione judicantur promitti in sensu vel diviso, vel composito seu per modum unius. Sic ex natura sua copulatim promittitur ædi-

tum. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio (1); 2 *Patres:* D. Augustinus ait: *quia vovisti, jam te obstrinxisti; aliud tibi facere non licet.* Iterum idem Sanctus: *vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis* (2). Et D. Thomas: *hæreticum est asserere votum non obligare* (3); 3 *Ratio:* promissio enim facta homini certe obligat: quanto magis facta Deo? Hinc illud: *verba ligant homines.*

Obligatio autem voti gravis est in materia gravi; levis in materia levi; votum enim legem imitatur, quæ quidem obligat juxta materiæ capacitatem (4). Neque dicas, juramentum assertorium pro certo obligare sub gravi etiam in materia levi; etenim disparitas est, quod in juramento Deus ipse inducitur testis, cui semper fit gravis injuria, si veritas desit; in voto autem homo se libere sua lege obstringit.—Porro materia gravis existimatur, si ad honorem Dei, vel ad proximi aut ipsius voventis utilitatem notabiliter influat, ita ut si ab Ecclesia præciperetur, obligaret utique sub gravi. Si quis v. g. jejunium, Missæ auditionem et Confessionem vovisset, hoc votum diceretur obligatorium sub mortali; quia sub mortali obligat lex Ecclesiastica illas ipsas res jubens (5).

An (inquires) *materiæ leves in votis possint secum coalescere, et peccatum mortale constituere?* — Affirmative: esset si diversæ materiæ leves voto promissæ fuerint per modum unius, si nempe dies adsignetur tantum, ne ultra illum differatur executio: tunc una materia cum materia alterius diei continuatur. Aliter vero esset, si illa parva materia sit in honorem diei promissa: tunc transacto die, transit etiam promissum, neque cum alio unitur. —Ut autem dignoscatur, an materiæ voti sint per modum rerum complurium vel unius, interroganda est ipsa voventis intentio, suprema lex voti. Quæ si dubia sit, resolutio fit juxta communem sensum Doctorum, qui tenent diversas materias esse per modum unius et coalescere in votis realibus, non in personalibus: sic esset votum *reale*, si quis voveat dare unam monetulam quotidie per annum; esset *personale*, si voveat recitare unum Pater singulis anni diebus. Quod si adhuc res dubia maneat, votum censetur affixum diei, adeo ut ejus materiæ non coalescant, sed quælibet terminetur in die; quisque enim minoris quo potest, censetur voluisse se obligare.

ficatio Ecclesiæ et ex æstimatione hominum abstinentia a carnibus et a secunda refectione in jejunio. Sic ex natura sua divisim promittitur pecuniæ summa, et ex æstimatione hominum Psalterium Virginis. Ita laudatus Sporer.

(1) Deut. 23; Eccle. 5. (2) Ep. 45 et 127.

(3) Quodl. 3. a. 2. Obligatio voti causatur a fidelitate ad Deum; ideo est major quam obligatio juramenti, quæ est ex reverentia Dei. Idem Angelicus. 2, 2, q. 89. a. 8.

(4) «Hinc infertur (ait s. Alphonsus, *Opus Mor.* l. III, n. 211), quod votum vitandi peccatum non obligat, nisi juxta illius gravitatem: puta si voves vitare mendacium, mentiendo peccas tantum leviter, sed dupliciter contra veracitatem et contra votum: Salmanticenses cum Sanchez, Trullencho, Navarro, etc. Nisi tamen vitatio illius peccati ob causas sit res magni momenti, prout mendacium valde indecens esset personæ in dignitate constitutæ, vel nisi per illud peccatum quis impediatur a profectu in virtutibus: Salmanticenses.»

(5) «Contra vero (ait *Sporer*), vota orandi quotidie quinque Pater et Ave, vel Litanias B.V. etc. censentur esse de re levi, et sub veniali tantum obligare; quia etiam respectu legum publicarum censerentur esse de materia levi, et eorum executio non multum confert, nec eorum omissio multum derogat honori divino.»—Liguori, *Op. M.* l. III, n. 212.

Q. 2. *Quid sentiendum de voto dubio?*

R. Vel dubitatur an votum fuerit emissum ; vel an votum emissum fuerit validum ; vel an votum valide emissum fueri impletum.

Si dubitatur utrum votum fuerit emissum, vovens ad nihil tenetur, si adhuc dubium perseveret post sufficientem diligentiam ad illud tollendum. Ita communiter Anacletus, Cabassutius, Ferraris, Gousset, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Suarez, etc.; in dubio enim odia *sunt restringenda, et melior est conditio possidentis.* —Idem dicendum si dubites, an voto comprehendatur aliquid : non teneris quoad partem, de qua dubitas. Sic in jure cum aliqui vota quædam certo emisissent, et postea dubitarent, an tenerentur ad majus vel ad minus promissionis factæ, sancitum fuit eos teneri ad minus (1) ; nam *in dubiis liberum est sequi quod magis placuerit* (2).

Si dubitatur, utrum votum certe emissum fuerit validum, vovens ad votum obligatur : esset si voverit et dubitet, an habuerit animum se obligandi ; nam *præsumitur recte factum quod erat de jure faciendum :* neque quis censeri debet voluisse inaniter vovere. Hinc ad rem habet D. Thomas: *si autem dubitet quomodo in vovendo se habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat* (3), scilicet violandi votum, quod certo supponitur emissum, ut patet ex toto illius contextu.— Item est si dubitetur de advertentia sufficienti, paritate rationis (nisi ante septennium fuerit votum emissum, nam tunc vovens in dubio non censetur sufficienti rationis usu donatus; res enim ex communiter contingentibus resolvenda est). Idem est in dubio, an votum fuerit emissum ante, an vero post septennium ; nam omnis actus præsumitur factus tempore habili et rite, donec contrarium non constet (4).

Si tandem dubitatur, utrum votum certe emissum fuerit impletum, votum certo implendum est; quia votum est in possessione, et dubitanti incumbit probare, se illud jam certo implevisse (5).

Q. 3. *Quid de voto disjunctivis vocabulis nuncupato?*

R. Votum disjunctivum, nempe præstandi unum de duobus vel de pluribus, validum est; cum vera sit promissio, et satis res designatæ sint quoad numerum. Id unum remanet, ut electio fiat a vovente, cum eam sibi reservavit: unde si promisisti unum ex tuis calicibus , ex tuis animalibus , tuum est eligere ex illis (6) : ac facta electione, rem electam præstare debes, etsi postea altera pars pereat ; nam votum determinasti per electionem. Imo adhuc ad partem superstitem teneris, licet alia pars ante determinationem perierit, si fuisti in mora culpabili in determinando ; tunc enim ex modo te habendi tacite censeris voluisse obligationem indeterminatam ad illam partem determinare (7).

(1) Cap. *Ex parte* 18 de censib. (2) Glossa, in *loc. cit.*

(3) In 4, d. 38, q. 1, a. 3, quæst. 3, solut. 1, ad 6.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 196 ; *Ho. Ap.* tr. v, n. 22.

(5) *V.* Liguori; *Opus Mor.* l. I, n. 28.

(6) Si tamen unum de duobus est inutile vel vanum, nullum est votum ; cum ex una parte promissio sit tantum sub disjunctione; ex alia vanum eligere sit peccaminosum.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 224.

(7) Aliter esset, si res una totaliter et omnino perierit absque culpa tua ante electionem; vo-

Q. 4. *Quid de voto conditionato?*

R. 1 : Cum Stapf : « aliqui vota conditionata de superstitione accusant, eo quod homo cum Deo quasi transigere et pacisci videatur, dum quidpiam nonnisi sub certa conditione spondet. Verum præterquamquod hæc votorum species ab ipsis sacris Paginis suffragium accipiat, v. g. ab exemplo Jacobi (1), eadem de illa obtinent quæ generatim de piis petitionibus dicimus : scilicet etiam per hæc vota fidem , fiduciam , nostramque erga Deum devotionem exhibemus : et Deus ipse de ordine stabilito nihil immutare cogitur , utpote qui ab æterno omnia sibi præsentia intuetur (2) ». Hoc posito :

R. 2 : Votum conditionatum potest esse vel de conditione impossibili et turpi ; vel de conditione possibili et honesta : et quidem præsenti, præterita, aut futura : 1 votum de conditione impossibili et turpi est nullum, imo est impium ; quia sic Deus ludibrio habetur ; 2 votum de conditione possibili et honesta tam præsenti, quam præterita, statim validum est vel invalidum, prout conditio existit vel non : neque vere dici potest conditionatum, cum conditionis effectus sit suspendere actum in eventum futurum et incertum ; 3 votum de conditione futura, si est de futuro necessario, statim obligat : sed ejus executio suspenditur usque ad conditionis eventum, cum talis præcise sit ipsa voventis voluntas ; conditio enim ex se obligationem non infirmat, sed tantum modum imponit. Si vero est de futuro contingenti, votum non obligat ante conditionis eventum ; ipsa autem conditione cessante, votum fit nullum ; talis enim est voventis mens. Hinc legitur : *facies sicut promisisti Domino* (3) : nota illud *sicut*.

Hic tamen notandum : 1 Conditiones implendas esse non tantum æquivalenter, sed etiam specifice ; nam cum votum sit lex ligans, non ita facile extendi debet. Sic si vovisti jejunium casu, quo pejeraveris, non teneris ad jejunium, si blasphemes ; 2 conditionem valere, licet sit de bonis temporalibus, ut si quis voveat aliquid, si convaluerit ; quia melior est sanitas, quam ejus oppositum, ut nempe ea utamur ad serviendum Deo. Item valet si conditio sit in pœnam, ut si voveas Religionem ingredi, si blasphemaveris ; nam est ad bonum, nempe ad abstinendum a peccatis.

Quid (dices) *si vovens ipse in causa sit, ut conditio cesset? uti si v. g. Titius voveat Religionis ingressum, si pater approbet ; deinde vero ipse Titius patris consensum impediat?*—Si sic vovens conditionem impediat rationibus vel precibus, non peccat ; quia patri adhuc liberum est quod voluerit deliberare. Peccat vero, si conditionem impediat fraude vel vi, quia vera ipse causa esset impedimenti illius : probabilius tamen dicunt Azor , Filliucius , Layman , Suarez , etc. eum tunc a voto liberum manere ; quia jam non impletur conditio apposita (4). Idem dicendum est, si pater illico consentiat et

tum tunc corruit, quia tunc non amplius habes potestatem eligendi, sub qua tantum te obligasti ad votum.

(1) Gen. 28, v. 20. (2) *Th. Mor.* § 241. (3) Deut. cap. 23.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III. nn. 218 et seqq. Tota enim obligatio hac de re pendet ab intentione voventis : unde satis est si eum pœniteat, eo quod conditionem impedierit, quia in hoc peccavit. Nempe per conditionem appositam jam primitus vovens sibi reservavit votum inane facere : si sine causa id agit, peccat utique, quia nihil sine causa agendum est ; tamen ad illud non

illico dissentiat (*si no*): tunc nempe adhuc standum est pro dissensu; neque enim attenditur præceps ac subitus ille consensus, cum non habeatur uti consummatus et perfectus, utpote eodem fere temporis puncto retractatus a patre.

Q. 5. *Quotuplex peccatum committit qui votum violat?*

R. Vel votum est de re aliunde jam præcepta, vel de re nullimode præcepta. Si 1, duplex erit peccatum in voti violatione: unum contra virtutem, ad quam pertinet res voto promissa: aliud contra virtutem Religionis; nam duplex præceptum violatur. Si 2, unum erit peccatum contra Religionem: quia vovens hoc casu non aliam sibi vult obligationem imponere, quam quæ ab ipsa exoritur vi voti. Hinc qui vovit vitare mendacium, si mentiatur, peccat et contra fidelitatem et contra veracitatem: ex adverso qui vovit ingredi Religionem, si non ingrediatur, unum tantum committit peccatum infidelitatis; quia per se Religio non est præcepta (1).

Q. 6. *Quandonam votum implendum est?*

R. Si votum est negativum, obligat semper, uti legis negativæ proprium est; tale esset votum v. g. non ludendi: si positivum, tunc si vovens designavit tempus, v. g. jejunandi in tali vigilia, obligatio erit pro tempore illo, ita ut peccet eo tempore minime implendo; faceret enim contra promissum (2). Quod si nullum fuerit determinatum tempus implendi voti, votum impleri debebit quamprimum moraliter et commode poterit, habita ratione circumstantiarum (3). Est regula juris: in *omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, res præsenti die debetur.* Hinc ait Scriptura: *si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum* (4).

Sed quid (dices) *si dubitetur, utrum tempus appositum fuerit ad finiendam voti obligationem, an vero ad eam sollicitandam?*—Vel agitur de votis personalibus: vel agitur de votis realibus.

tenetur, quia de facto non impletur ab ipso apposita conditio: neque ulla lex in contrarium citari valet. Sed ajunt quod si adhuc currit tempus utile votum emittendi, tenetur fraudem auferre; alioquin inanis foret et nugatoria illius pœnitentia.

(1) Utrum autem violatio cujuscumque voti induat etiam malitiam sacrilegii, negant alii cum Suarez; quia peccatur tantum contra fidelitatem Deo debitam ideoque est perfidia.—Alii affirmant cum Angelico, quia per votum res fit sacra Deo; verum in quonam consistit sacrilegium, nisi in hoc quod quis irreverenter se habeat ad rem sacram? *V.* Liguori, *Opus Mor.* l, III, n. 47.

(2) Obligatio tamen extinguitur lapsu temporis illius, si constet voventem certum illud tempus determinasse præcisse ob aliquam connexionem rei voto promissæ cum tempore ipso: ut si quis v. g. voveat peregrinationem ad urbem Romam tempore hebdomadæ Sanctæ, ut mysteriorum passionis Christi celebrationi intersit. Si vero non constet tempus illud fuisse præcise determinatum ob talem connexionem, sed potius ad sollicitandum voti implementum, tunc eo etiam tempore præterlapso, obligatio voti subsistit; quia in hoc casu votum non comprehendit rem promissam et cirumstantiam temporis per modum unius: sed virtualiter duo habentur vota, unum de re certe facienda, alterum de ea non differenda ultra talo tempus. Ergo si tempore illo non impleatur, peccabitur; sed res adhuc præstanda erit.

(3) «Pablo promete pura y simplemente á Dios (ad rem Gousset teol. mor. n. 505) de repartir a los pobres cierta cantidad: podria fácilmente entregarla desde luego; pero prevé que difiriéndolo por algunos meses, la limosna será mas útil: podrá ciertamente aguardar. Ha hecho voto de confesarse una vez al mes; podrá diferir la confesion para algunos dias despues de este tiempo, si está próxima una fiesta en la cual desea confesarse.» (4) Eccles. 5; et Deut. 23.

Si 1, vovens non ligatur post elapsum illud temporis spatium; quia in votis personalibus usu communissimum est, tempus censeri appositum ad obligationem finiendam, nisi constet de contrario: unde sic vovens non tenetur satisfacere pro diebus transactis. Quare si tu vovisti v. g. Missam audire tali die, hoc die transacto sine Missa sive culpabiliter sive inculpabiliter, ad id non amplius teneris, si dubitetur an tale tempus sit appositum ad finiendam, vel sollicitandam voti obligationem; quia cum agatur de voto personali, dies ordinarie censetur designatus ad obligationem finiendam.

Si 2, adhuc vovens ligatur; nam in votis realibus tempus censetur appositum ad sollicitandam dumtaxat obligationem (excipe nisi tempus illud potiorem habeat cum voto relationem). Sic v. g. si tu vovisses dare eleemosynam in sabbatis per annum, nulla habita relatione speciali illius anni, teneris semper supplere pro anteactis sabbatis omissis, quia cum res sit de votis realibus, dies censetur appositus non ad finiendam, sed ab obligationem sollicitandam (1).

Quid de eo, qui differt implere votum temporis indeterminati?—Vel votum est in Dei obsequium temporaneum, v. g. tot recitandi Rosaria, tot peragendi jejunia, tot donandi Ecclesiæ libellas; vel respicit obsequium Dei perpetuum, v. g. ingrediendi Religionem.—Si 1, dilatio erit mortalis, si fiat absque gravi causa per longa tempora, nempe ad duos, vel tres annos, ut recte dicunt; nam quisque censetur sic obligationem suam accipere, ut eam non nimium differat. Et si quælibet difficultas satis foret ad licite expectandum, vix umquam tempus opportunum inveniri poterit ad voti implementum. Hinc illud: *cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum* (2).—Si 2, peccat mortaliter qui diu differt illius voti implementum, nempe in plurium sensu, si ad sex menses. Excipe nisi causa satis rationabilis excuset, uti esset v. g. si vovens speret dilatione illa parentes fore emolliendos, vel gravis necessitas spiritualis adversetur, aut temporalis sororum seu fratrum: neque dilatio illa sit nimis diuturna, neque det locum periculo numquam implendi votum illud, ut solet contingere, opere profecto dæmonis, cui vota invisa sunt et peringrata (3).

Q. 7. *Ad quem pertinet voti implementum* (4)?

R. Vel agitur de voto personali, vel de reali, vel de mixto.—Si 1, voti implementum pertinet ad ipsum voventem; hoc ipso, quia non respicit nisi illius personam; hinc S. Rituum Congregatio 18 apr. 1643 declaravit *communitates vel universitates Civitatum seu locorum non teneri ex præcepto servare festa ex voto earumdem indicta; cum ex præcepto teneantur tantum personæ voventes* (excipe nisi festum indictum sit per statutum seu legem generalem cum Episcopi approbatione). Hinc patet etiam quid dicendum de

(1) Excipimus casum, quo votum haberet specialem relationem ad diem, ut si voluisses dare eleemosynam in hebdomada Jubilæi, vel in sabbatis per annum, quia in illo anno gratiam recepisti. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 220.

(2) Deut. 23. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 221.

(4) *V.* Ferraris, *Bibl.* etc. V. Votum, art. 3. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 216. — Pavone, *Spicilegio* ecc. § 311.

parentibus qui Religioni devovent filios : ad nihil aliud tenentur, nisi ad eam filiis suadendam.—Si 2, obligantur etiam hæredes, non tamen ultra vires hæreditatis ; quia votum reale afficit ipsam rem ad quoscumque pervenerit.—Si 3, obligantur hæredes pro parte qua votum reale est ; semper tamen libera manente legitima, quæ nullo onere gravari potest : et notandum, vota realia esse solvenda post debita justitiæ, sed ante legata, nam fortius ligant.

Scholium—*De votorum interpretatione.*

Q. *Quomodo fieri debet interpretatio votorum?*

R. Prima ratio interpretandi vota est ipsa voventis voluntas, a qua votum vim suam habet : quæ si non satis percipiatur, en regulæ, quas communiter admitunt cum Sporer :

Regula 1ª est, ut verba obligationis voti intelligantur secundum communem usum et acceptionem regionis : unde qui v. g. vovit calicem, in dubio sufficit si donec calicem argenteum, non aureum ; quia sic calix accipitur in vulgari ac communi usu.

Regula 2ª est, ut si iterum dubium maneat, ipsa materia voti inspiciatur, et obligatio accipiatur secundum ejus naturam et necessarias conditiones. Sic v. g. qui vovit preces, eas dicere tenetur devote, ut natura orationis requirit.

Regula 3ª est, ut adhuc manente dubio, votum observetur eo modo, ac si haberetur lex divina, vel ecclesiastica de eadem re. Ideo qui vovit jejunium per mensem, non tenetur jejunare Dominicis diebus (1) ; censetur enim voluisse se obligare ad modum quadragesimæ. Item qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc in diem dominicam incidat, die sabbato, juxta morem Ecclesiæ jejunare potest. Item qui vovit jejunare die veneris, probabilius non tenetur, si ea die venerit Nativitas Domini (aliter esset si id præviderit, quo sensu accipitur Decretum Honorii III, qui etiam tali die obligat) ; tantæ enim lætitiæ die non præsumitur vovens voluisse jejunare.

Regula 4ª est, ut si hisce omnibus consideratis, iterum res dubia sit, vota accipiantur in favorem voventis; sunt enim leges voluntatis : quisque porro censetur se velle minus obligare, quam potest : ita cum Cajetano communiter Layman, Salmanticenses, etc. Hinc merito resolvitur : 1 qui vovit per mensem audire Sacrum, non tenetur duo audire diebus festis ; nam intentio præsumitur tantum fuisse de non transigendo die sine Missa ; 2 qui vovit Religionem ingredi, satisfacit voto, si minus rigidam ingrediatur : quia substantia jam impletur. Item qui vovit Religionem, non tenetur eam quærere extra propriam regionem vel provinciam, si ibi non admittatur : imo

(1) «Quamvis ex c. *Sacerdos* 26, q. 7 vetetur jejunare in die dominica (ait Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 4) ad extirpandam hæresim Manichæorum negantium resurrectionem Christi ; qui tamen mortificationis causa jejunaret, non peccaret ne leviter quidem, ut ait Viva. Imo mereretur, quia talem hæresim Ecclesia abolevit ; etsi dicant Salmanticenses, melius esse abstinere a tali jejunio, et ideo communiter docere Doctores quod jejunium promissum in die Dominico possit in Sabbato adimpleri.»

si est fœmina, non tenetur quærere Monasterium extra patriam, si ibi adest; quia aliter agere habetur pro illa nimis grave. Item qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. g. eleemosynam, pecuniam, satisfacit dando quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius illudere Deo; 3 qui vovit unum Rosarium, satisfacit tertiam partem recitando; quia sic communiter accipitur: potest etiam alternatim recitare; nam illud censetur obligare ad modum divini Officii (1).

ARTICULUS IV—De voti extinctione.

Q. 1. *Quotupliciter votum extingui potest?*

R. Votum extingui potest: 1 per cessationem causæ finalis; 2 per notabilem mutationem materiæ; 3 per commutationem; 4 per dispensationem; 5 per ejusdem irritationem; 6 addunt et per defectum conditionis ponendæ, cum nempe res non est nisi sub tali conditione promissa; ea enim deficiente, cessat profecto vel ipsum totum obligationis fundamentum.

Q. 2. *Quandonam votum extinguitur per cessationem causæ?*

R. Causa alia est finalis, alia impulsiva. *Finalis* est quæ ita determinat ad vovendum, ut sine ea votum non fuisset emissum: *impulsiva* est quæ allicit tantummodo ad libentius vovendum, sed ex se sola ad votum non determinat. Porro cessante causa tantum impulsiva voti, votum non extinguitur cum illa non influat in voti substantiam. At extinguitur et cessat votum, cessante causa ejus finali: nam cessante hac causa, cessat omnis ratio vovendi; at sine voluntate votum esse nequit. Hoc valet, etsi causa cesset culpa voventis; in hoc enim casu haberetur quidem peccatum ob impedimentum appositum, sed non haberetur voti materia, ideoque nec ipsum votum.

Q. 3. *Quid de notabili materiæ mutatione in voto?*

R. Triplici modo contingit materiæ mutatio in voto: 1 si fiat illicita, vel indifferens, vel impeditiva melioris boni; 2 si fiat omnino impossibilis; 3 si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus, ut si quis v. g. vovisset jejunium, sed postea infirmetur; vel ædificationem Ecclesiæ, sed dein ita pauper factus sit, ut nequeat amplius sine status sui detrimento Ecclesiam construere.

Per se loquendo tales mutationes omnem voti obligationem extinguunt; cum vovens merito præsumatur numquam habuisse intentionem sese obligandi in dictis casibus: est commune. Imo probabilius votum ne tenet quidem, cum supervenit circumstantia, quæ si fuisset prævisa, vovens sese abstinuisset a voto. Consentit D. Thomas scribens: *id liberat ab obligatione voti aut juramenti, quod si ab initio accidisset aut notum fuisset, hæc fieri impediret* (2). Ex quibus verbis generalibus deducitur, id quoque locum habere, si circumstantia imprævisa non sit ita notabilis: et sane votum non obligat ultra intentionem. In dubio tamen standum est pro valore actus, cum votum possideat; ideoque ad Superiorem recurrendum est pro relaxatione (3).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 224.

(2) In 4, d. 38, q. 1.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 226; et l. IV, n. 50.

Diximus *per se loquendo;* nam excipienda sunt:

1. Vota etiam simplicia castitatis, quæ remanent firma ob quamcumque notabilem circumstantiam supervenientem, etiam non prævisam. Qui ergo stimulis carnis insolitis et imprævisis agitatur, adhuc castitatis voto tenetur; alioquin vix ullum votum firmum esset, cum vix sit qui hac de re graves in se tentationes non patiatur. Hinc Tridentinum damnat eos qui dicunt, posse *omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari* (1).

2. Id multo magis tenendum est de votis solemnibus valide emissis in professione religiosa, vel in susceptione Ordinum. Ratio quia Religiosus et Ecclesiasticus in hoc casu non consideratur ut persona particularis, cui melius sit tunc non esse voto obstrictam, sed ut pars communitatis Ecclesiæ, cui præstat postponere bonum privatum: alias quot inconvenientia, quot scandala et perturbationes!

3. Idem omnino dicendum ob eamdem rationem boni communis de votis, quæ emittuntur a viris aut mulieribus in aliquibus congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiæ; tunc enim intervenit contractus onerosus: at nulla circumstantia etiam non prævisa et superveniens solvit contractus hujusmodi. Unde sicut congregatio nequit alumnum dimittere ob supervenientes circumstantias (exceptis circumstantiis criminum); ita nec alumnus congregationem.

Q. 4. *Quid de voti commutatione?*

R. Voti commutatio definitur; *substitutio unius materiæ in locum illius, quæ fuit voto promissa, facta sub eadem voti obligatione.* Triplici autem modo potest contingere: in melius, in æquale, in minus (2). *In minus* vovens non potest mutare votum suum: quia tunc neque in æquivalenti promissio servatur: imo probabilius neque *in æquale* potest vovens votum mutare; quia supposita promissione, magis gratum Deo fore censetur, si vovens præstet rem promissam, quam si præstet æqualem non promissam. Ita tenent Azor, Cajetanus, Layman, Sanchez, Suarez, aliique cum D. Thoma, qui ait (3): *commutatio est quidam contractus, qui non potest perfici sine consensu utriusque partis: unde cum homo per votum Deo se obliget, non potest fieri immutatio voti, nisi interveniat consensus ejus, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet Prælati* (4). Si tandem commutatio fit *in melius*, potest vovens ipse suum votum commutare; quia quod melius est, Deo magis gratum existimatur: adde minus in majori eminenter contineri. Excipiuntur tamen vota reservata (nisi commutentur in alia reservata); eorum enim relaxatio aut commutatio sibi fuit a Superiore reservata.

Qui porro habet potestatem ordinariam dispensandi in votis, habet etiam potestatem ea commutandi sive intra sive extra Confessionem; quia commutatio est pars dispensationis: est etiam regula juris: *cuilibet quod est plus licet, utique quod est minus* (5). Non tamen potest dispensare qui tantum ha-

(1) Sess. 24, can. 9.
(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 234.
(3) In 4, d. 38, q. 1. a. 4.
(4) *V.* Liguori, *Ho. Ap.* tr. v, n. 38.
(5) Reg. 53 in 6.

bet facultatem commutandi; quia minus non continet quod majus est: item neque vota reservata commutare potest, qui simplicem habeat commutandi facultatem; secus reservata non essent. Confessarii autem ad commutandum delegati non possunt vota commutare, nisi in foro sacramentali, si excipias regulares, qui ex diversis privilegiis hanc facultatem exercere possunt etiam extra Confessionem ipsam (1). Hæc autem præ oculis habeat qui votum commutat:—1 ut si solum habeat commutandi facultatem, eadem non utatur, nisi pro commutatione in bonum æquale, non tamen mathematice, sed moraliter acceptum; ne animi anxietatibus aditus fiat (2); — 2 ut sciat ad commutationem peragendam sufficere majorem voventis propensionem, aut minus periculum transgressionis: in dubio, an bonum sit æquale, sufficit notabilis molestia in voto implendo; — 3 ut pro commutatione in bonum notabiliter minus requirat gravem causam; quia secus dicunt eam non tantum illicitam, sed probabiliter etiam invalidam; nam Prælatus nequit sine causa in re non sua valide excedere facultatem sibi delegatam; — 4 ut curet votum personale commutari in personale; reale in reale; mixtum item in mixtum; perpetuum in perpetuum; etc. ut magis quam fieri possit, proportio conservetur. Excipe nisi legitimæ occurrant rationes aliter agendi: qua in re vitandæ sunt animorum anxietates tam in commutante, quam in vovente; — 5 ut facta commutatione, adhuc voventi liberum sit ad primam voti materiam redire, si commutatio contigerit in bonum æquale, ut communiter docent. Imo in sententia probabiliori potest vovens, saltem sine gravi culpa, ad primum votum regredi, tametsi commutatio facta fuerit in bonum melius; quia commutatio semper est in favorem voventis, qui potest juri suo renuntiare (3).

At (quæres) *reviviscitne votum primum, quando opus secundum post factam commutationem redditur impossibile?* — Vel voti commutatio peracta fuit auctoritate Superioris; vel peracta fuit privata voventis auctoritate.—Si 1, non amplius reviviscit votum primum; quia auctoritate Superioris per dictam commutationem remansit extinctum: hinc si a Superiore pro eleemosyna voto promissa subrogatum est jejunium tali die designato, si tunc jejunare noluisti, peccasti; sed non amplius teneris ad eleemosynam. — Si 2, reviviscit, quia privata auctoritas non valet extinguere rem semel promissam, sed illi tantummodo abunde valet satisfacere: ideo si primæ obligationi satisfieri possit, adhuc ipsa remanet, licet opus secundum factum sit impossibile: quod certum est.

An commutato voto reservato, materia subrogata etiam reservata sit? Affirmat Azorius: sed communiter et probabilius negant Layman, Sanchez, Suarez aliique; quia licet materia subrogata habeat idem vinculum voti, attamen non habet idem vinculum reservationis, cum hoc materia subrogata non ferat.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 536, § 14; et l. III, n. 257.

(2) « Interroget pœnitentem (ait Alponsus noster, *Praxis Conf.* § 4, n. 26) quæ opera soleat exercere præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit frequentia Sacramentorum. »

(3) Excipe nisi certo constet vovontem voluisse, se ad melius erga Deum novo voto ligare; esset enim quasi novus contractus novis regulis firmatus.

Q. 5. *Quid est voti dispensatio?*

R. Voti dispensatio est *voti remissio facta Dei nomine ob justam causam ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo*: — 1 *remissio*, id est condonatio rei Deo promissæ facta ab Ecclesia nomine Dei ipsius: hanc potestatem Ecclesiæ inesse constat tum ex facto, cum semper ea usa sit; tum ex jure, cum id expediat fidelium bono: et sane generalia sunt illa Cristi verba: *quodcumque solveritis*, etc. Soli autem Ecclesiæ eam inesse constat ex eo, quod hæc sit actus spiritualis, solius ergo potestatis spiritualis esse debet; — 2 *Dei nomine facta;* cum enim Ecclesia non dispenset in lege sua, sed Dei, non potest id agere, nisi nomine ipsius Dei; — 3 *ob justam causam;* quia inferior cum sit simplex executor, non potest sine legitima causa dispensare in lege Superioris (1): quod si agat, invalide agit juxta veriorem sententiam, et peccat, nisi bona fides eum excuset. Esset legitima causa, si quis vovisset ex ira, aut tristitiæ impulsu, aut levi timore naufragii, incendii, mortis vel alterius mali; item si quis vovisset, dum erat impuber, ob non adeo maturam deliberationem ac libertatem: votum erit quidem validum, sed ob hanc causam erit dispensabile absque ulla commutatione. Item sufficiens causa est dispensandi notabilis difficultas in voti executione (etsi antea prævisa), nempe si voto obstrictus esset in periculo gravi votum violandi, aut si magnis scrupulis vexaretur: item bonum commune tam Ecclesiæ, quam Reipublicæ et familiæ et major etiam profectus voventis. Cum autem *odia restringenda, favores ampliandi*, in dubio an fuerit sufficiens dispensationis causa, standum pro valore dispensationis; — 4 *ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo;* cum enim hæc potestas ad externam gubernationem pertineat (sicuti potestas ferendi leges, quarum naturam imitatur votum), hanc facultatem dispensandi non possunt habere, nisi illi, qui externa pollent jurisdictione: et quidem in probabiliori sententia quoad subditos tantummodo dispensari potest (2).

Iste porro sunt: 1 Pontifex in tota Ecclesia, qui dispensat organo S. Pœnitentiarii majoris, si agatur de votis occultis; si de publicis, organo Datarii; 2 Episcopus in sua Diœcesi: et Vicarius capitularis, Sede vacante; 3 Prælati Regularium in suos subditos habentes jurisdictionem quasi Episcopalem; 4 quilibet a Superiore Ecclesiastico delegatus, si tonsuratus. Excipe nisi ab ipso Pontifice Ordinario Ordinariorum sit illis limitata potestas, ut eam ipsis limitavit quoad nonnulla vota.

Q. 6. *Quænam sunt vota summo Pontifici reservata?*

R. Ex consuetudine ubique recepta, atque ex jure (3) vota summo Pontifici reservata præter solemnia, sunt 1 *votum Religionem approbatam ingrediendi;* 2 *votum perpetuæ castitatis;* 3 *votum peregrinationis Hierosolymitanæ*, id est *in terram Sanctam;* 4 *votum peregrinationis ad limina Apostolo-*

(1) Si causa non sufficit ad integram dispensationem, votum partim dispensari et partim commutari potest (*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 254). Ad legitimam commutationem atque dispensationem hæc tria maxime sunt consideranda, nempe *quid liceat secundum æquitatem. quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem.*

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 262.

(3) *Extrav. Comm*, l. V, tit. 9, cap. 5. — *V.* Pavone, *La luce* ecc. § 198.

rum; 5 *votum peregrinationis ad S. Jacobum Compostellanum.* Sed observa: hæc reservatio utpote odiosa, stricte accipienda est et interpretanda; ideoque extendi non debet, nisi ad vota proprie dicta, absoluta, omnino libera, perfecta, et determinata præcise quoad substantiam, non vero quoad circumstantias, ita ut si ex parte deficiant, quamvis valida, non tamen sint reservata (1).

Generatim Episcopus nequit dispensare valide in votis reservatis; nam idcirco vota hæc dicuntur reservata, quia solius Pontificis Maximi eorum dispensatio propria est. Excipe si urgens existat necessitas, v. g. si non sit facilis accessus ad Papam; et in mora adsit periculum gravis damni tam spiritualis, quam temporalis, proprii vel alieni. Tunc Episcopis et omnibus Episcopalem jurisdictionem habentibus censetur communiter tradita facultas in votis iis, licet perfectis, absolutis ac determinatis dispensandi, nempe ad grave illud subditorum damnum impediendum.

Q. 7. *An Pontifex possit dispensare in votis solemnibus?*

R. Communius et probabilius est cum Angelico, Pontificem posse dispensare in votis solemnibus quoad Religiosos et Clericos in Sacris (2):

1. *Quoad Religiosos:* non quidem hoc sensu, ut simul sint conjugati et monachi remaneant; nam votum castitatis est de Religionis essentia: sed quatenus eos a professione nomine Dei solutos declarat, urgentissima causa interveniente, nimirum ob bonum commune Ecclesiæ, regni aut provinciæ. Quod quidem Pontifici recte censetur a Deo concessum, cui Deus totius Ecclesiæ regimen concessit. Et hoc sensu Pius VII, referente Bouvier, cum pluribus dispensavit.

2. *Quod Clericos in Sacris;* nam debitum continentiæ non est essentialiter adnexum Ordini sacro jure divino; cum Ordo utique sine eo consistere possit, ut patet exemplo Græcorum: sed sola Ecclesiæ ordinatione vel immediate per illius præceptum, vel mediate per votum quod in Ordinatione implicite emittitur, ut docet probabilius S. Thomas. Unde Romanus Pontifex bene poterit Clericos, licet in Sacris, solvere ab hac gravi obligatione, sive declarare nomine Dei eos absolutos (3).

(1) Diximus *vota proprie dicta*: unde non esset reservatum votum emittendi votum reservatum. Item est, si non sit principaliter emissum in honorem Dei. — *Absoluta*, unde vota non sunt Pontifici reservata, si sint pœnalia; vel conditionata, etiam conditione impleta. — *Libera omnino*, unde non sunt reservata, si sint emissa etiam sub levi metu ab alio incusso. — *Perfecta* unde non essent reservata, si emissa sub levi obligatione; vel si non sint completa in suo genere: hinc v. g. votum castitatis, si non excludat omnem actum venereum, non est reservatum: quare non censetur Pontifici reservatum votum non nubendi, non adulterandi, non fornicandi, non petendi debitum, nec votum quod indirecte tantum castitatem respicit, uti esset votum sacros ordines suscipiendi. — *Determinata*: hinc non esset reservatum votum disjunctivum. — Præcise *quoad substantiam*, unde quamvis sint reservata vota, non tamen reservatæ sunt circumstantiæ ipsorum: quare si quis v. g. voveat ingressum in Religionem arctoriem, potest etiam Episcopus dispensare, ut benigniorem is ingrediatur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 257.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 256; l. VI, nn. 807, 808, 1025 et 1059. — *V.* Tractat. *de Ordine*, ubi *de cælibatu.*

(3) Communiter cum Salmanticensibus excipiunt Sacerdotes, quibuscum dispensare semper magna indecentia est. Attamen Continuator Tournely refert Benedictum IX permisisse Ramiro presbytero, et religionem professo, ut labentem Arragoniæ prosapiam editis liberis excitaret. Et Ju-

Q. 8. *An votum emissum in utilitatem tertii possit dispensari?*

R. Votum, si fuit emissum principaliter in utilitatem tertii et iste tertius sit determinatus, v. g. talis pauper, talis Ecclesia, nullimode potest dispensari, ubi semel a paupere vel rectore illius Ecclesiæ acceptatum sit; nam ille pauper, illa Ecclesia, verum jus acquirit, quo citra injuriam sine consensu partis expoliari non potest.

Diximus: 1 *si acceptatum sit;* nam ante acceptationem non consummatur traditio; 2 *si fuit emissum principaliter in utilitatem tertii;* aliter enim esset, si sit emissum principaliter in Dei honorem: tunc tertius non acquireret verum jus ad rem promissam, nisi dependenter a Dei voluntate, quæ quidem relaxari potest (1).

Q. 9. *Quid de voti irritatione?*

R. Voti irritatio est *ejusdem rescissio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem, vel in ipsam materiam voti.* Hoc jus in natura fundatum est ex Angelico (2); nam est de jure naturæ, quod in superiore sit dominativa potestas, qua quidem ipse nequit se expoliare: hinc valide semper irritat vota subditorum, licet ea ratificaverit. Hæc autem irritatio duplex est; una directa, altera indirecta: — 1ª fit ab eo, qui habet directam potestatem in voventem, vel in materiam voto promissam. Vota directe irritata non reviviscunt; cum initio censeantur facta sub conditione consensus Superioris; — 2ª fit ab eo, qui habet potestatem exigendi ab ipso vovente actus quosdam, qui cum voti executione nequeunt conciliari. Quæ ideo voti potius suspensio, quam voti irritatio proprie dici deberet: unde, eo impedimento cessante, votum habet quod reviviscat.

Vota irritare subditorum sine causa, de se nullum peccatum est; quia censentur emissa sub conditione consensus Superioris: unde obedientia stat pro causa. Attamen in praxi difficulter poterit a veniali excusari; esset enim actus otiosus, et irrationabiliter profectus alterius impediretur. Hæc autem vota quoadusque irritentur, probabilius cum D. Thoma valida sunt in iis, quæ Superiorum mandatis atque jurisdictioni non præjudicant; quia subditi non carent voluntate, sed eam tantum subjicere debent Superiori, quando ipse contradicit (3).

Q. 10. *Quinam possunt vota filiorum-familias irritare?*

R. Vel agitur de filiis-familias, qui adhuc impuberes sunt; vel de filiis-familias, qui jam ad pubertatem pervenerunt:

Si 1, pater (et in ejus defectu avus paternus) potest directe vota omnia fi-

lius III cardinali Polo legato in Anglia facultatem fecit dispensandi cum presbyteris, diaconis, subdiaconis, qui tempore anglicani schismatis matrimonium de facto attentarunt, ut si uterque eorum superstes mancat, inter se legitime contraherent, sed omni Ordinum exercitio sublato. Et Pius VII in Constitutione confirmatoria *Concordati* 15 aug. 1801 declarat se per Breve vestigia secudum esse Julii III, circa ecclesiasticos viros, qui in Sacris constituti, tempore revolutionis gallicanæ matrimonia attentarunt.

(1) Multo minus potest dispensari promissio mutua, ut contingit in votis et juramentis perseverantiæ, quæ fiunt ab aliquibus Congregationibus: nam illa tunc assumunt rationem contractus, nempe Congregatio se obligat ad sustentandum subditum, et hic ad inserviendum. Et ita declaravit Benedictus XIV Bulla *Convocatis* an. 1748: quod confirmavit Bulla *Inter præteritos* anno 1749.

(2) 2, 2, q. 189, a. 5. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 227 et 239.

liorum irritare sive personalia sive realia; in tali enim ætate deesse censetur perfecta deliberatio ad tantam obligationem suscipiendam; ideo ad talem defectum natura prospexit, præbendo parentibus facultatem irritandi (1). Pariter in dubio, utrum votum ante, an post pubertatem emissum aut etiam ratihabitum fuerit, adhuc in patre ea facultas existit, quia possidet potestas paterna. — Si 2, non possunt neque indirecte parentes irritare vota personalia, v. g. castitatis, frequentiæ Sacramentorum, etc. (nisi domesticæ rerum procurationi graviter adversentur, uti esset votum peregrinationis vel diuturnæ absentiæ); jam enim in ea ætate filii propriæ saluti consulere valent, et quoad eam sunt sui juris. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta quod obliget se Religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat* (2). Possunt tamen irritare indirecte vota realia; quia in minori ætate constituti filii-familias bonorum suorum carent administratione, nisi sermo sit de peculio castrensi vel quasi-castrensi, vel de filio jam a patria potestate legitime subducto (3).

Quæ de patre dicta sunt respectu filii-familias, eadam valent de tutore respectu minoris; cum succedat in locum patris. Imo probabilius est hanc potestatem etiam matri inesse saltem quoad vota personalia, licet patre existente: cum ipsi quoque matri filii teneantur obedire, et Angelicus indistincte parentibus hanc facultatem faciat.

Q. 11. *Quid potest maritus circa vota uxoris?*

R. Filliucius, Layman, Lessius, Sporer, Voit aliique docent, maritum nonnisi indirecte posse irritare vota suæ uxoris, quatenus nempe sibi præjudicant; sic enim satis est provisum mariti juribus. Sed probabilior saltem extrinsece videtur contraria sententia Azorii, Grassi, Ledesmæ, Sa, Sanchez, Soti, etc. qui docent, maritum posse directe irritare omnia vota uxoris, licet neque usui matrimonii, neque prolis educationi, neque domesticæ administrationi adversentur, et licet essent exequenda post ejus mortem: *Evidentissime apparet*, ait D. Ambrosius apud Salmanticenses, *ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiæ vel religiosæ conversationis liceat sibi sine ejus licentia Deo offerre.* Et doctor Angelicus (4): *nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu mariti* (5). Ratio est illud Apostoli: *mulier debet esse subjecta viro, sicut membrum capiti* (6); ergo sicuti capiti subduntur omnes corporis actiones, ita etiam mulier viro, adeo ut hic illi directe dominetur quoad omnes voluntatis actus. Et hoc etiam maxime conducit ad bonum pacemque familiæ (7). — Uxor autem utpote sub viri potestate, nequit directe irritare illius

(1) Caus. 20. c. 2 *Puella*, q. 2. (2) S. Thomas. 2, 2, q. 88, a. 8.
(3) Can. 2, caus. 20, q. 2. (4) 2, 2, q. 88, a. 8, ad 3. (5) Ephes. 5.
(6) Quod tamen dicitur maxime de filiis, intellige quoad dispositionem domesticam, non autem quantum ad ea, quæ pertinent ad suam personam; nam quoad hæc homo ex quo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis.
(7) Excipe vota uxoris emissa ante matrimonium, cum non sint emissa tempore subjectionis; sed bene potest vir illorum suspendere executionem, quatenus nempe præjudicant suæ potestati.— *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. v, n. 36.

vota; hoc enim esset dominatum exercere. Poterit tamen indirecte irritare, casu quo adversentur usui matrimonii et internæ domus procurationi; cum harum rerum et uxori suæ sint partes. Esset v. g. votum magnæ abstinentiæ, induendi habitum heremiticum, etc.

Quid (quæres) *de voto castitatis a conjugibus emisso?* R. Vel votum istud emissum est a conjugibus mutuo consensu; vel emissum est ab uno tantum conjuge.

Si 1, communis est sententia, votum illud esse validum, et a neutro revocari amplius posse; quia virtualiter uterque cessit juri suo. Non desunt tamen qui volunt in hoc etiam casu, posse maritum irritare votum uxoris suæ; cum hæc irritatio fundata sit in ipso jure, quo se vir nequit irrevocabiliter expoliare: quia tamen hoc est contra communem sententiam, ideo illud sapientibus remittimus. Si 2, validum erit votum quantum ad non petendum conjugii debitum; suspenditur vero quantum ad non reddendum usque ad mortem conjugis non voventis: unde talis vovens debet reddere, non tamen petere. Rationem affert Angelicus inquiens: *non peccat reddendo, quia hoc necessitatis est; peccat autem exigendo, quia hoc est voluntatis* (1), quæ quidem est ligata per votum præcedens. Conjux autem non vovens poterit votum hujusmodi irritare; cum ipsi onerosum sit, maxime si sit vir, qui voverit; quia valde gravosum est pudori, uxorem cogi semper ad petendum. Imo censent Salmanticenses, tale votum esse invalidum, utpote de materia inepta (2).

Q. 12. *Quid possunt Domini circa vota famulorum?*

R. Nequeunt domini famulorum vota irritare directe; quia nullibi ipsis tributa legitur hæc dominativa potestas spiritualis, neque illis est necessaria. Indirecte tamen possunt: nempe possunt ea suspendere pro tempore famulatus, si debitis obsint officiis.

CAPUT SECUNDUM

DE JURAMENTO.

ARTICULUS I — De definitione, divisione, honestate et necessitate.

Q. 1. *Quid est juramentum et quanta ejus efficacia?*

R. Juramentum definiri solet cum Angelico: *invocatio Divini Nominis ad fidem dictis faciendam, vel ad firmandam promissionem* (3). Assumptio divini Nominis potest etiam fieri tacite et implicite, si nempe juretur per creaturas, prout hæ referuntur ad Deum: talis porro invocatio in eo sita est, quod jurans velit Deum id quod jurat attestari, non præcise per miraculum, quod est tentare Deum: sed quando et quomodo eidem placuerit, sive in hac in alia vita. Unde patet maximam esse juramenti efficaciam; adducitur enim

(1) Quodl. 3, a. 18. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 235 et 239.

(3) 2, 2, q. 89. *V.* Del Bene. *Tractatus de juramento, in quo et de ejus et voti relaxationibus* etc.; *necnon de mendacio, perjurio, adjuratione*, etc. *eruditissime tractatur.*

ipse Deus qui nec falli nec fallere potest, in testimonium. Hinc Apostolus (1): *omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum* (2).

Ex tradita definitione constat, non omnes locutiones, quæ per quemdam juramenti modum afferuntur, verum esse juramentum: videlicet intentio ipsa loquentis imprimis inspicienda est; quia (pro foro saltem interno) juramentum vere et proprie non habetur, nisi duo interveniant, nempe et intentio saltem virtualis jurandi, et locutio qua Deus expresse vel tacite in testem adducatur, quæcumque verborum formula adhibeatur. Hinc colliges non vere jurare qui dicit: *juro ita esse per conscientiam meam, in conscientia, super conscientia mea, in rei veritate, in fide viri probi vel Sacerdotis;* nam hic nemo nec tacite, nec expresse in testem vocatur. Neque etiam vere jurare censebitur ille qui jurat per *creaturas*, si tales sint, ut in iis speciali modo non elucescant divina attributa, v. g. si quis dicat: *juro per hanc herbam, per hunc equum, per hunc lapidem.* Si vero creaturæ sint nobiliores et tales, ut speciali modo in iis divina elucescat natura, verum erit juramentum, v. g. si quis dicat: *juro per animam meam, per cœlum, per templum, per sanctos, per crucem, per sacramentum, per Evangelium, per fidem catholicam.* Ratio disparitatis est quod locutiones prioris generis non censentur factæ cum ulla relatione ad Deum; locutiones vero generis posterioris talem in loquentis animo relationem ex se evidentissime exhibent (unde in dubio intentionis sic accipienda sunt); nam *anima* est spiritus de ejus spiritu; *cœlum* est ejus habitatio; *terra* est illius scabellum; *templum* illius domus; *sancti* de ejus sanctitate participant; *crux* illius patibulum est: *sacramentum* ipse instituit; *Evangelium* ipse dictavit; tandem *fidei* ipse est consummator (3).

Quid (quæres) *de hisce locutionibus:* juro ita esse; per conscientiam animæ meæ; hoc est verum ut Evangelium; vivit Deus; coram Deo loquor; per hunc Dei ignem, per Jovem, *etc.*?

R. Ad singula.—1 *juro ita esse* non habetur in communi acceptione ut juramentum; cum nec implicite, nec explicite divinum testimonium imploretur. Excipe nisi jam præcesserit interrogatio de jurejurando: satis enim tunc determinaretur;—2 *per conscientiam animæ meæ* pariter juramentum non est; quia hic principaliter intenditur conscientia:—3 neque juramentum sunt illa: *hoc est verum ut Evangelium*, nam notant potius assimilationem, quam veram invocationem;—4 hæc verba: *vivit Deus, Deus veritas est, coram Deo loquor* ex circumstantiis sunt resolvenda: si enim tantum renuntiando proferantur, non videntur constituere verum juramentum. Item est si dicatur; *Deus mihi testis esse potest; scit Deus, quod ita est; coram Deo ita est;*—5 per *hunc Dei ignem* est juramentum; quia Deum nominando principaliter ad ipsum refertur ignis;—6 *falsa jurat qui per falsos deos*

(1) Hebr. 6.

(2) Juramentum a *jure* deducitur, vel quia jus veritatis redditur Deo, vel quia jure inductum est ad veritatem firmandam, vel quia quod juratur, facit jus ac legem.

(3) «Atendiendo que algunas personas poco instruidas, principalmente los jóvenes se acusan de haber jurado pronunciando algunas locuciones triviales, debe advertírseles que estos modos de hablar no son juramentos, amonestándoles sin embargo, que no deben aplicarse jamás á las cosas santas ni conviene proferirlas por broma.» Ita *Gousset*.

jurat; quid enim tam est a veritate alienum, quam mendaces et fictitios deos tamquam verum Deum testari (1)?

Quis si quis dicat: habear ut hæreticus, si hoc est falsum?—Non censetur jurare; quia nulla hic invocatio Dei habetur. Item hæc, *moriar hic, si ita non est; mihi amputetur manus, caput; vel diabolus me auferat*, quamvis sint habenda uti juramenta, si per modum execrationis dicantur, vel si expresse nominetur Deus; communiter tamen ita non censentur, sed resolvuntur in quamdam sponsionem, seu pene obligationem, atque significant ordinarie: *si res ita non est, spondeo meam vitam*, etc. (2).

Q. 2. *Quotuplex est juramentum?*

R. Juramentum spectari potest: 1 ratione formæ, qua concipitur; 2 temporis, quod in eo indicatur; 3 loci, ubi fit.

1. Ratione *formæ*, aliud est verbale vel reale vel mixtum: aliud explicitum vel implicitum: aliud solemne vel simplex: aliud contestarium vel execratorium vel comminatorium.—*Verbale* solis verbis conflatur. *Reale* includit aliquam corporis actionem, v. g. erectionem digitorum, crucis contactum, Evangeliorum deosculationem. *Mixtum* coalescit ex verbis simul et corporis actione.—*Explicitum* est cum quis Deus ipsum conceptis verbis vocat in testem, ut si dicat: *testis est mihi Deus. Implicitum* est cum quis jurat per creaturas, sed quatenus in iis elucet speciale Dei attributum.—*Solemne* conjungitur cum cæremoniis quibusdam, v. g. cum Missa, cum præcedenti Communione. *Simplex* puram Dei invocationem præfert verbis vel signis æquivalentibus indicatam.—*Contestatorium* Deum simpliciter vocat in testem. *Execratorium* (quod vocant etiam *imprecatorium*) non modo vocat Deum in testem; sed etiam in vindicem perjurii, v. g.: *Deus me morte puniat in hoc ipso loco, si mentior.* Huc revocatur etiam hæc formula: *ita me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia:* sicut enim qui hæc pronuntiat, bonum sibi, si verum dicat; ita malum sibi imprecatur, si mentiatur. *Comminatorium* est cum jurans sub attestatione divini Numinis alteri minatur pœnam, v. g.: *juro per Deum, quod nisi hoc feceris, pœnas lues* (3).

2. Ratione *temporis* quod in juramento indicatur, juramentum aliud est assertorium, aliud promissorium. *Assertorium* vocat Deum in testem rei præteritæ vel præsentis, v. g. *testor coram Deo, me non esse talis criminis reum. Promissorium* Deum vocat in testem rei futuræ, quæ juramento promittitur, v. g.: *juro ac testor coram Deo, me Superioribus meis semper esse obtemperaturum in omnibus.*

3. Denique ratione *loci*, ubi fit, juramentum aliud est *judiciale*, si in judicio; aliud *extrajudiciale*, si emittitur extra judicium. Et ipsum juramentum judiciale duplex ex Codice Albertino dividitur, prout nempe defertur ab una ligantium parte, vel ab ipso judice: si 1, dicitur *decisorium*, quia ab

(1) *Cath. Rom.* 2 *præc. dec.*.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 139. Ita excusari potest a juramento qui de aliquo interroganti respondere solet: «no por Dios, si por Dios» nam ut plurimum non intelligunt invocare Deum ut testem. Valde tamen increpandi, quia non auditur sine scandalo. *Roncaglia.*

(3) Si hæc verba proferantur a parentibus in filios, ordinarie non obligant; quia vel fiunt ob res inutiles, vel calore iracundiæ, vel cum intentione simpliciter terrendi.

eo dependere censetur decisio causæ, si 2 dicitur *ex officio,* quia judex illud defert ex officio suo (1).

Omnia numerata juramenta per se loquendo sunt ejusdem speciei; cum omnia Dei veracitatem respiciant.

Q. 3. *An juramentum sit res bona et honesta?*

R. De fide est contra nonnullos hæreticos juramentum esse bonum et honestum, et licitum esse jurare, debitis intervenientibus conditionibus (2). Constat 1 ex *Scriptura:* in veteri Testamento legitur: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per Nomen illius jurabis* (3). In novo autem Testamento habemus inter cætera illud Pauli Apostoli: *testem Deum invoco in animam meam: quæ... scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior* (4); 2 ex *Patribus:* unum proferimus Augustinum, qui scribit: *invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; non ergo est peccatum jurare* (5); 3 ex *ratione;* ipsa enim dictante, actus ille bonus est et honestus, qui Deum maxime honorat, et ejus attributa veneratur, atqui tale est juramentum; in quonam enim ejus natura sita est? In hoc profecto, quod Deus adducatur in medium, et invocetur tamquam summa æterna Veritas in testimonium alicujus rei; ergo Deum maxime honorat et ejus attributa veneratur. Unde dicitur: *laudabuntur omnes, qui jurant in eo* (6). Merito ergo a Concilio Constantiensi damnata est hæc Wiclephi propositio (7): *juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, et commercia civilia.*

Sed (dices) *si juramentum res adeo bona est, expedit frequenter usurpari?* —Nego *conseq.;* non enim expedit, nisi debitis fulciatur conditionibus, inter quas illa est, ut nemo temere usurpet sanctum Dei Nomen. Hinc divus Thomas juramentum comparat medicinæ ad sanandum efficaci, quæ quanto est salubrior si debite sumatur, tanto magis nocet, si eam quis temere recipiat. Hac de causa Christus juramentum indiscriminatim prohibuit: res erat cum hypocritis Pharisæis, qui in omni re temere juramentum usurpare in more habebant (8).

(1) «Entre nosotros es conocido el juramento decisorio é indecisorio, entendiendo por el primero cuando una parte difiere á la otra, obligándose á pasar por lo que ella diga; y por indecisorio cuando se difiere sin obligarse á lo que diga la otra parte. N. E.

(2) Est contra Pelagianos, Waldenses, Anabaptistas, Quakeros, Anglicanos, Americanos, etc. —*V.* Bergier, *Dizionario Encicl.* V. Giuramento.

(3) Deut. 6. (4) II Cor. 1; et Gal. 1.

(5) Serm. 180. (6) Ps. 62.

(7) Et a Clemente XI Bulla *Unigenitus* damnata fuit hæc sub n. 101 propositio: *nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.* Et Pseudosynodus Pistoriensis a Jansenistis consarcinata ausa est tradere: 1 *jurare sine extrema et ineluctabili necessitate esse actum irreligiosum, documentis divini Præceptoris, et aureæ simplicitati Evangelicæ contrarium;* 2 *juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse a Ss. Patribus, et ideo improbanda ea quæ Curia Ecclesiastica... in vestituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit.* Sed sub n. 75 utraque propositio a Pio VI Bulla *Auctorem fidei* proscripta fuit *tamquam falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris Ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.*

(8) «Revera (ait *Stapf,* § 237), homines pii, dum ipsis a judice juramentum imponitur, nonnumquam tanto horrore corripiuntur, ut, quamvis omnes conditiones legitimi juramenti adsint, ad illud

Verum (addes) *Christus dicit juramentum a malo esse; ait:* sit autem sermo vester, est est, non non; quod autem his abundantius est, a malo est. —R. His verbis Christus tantum innuere voluit (ait *Cathechismus Romanus)* juramentum oriri ab humana infirmitate, id est quia homines fallaces sunt; si enim tales non essent, nullum juramentum foret necessarium.

Q. 4. *Quinam jurare possunt ac debent?*

R. Ad 1: Si de jure naturæ sermo est, omnis homo rationis particeps jurare potest; nam jure naturæ quilibet ratione utens confirmare potest dictum suum per testimonium majoris Veritatis, nempe Divinæ. Si vero sermo est de jure civili, tunc ordinarie repelluntur a juramento in judicio ferendo: 1 impuberes ob defectum maturitatis; 2 in causa criminali etiam puberes, qui nondum ad ætatem annorum viginti pervenerint, exceptis casibus quibusdam gravioribus, uti si v. g. agatur de aperiendo crimine læsæ majestatis; 3 perjuri, quibus nulla fides (1). Cæteri omnes generatim loquendo jurare possunt. Diximus *generatim loquendo;* videndum enim, si adsint speciales leges quoad aliquas personas ratione status, cui illæ sint addictæ *(H).*

R. Ad 2: Regulariter urget obligatio jurandi: 1 quoties id necessarium est ad subveniendum proximo; quisque enim ex lege charitatis tenetur occurrere proximi necessitati medio licito ac facili, uti est juramentum; 2 quoties a Superiore legitime exigitur: sic ordinarie ad juramentum obligantur tum illi, qui in aliqua communitate recipiuntur, puta Collegio, ut ita statutis propriis adamussim studeant; tum illi, qui aliquo publico officio vel ministerio donantur, uti Episcopi, Canonici, Punctatores, Beneficiati, Confessarii, Medici, Testes, etc. Hoc sane valde confert, ut isti omnes proprium munus pro conscientia adimpleant: hinc propositio 75 Synodi Pistoriensis, qua improbantur hæc juramenta, damnata merito fuit (2).

ARTICULUS II—De conditionibus ad juramentum requisitis.

Q. 1. *Quænam sunt debitæ conditiones juramentorum?*

R. Conditiones ad juramentum tradidit Deus: *jurabis: vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitia* (3). Ubi sic scribit S. Hieronymus: *animadvertendum est, quod juramentum hos habeat limites, veritatem, judicium atque justitiam: si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium:* et violaretur secundum Decalogi præceptum: *non assumes Nomen Dei tui in vanum; non enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit Nomen Domini Dei sui* (4).

Q. 2. *Quid de veritate requisita ad jurandum?*

R. Veritas hic tota subjectiva est, non objectiva; in eo nempe consistit, quod jurans certus sit de veritate rei, quæ sui juramenti materiam consti-

tamen quasi tremebundi accedant. Et utinam satis cautum foret, ne per jurandi frequentiam hic religionis sensus paulatim obtundatur!» Ad rem hanc Augustinus (Serm. 180): *falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.*

(1) Matth. 5.

(2) De quibusdam particularibus juramentis *vide* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 181.

(3) Jer. 4. (4) *V.* Veith, *Sacra Scriptura, in* III *Reg.* n. 36.

tuit. Non autem requiritur certitudo absoluta et omnino infallibilis, quæ nempe adstruitur ex argumentis methaphysicis et physicis, alioquin fere numquam liceret jurare; sed sufficit moralis, id est tanta veri probabilitas, quæ ad certitudinem moralem pertingat, sive qua in mente jurantis est prudens æstimatio seu judicium ipsi dictans esse verum quod juramento affirmat vel negat. Unde excludit quidem omne mendacium in ipso jurante, non autem excludit omnem errorem qui esse potest in ipsa re (1).

An (quæres) *liceat in juramentis uti restrictione mentali, aut æquivocationibus* (2).—Restrictio mentalis definitur: *actus mentis quo quis suum sermonem detorquet vel restringit ad sensum diversum ab eo, quem verba nude ac prima fronte spectata, præseferunt.* Duplex est: alia late, seu *non pure mentalis*, quæ nempe ex modo interrogandi vel respondendi, ex usu recepto, vel ex aliis circumstantiis ab auditoribus generatim intelligi potest, licet forte, defectu advertentiæ non percipiatur: v. g. si petenti mutuandam pecuniam respondeam *non habeo*, subintelligendo, *quam tibi mutuo dare velim.* Alio vero est *pure mentalis*, quæ ex nullis adjunctis ab auditoribus intelligi potest: v. g. si quis interrogatus, an rem surripuerit, respondeat *se non surripuisse*, etsi surripuerit, intelligendo se sinistra manu non surripuisse. Porro hic sermo non est de restrictione pure mentali: hæc enim etiam sine juramento certe prohibetur, ut constat ex propositionibus 26, 27 et 28 damnatis ab Innocentio XI. De hac etiam ait Ecclesiasticus: *qui sophistice loquitur, odibilis est* (3). Sane sic loqui mendacium est, cum ita falsum exprimatur, ut sensus in mente habitus nullo modo percipi possit ab auditoribus.

Tota quæstio est de restrictione late mentali; ad quam revocatur æquivocatio, seu amphibologia, quæ est *sermo ambiguus* seu habens duplicem sensum, qui satis ab auditore percipi potest. Triplici autem modo contingere potest: 1 cum verbum habet duplicem sensum omnino diversum: v. g. verbum *volo*, sonat tam *velle*, quam *volare* in persona prima numeri singularis modi indicativi, temporis præsentis; 2 cum sermo ipse duplicem sensum exhibet, v. g. si dicam: *hic liber meus est*, duo possum significare valde diversa, scilicet vel me esse dominum libri, vel me esse ejusdem auctorem; 3 cum vocabula habent duplicem sensum, unum magis communem, alium vero minus: seu unum litteralem, alium spiritualem, uti cum dixit Christus de Joanne Baptista: *ipse est Elias;* hoc sensu viri pii dicunt cibos delicatos sibi nocere, idest spiritus mortificationi (4).—Hoc posito dicimus: commune

(1) Imo volunt posse a nobis affirmari cum juramento etiam quod audivimus a persona ita fide digna, ut moraliter certos nos faciat; si tamen excipiatur materia judicii, ubi juramentum quod exigitur, est de certitudine propria, et juxta gradum suum: «cuando se trata de testimonios en juicio, deben esponerse los motivos de los mismos testimonios, para que los jueces puedan debidamente apreciarlos. Gousset.—*V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 147 etc.

(2) Ardua est præsens quæstio, in qua possumus decipi tum in adsignanda legitima causa, tum in usurpandis legitimis loquendi formulis; de facili enim restrictio late mentalis esse potest pure mentalis. Quare caute in hac re procedendum est, ne humanæ societati ac consuetudini noceamus, ne confusionem inducamus, ne christianæ simplicitati derogemus; sed quoad potest *sit sermo noster, est est; non non.* Matth. 5. (3) Eccl. 37.

(4) Hoc modo si quis interrogetur de re, quam celare expediat (salvo meliori consilio) responde-

est vel apud ipsos rigidiores, licere nobis ex justa causa, ac per se loquendo uti restrictione late mentali et verbis æquivocis etiam cum juramento; tunc enim non decipimus proximum nostrum, sed permittimus ut decipiat ipse se: nec tenemur ex alia parte ad mentem aliorum loqui, justa extante causa. Nec mendacium est; nam sensus in mente retentus ex adjunctis satis percipi potest: unde prudens tantum est veritatis occultatio. Idque probat exemplum ipsiusmet Christi Domini: nonne restrictionibus hujusmodi usus est tum quando rogatus, ut ad quamdam festivitatem ascenderet, respondit: *non ascendo ad diem festum istum*, subintelligendo *palam* et *manifeste*, sicut interrogatio præseferebat, et eruitur ex textu, et exponunt Chrysostomus, Theofilactus et Eutymius (1)? tum quando rogatus de die judicii extremi, respondit: *de die illo... nemo scit neque Filius*, subintelligendo *ad manifestandum*, sicuti volebant Discipuli, uti interpretantur Hieronymus, Augustinus, Ambrosius et Basilius (2)? Adde Sanctorum doctrinam. Augustinus ait: *quamvis omnis, qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis, qui vult quod verum est celare, mentitur* (3). Et D. Thomas: *aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem proponere.* Idem: *non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet; licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit in libro de mendacio* (4). Adde inconvenientia, quæ secus evenirent; si nempe non liceret, justa extante causa, uti tali restrictione, nullus esset modus secretum honeste celandi, quod quis sine damno vel incommodo aperire nequiret: hoc autem humanæ societati non minus esset perniciosum, quam ipsum mendacium. Si ergo tali uti restrictione bonum est, nihil officit, quod etiam juramento firmetur, quotiescumque id circumstantiæ postulaverint (5).—Non tamen negandum majorem causam requiri ad æqui-

re poterit, *dico non*, quasi dicat: *profero hanc particulam negativam* non. Verbum enim *dico* duplicem sensum exhibet, nempe communem *asserere aliquid;* et minus communem in vulgari loquendi usu, nempe *proferre aliquod vocabulum.* Narrant: «Un predicador vano preguntó á otra persona ¿qué le parecia de su sermon? y esta respondió: ha dicho optima, egregia, divinamente; *entendiendo decir* ha dicho estas palabras en su sermon.

(1) Joann. 7.—*V.* Cor. A-Lapide *in hoc loco.*—Veith, *Sacra Scriptura, De libro Tobiæ*, n. 21, ubi quærit, an a mendacio excusentur quæ Angelus Raphaël de se affirmat.

(2) *Marci*, c. 24. «Con estas palabras dice Bergier *(Diccionario Enciclopédico.* V. Agnoëtes). El Salvador queria reprimir la indiscreta curiosidad de sus discípulos, haciéndoles entender que no convenia revelarles este secreto. Su respuesta tiene el mismo sentido que la que dá un padre á un hijo demasiado curioso cuando le dice: *no lo se:* Gousset.

(3) L. *contra mend.* c. 10. (4) 2, 2, q. 69 et 110, a. 2.

(5) Porro allata principia nonnullis exemplis illustrando dicimus: —1 Confessarius affirmare potest etiam cum juramento, se nescire peccatum auditum in Confessione, subintelligendo *ut hominem;* quia interrogans non habet jus, nisi ad habendam notitiam communicabilem;—2 reus, vel testis a judice non legitime interrogati possunt jurare se crimen nescire, subintelligendo se nescire crimen, *de quo legitime possint inquiri;* —3 qui venit de loco, qui falso putatur morbo infectus, potest negare se illinc venire, scilicet *ut pestilentia infectus*, qualis est interrogantium animus;—4 invitatus ad mensam et rogatus, an cibus sit bonus, potest affirmare esse talem, licet revera sit insipidus, intelligens *ad mortificationem et pœnitentiam:* et aliunde omnes sciunt quod eo in casu sic responderi soleat, quomodolibet sit confectus cibus; — 5 qui mutuum accepit et satisfecit, si postea iterum urgeatur, potest negare accepisse mutuum, *ut nempe denuo debeat solvere.* Qui habet unum panem sibi necessarium, vere respondere potest se nullum habere pro eo, qui petit

vocandum cum juramento, quam sine juramento ; quia divinum testimonium non est ita facile usurpandum.

Diximus 1 *ex justa causa:* ne temere inducatur tergiversandi locus; nam licet id non sit mendacium, aliquod tamen detrimentum affert communi convictui et colloquiis humanis ; atque aliquo modo derogat humanæ fidei, cum semper auditores non possint esse ita cauti, ut omnes æquivocationes cavere possint. Justa autem causa loquendi ambigue esset, ut dicunt communiter, quicumque finis honestus ad servanda bona quæ nobis prosunt, vel etiam ad se liberandum ab importuna, fastidiosa et injusta interrogatione (1). Docent tamen probabilius contra Vivam, Cajetanus, Lessius, Lugo, Salmanticenses et Sanchez, quod per se, si causa tantummodo desit, nostra tergiversatio non sit nisi venialis, quia defectus est tantum in discretione;— 2 *per se loquendo;* nam æquivocis verbis sub gravi prohibemur uti : 1 si inde auditores in aliquod grave damnum inciderent : hoc enim charitatis præcepto tenemur avertere ; 2 quando contractus mutuos celebramus ; debemus enim ex justitia verba ad mentem contrahentis nude proferre, ne eum decipiamus ; 3 quando judex vel superior communitatis in rebus sui officii legitime interrogant; tunc debemus in sensu interrogantis clare respondere : secus justitia publica ac bonum communitatis nimis frequenter a discolis læderetur ; unde tunc qui reus est, veritatem nude fateri tenetur, idque probabilius, etiamsi ex tali confessione grave ipsi immineat damnum.

An (quæres) *obliget juramentum factum contra primum juramentum?*—Si secundum juramentum opponatur priori in materia jam jurata, non tenet, ut si jurasti matrimonium Cajæ, et postea illud jures Titiæ ; quia esset de illicito. Aliter est, si secundum juramentum opponatur primo in actu jurandi tantum, ut si jurasti non amplius jurare, sed postea jures, v. g. jejunare: teneris ad jejunium, quia hoc juramentum est de materia licita, etsi peccaveris jurando.

An (inquires) *liceat petere juramentum a pejeraturo?*—Contra Vasquez affirmant probabilius Cajetanus, Filliucius, Salmanticenses, Suarez, Tournely aliique, si tamen adsit causa ; nam tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequeretur : neque alter potest dici illius causa moralis, cum utatur jure suo (2). Est v. g. si judex petit juramentum ratione officii, seu ex ordine juris ; vel si magni tua interest uti perjurio ad fraudes alterius manifestandas,

commodatum ; quia nullum habet quem commodare possit, de quo solo ille interrogat : ita De Lugo. Idem dicit Cardenas de pecunia petita, si domino ea sit necessaria ; — 6 creditor ex instrumento potest asserere cum juramento nihil sibi solutum, si pars sit quidem soluta, sed ex alio capite ipse habeat creditum, quod probare non potest ; modo aliis creditoribus anterioribus non inferat damnum, nec juret talem summam sibi deberi ex illo instrumento : ex quo patet, quod in praxi vix habere potest locum ; — 7 qui fuit coactus ad matrimonium potest asserere non contraxisse, nempe *libere*. Qui non tenetur ad gabellas, potest dicere, *se nihil ferre*, ut solvere teneatur. Hoc sensu licite etiam proferuntur cæremoniæ, protestationes, ut *osculor manus, offero me famulum:* quia ex communi usu accipiuntur uti verba materialia prolata tantum ad honorem vel ad urbanitatem.—*V.* Voit, *Theol. Mor.*—Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 153 et seqq.. ubi plures casus.

(1) Regulariter possunt uti restrictione late mentali omnes personæ publicæ interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces, magistratus, advocati, medici, obstetrices, etc. Si enim secreta ejusmodi personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 77.

utjus tuum consequaris. At si non adest causa, petere juramentum a pejeraturo esset contra reverentiam Deo debitam et charitatem proximi: hinc de illo habet divus Augustinus: *qui scit et cogit jurare, homicida est.*—Licet autem cum causa juramentum exigere, etiamsi quis juraturus sit per falsos deos; cum causa enim rationabiliter permitti potest malum alterius. Et idem Augustinus ait: *qui utitur fide illius, quem constat jurasse per deos falsos, et utitur non ad malam rem, sed ad licitam et bonam, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit: sed bono pacto ejus, quo fidem servavit* (1).

Q. 3. *Quid de judicio in juramento* (2)?

R. *Judicium hic non sumitur pro executione justitiæ*, inquit Angelicus, *sed pro judicio discretionis* (3); cum enim juramentum sit res sanctissima, non debet fieri absque prudentia, consideratione ac reverentia; quæ tria in discretionis judicio continentur. Quare juraturus debet diligentissime perpendere: 1 an juramentum sit necessarium ratione proprii officii, vel ut fides verbis suis adhibeatur; 2 an notabilis spes affulgeat fore, ut alii eidem credant; 3 an rem juramento promissam tempore suo præstare valeat, ne in discrimen juramenti violandi adducatur.—Ubi tamen non desit, nisi judicium in juramento, ut si quis juret absque necessitate, vel ex quadam animi levitate, vel ex consuetudine, non erit, ut plurimum, nisi veniale, uti communiter docent cum S. Antonino: quia gravem injuriam contra Deum continere non videtur. Dictum est *ut plurimum;* quia in consuetudine frequenter jurandi adest periculum scandali et perjurii, et sub hoc respectu juramentum judicio destitutum potest esse etiam mortale, sicut advertit divus Augustinus. Hinc Scriptura monet: *jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa;... vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga* (4). Et laudatus Doctor: *istam consuetudinem jurandi avertite a vobis, amputate a linguis vestris, circumcidite ab ore vestro* (5).

Q. 4. *Quid de juramenti justitia?*

R. Juramenti justitia in eo consistit, ut res jurata sit justa, licita et honesta. Hujus defectu peccat in juramento promissorio mortaliter: 1 qui jurando promittit se quidpiam mali esse facturum, v. g. homicidium, sive animum habeat implendi, quia Deus invocaretur, ut patronus iniquitatis, sive non habeat, quia tunc esset perjurium (6); 2 qui juramento utitur ad consummandum peccatum etiam veniale; quia sic jurans quantum in se est, Deum facit complicem peccati sui. Neque tunc tenet juramentum; quia non est obligatorium contra bonos mores, neque vinculum rerum vanarum: hinc probabilius non obligat promissio jurata prodigi; quia est saltem leviter mala (7).

(1) Epist. 154.
(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 145.
(3) 2, 2, q. 89, a. 3.
(4) Eccli. 23.
(5) Sermo 180 *de verb. Dom.*—*V.* Salvatori, *Istruzione* ecc. § XVI.
(6) *Quid vero* (dices) *si res juramento promissa sit tantum venialiter mala, aut vana, aut inutilis, aut frivola?*—Tunc licet Antoine, Billuart et Collet dicant non esse nisi veniale illam sub juramento promittere; nobis magis arridet sententia Elbel, qui cum aliis docet id grave esse, quia non levis, sed gravis semper irreverentia est Deum vocare testem ac veluti fidejussorem peccati, tametsi venialis.
(7) Neque etiam tenet juramentum, si quis juret contra Evangelica consilia; quia est impediti-

An (quæres) *peccet graviter ex defectu justitiæ, qui cum juramento se jactat de peccato commisso?*—In probabiliori sententia qui juramento se jactat de peccato commisso, non videtur peccare, nisi venialiter contra Religionem, ut docent Salmanticenses, Sanchez, Suarez aliique; ideo enim in juramento promissorio defectus justitiæ est peccatum mortale, quia juramentum in eo assumitur ad firmandam voluntatem malum peragendi. At in juramento assertorio non assumitur, nisi ad alios certiores faciendos de peccato utpote jam patrato, quod quidem si illius complacentiam non confirmet, non est nisi venialis quædam animi levitas. Excipe casum, quo quis tale juramentum assumeret ad firmandam proximi detractionem; quia tunc adhiberetur uti medium ad alterius infamiam certiorem reddendam.

Q. 5. *Quod peccatum est perjurium?*

R. Perjurium generatim sumptum, licet sit quodlibet juramentum destitutum veritate, justitia et judicio; attamen ex S. Thoma (1), a falsitate præcipue specificatur perversitas illius; cum ista intimius ejus substantiam inficiat. Ideo perjurium proprie erit juramentum veritate destitutum: quod quidem ex natura sua mortale est; quia semper irrogat Deo injuriam eum in testem falsitatis adducendo. Neque parvitas materiæ excusat, quia semper graviter repugnat Deum testificari falsum: unde ait Augustinus: *peccatum perjurium et grande peccatum nemo dubitat* (2). Et Innocentius XI hanc damnavit propositionem sub n. 24: *vocare Deum in testem mendacii levis non videtur tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*— Diximus *ex natura sua:* potest enim perjurium esse culpa venialis per accidens, ob defectum nempe plenæ deliberationis vel consensus: tale est in quibusdam rusticis perjurii malum non percipientibus. Quare non debent Confessarii statim illos de gravi peccato monere, si pejerandi consuetudine teneantur, ne illorum peccata formalia evadant; sed sensim sine sensu fortiter insistendo ut falsum jurare desistant, eos curare studeant (3). Ipsum jus civile graviter in falsos testes perjuros animadvertit. Synodus autem Novariensis reservat *juratam falsi in judicio depositionem, veri reticentiam factam ab accusatore vel teste, inductionem falsi testis jurati in judicium, et juramentum per falsos deos* (pag. 216).

ARTICULUS III—De juramenti obligatione, extinctione et interpretatione.

Q. 1. *An res juramento promissa sit præstanda sub gravi* (4)?

R. Si res juramento promissa gravis est, utique sub gravi præstari debet: cum juramentum nedum gravis promissionis vim minuat, imo potius eam-

vum inspirationis cœlestis: excipe nisi sit in favorem tertii, ut si obligaveris tuum famulatum alicui; tunc enim ille jus jam acquisiisset. Liguori, *Op. M.* l. III, n. 146.

(1) 2, 2, q. 89, a. 7. (2) Sermone 180. (3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 150.

(4) *V.* Liguori, *Op Mor.* l. III, nn. 172 et seqq. Quærenti utrum obligatio juramenti promissorii, aliquid scilicet tribuendi, transeat ad hæredes, respondemus cum d. Thoma, duo hic esse distinguenda: primum est *ipsa promissio*, quæ si licita et acceptata sit, utique transit ad hæredes, qui in omnia jura et onera realia defuncti succedunt; aliud est *vinculum religionis* ex juramento ipso.

dem augeat, et servet ad pacta firmanda. Unde legitur in Scripturis: *reddes Domino juramenta tua* (1). Si vero res promissa est levis, controversia est: alii dicunt cum Bonacina, Collet, Lessio, Toleto, etc. rem juramento promissam, etsi levem, adhuc sub gravi esse præstandam; quia aliter semper violaretur juramentum, in quo non datur materiæ parvitas; vocaretur enim Deus in testem falsitatis, si veritas non conformaretur rei promissæ: ita S. Thomas ac Catechismus Rom. Alii vero cum S. Antonino, Antoine, Billuart, Layman, Sanchez, Silvio, Soto, Suarez et aliis negant dicentes, tunc tantum perjurium committi, cum Deus vocatur in testem mendacii: atqui hic non vocatur Deus in testem mendacii, nam si jurans actu juramenti habuit voluntatem implendi et postea promissa non implet; non committit mendacium, sed tantum infidelitatem, quæ (cum res promissa non sit gravis ex hypothesi) protrahi non poterit ad culpam gravem. Hæc sententia non est minus probabilis quam prima; imo fortasse est probabilior, si intrinseca ratio spectetur.—Quidquid sit, certum est eum, qui ex multo quod promisit, non omittit nisi quidquam parvum, non peccare mortaliter: v. g, siquis jurasset se numquam vinum esse bibiturum, non peccabit mortaliter parum bibendo; quia tunc gravitas non afficit, nisi materiam ipsam universim sumptam (2).

Q. 2. *Quid de juramento metu gravi et injusto extorto?*

R. Distinguendo: vel agitur de juramento, quod jam a jure ipso sive civili sive ecclesiastico irritatur utpote metu sic extortum; vel de juramento agitur, quod nulla lege prohibetur. Si 1, certum est, nullum esse juramentum, quia est contra leges illud infirmantes ob bonum commune; ideoque est de illicito. Hoc sensu non obligat juramentum metu gravi et injusto extortum super professione religiosa, sponsalibus, matrimonio, etc.—Si 2, D. Antoninus, Sanchez aliique tenent neque tale juramentum valere: nam juramentum naturam actus sequi debet; atqui actus extortus gravi metu injusto est invalidus: ergo et juramentum. Adde: juramentum hoc est actus prorsus inutilis, cum illico retractari possit: sic v. g. post pecuniæ traditionem vi juramenti latroni a te factam, eamdem pecuniam tu a latrone, etiam vi adhibita, statim recuperare potes; ad quid ergo eam illi tradidisti? Verum longe probabilior sententia cum Angelico, Billuart, Lugo, etc. docet, juramentum illud obligare *erga Deum;* est enim regula generalis, quodlibet juramentum esse servandum quando potest sine peccato; tum ne in testem mendacii adducatur Deus; tum quia bonum est servare promissum (3). Adde jus Canonicum; in eo enim dicitur Ecclesia juramentum metu initum relaxare: ergo illud supponit validum (4).

quod cum sit personale, non obligat hæredes, qui ideo non sunt perjuri, si illud non servent, quamvis sint injusti.

(1) Matth. 5.

(2) Non peccat contra juramentum qui urbanitatis causa juravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc. si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque juramentum est nullum defectu aut intentionis jurandi aut materiæ aptæ; vel si valeat, ab altero relaxatur. Arcendi tamen sunt homines ab hisce formulis, cum dedeceant.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 180.

(3) 2, 2, q. 89, a. 7.

(4) *Decretal.* l. I, tit. 24 *de jurej.* c. 15.

Diximus *erga Deum*, non erga hominem: quare si quid injuste coactus alicui jurasti, et ei tribuisti, recte tribuisti; sic enim reddidisti Domino juramentum tuum: sed postea potes repetere in judicio solutum; neque enim sua iniquitas debet ipsimet patrocinari. *In juramento, quod quis coactus facit*, ait Angelicus, *duplex est obligatio: una quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per coactionem, quod ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur; alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per Nomen ejus promisit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denunciare, non obstante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam* (1).

Q. 3. *Quid de juramento promissorio ficto?*

R. Tripliciter potest sic ficte promitti: sine animo jurandi; sine animo se obligandi; et sine animo adimplendi.

1. Qui aliquid juramento promittit, sed sine vero animo jurandi, peccat, uti constat ex hac propositione ab Innocentio XI sub n. 25 damnata: *cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis;* nam illuditur divinum testimonium. Docent tamen communissime, eum peccare tantum venialiter, si aliunde habeat animum implendi, neque res sit coram judice vel in contractibus: tunc enim nulla deceptio contra justitiam, sed solum inanis divini Nominis usurpatio adesset;—2 qui juramento aliquid promittit, sed sine animo se obligandi, communius dicunt, quod graviter peccat; cum videatur gravis irreverentia adducere Deum in testem, et nolle ejus testimonio obstringi. Sunt tamen qui docent, id esse tantum veniale, et quidem valde probabiliter; nam sine animo se obligandi nullum subsistit juramentum, et ideo juramentum violari non potest: ergo habetur solummodo vana usurpatio divini Nominis (2);—3 qui juramento aliquid promittit cum animo jurandi et se obligandi, sed non implendi, peccat mortaliter; quia de præsenti deficit veritas: et tenetur servare promissum, quia viget essentia juramenti. Idem dicendum, si quis non advertit ad obligationem juramenti; nam obligatio sequitur ex illius natura, nisi illa positive excludatur.

Q. 4. *Quomodo juramentum extinguitur et cessat?*

R. Juramentum iis ferme modis cessat, quibus votum. Nempe cessat: — 1 *cessatione causæ finalis;* nam sine causa non subsistit effectus. Hinc cessat juramentum, si quis juraverit se puniturum esse discolos, sed isti emendentur; — 2 *mutatione notabili;* nam talis mutatio aliud facit objectum, ad quod jurantis intentio non se extendit. Hinc non obligatur juramento qui

(1) 2, 2, q. 89, a. 7. — Hinc si quis metu mortis latroni juravit, se ei daturum pecuniam, et insuper se velle illi consociari in furtis, non valet juramentum de societate inunda quia est de illicito; valet tamen de pecunia solvenda, quia hanc dare potest sine peccato.

(2) Imo probabilius est, quod sic jurans per se non tenetur juramentum servare; tunc quia ex dictis est invalidum; tum quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi juxta jurantium intentionem, quæ cum non sit se obligandi, non importat nisi simplex propositum, quod in conscientia non obligat. Liguori, *Op. M.* l. III, n. 172.

juratas promisit nuptias puellæ diviti, sanæ, virgini, bonæ formæ, si has dotes amittat. Item non peccat qui secretum juratum detegit, si non potest illud servare sine gravi suo vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti obligat tantum sub conditione, *nisi graviter noceat.* Excipe tamen secretum consilii, quod in omni casu ob publicum bonum expedit observare; — 3 *irritatione,* quæ fit a quolibet dominatum habente in jurantem, licet agatur de contractibus, si ab eodem possint irritari; — 4 *commutatione,* vel *dispensatione,* quæ quidem dantur ab habente jurisdictionem in externo foro (1).

Q. 5. *Quomodo juramentum interpretandum est?*

R. Juramentum interpretandum est secundum quod est usu receptum; sic enim recte creditur esse mens jurantis: item in favorem illius, qui illud emisit; cum sit vinculum propriæ voluntatis. Hinc commune est, in juramento promissorio sequentes conditiones semper tacite intelligi, nempe: 1 *si potero,* quia nemo censetur se ad rem vel etiam moraliter impossibilem obligare; 2 *salvo jure Superiorum;* 3 *si is, cui promissio a me fit, eam acceptet vel non remittat;* 4 *si res non fuerit notabiliter immutata;* 5 *si alia pars fidem servaverit,* casu quo agatur de promissione reciproca (2) *(I).*

SCHOLIUM — *De adjuratione.*

Q. *Quid de adjuratione?*

R. Adjuratio ex Angelico est invocatio Dei vel rerum Sacrarum, vel Sanctorum ad inducendum aliquem ad aliquid (3). Alia est *solemnis,* quæ fit ab Ecclesia modis constitutis, ut in exorcismis; alia *privata,* quæ fit a quocumque sine solemnitate; alia *deprecativa,* si precibus; alia tandem *imperativa,* si imperio fiat. Adjuratio est actus Religionis; cum per ipsam aliquem movere intendamus per Dei reverentiam atque timorem. — *Privata* unicuique cum causa licita est; sicuti enim juramento promissorio licet se compellere ad aliquid, ita licere debet alios compellere adjuratione. *Solemnis* tamen fit tantum ab Ecclesiæ ministris ad id deputatis.

CAPUT TERTIUM

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

ARTICULUS I — DE NATURA ET VI HUJUS PRÆCEPTI.

Q. 1. *An præceptum Festorum sit naturale, an positivum?*

R. Cum D. Thoma: *præceptum de sanctificatione sabbati est partim morale, partim vero cæremoniale: morale* (idest *naturale,* sub quo respectu in tertio Decalogi præcepto ponitur) *quidem est quantum ad hoc, ut homo deputet*

(1) Huc veniunt revocanda jam dicta de voti extinctione ac de interpretatione. Sed potestas obtenta dispensandi in votis non complectitur potestatem dispensandi in juramentis, cum sit diversum vinculum. Potest autem S. Pœnitentiaria relaxare juramenta, quæ non sint in favorem tertii ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 181 et 187.

(3) 2, 2, q. 90, a. 1. — Quæ de juramento diximus, huc possunt de facili revocari. Porro per se

aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum Divinis; sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, est præceptum cæremoniale: et quatenus cæremoniale ab Ecclesia fuit abolitum (1). Nempe loco sabbati substitutus est dies dominicus: quæ substitutio ab Apostolis facta merito præsumitur juxta Augustini regulam: *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, id nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur* (2). In hanc longe probabiliorem ac communem sententiam concedit quoque Catechismus Romanus; et ideo observantia Dominicæ ab Ecclesia mutari et dispensari utique potest, quamvis dispensari non possit, quod nullus sit dies festus.

Restat ergo concludendum: —1 temporis determinationem ad Deum colendum, ac modum cultus relictum Ecclesiæ fuisse. Et sane quamvis ratio dictet, Deum esse adorandum, et aliquod temporis cultui ejus esse devovendum, non præcipit tamen specialiter, quod sit integra dies, hoc potius tempus quam illud, hoc potius modo quam altero: erat ergo Ecclesiæ id omne determinare, ne fideles in re adeo essentiali fluctuarent omni vento doctrinæ; —2 nos juxta Ecclesiæ determinationem festa colendo et ipsi naturali, ac divino præcepto rite satisfacere: quod etiam eruitur ex verbis D. Thomæ, qui ut certo supponit Ecclesiæ præscriptionem versari circa hoc naturale ac divinum præceptum, ejus non quidem necessitatem, sed omnes substantiales circumstantias determinando. Causam autem, cur in nova Lege sabbato fuit substituta observatio diei Dominicæ, nobis suppeditat S. Leo Magnus (3): *in hoc* (die Dominico) *per resurrectionem Christi et mors interitum et vita sumpsit initium: in hoc mandatum accipiunt Apostoli prædicandi Evangelium in universo mundo: in hoc potestatem dimittendi peccata: in hoc promissus a Domino Spiritus Sanctus advenit, et Evangelica Lex in die Pentecostes promulgata est.*

Q. 2. *Quisnam potest Festa instituere?*

R. Certum est, Principem sæcularem non posse Festa instituere, dispensare, nec imminuere, cum nulla ei sit in spiritualibus potestas: unde quando mandat abstinere ab operibus servilibus, id civiliter est intelligendum, quoad politiam nempe externam; non vero quasi obliget in conscientia. Habet autem potestatem hanc Pontifex pro tota Ecclesia, cum ipsi Dominici gregis cura demandata sit. Pro sua Diœcesi Episcopus, modo accedat Cleri populique consensus, et agatur de festo alicujus *Sancti*, non vero *Beati* (4). Episcopos tamen monet Urbanus VIII, ut abstineant a novis festis ob multa incommoda, quæ inde oriri solent.

sola creatura rationalis est idonea, ut adjuretur; quia hæc sola potest percipere divina, eorumque reverentia et amore impelli ad agendum. Res autem inanimes hoc sensu solum adjurantur, ut adjuratio dirigatur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, easque movere potest. Huc pertinet adjuratio S. Brixii, qui infantem triginta dierum adjuravit, ut diceret, si ipse esset pater ejus, ut sparserant; cui infans respondit *non*. Continebat hæc adjuratio tacitam orationem, qua Deus rogabatur, ut infanti vocem daret. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 193.

(1) 1 p. q. 22, a. 4.

(2) L. IV *de Bapt.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 263.

(3) Epist. ad Diosc.

(4) C. *conquæstus de fer.* — *V.* Bouix, *De jure liturgico*, c. 4.

Et in Synodo Novariensi merito omnis vis adimitur festis particularibus, quæ speciali Episcopi approbatione munita non sint (*pag.* 67).

Q. 3. *An præceptum sanctificandi Festa obliget sub gravi?*

R. Præceptum sanctificandi Festa obligare sub gravi est communis Theologorum doctrina ac fidelium persuasio. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 52 propositionem: *præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Est autem observandum nomine *Festorum* præter dies Dominicos, eos etiam intelligi, quorum sanctificationem præcipit Ecclesia intra hebdomadam vel in honorem Sanctorum, vel ad memoriam alicujus Redemptionis nostræ mysterii (1). Hoc præceptum, quatenus ab Ecclesia determinatum, obligat omnes fideles rationis compotes, id est circa finem septennii; tunc enim possunt illud modo humano observare. Diximus *fideles:* ipsi enim tantummodo per Baptismum præceptis Ecclesiæ subduntur *(J).*

Q. 4. *Ad quid nos obliget præceptum sanctificandi Festa?*

R. Præceptum sanctificandi Festa nos obligat sub gravi ad duo: nempe 1 ad audiendum Sacrum; 2 ad abstinendum nos ab operibus quæ dicuntur servilia. Utrumque præceptum est (2): utrumque et usu et praxi fidelium confirmatum est. *Præter hæc,* ait clarissimus Roncaglia, *nihil aliud importare obligationem sanctificandi festos dies, est communis Doctorum sententia:* sane vel ipsi rigidiores Theologi non audent damnare de mortali eos, qui hæc solum agerent; cum tamen apud omnes in confesso sit violationem Festorum in re gravi gravem esse. Ita Antoine, Billuart, Cajetanus, Pontas Concina, Cuniliati, aliique.

Sed (dices) *nonne saltem Concio est de necessitate audienda in Festis, ut ista dicantur sanctificari?* — Sunt qui affirmant, et probant tum ex Tridentino, quod jubet Parochis, ut illis diebus concionem habeant, quod frustra esset, si fideles eam audire non tenerentur; tum ex Nicolao I ad Consulta Bulgarorum, ubi idipsum præcipitur. Nos tamen dicimus, quod ex se loquendo festis diebus nulla adest obligatio concionem audiendi, quasi nempe non interessentes graviter ac præcise delinquant contra speciale præceptum sanctificationis Festorum. Sane nullibi legimus præceptum stricte tale, quod nempe fideles obliget ad concionem audiendam illis diebus. Tenentur quidem Episcopi et Parochi Verbum Dei *singulis diebus dominicis et solemnioribus festis* vel per se vel per alios, si legitime impediantur, populo annuntiare; sed communis sententia docet, non teneri fideles his concionibus interesse, nisi quatenus quisque tenetur discere necessaria ad salutem; nec ea discere potest, quin concionibus illis ac præsertim Catechesibus intersit; et

(1) Objectum Festorum sunt non tantum Deus, sed etiam B. Virgo et Sancti in quibus ipse Deus mirabilis exhibetur: unde in 3 classes dividuntur Festa ab Ecclesia instituta, alia nempe Deum, alia B. Virginem, alia Sanctos respiciunt. Universali autem ac perpetua consuetudine sancitum est, ut quævis Ecclesia in honorem alicujus Mysterii, vel Sancti aut Sanctæ erigeretur: si *prius*, persona divina aut mysterium dicitur Titulus aut Titularis Ecclesiæ; si *posterius*, Sanctus vel Sancta vocatur Patronus vel Patrona Ecclesiæ et loci ab ea dependentis. *V.* Benedictus XIV, *De Festis D. N. J. C. et B. V.* — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 270.

(2) C. *Vice illius de tregua* etc. *Si quis de consecr.* disput. 1; et c. 3 *Licet de feriis.* — De Sacri auditione jam actum est *de legibus*, disp. 2.

nisi quatenus absentia potest scandalum procreare, uti in parvis præsertim oppidis solet contingere.—Adde: hanc esse fidelium etiam timoratorum persuasionem negari non potest, qui illico se mortaliter peccare percipiunt, si non abstineant a servilibus, vel Sacrum non audiant; non ita tamen si una vel altera vice, etiam sine necessitate, concionibus non intersint. Adde: quot sunt ex ipsis Ecclesiasticis, qui non semper concioni intersunt? qui si una vice Sacrum omittant audire vel celebrare festo die, peccatum suum fatentur; sed numquam de concionis omissione se accusant: quæ quidem si essent in præcepto, vel unum omittere mortale esse deberet, sicuti mortale est vel unam omittere Sacri auditionem. Nec dicant, quod ipsi instructi jam sunt; non enim hic agitur de necessitate instructionis, sed de necessitate sanctificationis festorum: hoc porro præceptum sanctificandi Festa nullam personam excipit.

Hæc dicta sint, ut qua par est, veritas aperiatur, ac ne laqueum imponamus: cæterum alia ratione fideles ad concionibus et præcipue catechesibus interessendum compellendos esse censemus, opportune et importune; nam ex una parte instructione maxime indigent, et ex alia solis festis diebus instructio habetur. Unde si quæstio sic instituitur: 1 *tenenturne fideles concionem et instructionem audire festis diebus?* nostra responsio generatim loquendo esset affirmativa; at si quæratur 2: *estne de necessitate concio audienda in festis, ad hoc præcise, ut ipsa dicantur sanctificari?* respondemus negative. Quare in festis qui Missam audit et a servilibus abstinet, non peccat amplius contra præceptum speciale de observantia festorum, etsi facile possit peccare contra alias virtutes et obligationes sui status, concionem, catechesim et cætera pictatis opera omittendo; et ideo omni modo ad ea sit compellendus (1).

An saltem (quæres) *ad festum sanctificandum requiratur aliud virtutum exercitium præter Missam et abstinentiam a servilibus?* — Sunt qui affirmant (licet non audeant definire, an sub gravi) aliquid amplius requiri, si non ratione præcepti Ecclesiastici, saltem divini; cum scriptum sit: *memento, ut diem sabbati sanctifices.* Quæ porro sanctificatio, si major diei pars in humanis rebus absumatur? Nos tamen dicimus, quod quidem *desiderandum est quammaxime*, ut fideles omnes præter Sacri auditionem et abstinentiam a servilibus alia diebus festis exerceant opera Religionis, v. g. actus eliciant

(1) Hinc sicuti non probamus eos, qui in publicis concionibus omnes indiscriminatim fideles sub mortali peccato ad hoc jugiter obstringunt; ita neque eos laudamus, qui absolute eos liberant. Utrumque enim sine discretione est: *primum* ob onus, quod justo gravius imponit; *secundum* ob multorum inscitiam atque infirmitatem, qui ea doctrina abuti possunt. Certæ namque veritates singulæ singulis pro uniuscujusque captu ac necessitate aperiendæ sunt: unde ad rem ait Augustinus, *de dono persev.* c. 16: *utile est, ut taceatur aliquod verum propter incapaces.*

Præstat ergo, ut sermo noster nulli offendiculo sit; hoc tamen non impedit, quominus gravioribus verbis generatim insistamus, ut fideles concionibus ac catechesibus intersint; nam in hac re inscitia major est, quam ut creditur: et qui instructus est, præstat ut instruatur adhuc: quod quidem libri non ita facile supplent; magis enim voce, quam lectione movemur. Adde hanc esse divinæ Providentiæ œconomiam; nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Rom. 10.— Quod quidem ipsis etiam Ecclesiasticis dictum esse volumus: hinc reprehendendi sunt qui concionis tempore se in Sacrarium recipiunt vel ad Horas persolvendas sine necessitate, vel etiam ad confabulandum; hoc enim sine eorum detrimento et fidelium scandalo evenire non potest.

fidei, spei et charitatis, libros pietatis evolvant, Ecclesiam adeant, ut divinis officiis intersint et orent; et si quis legitime impediatur, *saltem in domo sua oret,* ut hortatur Augustinus, *et non negligat Deo solvere votum ac reddere pensum servitutis* (1). Sed iis etiam prætermissis, præcepto de sanctificandis diebus festis satisfaciunt quoad substantiam, dummodo Missam debitis modis audiant et se a servilibus abstineant; cum tantum hæc duo ab Ecclesia præcipiantur. Ut enim communiter docent Filliucius, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Suarez aliique, in hoc tertio præcepto tantummodo præcipitur cultus externus et abstinendi a servilibus et Missam audiendi. Confirmatur ex S. Thoma, qui docet, quod ad interiorem cultum non cogimur, sed movemur a Spiritu Sancto: *ideo,* ait, *in tertio præcepto Decalogi* (prout ab Ecclesia determinatum est) *præcipitur exterior Dei cultus* (2).

Sed maxime nostra conclusio probatur auctoritate Benedicti XIV: Pontifex anno 1744 Constitutione *Paternæ charitatis* ad festorum obsevantiam tuendam, de Missæ auditione et abstinentia ab operibus servilibus sermonem faciens, jubet et imperat; non ita tamen loquitur de aliis operibus agendo, sed verbis tantum hortatoriis utitur. En verba: *omnes Christi-fideles ab operibus servilibus, ad quæ peragenda nulla necessitas cogit, omnino abstineant; sed ab omni terrena cura et temporali sollicitudine liberi et vacui ad Ecclesiam pergant: ibi sacrosancto Missæ Sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes intersint. Quin etiam exhortamur in Domino, uti in precibus quoque, divinisque laudibus persolvendis, audiendoque Verbo Dei frequentes sint; et per totum festum, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quæ christianam pietatem continent et comitantur.* Hinc communiter dicunt Cajetanus, Cuniliati, Hennus, Sylvester, Sylvius, Sotus aliique non esse verum (ut aliqui volunt) peccatum die festo commissum induere novam malitiam specie diversam, mortalem nempe contra observantiam festorum in Confessione explicandam; nam verba præcepti sunt in proprio sensu accipienda: porro peccata nonnisi metaphorice dicuntur servilia; sed *ad litteram,* ait Angelicus, *dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus* (3). Unde quando idem Doctor ait: *magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit,* de præcepti fine est intelligendus, ne dicatur sibi contradicere (4).

Diximus *desiderandum est quammaxime;* cum enim fideles ad virtutum actus alia ratione teneantur, id est ex Religionis præcepto, qui habitualiter festis diebus iis nullimode vacant (cum tamen negotiis non sint distracti et tempus suppetat et invitet occasio et aliorum impellant exempla), in praxi bene dici potest, eos propriæ obligationi deficere, ideoque improbandos: qui

(1) Serm. 251 *de tempore.*

(2) 2, 2, q. 122, a. 4.

(3) In 3, d. 37, q. 1, a. 5, q. 2.

(4) 2, 2, q. 122, a. 4. — *V.* Liguori, *Opus Morale,* l. III, nn. 46 et 273; et *Homo Apost.* tr. VI, n. 2. — «Non desunt (ait *Staf*) qui peccatis, quæ die festo committuntur, notam specialis malitiæ assignant: attamen hæc assertio nimis rigida videtur, nisi forte flagitium tali die commissum directe in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ occurrentisve mysterii, vel cum magno aliorum scandalo, ad turbandam illorum devotionem, etc. patratum fuerit.»

sibi non providet, cum omnia opportune cedunt, haud sibi providebit, remota opportunitate (1).

Sed (dices) *finis abstinentiæ a servilibus die festo præscriptæ est, ut fideles rebus divinis operam navare valeant; ergo* etc. — Negamus *conseq.;* nam finis præcepti a præcepto ipso longissime differt. Præceptum enim importat obligationem: finis vero præcepti non sic; quia juxta commune Theologorum effatum post D. Thomam, *intentio legis sub legem non cadit.* — Exemplo res explicatur: finis abstinentiæ atque jejunii est maceratio carnis: quid nunc si quis ob physicam sui constitutionem magis jejunii cibis, quam ipsis carnibus delectetur? nonne hic præcepto nihilominus plenissime satisfacit? A pari: finis cessationis ab operibus servilibus est utique, ut rebus divinis vacantes dies festos sanctificemus; sed finis hic non cadit sub præcepto. Ideoque si Missa recte audiatur et fiat abstinentia a servilibus, jam habetur observantia præcepti quoad substantiam; quamvis ultro desideremus ac velimus, omni ratione fideles compellendos esse ad finem etiam præcepti implendum.

Sed (inquies) *hæc paritas non facit; nam præceptum abstinentiæ negativum est: at præceptum sanctificationis festorum est positivum, id est aliquid faciendi juxta illud:* memento, ut diem sabbati sanctifices. *Unde non sufficit a servilibus se abstinere.* — R. Cum Perazzo (2): præceptum sanctificandi festa — 1 aliquid negativum continet, ne scilicet opera servilia exerceantur, et quantum ad hoc valet paritas allata, et impletur illud: *non facies omne opus in eo,* quin aliud inquirere teneamur; — 2 continet aliquid positivum, ut nempe Divinis vacetur juxta illud: *memento, ut diem sabbati sanctifices,* et hoc impletur per auditionem Missæ, qui quidem actus positivus est, solemnis ac potissimus inter religiosos. Adde vel per ipsam abstinentiam a servilibus, quæ toto festo die perdurat, totum diem sanctificari; illa enim dicuntur sanctificari, quæ divino cultui applicantur: at talis profecto est abstinentia illa. Unde ad rem ait doctus ac pius Stapf (§ 218): *dum consueta hujus temporis negotia in honorem Dei suspendimus, dies isti ex communi censu reliquorum hoc ipso secernuntur, atque Deo sacrati fiunt. Est quippe aliquod genus sacrificii, quod Deo de tempore nobis concesso offerimus, eidemque ad contestandam nostram pietatem devovemus, ut adeo otium istud vere sacrum dici mereatur* (3).

(1) Valde etiam congruit, ut festos dies, prout scite notat idem *Stapf*, «pia mentis hilaritate et indiciis etiam externis, v. g. elegantiori vestitu, etc. præ reliquis insignire studeamus; sunt enim dies ordinis sublimioris, et adumbratio quædam cœlestis illius sabbati, cujus tanto desiderio tenemur (*Hebr.* 4, 11). Sane etiamsi hæc externa tantum sint, destinationi tamen festorum apprime respondent, et siquidem ex animo vere devoto procedant, aliquam divini cultus partem constituunt. Vel quid convenientius, quam ut pro dignitate ipsius diei etiam vestitus et tota conversatio nostra nihil, quod vulgare et quotidianum sit, præseferat?»

(2) In Opere, *Thomisticus Ecclesiastes,* V. Festus dies.

(3) Neque valet dicere, quod hoc præceptum utpote naturale-divinum non potest ab Ecclesia coarctari; non enim coarctatur, sed explicatur, et modus illud implendi indicatur: sicut Ecclesia non coarctat præceptum divinum Confessionis ac Communionis, quia declarat illud implendum esse semel saltem in anno. Quoadusque ergo Ecclesia clare non indicet, aliquid amplius requiri ad sanctificationem festorum, tuto tenere possumus cum tot gravibus Auctoribus per illa duo jam supra memorata præceptum illud bene impleri quoad substantiam et in se spectatum.

Rem totam concludens ait Episcopus Bouvier:... 1 *vi præcepti divini aut Ecclesiastici fideles non teneri prædictis diebus interiores actus fidei, spei, charitatis, aut contritionis elicere; quia nullibi legimus tales actus his diebus esse præceptos: nec sacram concionem audire ob eamdem rationem;...* 2 *eos qui diebus dominicis et festis ab operibus servilibus abstinent et Missam debito modo audiunt, cunctis aliis Religionis operibus neglectis, licet reprehensibiles, præcepto de sanctificandis præfatis diebus satisfacere quoad substantiam, ita ut mortaliter non peccent. Absolvi ergo et ad Communionem paschalem admitti possunt, si nihil aliud obstat: quamvis fortiter hortandi sunt ad ea præstanda vel fugienda, quæ optimi Christiani præstare et fugere solent, et ad quæ sancta Mater Ecclesia tam sollicite et constanter incitat;....* 3 *patere quanti momenti sit distinctio a S. Thoma inducta inter rem præceptam, et finem præcepti sub præcepto non contentum, quam distinctionem plurimi non attendentes in vagam abeunt doctrinam vel rigidiores emittunt sententias (K).*

Q. 5. *Quid circa observantiam Festorum ex Synodo Novariensi?*

R. Hæc præcipue Parochis injunguntur ex Synodo Novariensi: 1 ut si festum in bebdomada contingat, illud antea annuntient, observantiam urgentes; 2 ut solemnitatibus occurrentibus triduo tantum ante campanæ pulsentur, neque protrahatur sonus ultra primam noctis horam; 3 ut Titularium solemnia proprio celebrentur die, nec quidquam indecorum permittatur (1).

ARTICULUS II —De operibus quæ diebus festis vetantur (2).

Q. 1. *Quotuplex operum genus quoad Festa distinguitur?*

R. Quadruplex operum genus quoad festa distinguitur. Alia sunt *opera corporis,* quæ corpore exercentur, et ordinantur immediate ad ipsam corporis utilitatem, uti suere, fodere, metere, vineas colere, filum digito torquere, et cæteræ artes mechanicæ: hæc porro dicuntur *opera ruralia* vel *servilia:* quia ut plurimum a servis præstari solent. — Alia sunt *opera animæ,* quæ ab anima præsertim procedunt atque ad ejusdem cultum diriguntur, uti docere, legere, scribere, canere: hæc dicuntur *opera liberalia;* quia exerceri solent a liberis, et mente potiusquam corpore: atque primario ordinantur ad ipsum excolendum intellectum. — Alia sunt *opera media,* quæ etiam dicuntur *communia,* quæ a servis simul et a liberis promiscue exercentur, uti venari, iter facere, militare, gladiari et similia. — Alia denique sunt *opera forensia,* quæ scilicet ad forum judiciale, vel etiam ad mercatum spectant.

Q. 2. *Quid dicendum de operibus servilibus in diebus festis?*

R. Opera servilia proprie dicta (3) prohibentur diebus festis, uti constat ex

(1) Tit. *de Fest. et de sacr. Missæ.* (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 272.

(3) Non licet etiam ea facere, quæ levem laborem exigunt, ut rosaria, scapularia, imagines cereas, etc. quia hæc in usu communi inter opera servilia numerantur; et si multum laboretur, potest esse mortale. Item vetitum est die festo libros arte libraria colligare aut consuere, chartas aut telas conglutinare, volucrum retia texere vel cavéas conficere, ligna secare, etc: hoc advertant nonnulli, qui feriali die hisce quandoque vacantes, ea sibi et festo licere putant recreationis causa. Hæc opera, quæ ex se servilia sunt, naturam non mutant ex diversa operantis intentione. — Sunt vero qui excusant ancillas, quæ in familiis occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis,

veteri lege et Canonico jure (1). Quod præceptum obligat: 1 integro die festo, id est ab hora duodecimâ noctis præcedentis usque ad horam item duodecima noctis sequentis, ut usus universalis se habet; 2 omnes fideles septennio majores et ratione utentes; quia tunc illud humano modo servandi capaces sunt; 3 sub mortali, quia tendit in debitum cultum ex virtute Religionis Deo exhibendum, quæ est res ex genere suo gravis. Nihil vero refert utrum hæc opera fiant ex lucro, an recreationis causa; an bona, an mala animi intentione: an corporis defatigatione; an ejusdem solatio: nam istæ rerum circumstantiæ non immutant eorumdem operum naturam (2).

Q. 3. *Quid dicendum de operibus liberalibus in diebus festis?*

R. Opera liberalia nulla lege prohibentur diebus festis, et ubique etiam a timoratis exercentur. Quare licebit: 1 disputare, docere, cujuscumque scientiæ studio operam navare, concionari, advocatos consulere, canere, instrumenta musica pulsare et alia similia, licet omnia fiant ad lucrum captandum; quia intentio operantis non mutat operis naturam ex Angelico; 2 scribere, et in probabiliori et communissima sententia etiam transcribere; cum utrumque referatur ad mentis instructionem, et praxis probet. Plures admittunt etiam notas musicales efformare; 3 delineationes artificum, v. g. architectorum, pictorum, sculptorum, fabrorum, etc. in charta exarare (vulgo *diseñar*); quia in hoc magis quam corpus, mens exercetur. *Sculpere* autem communiter inter servilia amandatur, saltem in æstimatione hominum.

Quid vero pingere?—Pingere communius docent cum Suarez, Sanchez et Salmanticensibus esse opus servile; hoc enim requirit actionem materialem. Sed satis probabiliter negant Layman, Sa, Palaus, Roncaglia, Anacletus, Holzman: pingere (modo non sit labor notabilis in præparandis coloribus et tabulis dolandis) videtur potius opus liberale, quam servile, quatenus tendit ad animum recreandum et magis in eo mens operetur, quam manus. Saltem est dubium sitne liberale, an servile: et si non est liberale, saltem est opus commune; cum hoc exercitium tam a liberis, quam a servis factitetur (3).

Quid de impresione ac compositione?—Characteres componere plures admittunt, cum sit quædam quasi scriptio ordinata ad mentem instruendam: excipe nisi aliter, ut apud nos, se habeat consuetudo. At vetita est impressio; neque enim immediate concurrit ad instructionem; sed efficit tantum quoddam artefactum corporale: ideo ars prorsus mechanica est.

Q. 4. *Quid dicendum de operibus communibus in festis?*

R. Cum Angelico: *opera etiam corporalia ad spiritualem Dei cultum non*

etiam seclusa alia necessitate: sed potius dicendum in his operibus majus temporis spatium requiri, ut sit culpa lethalis; cum isti labores leviusculi sint, neque animum valde occupent, neque corpus admodum defatigent. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 282.

(1) Lev. 23; et c. 1 *Omnes* de Feriis. (2) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXV.

(3) Saltem, ut dicit Roncaglia, non sunt dimittendi sine absolutione qui hanc opinionem ut probabilem sequuntur. Communiter autem admittunt Sporer, Potestas, Mazzota et alii cum Tamburini et Viva, non esse opus servile delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu, ut solent fœminæ; hæc enim, ait Tamburini, magis referuntur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. Excusant etiam Azor, Filliucius, Sylvius puellas acu pingentes, ut addiscant, vel ut otium fugiant. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 280 et 283.

pertinentia in tantum servilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad servientes: in quantum vero sunt communia servis et liberis, servilia non dicuntur (1); ideo licita sunt festis diebus. Sed magna quæstio in iis adsignandis: qua in re consulenda est consuetudo legitima, et communis æstimatio. Hinc permittunt ludere, itinerari pedibus, equo, curru vel navi; cum hoc sit commune omnibus, et id negantes pharisaicæ superstitionis arguat Concilium Aurelianense *(Orleans)* tertium nationale, anno 538 celebratum.

Quid (dices) *de iis, qui currus vel jumenta ducunt cum onere in festis?*— Alii docent id illicitum esse, cum tantum servis proprium sit: unde iter inceptum tantum permittunt continuari, si sine damno interrumpi non potest. Alii probabilius et absolute permittunt, vel ob publicam utilitatem, vel ob timorem gravis damni, vel ob vigentem nec reprobatam consuetudinem. Hoc valet etiam de nautis.

An vero liceat molere in Festis, alii affirmant, si mola aqua vel vento volvatur; quia cooperatio hominis modica est. Benedictus XIV id permittit tantum ex necessitate, vel ex legitima consuetudine (2).

Quid de venatione et piscatione?—Communius et probabilius venatio in festis permissa est sive retibus sive armis agatur, tum ex consuetudine, tum quia non habetur opus servis proprium. Pariter probabilius est licere piscationem ex ipsa consuetudine, si moderato labore fiat; si enim fieret nimia defatigatione, prohibita esset: secus frustra Alexander III olim dispensasset quoad piscationem alecium (3).

Q. 5. *Quid de operibus forensibus in festis?*

R. Præter opera servilia prohibentur in jure festo die etiam opera forensia. Sunt autem: 1 *actiones judiciales,* quæ respiciunt causas tam civiles quam criminales, attamen si strepitum requirant: hinc ajunt ordinarie licere emancipare, appellare, dispensare, privatim informare, eligere, excommunicare, etc.; cum hæc fiant sine strepitu; 2 *mercatus,* qui fiunt cum strepitu (4). Horum omnium ratio est, quia multum animum distrahunt atque a festorum sanctificatione avertunt. Ex consuetudine tamen permittuntur nundinæ universales, imo alicubi etiam particulares seu mercatus hebdomadarii. Ad mercium vero venditionem quod attinet, Ecclesia eam prohibuit in publicis tantum officinis ratione scandali: unde, ut usus fert, vendi possunt clausis januis, maxime cum emptores pro tunc valde indigeant; exclusis tamen semper horis divinorum Officiorum (5).

Nota: nomine *mercatus,* in communiori sententia non veniunt locationes, conductiones et similia; quia sic fert sapientum consuetudo, qua decretis tum Pii V tum S. Rituum Congregationis derogatum fuisse videtur. Hinc multi docent licitos esse contractus omnes, qui fiunt sine instrumento, et sine judicis auctoritate, eadem ferme ubique consuetudine probante. Imo Viva asserit ex communi cum Palao, quod permittitur conficere testamenta, contractus celebrare, aliosque similes actus facere, qui non requirunt strepitum judicialem: *et revera,* concludit Sanctus noster, *ubique inter nos in fes-*

(1) 2, 2, q. 122, a. 4.
(2) Notificatione LV, § 37.
(3) C. 3 *de feriis.*
(4) C. 1, 2 et ult. *de feriis.*
(5) Hoc probat Benedictus XIV, *Notificatione* XLIII. — Synodus Novariensis, *Tit de Festis.*

tis stipulantur instrumenta; quamvis notarii alicubi soleant petere ab Ordinario generalem licentiam, quæ cæterum communiter conceditur (1).

§ unicus—*De causis, ob quas opera servilia permittuntur.*

Q. *Quænam causæ opera servilia in festis permittunt?*

R. Ex communi acceptione recensentur: dispensatio, pietas, charitas, necessitas, consuetudo, utilitas ac rei parvitas (2).

1. *Dispensatio:* hanc possunt elargiri: 1 Pontifex maximus pro tota Ecclesia; 2 Episcopus pro sua Diœcesi, Vicarius capitularis et Prælati Regularium pro suis subditis; est enim jurisdictionis actus (3), 3 Parochus, sed non ex suo officio, bene vero ex consuetudine, quæ quidem solum permittit, ut dispenset ad tempus, et pro casu aliquo peculiari: poterit tamen semper declarare pro omnibus, quando hæc obligatio obtineat necne; cum sit doctor. —Hæc autem notanda ex Synodo Novariensi: 1 ut quisque adeat suum Parochum pro hac facultate obtinenda, neque illam audeant concedere Confessarii; 2 ut Parochus quibus illam concedit, moneat, non eos ideo solutos ab auditione Missæ; 3 ut si universa multitudo operatura sit, nec ulla instet necessitas, ad Episcopum fiat recursus (4): urgente tamen necessitate, sufficit dispensatio certo præsumpta.

2. *Pietas in Deum* juxta illud: *Sacerdotes in Templo sabbatum violant, et sine crimine sunt* (5). Hac ratione permittuntur opera, quæ proxime pertinent ad Dei cultum, v. g. pulsare campanas, crucem circumferre, ornare altaria, hostias coquere, verrere templum, sternere tapeta, tabulata ad festivitatem erigere, etc.; talis est etiam consuetudo. At probabilius non licet agros Ecclesiæ colere, parietes Ecclesiæ dealbare, ligna, saxa ad ejus ædificationem vehere, etc. nisi adsit necessitas vel magna utilitas ab Episcopo probata; hæc enim nonnisi remote ad pietatem in Deum concurrunt.

3. *Charitas:* per charitatem in proximum licet expedire causas pauperum, orphanorum et viduarum, nec non eorum indigentiæ subvenire per opera servilia, vestes, v. g. conficiendo, etc. Licet fodere sepulturam: item facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos et similia; cum enim charitas sit finis præceptorum, nihil eam debet impedire. Quod tamen de communi necessitate non est intelligendum: alioquin festa corruerent, cum hæc necessitas quotidiana sit: et hoc nobis videtur certo probabilius. Unde necesse est, ut noscatur talis pauper graviter ægens in particulari, vel gravis et certa necessitas alicujus communitatis.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 286.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 288; *Homo Ap.* tract v, n. 16.

(3) Episcopus etiam habet, ut dispenset vel in festis communibus; sed cum hoc discrimine, quod in festis communibus ad dispensationem validam requiratur justa causa: in festis vero Synodalibus seu peculiaribus suæ Diœcesis vel absque causa dispensationem valide concedat. Ratio primi est, quia dispensat in lege non sua, ideoque est simplex executor: ratio secundi, quia dispensat in propria lege, ideoque dominus est.

(4) Pag. 67: «Cuando hay evidente necesidad de trabajar, no se debe obtener dispensa, á menos que resulte escándalo de hacerlo sin permiso, atendida la costumbre del país. Gousset, n. 571.

(5) Matth. 12.

4. *Necessitas* (intellige si gravis) : hæc sive propria sive aliena sive corporis sive animæ excusat a servilibus die festo ; nam festa propter homines, non homines propter festa (1) : et aliunde fatentur omnes, legem humanam cum tanto detrimento non obligare. Hinc dicimus non peccare : 1 eos, qui propter præteritam, vel imminentem pluviam fœnum vertunt et congregant : aut soli exponunt frumenta et alia grana, quæ secus tabem aliquam contrahere possent ex humore non satis exsiccato ; 2 famulos, qui coguntur a domino laborare metu gravis incommodi, v. g. ne dimittantur sine spe faciliter et brevi inveniendi cui serviant. Idem dic de uxoribus et filiis coactis a patre ad laborandum : quod tamen non sit in contemptum Religionis ; 3 pauperes, qui aliter se suosque sustentare non possunt ; remoto tamen scandalo (2) : curare nempe debent, ut secreto laborent ; 4 eos, quorum opera semel incepta interrumpi non possunt absque gravi damno, uti coquentes lateres, calcem, vitrum ; et bombycibus folia ministrantes. Item permittitur equos calceare itinerantium, reficere vomeres eorum, quibus aliter die sequenti cessandum esset a labore, reparare vias et pontes, urgente necessitate ; 5 pistores, qui ex usu recepto panem recentem habere tenentur, nisi velint officinam ab omnibus derelinqui ; 6 sartores, qui conficiunt vestes die tali omnino necessarias, ut funebres vel nuptiales, si eas nequeunt terminare, nisi festo laborent (3). Non excusantur tamen illi, qui post mediam noctem sabbati laborant, ut vestes promissas exhibeant, nisi rationabiliter timeant graves rixas, blasphemias, etc. vel aliud notabile damnum ; 7 eos, qui faciunt pastillos, si tamen opus sit ad publicam abundantiam.

5. *Consuetudo :* Ad rem Gerson : *de operibus servilibus non exercendis diebus dominicis et festivis plus et frequenter determinat consuetudo loci, et personarum a Prælatis tolerata, quam alia lex scripta* (4). Hoc modo excusantur : 1 quædam nundinæ publicæ, nec non quidam contractus emptionis-venditionis ; 2 quæ ad domus nitorem pertinent, uti cubilia sternere, vasa lavare ; 3 quæ respiciunt personæ compositionem, uti barbam tondere (5), vestes

(1) Hic quæri solet : *an liceat laborare in festo ad otium vitandum malitiæ fontem ?* — Nos iis libentius subscribimus, qui affirmant ; sed in solo casu, quo tentatio sit, vel timeatur nimis molesta, et nequeat alio modo superari, nisi se labori applicando : nam si excusat a labore necessitas corporis tanto magis necessitas animæ. Verum hic casus nescio an moraliter possit accidere, saltem erit rarissimus ; otium enim vinci potest multimodis, oratione, honesto solatio ac lectione librorum. Forsan id locum habere potest in montanis, ubi rusticani aliqui rudes soli remanere soleant ad armenta curanda, quos non auderem damnare, si post actas preces, ad otium fugiendum aliquod servile opus non ita corpus defatigans in festis agerent. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 302.

(2) Ex hoc capite excusantur etiam : — 1 Rusticani illi, qui pondere onusti ad Paræciam a montanis non revertuntur nisi mane diei dominicæ, et illico post vesperas iterum ad montana sarcina onusti se conferunt, ne diem perdere cogantur ; — 2 Alpini illi, qui in montibus admodum dissitis armenta pascunt, quæ nonnisi alterne deserere possunt, ut ideo ad propria redeant festa sanctificaturi ; — 3 Pauperculæ illæ matres, quæ tota hebdomada mercede conductæ, nonnisi in festis filiorum vestes consuere possunt : his tamen non subito fides adhibenda, cum non semper vera necessitas sit.

(3) Est graviter increpandus eorum abusus, qui absque necessitate, non tantum in multam noctem quæ festum præcedit ; sed ipso festo laborant, vacationem in feriam secundam tanto cum animæ propriæ detrimento, aliorumque scandalo transferentes.

(4) *Reg. Mor.* de præc. Decal.

(5) « Circa barbam tondendam aliqui dicunt, adesse consuetudinem ubique ; alii dubitant. Cæte-

pulvere purgare; 4 licet parare cibos et coquere : item animalia occidere et excoriare, si pridie non possit, vel tempus sit æstivum : item irrigare olera : item uti lectica ab hominibus portata : item colligere fructus etiam non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur, et hoc magis ne ab aliis subripiantur vel a pluvia contaminentur. Cæterum notandum, non unam esse omnium locorum consuetudinem.

6. *Utilitas :* quæ excusat, præsertim si publica, v. g. si agatur de communi lætitia, puta de celebranda Principis victoria, de paranda solemni pompa pro receptione Episcopi vel Regis; cum hæc sint lætitiæ signa moraliter ad populi pacem necessaria.—Sed utrum excuset etiam utilitas privata, nempe occasio magni lucri, alii negant probabiliter : alioquin fere semper liceret laborare diebus festis, cum quiescendo aliquid lucri semper amittatur. Alii tamen id merito permittunt, si agatur de lucro extraordinario et eventuali, uti est in quibusdam regionibus piscatio lignorum, quæ nisi fiat statis anni diebus, quibus alluvio magna contingit, nulla amplius fieret (1).

7. *Rei parvitas :* omnes quippe fatentur hoc præceptum materiæ parvitatem admittere, ac proinde ejusdem violationem ex genere suo mortalem evadere utique posse venialem defectu materiæ. Pro materia gravi alii ponunt tres horas, sed hoc est nimis laxum ; alii unam horam, sed hoc est nimis rigidum; alii communius duas horas (sive continuas sive discontinuas), idque maxime, si labor sit valde servilis, ut fodere terram, cædere lapides, etc. Sunt tamen multi alii, qui ad mortale requirunt aliquid amplius, nempe duas horas cum dimidia : et hanc sententiam hac nostra ætate et communiorem et probabiliorem dicit Croix (2). Si tamen agatur de operibus forensibus, gravitas materiæ non tam desumitur a quantitate temporis, quam ab operis qualitate; hic enim non attenditur temporis diuturnitas, sed actus solemnitas (3). Hinc versus :

Legifer excusat, pietas, charitasve, necesse,
Usus et utilitas, exiguusque labor.

rum probabiliter dicunt alii, universaliter permitti rusticis tonderi in festo ; quia hic dies tantum illis, ut tonderi possint, vacat. Et dicunt etiam, posse excusari tonsores, si eis renuentibus tondere diebus festivis, notabilis lucri jactura facienda esset.» Liguori, *Homo Apost.* tr. VI. n. 15.

(1) Hæc sententia etiam citra consuetudinem est satis probabilis, imo forte probabilior pro iis, qui laboribus se sustentant; cum enim isti comuniter raras habeant occasiones talis magni lucri acquirendi, magnum lucrum amittere existimant idem esse ac magnum damnum sustinere. In idem enim revera coincidunt aliquid amittere, et prohiberi acquirere quod amplius acquiri non potest. *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 301.

(2) Si pœnitens confiteatur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit judicans laborare in materia gravi; sed opus est, ut eum doceat, laborare per longum tempus etiam occulte, et animi solatio ac gratis, etiam esse peccatum.—Liguori, *Praxis Conf.* n. 33.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 305; et *Homo Apost.* tr. VI, n. 25.

DISPUTATIO TERTIA

DE VITIIS QUÆ VIRTUTI RELIGIONIS ADVERSANTUR.

Q. *Quænam vitia virtuti Religionis adversantur?*

R. Vitia alia adversantur Religioni per excessum, non quod Deus possit cultu nimio adorari, cum dignus sit cultu infinito; sed quod ei cultus exhibeatur vel pravus in se, vel inordinatus in modo: vitia hæc *superstitionis* vocabulo solent indicari. Alia Religioni adversantur per defectum, et *irreligiositatis* nomine significantur. Hæc omnia peccata ex genere suo gravissima sunt; cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ, id est Religioni *(L)*.

CAPUT PRIMUM

DE SUPERSTITIONE (1).

Q. *Quid de superstitione?*

R. Superstitionem definimus cum D. Thoma: *vitium Religioni oppositum secundum excessum... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet* (2). Ex quo patet, superstitionem esse spectandam et ex parte rei, quæ cultu donatur; et ex parte modi, quo cultus ille exercetur.

1. Ex parte *rei* triplex est superstitionis species: idololatria, divinatio et vana observantia; vel enim creatura colitur tamquam Deus et loco Dei, et oritur *idololatria:* vel ab ipsa creatura tamquam a Deo petitur rerum occultarum cognitio, et est *divinatio;* vel demum aliquod ab ea imploratur auxilium, et est *vana observantia.* Quæ omnia natura sua mortalia sunt; cum gravem Deo irrogent irreverentiam tribuendo creaturæ quod Deo soli debent; — 2 ex parte *modi* potest cultus ipse vel falsus esse, vel turpis, vel superfluus. *Falsus*, si quid falsi significet, v. g. si quis uteretur cæremoniis Judaicis, quæ Christum venturum significabant. *Turpis*, si quædam contineat Deo injuriosa, v. g. si quis suis in precibus induceret verba inhonesta et contumeliosa. *Superfluus* denique, si nihil conferat ad verum cultum Dei, v. g. si quis non vellet Missam audire, vel sacram Synaxim suscipere, nisi a tali Sacerdote: quæ ultima species, secluso scandalo, ordinarie venialis tantum censetur; quia materia levis est, et potius mera simplicitas, quam

(1) Sic dicitur vel a gentilibus qui deos suos deprecabantur, ut filios suos sibi *superstites* habeant; vel a verbo *superfluo*, quasi cultus sit superfluus. — *V.* Bergier, *Dizionario*, ecc. V. superstizione.

(2) 2, 2, q. 92, a. 1. — *V.* Valsecchi, *Fondamenti della Religione*, lib. III, c. 15.

positiva irreverentia. Aliæ vero semper mortales sunt; quia graviter repugnant honori et cultui divino, qui sola veritate innititur.

Ex Constitutione *Omnipotens* Gregorii XV malefici et sortilegi cum diabolo pactum facientes, a fideque apostatantes et alios lædentes, sunt denuntiandi. Quod item valet de omnibus superstitiosis, si hæresis suspicionem tribuant (1). Ex Decreto autem sacræ Inquisitionis approbato die 5 aug. 1745 a Benedicto XIV, Sacerdotes Sacrificio ad sortilegia abutentes præter pœnas jam statutas contra sacrilegos, perpetuam inhabilitatem incurrunt ad Missam celebrandam (2).

Synodus Novariensis reservat sub n. 2° *quascumque superstitiones cum abusu rerum sacrarum, aut cum expressa dæmonis invocatione.* Ad hanc autem reservationem requiritur: 1 ut res sit sacra: quo nomine hic intelliguntur omnia, *quæ consecratione aut benedictione ecclesiastica Sacrorum albo recensentur*, uti Olea consecrata, vestes sacræ, cæmeteria, templa, aqua lustralis, Reliquiæ Sanctorum, imagines benedictæ, etc.; 2 ut dæmonis invocatio fiat verbis vel scriptis eam significantibus, neque censeatur sufficere opus quodcumque, licet superstitiosum.

ARTICULUS I—De idololàtria et divinatione.

Q. 1. *Quid est idololatria, quotuplex, quale peccatum* (3)?

R. Ad 1: Idololatria definiri solet: *cultus divinus creaturæ exhibitus,* quo nempe creatura tamquam Deus habetur et adoratur (4). Dicta est ab *idolo* simulacro, et *latria* cultu.

R. Ad 2: Idololatria triplex est: *perfecta, imperfecta* et *simulata.* Prima creaturæ defert divinum honorem falso putans, eam esse Deum. Altera defert quidem creaturæ honorem divinum, sed externum vel ex mera animi cupiditate, vel ex odio veri Dei, utique sciens eamdem divinitate carere: hæc omnium est gravissima ob adeo pravam voluntatem. Tertia honorem illum creaturæ exhibet solo metu mortis, uti Christianis quibusdam accidit tempore persecutionum.

(1) Superstitiones hanc suspicionem tribuunt «cum sunt factæ cum pacto aut invocatione expressa dæmonis, aut eum adorando, aut certos Psalmos aut preces recitando, quibus videtur in auxilium invocari ille: aut hostiis consecratis, Chrismate, aut Olio sancto abutendo: aut si illas ex professo docuerint vel docti fuerint, aut si effectum consecutæ sint.» Ita S. Alphonsus, *Homo Apost.* tract. XIII, n. 78.

(2) Hæc pœna non incurritur, nisi accedente declaratione saltem criminis: ita S. Pœnitentiaria 10 febr. 1785, referente Pavone. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 705.

(3) *Idololatria originem traxit ex duplici capite, videlicet ex parte hominis et ex parte dæmonis. Ex parte hominis quod vel creaturam plus nimio amaverit, vel excessive venerando, eidem tandem honorem divinum impenderit; ex parte vero dæmonis, qui hominibus a via virtutis et justitiæ aberrantibus se colendum exhibuit in idolis, dando responsa et patrando quædam, quæ hominibus videbantur mirabilia.* Ita fere Angelicus, 2, 2, q. 94, a. 4. Jam a tempore Thare et Nachor progenitorum Abraham erant idola, ut habetur *Jos.* 24. *V.* Suarez, *De superstitione.* — Bergier, *Dizionario* ecc. V. Idolatria, Panansesimo. — Veith, *Sacra Scriptura, De L. Sap.* n. 71. — A-Lapide, *In Sap.* c. 14. — *Bibbia* di Vence, *Dissert.* vol. IV: origine dell'idolatria.

(4) Hæc est *formalis:* datur enim etiam *practiva:* «Nempe quisquis libidini, vel avaritiæ, vel cuivis alii vitio indulget, hoc ipso a Deo avulsus, vitam et vires suas turpissimo idolo impendit: quam ob rem S. Paulus avaritiam diserte *simulacrorum servitutem* nominat: Col. 3, 5.» Stapf, § 174.

R. Ad 3: Est idololatria scelus profecto atrocissimum, quod sic ostendit Angelicus: *sicut enim in terrena Republica gravissimum esse videtur quod aliquis honorem regium alteri impendat, quam vero Regi...; ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat, quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo* (1). Unde merito a S. Gregorio Nazianzeno ea vocatur *extremum et primum malorum* (2); quod quidem primo hoc Decalogi præcepto prohibetur: *non habebis deos alienos coram me.*

Q. 2. *Quid est divinatio?*

R. Divinatio (quasi *divina actio* vel *divina notio*) est *tacita* vel *expressa dæmonis invocatio ad cognoscendas res futuras vel occultas.* Dicitur *tacita* vel *expressa;* quia duplici modo ea fieri potest: vel adhibendo ad dæmonis opem implorandam media quædam ex se inutilia et inefficacia, et dicitur *tacita* (3): vel illud dæmonis auxilium expresse invocando, et dicitur *expressa.* Variæ sunt divinationis species (4); en præcipuas: 1 est *pythonismus*, cum nempe dæmon alicujus viri vel fœminæ corpus occupans vocesque illinc emittens, futura prænuntiat aut occulta patefacit; 2 *oraculum*, cum consultus dæmon in simulacris delitescens respondet; 3 *valicinium*, cum dæmon ad futura et occulta significanda utitur opera pseudo-prophetarum, sicque falsis vel ambiguis suis responsis plebeculam incautam ludificatur; 4 *aruspicium*, cum spirantia immolatarum pecudum viscera consulendo futura aperire præsumunt aruspices. Dicitur *augurium*, cum ex avium garritu, *auspicium*, cum ex eorum pastu, volatu et situ futurorum prædictionem enituntur deducere (5); 5 *necromantia*, quando dæmones per mortuos, vel per revocatos ad vitam sua ferunt eloquia; 6 *chiromantia*, cum alicui, inspecta manus dexteræ vel sinistræ palma, prædicitur tota ejus vitæ series; 7 *astrologia judiciaria*, qua ex siderum motu quidam putant futura etiam libere *contingentia* vaticinari se posse; 8 *sortilegium*, cum futurorum et occultorum manifestatio a sorte, v. g. taxillorum jactu deducitur; 9 *præstigium*, cum dæmon apparitionibus oculos perstringit; 10 *physiognomia*, si ex lineamentis vultus; *omen*, si ex aliquo casu; *onivomantia*, si per somnia; *gloman-tia*, si per figuram in terra; *hydromantia*, si in aqua; *aëromantia*, si in aëre; *pyromantia*, si ex igne quis divinare præsumat.

Quæ omnia ex genere suo *mortalia* sunt; societas enim cum dæmone est magnus Dei contemptus, cum ei dæmon sit perpetuus hostis. Hinc Apostolus: *nolo vos socios fieri dæmoniorum* (6). Omnes tamen hæ species materiali-

(1) 2, 2, q. 94, a. 3. (2) Orat. 38.

(3) Cum enim talis rerum cognitio a Deo haberi nequeat, qui media inutilia non instituit; neque ab Angelis, qui illis non utuntur; sequitur prædictam occultorum notitiam a dæmone expectari, qui in his se immiscet, ut homines ad cultum sui trahat.

(4) Sixtus V celebri Bulla *Cœli et terræ* anno 1586 varias enumerat species et expresse damnat. Et Urbanus VII, anno 1631 dispositionem Sixti V confirmavit auxitque.

(5) Ex avium gemitu, volatu, vel animalium cantu non est superstitiosum conjecturaliter divinare pluvias, siccitates, etc.; aëris enim mutationem mire persentiunt ac gemitu, volatu, cantu, voce significant. Item ex mora corvorum vel strigum noctuarum (*civette*) super tectum domus, in qua decumbit ægrotus, non omnino superstitiose conjicitur propinquitas mortis, ob eorum acutissimum olfactum ad odores cadaveris. *Sporer.* (6) I Cor. 10.

ter tantum inter se distinguuntur; cum unum terminum habeant, et media diversa specialiter in mores non influant. Una excipitur *expressa* dæmonis invocatio, quæ in Confessione est aperienda; cum sæpe adjuncta habeat alia peccata, v. g. hæresim, dæmonis adorationem ac maxime scandalum.

Q. 3. *Quid sentiendum de mortuorum apparitionibus?*

R. Certum est mortuorum apparitiones esse possibiles, Deo volente; cum bene possit suscitare qui potuit creare, et plurimas genuina historia enarret: unde dicimus, eas non esse tam facile irrisionibus et contemptu excipiendas; uti quibusdam familiare est. Hinc merito D. Augustinus (1): *magnæ impudentiæ est negare animas identidem e suis sedibus ad nos emitti; cum tot viri sapientes et Deo pleni idipsum ratione et experimento comprobent suo.* — Non tamen negandum quod hisce apparitionibus caute admodum fides sit adhibenda, cum innumeræ diffusæ sint hac super re narratiunculæ prorsus fabulosæ vel ad timorem incutiendum, vel etiam ad simplices ipsos decipiendos consarcinatæ. Qui horum sunt causa, graviter increpandi, uti sunt illi qui ideo magnos strepitus in domibus agunt vel linteo induti per vias noctu apparent: excipe nisi id fiat ex joco, nec inde damnum timeatur, habita ratione personarum quæ talia spectant (2).

Q. 4. *Quid de iis, qui somniis fidem habent?*

R. Quatuor somniorum genera numerantur: 1 naturalia, quæ oriuntur a causis naturalibus, v. g. occupationibus vel temperamento; 2 casualia, quæ oriuntur ex diverso in mente nostra phantasticarum idearum concursu; 3 quæ sunt a Deo juxta illud: *si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum* (3); 4 quæ sunt a dæmone, qui nempe phantasiam commovendo in mente somnia procreat.

His positis dicimus: 1 ex *somniis naturalibus* superstitiosum non est conjicere præsentem corporis valetudinem, vel etiam statum ejusdem futurum; quia inter hæc intercedit vera et naturalis connexio. Esset tamen superstitiosum inde conjicere futura, quæ dicuntur libere contingentia; cum hæc nonnisi a libera ac volubili hominis voluntate proficiscantur; 2 ex *somniis casualibus* est superstitiosum futura deducere; quia hoc ipso, quod sunt casualia, nequeunt esse accommodata ad rem quamlibet significandam. Non videretur tamen peccare mortaliter qui ob somnium præcedens omittit vel ponit actionem indifferentem; quia id potius ex quadam animi simplicitate vel

(1) Lib. *De cura pro mortuis.* — V. Vence, *Bibbia*, Dissert. vol. II: apparizione di Samuele a Saulle. — Liguori, *Dissertaz. Teologico-Morale*, Dis. 2, n. 16. — Calino, *Quaresimale*; p. 3: *sul Purgatorio.*

(2) Hic etiam plures potest partes habere hominis phantasia; quam enim præpotens sit, quodque malorum causa, philosophi passim probant ineluctabilibus argumentis et factis (*V.* Muratori, *Della forza della fantasia humana*). Talis v. g. fuit peritorum judicio morbus, qui per Hungariam olim grassabatur: putabant de nocte mortuos e sepulcris exire et sanguinem vivorum dormientium sugere (isti vulgo vicebantur *vampirii*). Inanis hæc credulitas tanto percutiebat homines timore, ut ipsi verum morbum contraherent. *V.* Feller, *Catechismo filosofico.* — Mellini, *Institutiones Biblicæ.*

Docent communiter Theologi juxta Concinam, abstinendum esse a pacto, quo duo conveniunt, ut qui prior obierit, apparcat viventi, et statum salutis suæ ei manifestet; quia est futile, temerarium ac periculosum; nam hoc pacto, si illud scit dæmon, abuti potest ad viventis deceptionem: complura tamen pacta hujusmodi excusat bona fides.

(3) Num. 12. — *V.* Lucius Ferraris, *Bibl.* etc. V. Somnium.

nimia timiditate provenire videtur, v. g. si quis omitteret deambulationem, quia somniavit se fore in ea proditorie hoc vel altero die interficiendum (1); 3 *somniis* quæ sunt certo, vel probabilius *a Deo*, tenemur fidem adhibere: cum revera aliquando ita locuturum se promiserit (2); 4 tandem *somniis diabolicis* credere est mortale (nisi ignorantia vel simplicitas excuset); cum sit veritatem fundare in mendacio, atque societatem cum dæmone inire. Hoc autem sensu dicitur: *non augurabimini, nec observabitis somnia* (3).

Sed quomodo (dices) *somnia hæc poterunt dignosci, et a se invicem discriminari?*—En regula: 1 si somnium impellit ad bonum, v. g. vel ad fugam alicujus peccati, vel ad actum charitatis, merito a Deo esse censebitur, a quo sunt omnia bona: semper tamen cum magna humilitate et timore; cum diabolus sæpe se transfiguret in Angelum lucis. Aliter erit, si somnium impellit ad malum, vel ad quidpiam indiscretum atque imprudens; nam ex operibus dignoscitur vir; 2 pariter si quis post somnium se sentiat alacriorem ad bonum et in proprii officii munera promptiorem, prudenter existimatur somnium esse a Deo. Secus si quis animo perturbatum se sentiat, et minus promptum experiatur, 3 si adhuc quoad somnii qualitatem dubium remaneat, præstat somnium habere uti immissum a dæmone; quia Deus cum immittit somnia, simul etiam reddit hominem certum, vel quasi certum, quod ab ipso Deo sint immissa.

Q. 5. *Quid dicendum de chiromantia?*

R. Multis abhinc sæculis circumvagantur viri atque mulieres, vulgo *gitanos:* gens est vagabunda, socors, rapax, ferox, quæ ab India vel Ægypto per totam Europam sæculo XV disseminata est. Qui impie jacitant, se bonam vel malam cujuscumque fortunam vaticinari ex lineamentorum in fronte, in facie, ac præsertim in manibus inspectione. Hanc dicimus esse veram speciem divinationis, ideoque rem prorsus illicitam ac nefandam; quæ enim proportio mediorum ad finem? unde graviter peccant qui tam horridam artem exercent, etiam ratione scandali.—Qui vero eosdem adeunt manus iis ostendentes, ut bonam vel malam fortunam suam inde ediscant, peccant mortaliter, si firmam eorum dicteriis fidem adhibeant, vel grave scandalum præbeant; *venialiter* vero, si id ob solam curiositatem vel mera ridendi gratia agant, uti communiter solet contingere (4).

Q. 6. *Quid de astrologia sentiendum est?*

R. Astrologia seu scientia astrorum, duplicis est generis: est Deo alia *na-*

(1) Ex somniorum qualitate argui unice potest status infirmitatis, et valetudinis somniantis et ejus vivendi disciplina. Quo sensu somniis uti possunt medici ad applicanda convenientia remedia; Confessarii ad prohibendas certas lectiones, collocutiones, frequentationes, ex quibus nempe turpia nascuntur in imaginatione etiam inter somnum. — Item neque illico graviter damnandus videtur, qui rationem habet numerorum quos somniavit; hoc enim non aliud esse videtur, quam vel rudis simplicitas, vel tenuis credentia, vel inanis quædam jocatio. Quod quidem dicunt ordinarie currere etiam de illis, qui ad numeros inveniendos libris utuntur *cabalisticis*, ut ajunt; vel ex certo eventu eos confingere student. Attamen a tali agendi ratione desuadendi sunt, ne quod primum quasi jocando faciunt, postea ex proposito agant ac convictione.

(2) Act. c. 2, v. 17. (3) Lev. 19.

(4) *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. *Append.* V. zingari. — Huc revocantur quæ *Cod. pœn. hispan.* habet quoad vagos et otiosos, *art.* 258 *et segq.*

turalis, alia *judiciaria.* Per primam homines ex siderum situ, motu, ortu et occasu vaticinantes prædicunt nonnullos effectus certos, qui nempe ex siderum et planetarum conversionibus, ac cursu necessario consequuntur, uti v. g. eclipses; nonnullos autem incertos, id est naturales quidem, sed contingentes futuros, uti sunt venti, pluviæ, tempestates et similia. Per alteram vero ex iisdem causis vaticinari præsumunt etiam quæ pendent a libera hominum voluntate, v. g. matrimonia, exitia, bella, et paces familiarum et imperiorum.

His positis, dicimus: 1 *astrologia naturalis* pro parte, qua prædicit effectus necessarios, non solum licita, sed valde laudabilis est; cum inserviat ad tempora designanda. Pro parte vero qua prædicit effectus quidem naturales, sed non necessarios, quatenus nempe iis obstare possunt causæ innumeræ item naturales, licita quidem est, sed plerumque vana, quia nos latet quæ vis sideribus insita sit, quæve potestas (1); 2 *astrologia judiciaria,* si fiat de persona particulari, etsi tantummodo conjecturaliter, graviter illicita est et superstitiosa; quia corpora cœlestia in libera hominum voluntate nihil omnino queunt, cum necessario moveantur. Unde dicitur: *a signis cœli nolite metuere* (2): et Sixtus V an. 1585 eam damnavit; Urbanus vero VIII an. 1631 prohibuit omnes libros ea de re. Hæc autem scientia, si fundatur in astris ut signis, est sola divinatio; si fundatur in astris ut causis, est etiam hæresis, quia tollitur libertas. Prædictiones tamen quæ quotannis evulgantur per ephemerides, vulgo *calendarios* (3), a nemine uti superstitiosæ habentur; sed ad summum temeritates, mendacia, vanitates, aut potius quidam mentis joci sane irridendi.

Q. 7. *Quid sentiendum de virga divinatoria?*

R. Virga divinatoria (cujus prima mentio facta est, uti ajunt, sæculo XV) ex corylo est ac bifurcata. Ea porro, quæ movetur vel non movetur ad merum nutum et intentionem ejus, qui illam manu tenet, utuntur ad inveniendos transpositos agrorum limites, homicidas, etc. Sed diabolicum merito dicunt Continuator Tournely, Malebrahe, Le Brun aliique; nam sola intentio nihil conferre potest ad motum physicum: porro virga movetur juxta mentem ferentis, ita ut si ille metalla quærat, non aquam, virga non moveatur si invenit aquam, et ita vicissim. Non tamen negandum, quod etiam naturaliter poterit evenire, ut aliqua virga moveatur ad unam potius partem, quam ad aliam; sicque aliquando inservire possit ad aquas vel metalla detegenda, vi nempe attractionis, ut patet de magnete; sed caveatur, ne quod naturale est, ad superstitionem referatur.

Q. 8. *Quid sentiendum de sortilegio?*

R. Nomine sortilegii vulgo intelliguntur omnes diabolicæ operationes; sed

(1) *V. Annali religiosi,* t. I: Calisto III, e la cometa d'Halley.

(2) Jerem. 10. — Diximus si fiat *de persona particulari;* censent enim licitam, si fiat in generali, v. g. si pronuntientur bella, seditiones, etc.; ex S. Thoma, qui (1 p. q. 115, a. 4) ait *plures homines sequuntur passiones, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia. Pauci autem sunt qui passionibus resistant: et ita astrologi, ut in pluribus, vera possunt prædicare et maxime in communi, non autem in speciali.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 10.

(3) *Almanach* ducitur a verbis arabibus *al* articulus, et *manach* supputare.

specialius hic intelligitur ea divinatio, quæ fit usu sortium. Sortes autem aliæ sunt divisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ divinatoriæ.

1. *Sortes divisoriæ*, quæ adhibentur v. g. ad componendas lites, utraque parte consentiente, licitæ sunt, cum nihil contineant superstitiosi, sed sint veluti quædam species contractus; et probantur etiam in Scripturis his verbis: *contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat* (1).—Excipe ex jure positivo electiones omnes ad prælaturas et beneficia ecclesiastica (2), quæ a Spiritus Sancti inspiratione, ut ait S. Thomas, fieri debent: quod valet etiam de litibus circa eadem beneficia.

2. *Sortes consultoriæ*, quibus inquiritur quid in hac vel illa re sit agendum, nisi eæ fiant divina inspiratione (ut contigit in electione Matthiæ), sunt illicitæ prorsus; quia continent tentationem Dei, ac periculum diabolicæ fraudis (3).

3. *Sortes divinatoriæ*, quibus inquiritur per taxillorum projectum rei occultæ vel futuræ cognitio, nullo modo sustinentur, cum neque ex natura sua, neque rerum cæterarum, neque ex Dei aut Ecclesiæ institutione sortitio hæc ullam vim habeat ad prædictos effectus.—Si tamen ad sortem ponendam impellat Deus ipse (quod vix umquam existimari debet) tunc licita erit; sicuti licita fuit Josue, quando ea usus est ad occultum Achan scelus explorandum (4).

ARTICULUS II—De vana observantia.

Q. 1. *Quid est vana observantia?*

R. Vana observantia in eo consistit, quod quis ad effectum aliquem obtinendum media adhibet vana et inutilia, quæ nempe neque ex natura sua, neque a Deo, neque ab Ecclesia ad illum effectum ordinata sunt: ita S. Thomas (5). Convenit cum divinatione, eo quod utraque innitatur implorato dæmonis auxilio et pacto inito cum eo. Differt, quia divinatio ordinatur ad cognitionem occultorum; vana autem observantia ad quoscumque obtinendos effectus.—Vana observantia grande peccatum est; tum quia nititur quasi dæmonis pacto (etsi enim non invocetur expresse, æquivalenter invocatur; nam cum rebus vanis se Deus non immisceat, effectus non potest nisi a dæmone expectari); tum quia tribuit honorem divinum creaturæ, ab ipsa expec-

(1) Prov. 18.

(2) C. *Ecclesia*, de sortileg. — Sed probabilius censent Salmanticenses, Suarez, Sanchez, Laiman hoc tantum vetari, adeo ut si sors usurpetur, electiones sint illicitæ sed validæ; cum id nullibi declaretur, si excipiatur electio Prælati cum jurisdictione ex c. *Quia propter de elect.*

(3) *Act.* 1.—*V. Bibbia* di Vence, *vol.* VI, *Dissert.* Le elezione cavate a sorte. Hinc illicita est et merito pluribus in Conciliis damnata *Sors Sanctorum*, quæ olim erat in usu, in hoc consistens, ut ad aperitionem alicujus libri sancti, vel ad auditionem lectionis sacræ, ex prima sententia occurrente, cognoscatur occultum; vel quid agendum in tali circumstantia. Quæ sors est ad minus vana, cum nullo nitatur fundamento: et in *Constitut. Apostolicis* (l. I, c. 7) habetur prohibita tanquam ad idololatriam conducens. *V.* Bergier, *Dizionario Enciclop.* ecc. V. Sorte.

(4) Jos. 7.

(5) 2, 2, q. 96, a. 1.

tando quod debet attendi a solo Deo. At multoties a mortali excusatur ratione ignorantiæ, vel inconsiderationis (1).

Quadruplex est vanæ observantiæ species:—1 si observentur inutilia ad aliquid cognoscendum, dicitur *ars notoria*. Sic peccant stultissimi illi, qui elaboratam potionem sumunt, ut illico docti evadant;—2 si inutilia observentur ad obtinendam sanitatem, dicitur *observatio sanitatum*. Sic peccant qui nomina ignota certasque inanes cæremonias usurpant ad animalia nociva fuganda; vel qui amuleta, involucra vel quid simile ideo collo deferunt: cum enim naturaliter non videantur hæc posse tales effectus causare, non assumuntur tamquam curationum causæ, sed quasi signa, quæ pertinent ad tacita pacta cum dæmone inita (2);—3 si ex consideratione alicujus futilis eventus decernatur quid sit futurum, dicitur *observantia eventuum:* esset si quis recusaret cum tredecim in mensa sedere, quasi id mortis sit signum: quamvis hoc plerumque valeat excusari, cum nulla huic rei vera adhibeatur fides; sed quædam simplex sit ac inanis formido. Non vero superstitiosum est observare lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, cædendis arboribus, etc. quia hoc non tribuitur dæmoni, sed naturæ. Esset tamen superstitiosum aliquos dies faustos et aliquos vero infaustos habere, ita ut actiones propriæ inde dirigantur;—4 si observantia versetur circa corpora varie immutanda, aliosque miros vel noxios effectus producendos, dicitur *magia,* vel *maleficium (M).*

Q. 2. *Quid est magia, quotuplex et quale peccatum?*

R. *Magorum* vocabulo Orientales intelligebant sapientes, eos præsertim, qui astronomiam colebant; hinc illud: *ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam* (3)...; 2 Postea vero *magiæ* nomen translatum est *ad significandam artem, quæ docet facere opera insolita et mira per causas insolitas*, hæc alia naturalis est, alia superstitiosa.

Magia naturalis est *ars operandi mira per causas naturales, sed occultas*, v. g. per operationes astronomicas, arithmeticas, chimicas, opticas, etc. Hæc licita profecto est; cum nihil mali in se complectatur, oriatur a causis mere naturalibus, immo hominum industriam mirifice juvet: modo tamen, ut notat Bouvier, absit deceptio, scandalum, et omnis spiritus superstitiosus, etiamsi quædam proferantur verba barbara, sine fide, ad illusionem adstantibus faciendam et risum facilius excitandum. Hæc vulgo appellatur *la magia blanca.*

Magia superstitiosa (vulgo *la magia negra*) est *ars mirabilia producendi opera vires humanas prorsus excedentia ex pacto explicito* vel *implicito cum diabolo.* Quæ sane mala est et abominosa, divinæ Majestatis læsiva, ac vehementem suspicionem ingerens hæreseos (4): et hæc ordinarie intelligitur, quan-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 17 et seqq. ubi quæstiones plurimas ad praxim pertinentes evolvit. — Ferraris, *Bibliot. Canonica* etc. V. Superstitio.

(2) Ab his tamen excipienda est virtus a Deo data personæ vel certæ familiæ sanandi a quibusdam morbis per signum Crucis, per imagines Sanctorum, aut sacra verba; nam in Ecclesia datur curatio sanitatum. Neque superstitio est flores et herbas die Sancti Joannis benedictas comburere ad depellendas tempestates, si hoc expectetur ex Sancti intercessione, et Ecclesiæ benedictione. *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 17, 18 et 20. (3) Matth. 2.

(4) *V.* Scotti, *Teoremi* p. 2, Teor. 8, § 11; et *Catechismo Medico,* p. 2, c. 7.

do sine alio addito magia nominatur. Quam quidem admittendam esse certum est: *negari non potest*, ait Suarez, *sine errore in fide magos extitisse;* quis enim ignorat quod de magis Pharaonis legitur in Exodo? quod docet S. Matthæus de Pseudoprophetis, *qui faciunt signa et prodigia?* quod tradit Historia sacra de Simone mago (1): et Historia ecclesiastica de aliis sine numero? Quæ omnia si ex una parte naturaliter explicari nequeunt (2); ex alia nulla est repugnantia, si fieri credantur ope dæmonis; neque enim repugnat, quod mali spiritus consocientur hominibus: sane, Deo permittente, nobis diu noctuque insidiantur ac circuunt quærentes quem devorent *(N)*.

Q. 3. *Quid de maleficio?*

R. Maleficium est *ars nocendi dæmonis cooperatione*. Differt a magia, quod hæc intendat facere *mira;* illud autem dirigatur ad *noxia*. Maleficium aliud est *amatorium* seu *phyltrum*, et est ars diabolica, quæ vehementer ad libidinem excitat erga determinatam personam, quin tamen libertatem tollat: aliud *veneficum*, et est ipsa præcise ars nocendi alicui variis modis, v. g. morbos suscitando, tempestates producendo, etc. Continet maleficium triplicem malitiam mortalem: contra Religionem, charitatem et justitiam; quia et Deo gravem et proximo irrogat injuriam damnosam. Hinc malefici in jure Canonico excommunicantur (3).—Maleficium tollitur tum oratione, jejuniis, Sacramentorum frequentia, et exorcismis ideo institutis; tum medicina (4), quatenus corrigit humores a dæmone commotos; tum remotione signi, cui diabolicum pactum adnexum est. Non tamen tolli potest alio maleficio; cum hoc sit intrinsece malum.

Q. 4. *Quid sentiendum de lamiis seu strigibus?*

R. Lamiæ dicuntur illæ perditi moris mulieres, quæ ope dæmonum hominibus insidiantur, noxia quæque contra ipsos moliendo, omni incantationum ac maleficiorum genere. Non ignoramus hisce temporibus quosdam esse, qui se præjudiciis vacuos jactantes affirmare non dubitant, inter aniles fabellas esse amandandum quidquid ab hominibus ope dæmonis peractum referatur. Nos vero licet concedamus non omnia, quæ circumferuntur, esse credenda, cum multa naturaliter bene explicentur: absit tamen, ut ideo doctrinæ veritatem denegemus; nam error est vitium hominis, non veritatis. Imo D. Thomas, qui omnium non solum Theologorum, sed etiam Philosophorum princeps dici debet, jam scripserat hanc opinionem ortum ducere *ex radice infidelitatis sive incredulitatis; quia non credunt esse dæmones, nisi*

(1) Exod. 7 et 8; Matt. 14; et Act. 8.

(2) Maxima quidem est imaginationis vis, ut patet ex noctambulis illis, qui fervidis spiritibus abundantes, musculorumque vi excitati in somnis mira faciunt. — *V.* Soave, *Instituzioni di Logica* etc. — Galuppi, *Elementi di Filosofia*. Quæ tamen talia semper sunt, quæ ipsi vigiles in usu habent, et humanas vires haud superant; sed magica ars versatur circa incognita omnino, occulta, dissita, quæque humanum captum atque virtutem undequaque vincunt.

(3) *Decr.* 2ª pars, Caus. 26, q. 5, cap. 1 *Si quis ariolos*.

(4) «Las mas de las veces *ait Gousset* nº 421 conviene empezar por la medicina, cuando no es probado ser maleficio. Sabemos por esperiencia que sobre este punto el hombre se engaña frecuentemente, atribuyendo á intervencion del diablo un mal que puede ser muy bien efecto de una imaginacion exaltada ó de un accidente natural, ó de la destreza de un malvado, de un aventurero etc.» — *V.* Liguori, *Praxis Conf.* n. 3.

in æstimatione vulgi tantum, ut terrores, quos sibi facit homo ex sua æstimatione, imputet dæmoni; et quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in sensu tales, quales homo cogitat, et tum creduntur dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiat, per quam Angelos de cœlo cecidisse, et dæmones esse credimus, et ex subtilitate suæ naturæ multa posse, quæ nos non possumus (1).

COROLLARIUM—*De Magnetismo, uti vocant* animali *seu Mesmerismo.*

Q. *Quid de Magnetismo animali seu Mesmerismo?*

R. Sub fine sæculi decimioctavi (anno 1779) quidam Fridericus Antonius Mesmer medicus Germanicus novos quærens curandi modos librum edidit, in quo contra communes physicorum doctrinas eatenus in Scholis acceptas, tradebat se mirum invenisse remedium variorum morborum *in fluido quodam subtilissimo e cunctis animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili,* quem ideo magnetismum animalem nuncupavit (2). Qui fluidus transit e corpore magnetizantis in corpus magnetizati. Magnetismi duo præcipue exhibentur effectus: 1 status somnambulismi, in quo quis usu sensuum destitutus, videt tamen, audit, loquitur et respondet ad omnia, de quibus interrogatur; 2 mira sui status cognitio et remediorum suo morbo convenientium: nec non, ut ajunt, visio actionum aliorum hominum, etsi longe distantium et similia. Hæc doctrina in Gallia præsertim propagari cæpit, et a suo auctore nomen accepit *Schola Mesmeriana*, seu *Magnetismus animalis*, dictus etiam simpliciter *Mesmerismus.* Sed a gravissimis deinde medicis et physicæ professoribus refutata, imo et a diversis Academiis expresse damnata tamquam falsa, prorsus insulsa et magis ridiculi ludionis seu histrionis, quam viri medici propria, penitus fere exolevit (3).—Quid tamen? adhuc ætate nostra *Magnetismus* revixit, primo quidem in Gallia, postea vero in Italia et alibi: imo talibus ac tantis methodis a quibusdam medicis exornatus fuit, ut merito inter Moralistas exortum sit dubium, an Religionis puritati et sanctitati adversetur; et habendus sit uti species quædam divinationis, aut vanæ observantiæ, necne? Hæc quæstio gravis est ac difficillima: Theologi ac medici in tres præcipue sententias abierunt, quas breviter referemus cum Gury.

Prima sententia in omni casu rejicit magnetismum veluti opus diabolicum; miri enim illius effectus neque a Deo, neque a natura esse possunt:—1 *non a Deo;* quis dixerit Deum ad hominis etiam impii nutum obtemperare ita ut,

(1) Suppl. p. 58, a. 2,—Imo docent Theologi opiniones istas esse etiam periculosas in se, et valde injuriosas Ecclesiæ catholicæ: quippe quæ contra lamias sive striges pœnas indixit gravissimas. *V.* Perrone, *De Angelis:* app. *de dæmonum cum hominibus commercio.*—Concina. *In* 3 *Dec. præcept.*—Delrio, *Disquisitionum Magicar.* libri sex.—Tartarotti, *Del congresso notturno delle lamie.*

(2) « *Magnetismo animal:* principio especial admitido hipotéticamente para esplicar ciertos fenómenos, que se supone tener su asiento principal en el sistema nervioso y que se transmite de un cuerpo vivo á otro por el simple contacto y aun por el solo efecto de la voluntad. » Ita Marchi, *Dizionario tecnico* ecc. h. Voc.

(3) *V.* Feller, *Dizionario storico,* V. Mesmer.

eo requirente, ad res adeo prodigiosas immediate concurrat?—2 *non a natura;* etenim ad effectus magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice; nulla autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et res physicas: physica enim semper agit uno modo, debitis conditionibus positis, et independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet; ergo deficiente proportione inter effectum et causam, jam ea causa naturalis censeri nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. Adde: meri effectus magnetismi videntur omnino naturæ nostræ vires superare; non enim intelligitur quomodo magnetizatus licet rudis possit tam multas scientias extemplo sibi comparare, linguas ignotas scire, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, proprias et aliorum infirmitates ac congrua remedia, etc. quorum quidem in statu naturali constitutus non amplius recordatur.

Secunda sententia tenet omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse. Ratio, quia inesse possunt humanis corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quæ in aliorum corpora et mediantibus organis, in ipsam animam agant; non enim omnes naturæ vires cognoscimus. Nonne effectus similes, qui negari non possunt, in naturali somnambulismo producuntur? somnambuli vident, audiunt et stupenda faciunt, quæ ab ipsis fieri nequeunt in statu vigiliæ. Nec obstat quod requiratur voluntas magnetizati: non enim ipsa requiritur quatenus facultas mere interna animæ et a corpore independens; sed qua medium ad phantasiam excitandam et corporis subtiles spiritus movendos. Hoc patet exemplo motuum concupiscentiæ, qui sola cogitatione objecti minus casti in organis illico excitantur.

Tertia sententia concedit quidem magnetismum miros quosdam ac naturales effectus naturaliter operari posse; mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis.—At multa ex illis, quæ prædicantur, vel inania vel mendaciosa vel diabolica prorsus sunt: *inania*, ut cum magnetismus habetur tamquam mirum inventum ad omnes morbos curandos; quotidiana enim experientia contraria est: *mendaciosa*, ut cum ea quæ latent omnino, magnetizatus divinare prætendit; fraudes enim hac in re intervenire satis hodie notum est, adeo ut magnetismus ad lucrum vel solatium potius quam ad salutem adhibeatur: denique *diabolica*, ut cum magnetizatus addiscit, si vere addiscit, per scientiam infusam scripturam, litteras, linguas quas penitus ignorat, et cætera similia; hæc enim videntur omnino vires naturæ excedere, nec talia ab ipso somnambulismo efficiuntur.

Hæc controversia ab Apostolica Sede, organo supremæ Inquisitionis 4 augusti 1856 sic definita fuit, litteris Encyclicis ad omnes Episcopos datis ad magnetismi abusus compescendos: *compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel præstigio, præsertim ope mulierc*ularum, *quæ unice a magnetizatoris nutu pendent. — Nonnullæ jam hac de re a S. Sede datæ sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, quæ ad finem non naturalem, non debitis mediis adhibitis, assequendum ordinantur;*

unde in similibus casibus decretum est feria IV, 21 *apr.* 1841: usum magnetismi prout exponitur, non licere. *Similiter quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia præter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit feria* IV, 28 *julii* 1847: remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus mere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis.

Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in uso aut abusu magnetismi; tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiose sectantes, magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis pietatis detrimento, ariolandi, divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi *et* claræ intuitionis, *uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis et scandalum contra honestatem morum.*

Sed quid pro praxi Confessarius cum iis, qui magnetizant vel magnetizari sinunt?—Seclusis abusibus id tolleret: «Al decir que un confesor debe tolerar el uso del magnetismo, *ad rem Gousset*, suponemos primero, que el magnetizador y el magnetizado son de buena fe y que consideran el magnetismo animal como un remedio natural y útil. Segundo, que ni uno ni otro se permitan nada que pueda vulnerar en lo mas mínimo la virtud y modestia cristiana. Tercero, que renuncien á toda intervencion por parte del demonio. Si tienen otras miras, no se podrá absolver á los que recurran al magnetismo. Añadimos igualmente, que un confesor no debe aconsejar ni aprobar el magnetismo, sobre todo entre personas de diferente sexo, á causa de la simpatia demasiado fuerte y verdaderamente perjudicial que se desarrolla con frecuencia entre el magnetizador y la persona magnetizada.» Sapienter etiam subdit, magnetismi usum a Confessario neque suadendum neque approbandum, præsertim si inter personas diversi sexus exerceatur; agitur enim de re admodum periculosa: quare si potest, videtur potius usus cum prudentia desuadendus. Certissime hanc professionem sine aliorum scandalo, modestiæ læsione, ac maximo sui periculo Ecclesiastici exercere nequeunt: imo nec ita facile, atque innocue possunt experimentis interesse *(O)*.

CAPUT SECUNDUM

DE IRRELIGIOSITATE.

Q. *Quid est irreligiositas?*

R. Irreligiositas est vitium, *quod Religionis virtuti adversatur per defectum, quodque tendit ad irreverentiam Deo inferendam, vel directe in se, vel indirecte in rebus aut personis sacris.* Si 1° modo accipitur irreligiositas, ejus species sunt tentatio Dei, perjurium et blasphemia; si 2° modo, ejus species sunt sacrilegium et simonia.

ARTICULUS I — De tentatione Dei.

Q. 1. *Quid est tentatio et quotuplex?*

R. Tentatio Dei est *dictum* vel *factum*, *quo quis sine justa causa explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors vel aliam perfectionem habeat;* tentatio enim in genere idem est ac aliquid explorare, vel de eo experimentum sumere (1). Duplex est una *explicita* sive *formalis ;* altera *implicita* sive *interpretativa.*

Tentatio Dei explicita est quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam facit animo eam explorandi: ut siquis dubitans de aliquo fidei articulo petat a Deo miraculum; vel siquis se ex alta turri dejiciat experturus, an Deus sit potens eum a morte servare, an non? — Tentatio vero Dei implicita est quando quis expresse quidem non dubitat de ulla Dei perfectione, neque intendit directe experimentum de illa suscipere; petit tamen vel facit quod ex se et natura sua non potest alium in finem referri, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem. Idque contingit dupliciter: 1 cum quis sine justa causa aut divino instinctu negligit media ordinaria, et a solo Deo temerarie expectat effectum extraordinarium, ut si periculoso morbo affectus respuat omnem medicinam, a solo Deo expectans sanitatem; 2 quando quis sponte ipse sua, absque ulla necessitate et utilitate, se conjicit in tale periculum, ut vix queat liberari sine Dei miraculo, v. g. si per Quadragesimam extra specialem Dei instinctum vellet abstinere se ab omni cibo et potu, expectans a Deo extraordinariam vitæ suæ conservationem (2).

Q. 2. *An tentatio Dei sit peccatum mortale?*

R. Est profecto tentatio Dei peccatum ex se mortale, quia gravem Deo irrogat irreverentiam. Hinc illud: *non tentabis Dominum Deum tuum* (3): quod currit sive tentatio explicita sit, sive implicita. — De explicita tentatione patet; quia experimentum divinæ perfectionis, quod oritur ex dubio

(1) *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 97, a 1.

(2) Probabilius tentatio explicita ab implicita non differt specie, sed eam tantum aggravat; unum sive una sive altera semper dicit experimentum, nihil diversitatis ponitur in natura rei, nisi magis vel minus. *V.* Liguori *Opus Mor.* l. III, n. 32.

(3) Matth. 4.

explicito, est explicitus Dei ejusdem contemptus, et opponitur etiam fidei ob dubitationem. De implicita vero tentatione ex eo demonstratur, quod petitio etiam implicita, nempe ut Deus contra ordinem suæ Providentiæ operetur absque necessitate, cedit evidenter in gravem ipsius injuriam; nam est agere cum Deo uti curiositatum fautore. Cum tamen nullam dubitationem includat de divinis perfectionibus, ideo non est ei tam injuriosa uti explicita. Imo aliquando ob ignorantiam, defectum consensus et periculi, parvitatem, potest esse tantummodo venialis: sic v. g. venialiter tantum (saltem in sententia complurium) peccaret qui levi laborans infirmitate negligeret remedia naturalia, et sanitatem a Deo sibi expectaret; iste enim non videtur gravem committere inordinationem, cum non petat miraculum curiositatis causa.

Q. 3. *An liceat petere a Deo miraculum, vel martyrio se offerre?*

R. Ad 1: Docent communiter licere petere a Deo miraculum, quoties adsit utilitas gravis ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem; nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno. Peccaret tamen qui absolute peteret, vel offerret miraculum ad conversionem hæreticorum aut peccatorum; cum sufficiant fidei nostræ testimonia ac ordinaria auxilia: excipe casum particularis inspirationis (1).

R. Ad 2: Cum D. Thoma: si adest legitima causa, v. g. ad vitandas blasphemias, ad procurandam Dei et fidei gloriam, ad eliminandum in proximo periculum incredulitatis, utique licet martyrio se offerre; cum hoc sit opus maximæ charitatis. — Si secus est, non licet; cum nemo sit vitæ suæ dominus, ut eam prodigare possit ad libitum suum: unde graviter peccat, quem non excusat bona fides, aut divina inspiratio, uti in Sanctis compluribus contigisse scimus (2) *(P)*.

Ex dictis colligere est, quid sit sentiendum de probationibus olim usitatis, quæ vulgo dicebantur *judicia Dei:* quando nempe deficiebant testes, varia instituta fuerunt experimenta, quibus subjiciebatur accusatus, v. g. ferrum calidum ferebat, super carbones ardentes gradiebatur, etc.: et si nihil ei accidebat mali, uti innocens habebatur. Hoc illicitum dicimus; est enim tum species divinationis, cum nulla sit proportio mediorum ad finem; tum Dei tentatio, cum sit indiscriminatim ab eo petere miraculum, quo patefaciat veritatem (3). Hinc merito RR. Pontifices semper damnarunt tales probationes, uti Stephanus V, Cœlestinus III, Innocentius III, Honorius III, etc. Sane quando viis naturalibus crimen cognosci nequit, nec aliter suadet specialis Dei instinctus, illud judicio Dei secreta cordium scrutantis, relinquendum est (4).

(1) *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 97, a. 3. — Tridentinum decernit, sess. 25 *decreto de invocat. et venerat. Reliq. SS.*, nulla esse admittenda nova miracula, nisi ea recognoscente et approbante Ordinario. *V* Benedictus XIV, *De Canoniz. SS.* l. II, c. 1. (2) 2, 2, q. 144. a. 3.

(3) In veteri Testamento, ut Numer. 5, v. 15, aliqua investigatio ad delictum dignoscendum in usu erat, sed Deo ipso volente.

(4) *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. Prove superstiziose. — Muratori, *Antiq. italicarum*, Diss. 38 *et* 39.—Salzano, *Lezioni di dirito* ecc. vol. IV, lez. IX. — Menochius, *Le stuore ovvero Trattenimenti eruditi*, par. 1.

ARTICULUS II — De blasphemia.

Q. 1. *Quid est blasphemia?*

R. Blasphemia solet communiter definiri: *locutio contumeliosa in Deum.* Vocabulo *locutionis contumeliosæ* non intelliguntur tantummodo verba, sed etiam cogitationes, immo juxta aliquos etiam facta, quæ Deo contumeliam irrogent: uti siquis pede conculcet Crucifixum, vel in cœlum tamquam in Dei sedem sputum emittat. Dicitur autem *in Deum*, consideratum nempe vel in se, vel in suis Sanctis et creaturis in ordine ad Deum ipsum, quatenus in iis elucet aliqua divina perfectio, v. g. sanctitas, bonitas, sapientia.

Hinc siquis ex ira contra hominem nominet nomen Dei, vel Sanctos, vel Sacramenta, indignando soli homini, blasphemiam non committit, sed indignam dumtaxat divini Nominis usurpationem. Sicuti neque est blasphemia dicere: *nego Deum, si te non percussero;* qui enim ita loquitur, vult tantum significare quod certe percutiet. Neque dicere: *hoc est verum sicut Deus;* nam non æquiparatur veritas creata increatæ, sed quædam tantum innuitur similitudo hyperbolica. Item neque dicere: *Cuerpo de Dios, Sangre de Cristo, me la pagarás;* nam hæc verba ordinarie non proferuntur in Deum irrisorie, sed vanæ usurpantur ad aliquid firmandum. — Erit e contrario blasphemia dicere: *male eveniat Ecclesiæ, maledictum Pascha, nego Sacramenta, Deus non est justus;* tunc enim indignatur Deo, vel ei quod specialiter ad illum ordinatur. Dicere vero: *Christe sancte! Sacramentum! Sanguis Christi!* non videntur blasphemiæ; sed sola vana divini Nominis, aut rei sacræ usurpatio; excipe nisi proferantur Deo indignando, vel cum circumstantiis specialibus (1).

Quid (dices) *de illis, qui maledicunt vivis vel sibi ipsis?*—In ira imprecari aliis vel sibi dæmonem, grandinem, fulgura, mortem, etc. non est blasphemia, sed dira imprecatio, de qua habet D. Thomas: *secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius quanto personam cui maledicimus, magis amare et revereri tenemur.... Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur* (2).

Quid (instabis) *si quis maledicat defunctis?*—Maledicere defunctis non erit blasphemia, cum animus maledicentium ad hoc non feratur, ut iis maledicat

(1) Tres ultimæ locutiones ex Synodo Novariensi a reservatione exclusæ sunt: *pag.* 316. — *Vid.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 121 (blasphemia est a greco *blaptô* nocere, et *phêmê*, fama).

(2) 2, 2, q. 76; a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 134; l. V, n. 83. Utrum diversa, vel unum peccatum committat qui diversa mala optat et increpat inimico, v. g. infamiam, mortem, paupertatem, quæstio est. Nos dicimus, si ea mala sub una ratione mali apprehendat, nempe ut media ad illius perniciem, satis probabiliter cum Cajetano, Croix, Bonacina, Lugo, Valentia, etc. committit unum tantum peccatum, et satis est confiteri: *exoptavi grave malum proximo.* Sed si efficaciter optasset in suum inimicum diversa mala inferre, aut optasset specifice et in particulari, ut prædicta mala illi acciderent, tunc debet omnia illa distincte confiteri; quia illa sunt diversa peccata. Ita Liguori *Homo Apost.* tr. III, n. 65; et *Op. Mor.* l. V. n. 50.

prout sunt creaturæ Dei. Imo plerumque id neque mortale est: quia per id eisdem neque in se, neque ex mente proferentium infertur gravis injuria: 1 non *in se*, quia vox *mortui* magis referenda est ad corpus quod moritur, quam ad animam quæ semper vivit: ad summum significat homines vita functos, qui possunt esse tam salvi quam damnati; 2 non *ex mente proferentium*, quia mortuis maledicentes non intendunt mala adprecari animabus defunctorum; sed potius exprobrare vivos, ad quod maledictiones suas ad instar injuriæ solent referre (1).

Quid (quæres) *si quis maledicat toti mundo, vel dæmoni?* —Dicimus: maledicere *toti mundo* est mortale (nisi intelligatur ille mundus, qui virtuti adversatur, ut plerumque intelligunt rudes): in ipso enim totaliter sumpto specialiter elucet Dei bonitas, sapientia ac potentia. Adeo verum est, ut jurare per cœlum et terram habeatur ab omnibus ut firmum juramentum. Maledicere vero *diabolo* raro est mortale; quia ipse fere semper solet maledici uti est auctor malorum, vel Dei inimicus: quo sensu, abstrahendo ab impatientiæ actu, hoc neque veniale est (2) *(Q)*.

Q. 2. *Quotuplex est blasphemia?*

R. Blasphemia potest considerari: ratione vel intentionis, qua in eam erumpitur; vel modi, quo ea committitur; vel verborum, quibus exprimitur; vel objecti, in quod fertur:

1. Ratione *intentionis* alia est *directa*, quæ Deum directe aggreditur ex intentione ipsum inhonorandi, et dicitur *diabolica*. Alia *indirecta*, et est cum quis advertenter quidem profert verba blasphemiæ; sed absque directa intentione Deum inhonorandi, v. g. si irrisorie et modo detestativo, vel ex ira loquatur contra Sanctos, aut contra cultum Dei, satis advertens malum, quod verbis illis significatur.

2. Rationi *modi* blasphemia alia est interna, quæ dicitur etiam *blasphemia cordis;* alia externa, quæ dicitur etiam *blasphemia oris,* vel *operis*. Prima tota in animo consummatur, quin prodeat exterius; talis est illa: *dixit insipiens in corde suo, non est Deus* (3). Altera verbis vel factis exterius manifestatur, sicuti enim Deus laudari potest corde, ore et opere; ita corde, ore et opere inhonorari.

3. Ratione *verborum,* blasphemia alia est simplex, alia hæretica, alia hæreticalis, alia imprecativa, alia dehonestativa. — *Simplex* seu nuda est locu-

(1) *V.* Dissertatio s. Alphonsi, *Op. Mor.* l. III, n. 130.

(2) In ira autem usurpare dæmonem sine imprecatione non est per se peccatum; assidua tamen ejus nominatio non decet Christianum, et ratione scandali potest esse grave: hinc improbandi qui ad omne fere verbum dicunt *oh diavolo!* maxime si Ecclesiastici. *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 131.

«Alia quæstio est, ait Stapf, § 226: *qualis culpa illorum sit, qui tempestati vel aliis casibus a Deo immissis maledicunt?* — Sane cum aëris intemperies et ejusmodi casus ex dispositione divina accidant, talia maledicta proxime contra Deum ipsum proferri videntur. Attamen miselli ruricolæ, quibus hoc peccatum haud infrequens est tum ob simplicitatem tum ob imperfectionem actus, præsertim si alias bonæ indolis sint, a peccato lethali plerumque excusari possunt.» *Maledicere rebus irrationalibus,* ait d. Thomas, 2, 2, q. 76, a. 2, *in quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ; maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum et vanum, et per consequens illicitum.* nempe veniale peccatum.

(3) Ps. 13.

tio in Deum contumeliosa, quin aliam malitiam includat. *Hæretica* est quæ continet etiam hæresim, quæ nempe vel negat Deo quod fides docet illi convenire, v. g. si quis dicat, *Deum non esse justum, nec sanctum;* vel eidem attribuit quod Fides inficiatur, v. g. si quis dicat *Deum esse auctorem peccati.* Talis blasphemia est reservata in Bulla *Cœnæ,* quando qui eam profert, animo etiam credit. Quod si hæc proferens ore, non credat corde, tunc habetur blasphemia *hæreticalis. Imprecativa* est cum quis Deo malum imprecatur, v. g. si dicat: *pereat Deus.* Tandem *dehonestativa* vera quidem de Deo pronuntiat; sed irreverenter, per contemptum, ex ira et malo animo erga Deum: talem v. g. protulit blasphemiam Julianus Apostata, cum morti proximus ira in Christum excandescens impie exclamavit: *vicisti, Galilæe, vicisti!*

4. Ratione *objecti* dividitur blasphemia in eam, quæ fertur immediate vel in Deum, vel in Beatam Virginem, vel in Sanctos. Quæ quidem divisio ponitur, quia in nonnullis Synodis habentur reservatæ blasphemiæ contra Deum et Virginem; non autem quæ fertur contra Sanctos immediate.

An (quæres) *omnes blasphemiæ specie differant inter se, ideoque an Confessarius debeat inquirere super earum diversitate?* —R. Cum Lessio: si blasphemia procedat ex desperatione, vel ex odio, aut infidelitate, ut si sit imprecativa, hæretica vel hæreticalis, id aperiendum est; nam tunc blasphemiæ accedit nova malitia. Quæ sane est ex desperatione, est etiam contra spem; hæretica est etiam contra fidem, hæreticalis contra præceptum fidem exterius profitendi, imprecativa vero contra charitatem Dei. Item aperienda est blasphemia, quæ fuerit directe volita seu dehonestativa, ut cum fit animo faciendi contumeliam Deo; non vero si indirecte solum sit volita, ut cum fit ex ira erga hominem ad ostendendam animi indignationem, vel ex impatientia absque pravo motu in Deum. Longe enim alterius rationis peccatum est, cum facis aliquid directa intentione, ut legem violes; hoc enim legis verum contemptum includit (1).

Si vero blasphemia fuerit in Sanctos, non autem in Deum, utrum id etiam sit aperiendum, disputant. Alii affirmant probabiliter cum Antoine, Collet aliisque; quia omnes ultra propriam malitiam continent novam malitiam contra duliam, vel hyperduliam, vel latriam. Alii tamen etiam probabiliter negant cum Layman, Viva, Sanchez, etc.; quia singulæ æqualiter adversantur virtuti Religionis: nam illi etiam qui blasphemant in Sanctos, *si eos non intendant injuriis afficere ob propriam eorum excellentiam, sed qualenus sunt Dei amici, et ad eum mediate referuntur,* contra latriam peccant; ac proinde non tenentur aperire, an Deum an Sanctos blasphemaverint. — Diximus: *si eos non intendant* etc.; si enim clare constet aliquid contumeliosi in Sanctos quidem proferri, sed tantum uti homines olim in terris degentes erit dumtaxat blasphemia contra duliam vel hyperduliam (2).

Cæteræ tandem blasphemiæ speciem non mutant, ideoque non sunt de necessitate explicandæ in sua specie; cum eam non diversificent.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 126.

(2) Imo erit etiam solum veniale, si fiat ex joco, v. g. si quis SS. Crispinum et Crispinianum appellet sutores, Apostolos piscatores. Erit e contrario mortale, si id fiat ex contemptu, ex odio, vel ex indignatione in Sanctos.

Q. 3. *Quale peccatum est blasphemia?*

R. Nemo dubitat quin blasphemia sit ex genere suo mortalis. Hinc in Levitico: *qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur* (1). *Nihil horribilius blasphemia*, inquit S. Hieronymus, *quæ ponit in excelsum os suum* (2). Ipsa ratio altissime clamat, contumeliam quamlibet in Deum esse peccatum ex genere suo mortale. Neque dicas, blasphemiam in Sanctos non irrogare injuriam Deo; respondet Angelicus: *sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in Sanctis efficit; ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat* (3). — Venialis tamen esse potest quandoque blasphemia, non quidem ex genere suo, sed ex defectu requisitæ advertentiæ et deliberationis ad mortale: sic qui ira, vel alia animi passione abreptus prorumpit in verba blasphemiæ eorum significationem minime advertens, non peccat nisi venialiter.

In blasphemos animadvertit tum jus civile eos corporalibus pœnis plectendo (4); tum jus Episcopale eos reservatione subjiciendo; tum demum jus Canonicum, quod quidem præcipit denuntiandos, ac contra ipsos procedendum esse (5). Qua in re hæc notamus quoad simplices blasphemos (6), quod olim duæ erant obligationes ex Concilio Lateranensi: una eos increpandi, et hæc abiit in desuetudinem, ejusque in locum successit obligatio correctionis, si fructus speretur, uti docent Sanchez, Palaus, etc. Altera eos denunciandi, et hæc etiam per desuetudinem non videtur amplius obligare, ut dicit Viva. — Qui tamen blasphemiam hæreticam vel hareticalem proferunt, intra mensem ex Decreto S. R. Inquisitionis (7) sunt denuntiandi. Intellige tamen, si id agant serio et advertenter; quia non adest hæc obligatio, si istæ propositiones aut blasphemiæ proferantur ex ignorantia: aut lapsu linguæ; aut eo iracundiæ impetu, ut proferentem ex rationis usu abripuerit; aut si proferantur sine pertinacia, quæ semper necessaria est ut denuntiandi gravem obligationem inducat, prout docent Salmanticenses cum aliis.

Q. 4. *Quid de iis, qui blasphemandi consuetudinem habent?*

R. Qui consuetudinem blasphemandi habent, tenentur sub gravi operam dare ad illam extirpandam, alioquin toties peccant quoties advertenter id omittunt; quia esset interpretative velle permanere in periculo proximo peccandi, cum pravus habitus vehementer ad suos actus provocet: hinc negligentes non sunt absolvendi. Si vero dent operam, et tamen iterum labantur interdum, poterunt a mortali excusari, eo quod tunc blasphemiæ istæ

(1) Lev. 24. (2) L. VII in Is. c. 18.

(3) 2, 2, q. 13, a. 1. — *Vid.* Sarnelli, *Opera contra la bestemmia.*

(4) Si blasphemia est hæreticalis, per se est tantum judicis ecclesiastici eam cognoscere, ut probant ex c. *Quamvis pactum* 2, *de pactis* in 6. — Si non est hæreticalis, eam cognoscere et punire est mixti fori, ut probant Barbosa aliique.

(5) Ita Julius III, Const. *In multis.* — Lateranense Concilium. — Decretum S. R. Inquisit.

(6) Blasphemia hic dicitur *simplex* per oppositionem ad hæreticam et hæreticalem, si nempe directe fidei articulis non opponatur.

(7) Nonnullas tamen exceptiones *v. De Virt. Theolog.* ubi *de hæresi.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 123; et l. IV, n. 251. It. *Homo Ap.* tr. XIII, n. 77. Porro RR. Pontifices in eo toti fuerunt, ut hoc nefandum scelus prorsus extiparent a christiana gente; hac de re *vid.* Breve *Ad execrabile* Benedicti XIV. Et Pius IX societatem instituit contra blasphemias. — *V. La bestemmia, avvertenze al popolo.* Torino 1856.

impetu quodam naturali productæ non sint perfecte voluntariæ neque in se neque in causa, utpote retractatæ proposito illo efficaci. At non excusabuntur a veniali; quia adesse semper in blasphemante censetur advertentia aliqua saltem confusa de malitia verborum, quæ profert: neque ira ita ordinarie intellectum obtenebrat, ut nulla omnino remaneat advertentia ad blasphemiæ malitiam.

Q. 5. *Quænam sunt remedia adversus blasphemias?*

R. Duplicis sunt generis remedia: alia respiciunt *præteritas* castigandas; alia *futuras* præcavendas.

Ad *prima* quod attinet, præter consueta contra vitia omnia, nempe orationem, jejunium, eleemosynam, utiliter a Confessario injungetur, ut blasphemator toties ad pedes Crucifixi genuflectat et veniam efflagitet, vel toties aliquam Dei laudem aut orationem recitet, quoties lapsus est in blasphemias; etenim pœna removet a culpa. — Quoad *secunda* eidem præcipiatur, ut serio recogitet: 1 malitiam et gravitatem vitii, quod diaboli et damnatorum est proprium juxta illud de dracone infernali: *aperuit os suum in blasphemias ad Deum* (1); 2 quæ et quanta irrogetur irreverentia Sacramentis et Sanguini Christi, dicente Chrysostomo: *tanta est in blasphemia irreverentia erga sacra, quam si hæc omnia pedibus conculcarentur;* 3 quod blasphemandi consuetudo est magis certum reprobationis et futuræ infelicitatis signum; nam quemadmodum filii Dei divinis laudibus assueti eos addiscunt hymnos, quorum concentu delectabuntur in cœlo; ita filii diaboli turpissima illa cantica addiscunt, quæ maledicti eructabunt indesinenter in inferis (2).

Q. 6. *Quid Synodus Novariensis circa blasphemiam?*

R. Synodus Novariensis reservat *blasphemiam in Deum, vel Deiparam Virginem aut Sanctos, quæ a duobus vel a pluribus audita fuerit; et blasphemiam hæreticalem, nemine etiam audiente, prolatam.* Ubi notandum est discrimen inter blasphemiam simplicem et hæreticalem; hæc enim inducit reservationem Synodalem, etiamsi prolata sit nemine audiente (non loquimur de hæretica utpote Pontifici reservata): illa vero ad reservationem inducendam requirit, ut a duobus vel pluribus audiatur, cujuscumque sexus isti sint et conditionis; etiamsi pueri, si tamen humano modo adsint et doli capaces.— Item reservatur blasphemia illius, qui jurat per falsos deos: non tamen factum licet execrandum, Dei nempe vel Sanctorum effigiem aut simulacrum conculcantis, vel dilacerantis. Tandem præcipitur, eos esse denuntiandos, qui ex habitu pacatoque animo in blasphemias erumpunt (3).

ARTICULUS III — De sacrilegio (4).

Q. 1. *Quid est sacrilegium et quale peccatum?*

R. Sacrilegium est *violatio rei sacræ*, sive *est rei divino cultui dicatæ in-*

(1) Apoc. 13. (2) *V.* Salvatori, *Istruzione pratica pei Confessori novelli* § 21.

(3) Pag. 24 et 316. — Etiam lex civilis animadvertit in blasphemos. V. Reg. Dec. 21 Sept. 1848, art. 14. — *V.* etiam Cod. pœn. hisp. art. 133. N. E.

(4) De sacrilegio uti est peccatum luxuriæ, *vid. de peccatis.*

digna tractatio. Sic dicitur quasi *sacrilædium*, seu læsio rei sacræ: nomine *rei* hic intelligitur etiam persona et locus, seu id omne, quod ad divinum cultum ordinatur. Est autem sacrilegium peccatum ex genere suo lethale, quia ex se gravem Dei injuriam semper involvit; et tanto graviorem, quo majorem sanctitatem obtinet res sacra (1). Nil ergo mirum, si vel in hac vita Dominus gravem sacrilegis pœnam inflixerit: sic Nadab et Abiu, qui ignem profanum desuper thuribulis imposuerunt, devoravit ignis egressus a Domino: sic Joas rex, qui thesauros templi temere surripiebat, a servis suis necatur: sic Balthasar, qui vasis sacris abutebatur, a Domino corripitur: sic tandem Lysimachus multis commissis in templo sacrilegiis, ante ærarium interficitur (2). Hic duo notanda sunt: 1 ad sacrilegium non requiri, ut quis directe intendat res sacras inhonorare, quod hæreticorum est; sed sufficit quævis indigna earum usurpatio, si deliberate fiat, quacumque de causa; 2 ut aliqua actio sit sacrilegium, debet res violari in eo, quo sacra est: unde si quis male loquatur de aliquo, qui votum castitatis habeat, istius detractio non induit naturam sacrilegii formalis: quia iste est sacer Deo tantum quoad corporis munditiem, non autem quoad famæ integritatem.

Q. 2. *Quotuplex est sacrilegium?*

R. Cum tria sint objectorum genera, quæ Deo sacrari, seu deputari possunt ad Dei cultum, nempe *persona*, uti Clericus; *locus*, uti Templum; *res aliæ*, uti vasa sacra, imagines, etc.: hinc triplex distinguitur sacrilegium, *personale* si persona, *locale* si locus, *reale* si res violetur sacra Deo. Hæc autem triplex species distincte est in Confessione aperienda; cum alia sit sanctitas loci, alia rei, alia personæ.

1. *Personale* respicit violationem, sive indignam tractationem personæ sacræ: persona porro Deo sacratur vel per sacram Ordinationem, vel per statum religiosum, vel per aliquam ejusdem participationem, quale esset v. g. votum simplex castitatis. Quæ violatio tribus præcipue modis committi potest: 1 violentas inferendo manus in Clericum, vel Religiosum: 2 ecclesiasticos subjiciendo foro laicali, nisi per Concordata cessaverit hoc privilegium exemptionis et immunitatis; 3 luxuriose violando personam Deo per votum castitatis dicatam.

2. *Locale* respicit violationem loci Deo sacri, quæ multipliciter potest evenire, nempe 1 violando Ecclesiæ vel alterius loci sacri immunitatem, v. g. fores effringendo, evertendo Altaria, bona eripiendo, vel hominem violenter sine permissione ab Ecclesia etiam interdicta et polluta extrahendo; 2 polluendo Ecclesiam modis in Rituali R. descriptis; 3 exercendo in Templo actionem profanam, quæ vel natura sua, vel juris præscripto adversetur loci sanctitati, uti sunt mercatus, publica convivia, ludi theatrales. Aliqua autem moderata deambulatio in Ecclesia, aut privata commestio etiam sine necessitate non videtur grave peccatum, si absit scandalum, clamor et contemptus. Hic pro loco sacro intelligitur quilibet locus ad divina officia,

(1) Potest tamen aliquando esse leve non solum ex inadvertentia, seu semiplena deliberatione; sed etiam ex parvitate materiæ, ut si leviter percutiatur Clericus, si res parva ab Ecclesia surripiatur. *Roncaglia.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 32.

(2) Lev. 10: II Reg. 12; II Paral. 26; Dan. 5; Mach. 2.

aut ad mortuos tumulandos destinatus a tecto ad solum, etiamsi interdictus et pollutus.

3. *Reale* est indigna tractatio rei sacræ distinctæ a loco et persona. Res dicitur sacra *vel* quæ sanctitatem producit, ut Sacramentum ; *vel* quæ sacrum significat, uti verba Scripturæ; *vel* quæ sacra repræsentat, uti imagines Sanctorum et cæremoniæ sacræ; *vel* quæ est Sanctorum particula, ut Reliquiæ; *vel* quæ ad cultum et Ecclesiæ ornamentum pertinet, uti sunt bona ab Ecclesia jam possessa; *vel* quæ ad ministrorum sustentationem deputata est, intellige cum S. Thoma, quæ talis est natura sua, uti ecclesiasticum Beneficium (1). Hinc sacrilegium reale est: 1 uti verbis Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulatoria, detractoria et similia: Tridentinum hanc usurpationem vocat *temeritatem* et *violationem Verbi Dei*, et eam per Episcopos puniri jubet (2); 2 furari Reliquias, contradicente domino; 3 ad Sacrificium adhibere vasa sacra, corporalia, etc. enormiter immunda, vel permittere ut in pyxide corrumpantur particulæ, etc.

An (quæres) *omne furtum in Ecclesia sit sacrilegium?* — Legitur in jure Canonico: *similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro* (3). Dubium esse potest de furto rei, quæ per accidens in ipsa Ecclesia reperiatur, ut si quis alterius crumenam vel horologium subtiliter in Ecclesia surripiat. Alii negant hoc furtum sacrilegium esse, ut Lugo et Lessius; quia nihil Ecclesiæ interest de alterius crumena vel horologio. Sed alii probabilius affirmant cum Luraschi, Laymano, Elbel, Salmanticensibus, Filliucio, etc.; cum semper verificetur, quod talis furetur non sacrum de sacro (4).

Q. 3. *An vasa sacra, et vestes in usum profanum converti queant?*

R. Si res sacra totaliter immutari possit, atque ad communem materiam reduci, v. g. si calicem argenteum igne vel ferro reducamus ad communem massam argenti, utique ad usus profanos converti potest; quia omissione formæ et benedictio amittitur, ac proinde illa res nihil externi retinet, quod indecens appareat. — Secus si res non totaliter difformetur: hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire; sed casula illa est comburenda: ita docet S. Thomas (5). Unde patet, non licere hujusmodi vestes ad usus profanos vendere, v. g. ad cartam conficiendam, aut oppignorare.

Q. 4. *Quænam sunt pœnæ in sacrilegos?*

R. Sacrilegi jure Canonico varie olim puniebantur: nunc excommunicantur: quæ pœna ipso facto (et reservata) incurritur tantum a percussoribus

(1) 2, 2, q. 99. a. 3. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 463.

(2) *Sess.* 4. « Quoad ejusmodi lusus et facetias circa sacra, præcipue nos Sacerdotes cautos esse oportet. Præ reliquis in hac materia valet, quod aliquis ex Ss. PP. ait: *nugæ laicorum sunt in ore Sacerdotis blasphemiæ.*» Stapf, § 227. Fragmenta autem librorum, in quibus verba sacra inscribuntur ad profanos usus adhibere sine contemptu, non est sacræ Scripturæ profanatio, nec proinde sacrilegium. Idem de sanctorum imaginibus non benedictis dicendum est.

(3) Can. *Quisquis*, caus. 17, q. 4, c. 21.

(4) Certum est autem sacrilegium non esse furtum in claustris, vel in Oratorio domus privatæ: esset vero furtum in Oratoriis xenodochiorum, etsi non benedictis ab Episcopo. Ita Liguori *Opus Mor.* l. III, n. 39.

(5) P. 3, a. 3, ad 3. — *Vid.* Benedictus XIV, *Notificatione* LII.

Clericorum; a frangentibus Ecclesias simulque eas rebus sacris expoliantibus; a violantibus Ecclesiasticam immunitatem, nempe tributa imponendo aut Ecclesiæ bona usurpando, alienando, vel alienationem consulendo (1). Contra Ecclesiarum aliorumque locorum sacrorum incendiarios excommunicatio probabilius non est reservata; nisi isti fuerint publice et nominatim denunciati (2). — Extra hos casus nulla habetur censura ipso jure sacrilegis adnexa, præter perpetuam inhabilitatem ad Missæ celebrationem contra abutentes Missæ sacrificio ad sortilegia, ex Benedicto XIV *(R)*.

*Codex pœnalis hispanus in sacrilegium animadvertit * (3).

ARTICULUS IV — De simonia.

§ I — *De simoniæ natura et divisione.*

Q. 1. *Quid est simonia?*

R. *Nomen simoniæ a Simone Mago acceptum est, de quo legitur Actorum* 8°, *quod obtulit Apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, ut scilicet quibuscumque manus imponeret, reciperent Spiritum Sanctum*: ita S. Thomas (4). Definitur autem simonia a Theologis: *studiosa voluntas emendi,* vel *vendendi pretio temporali aliquod spirituale* vel *spirituali adnexum.* Unde tria ad ejus naturam necessaria sunt: 1 ut materia sit spiritualis, vel spirituali adnexa; 2 ut pretium sit temporale; 3 ut intercedat emptio, vel venditio: quæ quidem necesse non est ut executioni mandetur, sed sufficit ut malitiose tantum intendatur; voluntas enim peccatum facit ideo dicitur *studiosa voluntas.*

Simonia grave peccatum est; nam graviter prohibetur a jure tum naturali, quod vetat omnino vendere rem impretiabilem; tum divino juxta illud: *gratis accepistis, gratis date* (5); tum ecclesiastico, ut constat ex toto titulo *de simonia*, in quo ea appellatur *execrabile flagitium;* tum civili communi (6). Simonia opponitur Religioni; immo quædam species sacrilegii est, cum sit indigna rei sacræ tractatio: opponitur justitiæ, quia res spirituales sunt supra omne pretium. Immo et hæresis vocari solet a Canonico jure,

(1) Cap. *Si quis suadente* 17; cap. *conquesti* 22 de sent.; Gregorius XIV, Bulla *Cum alias;* Bulla *Cœnæ:* Pius V, Bulla *Admonet nos;* Tridentinum, sess. 22, cap. 11 de R.

(2) Cap. *Tua nos* 19 *de sent. excomm.* (3) Art. 131 et seqq.

(4) 2, 2, q. 100. — *V. Bibbia* di Vence, vol. VI, *Dissertazione* sopra Simone il Mago. — Liguori, *Opus Mor.* l. III. n. 49.

(5) Matth. 10

(6) L. *Si quamquam* 31 Cod. *de Episc. et Elect.* Inauditum ac recens hujus gravissimi sceleris exemplum exhibent Protestantes, ut refert Diar. *La Civ. Cat.* ser. 2. v. II, q. 218: «La direcion espiritual del pueblo de Spetisburg-Charton-Marshal fué vendida en almoneda pública por los SS. Smith padre é hijos. El subastador anunció que el titular octogenario, por falta de salud queria abandonar la cura de almas y venderla al mayor postor. Los productos del beneficio ascendian á 624 libras esterlinas. La primera puesta fué de 5000 francos y fué aumentando á medida del celo de los ministros que la pretendian hasta el precio de 5550 libras esterlinas, ó sean 138.750 francos en que fué vendida la direccion espiritual en favor del que tuvo mas celo. Y se dirá luego que los protestantes no arden en un fuego sagrado ávidos como son de comprar á tan alto precio el campo de sus tareas y sudores apostólicos!

non quidem proprie; sed late, vel quia qui illam exercet, primum hæresiarcam novi Testamenti imitatur, vel quia qui eam frequenter committit hæresis suspicionem afferre solet, et pœnas aliquo modo similes meretur. Merito ergo ait Paschalis Papa: *simoniacos comparandos esse Judæ proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit: et omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputari.*

Q. 2. *Quid significat in simonia illud* emendi, *vel* vendendi?

R. Illud *emendi* vel *vendendi* in simonia significat quemcumque contractum onerosum, sive voluntatem alterum obligandi ad dandum spirituale pro temporali aut vicissim; tota enim simoniæ malitia sita est in irreverentia, quæ committitur, dum res spirituales instar temporalium æstimantur et contractibus subjiciuntur. Hinc simonia non erit, aliquod temporale gratis alteri tradere pro Beneficio ecclesiastico jam accepto. Neque spirituale cum spirituali permutare, puta Missam cum Rosario; nam res ejusdem ordinis bene invicem æstimantur.

Quid (dices) *si quid temporale tradatur pro omissione rei spiritualis?* Si detur quid temporale pro omissione rei spiritualis, quam quis tenetur ponere vi potestatis spiritualis, uti est v. g. omissio absolutionis, est simonia; cum vendatur exercitium rei spiritualis pro temporali (1): *correctio... est spiritualis actus;... unde simoniam committit qui pecuniam accipit, ut peccatum quod tenetur revelare aut punire, non revelet nec puniat,* ait S. Thomas (2). Idem dicendum, si ob tuam omissionem culpabilem alter spirituale consequatur; tunc enim omissio illius actus ultimo resolveretur in actum ipsum; esset si quis ideo consequatur Beneficium ecclesiasticum, quia tu pecunia motus cessas contra ipsum prosequi justam accusationem. Si vero rem spiritualem omittere pendeat tantum a libertate, poterit turpe peccatum esse, non tamen simonia; cum nihil sacrum tunc vendatur, sed solum usus liberi arbitrii, ut esset omissio orandi, celebrandi, etc.

Q. 3. *Qui sibi vult vox illa* pretio temporali *in simonia?*

R. Vox illa *pretio temporali* in re simoniaca indicat munus quodcumque temporale, quod S. Thomas revocat ad *munus a manu;* ad *munus a lingua;* ad *munus ab obsequio.*

1. *Munus a manu* est pecunia, seu bonum quodcumque temporale pretio æstimabile: sic v. g. esset munus a manu in me, si darem aliquam rem spiritualem cum pacto, ut alter remittat mihi debitum; vel ut solvat pecuniam licet alias mihi debitam; vel etiam ut mutuam eam suppeditet in futurum; spiritualia enim gratis et sine ullo respectu ad temporalia danda sunt juxta illud Christi: *gratis accepistis, gratis date;* si secus, simoniacum est.— Item simonia est, si detur alicui Beneficium ecclesiasticum cum pacto, ut subeat aliquod novum onus, licet spirituale, quod prius ipsi Beneficio adnexum non erat; puta onus docendi, canendi, pluries celebrandi, aut diverso loco ab eo, de quo loquuntur Beneficii tabulæ; ratio est, quia ex jure Canonico omne pactum in Beneficiis ecclesiasticis superadditum uti simoniacum habetur: imo vel ipsa permutatio spiritualis, quæ in aliis rebus spiritualibus permitti potest (sic licita esset pactio: *nunc applico pro te Missam, ut mane*

(1) *Decr.* Greg. l. V, t. III *de Simon.* c. 14 *nemo Presbyt.* (2) In 4, d. 25, q. 3, a. 2, q. 11.

applices pro me), hæc inquam commutatio in re beneficiaria vetita est Canonico jure: unde sine licentia non liceret mihi permutare Beneficium, quod ego possideo, cum Beneficio quod alter possidet (1). — Attamen si ab Episcopo una cum Capitulo Beneficio ecclesiastico vacanti imponatur novum aliquod onus honestum, v. g. infirmis assistendi, bene sustinetur in jure (2).

2. *Munus a lingua:* hoc nomine intelliguntur laudes, favores, intercessiones, etc.; quia hæc quoque solent in communi hominum sensu æstimari. Sic esset v. g. munus a lingua in Episcopo, si Beneficium alicui conferret, ut ab eo laudibus exornetur ac favoribus afficiatur, vel ne illius odium incurrat; quia vitatio ac fuga mali quod timetur, est temporale et pretio æstimabile. Vel etiam si dicat: *non conferam tibi Beneficium, nisi talis me roget:* conferret enim motus favore humano, qui æstimabilis est. Secus esset, si simpliciter conferret Beneficium ad preces alterius, sed nullo habito respectu ad favorem humanum acquirendum; tunc enim nulla interveniret venditio rei spiritualis pro temporali.

3. *Munus ab obsequio* est omne, quod pertinet ad servitutes, quæ exhibentur ad finem obtinendi quidpiam spirituale: sic munus esset ab obsequio, si Prælatus Beneficium ecclesiasticum famulo, vel famuli filio conferret, ut gratis sibi serviat; vel ut ejus famulandi munus sic compensetur. Pariter Clerici, qui temporaliter inserviunt Episcopo expectantes pro retributione aliquid spirituale, simoniaci sunt: secus si serviant in spiritualibus, v. g. in munere prædicatoris; nam *ecclesiasticis utilitatibus desudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere* (3). Et Apostolus habet: *qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent* (4). Dicunt etiam communissime Salmanticenses cum Cajetano, Laymano, Suarez, Toleto, etc. contra paucos, simoniam non esse, siquis inserviat Episcopo primario ad captandam ejus benevolentiam, secundario ad obtinendum Beneficium, ut nempe sic Episcopus factus benevolus gratis Beneficium conferat (5). Verum hoc valde periculosum est, imo si alius titulus deest, recte supponitur intentio saltem virtualiter simoniaca.

Q. 4. *Quid intelligitur nomine* rei spiritualis *in simonia, et nomine* spirituali adnexum?

R. Nomine *rei spiritualis* in simonia intelligitur omne, quod vel ex se, vel ex institutione Dei aut Ecclesiæ pertinet ad salutem animæ, atque ad ordinem bonorum spiritualium. Alia porro sunt spiritualia *in se ipsis et forma-*

(1) Ex c. *Quam pio* 2, caus. 1, q. 2.
(2) C. *Significatum* de præb.
(3) C. *Eccles* 67, c, 12, q. 2.
(4) 1 Tim. 3.
(5) Quo in casu nullum intervenit pactum neque implicitum, aut æquivalens; nullaqua intenditur compensatio, neque ulla proprie dicta intentio directe obligandi donantem adest, quod quidem omne damnatum esset ab Innocentio XI sub propositione 45, uti notat et explicat Viva. — Nec etiam damnandus de simonia Episcopus, qui beneficium confert Clerico in recognitionem gratitudinis ob præstitum obsequium; quia, ut ait Suarez, non dat tamquam determinate debitum. Et quodcumque Beneficium licet maneat gratuitum, de se tamen semper natum est ad extinguendam obligationem gratitudinis antea contractam. Hinc in cap. *Tua nos* 34 Pontifex de eo qui bona sua offerens Ecclesiæ admitti petebat in Canonicum, respondit: *si pure et sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniacæ pravitatis.*

liter, uti dicunt v. g. dona Spiritus Sancti et gratia sanctificans ; alia *causaliter*, quatenus nempe sunt causa donorum spiritualium, v. g. Sacramenta et Sacramentalia ; alia *effective*, quæ a causa spirituali procedunt, ut dispensationes votorum, etc.

Per illud vero *spirituali adnexum* in simonia intelligitur quidquid cum re spirituali conjungitur. Temporale autem potest spirituali adjungi: 1 *antecedenter:* et est quod ordinatur ad spirituale, uti v. g. sunt vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum ; 2 *concomitanter:* et est quod intrinsece conjungitur cum re spirituali, quod proinde ab ipsa separari non potest, v. g. labor corporalis, qui necessario insumitur in Missæ celebratione; 3 *consequenter:* et est cum præsupponitur aliquid spirituale tamquam causa et radix : sic jus percipiendi reditus ecclesiasticos, præsupponit officium ecclesiasticum uti sui causam atque radicem.—Porro per se licitum est vendere temporale, quod *antecedenter* adnexum est spirituali, ut argentum calici; nam illa res semper retinet suum valorem intrinsecum a re spirituali independentem. Hinc in jure Canonico legitur : *si* (Ecclesia) *habet superflua vasa... integra vel aliis locis venerabilius oblata dentur, vel conflata cuilibet alii vendantur* (1): nulla tamen in pretio habita ratione consecrationis. Diximus *per se*, jure enim Ecclesiastico excipitur Beneficiorum commutatio, Chrisma, Oleum benedictum et Cæmeterium, etc.—Quæ vero sunt adnexa spirituali *concomitanter*, nequeunt vendi : secus res spiritualis venderetur ; cum sint ab ea inseparabilia, sine quibus neque res ipsa subsistat: hinc tempus, quod necessario insumitur ad confectionem Sacramenti, non est pretio æstimabile. —Pariter nec ea, quæ *consequuntur* rem spiritualem, vendi possunt ; quod enim est adnexum consequenter alicui rei, rem ipsam supponit, et se habet veluti illius accessorium : si ergo principale nequit vendi, neque quod ex illo necessario sequitur. Hinc simonia est vendere jus vivendi de bonis monasterii: cum id sit necessario adnexum consequenter professioni, quæ spiritualis est.

Q. 5. *Quomodo dividitur simonia?*

R. Simonia vel consideratur ratione modi, quo committitur: et alia est mentalis, alia conventionalis, alia realis, alia confidentialis. Vel ratione juris, quo prohibetur: et est juris divini et humani.

1. *Simonia mentalis* est, cum quis dat temporale animo alterum obligandi ad reddendum sibi spirituale, aut e converso, quin tamen ullum exprimatur pactum exterius: ideoque includit quidem actionem vere externam, sed exterius non apparet intentio, a qua actio illa procedit. Sic simoniæ mentalis reus esset qui Episcopo præstet famulatum ex intentione obtinendi Canonicatum.

2. *Conventionalis* est, cum extat pactum explicitum: v. g. si quis de præstando famulatu conveniret cum Beneficii patrono, addito pacto expresso, ut ad idem Beneficium suo tempore nominetur. Si pactum a neutra parte sit executum, dicitur *pure conventionalis:* si ab una tantum parte, *conventionalis mixta*, quia participat aliquid de reali.

3. *Realis,* est cum pactum ipsum per reciprocam rei spiritualis et tem-

(1) C. *Hoc jus* 2, § 1, et 10, q. 2.

poralis traditionem executione donatur, v. g. si nominatio ad Beneficium in allato exemplo pro famulatu jam præstito contigerit.

4. *Confidentialis* est quæ consistit in Beneficiorum ecclesiasticorum provisione, si fiat tamen quatuor sequentibus modis: 1 *per accessum*, cum nempe quis v. g. volens procurare Beneficium alicui per ætatem actu incapaci, illud confert alteri sub conditione, ut istud resignet primo, ubi fuerit capax; 2 *per ingressum*, si Beneficium collatum, sed nondum possessum quis resignet cum pacto, ut in ipsum Beneficium ingrediatur idem resignans, si alter moriatur aut illud dimittat; 3 *per regressum*, cum nempe quis Beneficium a se possessum resignat alteri ea conditione, ut provisus resignet idem Beneficium resignanti aut alteri tempore convenienti; 4 *per pensionem*, quando quis procurat alteri Beneficium sub pacto expresso vel tacito (1), ut hic sibi vel alteri a se designando omnes Beneficii fructus, vel eorum partem tribuat, aut pensionem ex eo persolvat. Sed necesse est, ut accessus, ingressus, regressus et pensio cadat super idem Beneficium, ut habeatur simonia confidentialis; secus erit solum conventionalis aut realis (2).

5. *Simonia juris divini* est quæ prohibetur jure divino ob intrinsecam sui malitiam, quando scilicet pro temporali datur res vel in se, vel ex Christi institutione spiritualis: uti gratia sanctificans, Sacramenta et Ordines sacri.

6. *Simonia juris humani* dicitur quæ non est intrinsece mala, sed solum mala est, quia ab Ecclesia prohibetur ob reverentiam erga res sacras; lex enim habet vim efficiendi, ut suum objectum sit materia illius virtutis, ex cujus motivo fertur, uti recte notat Antoine. Sic Communio facta ab homine non jejuno sine causa excusante, est sacrilegium; quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuscumque rei per modum cibi vel potus ante Communionem. Talis est etiam permutatio Beneficiorum ecclesiasticorum inter se, in quibus non habetur nisi prohibitio Ecclesiæ; cum aliunde servetur in illis æqualitas rerum commutando spirituale cum spirituali.

Q. 6. *An possit in simonia dari materiæ parvitas?*

R. Si agitur de simonia juris divini, sententia communis est nullam dari materiæ parvitatem; quia gravis semper est in res sacras irreverentia easdem æstimare instar rerum temporalium, et utpote tales contractibus subjicere. Hinc D. Petrus Simonem Magum criminis hujusmodi reum sic vehementissime increpat: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri!* quæ verba indicant piaculum valde infandum. Ideo simonia juris divini non potest esse venialis ob materiæ parvitatem, sed tantum ob imperfectionem actus, aut ignorantiam.

Si vero sermo sit de simonia juris humani tantummodo, admittenda est materiæ parvitas cum Croix ac Navarro; quia quando nec accipitur nec datur præcise temporale pro pretio rei spiritualis, sed traditio vel acceptio prohibetur dumtaxat ad cavendam simoniæ labem, non fit injuria rei ipsi spiri-

(1) Certe tamen nulla esset simonia fundare Beneficium ea conditione, ut fundator aut filius aut nepos eodem primo instituatur: ex Benedicto VIV, *Notificatione* XCV.

(2) Probabilius non esset simonia confidentialis si resignatio fiat sub spe tantum pensionis, nam in jure uti talis non damnatur, nisi quæ fit cum pacto sive expresso sive non. Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 86.

tuali, sed peccatur tantum contra Ecclesiæ præceptum, in quo omnes materiæ parvitatem admittunt (1).

Q. 7. *Quot modis committitur simonia juris divini?*

R. Simonia juris divini committitur præsertim :—1 dando aliquid temporale tamquam pretium rei spiritualis: ita Simon Magus pecuniam offerebat pro donis Spiritus Sancti. Sic esset simonia juris divini aliquid temporale dare vel accipere uti pretium Sacramentorum, sacramentalium, sacrarum Reliquiarum, vel pro quavis potestate spirituali Ordinis aut jurisdictionis, v. g. pro applicanda Indulgentia, pro divinis officiis, concione pronuncianda, etc.;—2 dando spirituale principaliter ob temporale, vel contra: esset v. g. si Titius avarus donaret ingentem summam Sempronio qui ad Beneficium nominare debet; esto quod videatur liberalis donatio; at considerata qualitate personæ donantis, quæ est avaritiæ dedita, ac qualitate rei donatæ, quæ apta est ad mentem alterius pervertendam, si postea fere statim Beneficium detur, merito censetur datum ex simoniaca intentione, id est principaliter ob pretium temporale (2);—3 simonia est juris divini promittere, dare vel accipere temporale æstimabile pro ipsa collatione, electione, præsentatione, confirmatione ad ecclesiasticum Beneficium; commutatur enim res temporalis cum spirituali. Item illud permutare cum pensione pure laicali, licet Pontifex ut supremus dispensator, præscindendo a mutatione, possit a Beneficio partem fructuum detrahere. Item vendere jus percipiendi fructus; nam cum tale jus essentialiter detur ob officium spirituale, ab illo nequit dividi.

An (quæres) *vendi possit jus præsentandi ad ecclesiasticum Beneficium* (3)? Si tale jus est affixum rei, vendita re, jus transfertur simul cum re in emptorem (4); sicuti etiam transferri potest donatione aut titulo hæreditario. Extra hos casus vendi nequit tale jus patronatus ecclesiastici sine simonia de jure humano (5): hinc est simonia, si patronus vendat pluris rem ratione talis juris, vel imponat præsentato, v. g. ut suis expensis litem sustineat, et probet jus ad illum patronum spectare (6).—An vero venditio talis juris patronatus sit vetita etiam jure divino, affirmant Lessius, Layman, etc.; quia hoc jus est quid spirituale, cum procedat a potestate jurisdictionis ecclesias-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 51.

(2) Quare merito ab Innocentio XI damnatæ sunt istæ nn. 45 et 46 propositiones: 1ª *dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita* compensatio *pro spirituali, aut contra*; 2ª *et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

(3) Hoc jus quoad honores et subventiones, quæ patronis debentur, bene vendi potest: quia quoad illa non dicitur spirituale.

(4) S. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 4.

(5) C. *de jure*, et c. *præterea* de jurep.

(6) Dicunt Salmanticenses: quod vertente litigio circa jus patronatus, potest apponi conditio, ut si intra tot menses præsentatus præsentationem suam non fuerit prosecutus, patronus possit alium præsentare; quia tunc ille remanet in sua libertate, nec obligatur ad probandum jus patroni pro illo, sed pro se, si voluerit consequi Beneficium. Verum in hoc magnum periculum est, quod nempe virtualiter vendatur talis præsentatio pro expensis, quæ de jure a patrono fieri debebant.

ticæ. Negant vero Sanchez, Sylvius, Sotus et alii; quia potius tale jus est quid temporale, cum sit temporalis favor concessus ab Ecclesia, quatenus ipsa exercet potestatem, non jam jurisdictionis; sed politicam, eminenter in illa contentam, ad quam spectat favores temporales distribuere (1).

Quid de illo, qui Beneficium ecclesiasticum confert ob carnalem affectionem, nempe ob parentelam?—Iste simoniacus non est, nisi conferendo intendat bonum aliquod sibi, vel familiæ inde obventurum, v. g. ut ditescat. Ait enim Angelicus: *si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur: unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia* (2).

Quid vero de illo, qui dat eleemosynam pauperi, ut pro se oret?

Hic simoniacus non est: imo ordinem sequitur divinæ Providentiæ, quæ vult, ut faciamus nobis amicos de divitiis (3). Neque intendit sic orationes emere; sed tantum *per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocare ad hoc, quod pro eo gratis, et ex charitate orent,* ut ait Angelicus (4): nempe dat simpliciter ad alliciendum ac quasi ratione stipendii. Hoc sensu licet alicui promittere donum in spiritualem ejus utilitatem, v. g. si Missam audiat, si Sacramenta suscipiat, si Monasterium ingrediatur; quia hæc est simplex donatio sub conditione, quæ danti nihil proficit, et nullum accipienti addit onus; neque enim adstringitur ad ea facienda, sed optio illi datur. Si secus esset vel ipse Deus simoniacus esset, qui etiam temporale præmium nonnumquam bene operantibus promittit. Sed esset simonia, si alicui simpliciter imponeretur obligatio, vel conditio esset de præstando aliquid in utilitatem dantis; adesset enim quædam commutatio.

Ex his colligitur simoniaca non esse legata, aut eleemosynas pro Missarum celebratione datas; quia iis neque implicite neque explicite intenditur commutare spirituale cum temporali; sed quæ legantur, vel eleemosyna traduntur, sunt ad Ministrorum sustentationem ipsis debitam ex Christi præcepto, qui vult ut operarius habeat mercedem suam: non autem sunt pro ipsis operibus spiritualibus, quæ legato vel aliter percipiuntur. Hinc a Martino V illa Wicleffi propositio utpote nimis generalis damnata est: *omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus* (5).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 71. (2) 2, 2, q. 100, a. 5. (3) Luc. 16.

(4) 2, 2, q. 100, a. 3; et in 4, d. 25, q. 3, a. 2.—Unde non obstaret, si quis, semel voluntarie peracta optione, ad sua promissa præstanda juramento se adstringeret, v. g. ad Missam audiendam, ad orandum, etc.; cum enim res licita sit, poterit juramento firmari.

(5) Recte observat Dens, non inquietandos esse simplices, qui probos homines imitantes aliquid temporale pro spirituali accipiunt, quamvis ob ignorantiam legitimos discernere non valeant titulos. Sic cantores, sacristæ et parvuli, Missæ servientes aliquid tuta conscientia percipiunt, licet explicare nequeant qua ratione id legitime faciant.—Qui promissionibus vel præmiis pueros allicit ad catechismum et Confessionem, non reputandus est simoniacus; quia temporale non dat, uti patet, tamquam spiritualis pretium, siquidem ipse nihil recipit. A simonia excusatur Parochus, qui pinguiorem Parochiam desiderat vel eligit, consentiente Episcopo, ut ampliorem habeat sustentationem pro se et pauperibus, et melius evangelicet; quia reipsa non fit commutatio tempo alis pro spirituali. Sed non laudandus est; et certe vituperandus si lautiorem vitam vel fortunæ suæ aut familiæ augmentum quærat: imo a simonia mentali sæpe excusari non potest. Hoc sedulo attendat.

Quid (addes) *resolvendum, si quis promittat pecuniam in eleemosynam pauperibus erogandam, si tu illi obtinebis Beneficium?*—Salmanticenses eum a simonia excusant, si pecuniam omnino gratis tribuat et in eleemosynam, quæ est titulus excusans largitionem a simonia (1). Simonia nempe in eo consistit, quod detur temporale in pretium rei spiritualis; quando ergo datur aliis titulis honestis, ut in stipendium laboris, in sustentationem, in gratiarum actionem, simonia non committitur: unus porro ex legitimis titulis est eleemosyna, et hanc unice respicit illa promissio (2).—Simoniacus tamen esset qui alteri Beneficium procuraret ea intentione, ut sibi tamquam pauperi fructus superflui dentur; nam esto quod isti fructus sint jam pauperibus distribuendi; attamen quod debeantur tali pauperi est onus superadditum, ideoque simoniacum.

Quid de eo, qui dat mediatori pecuniam ut sibi Beneficium obtineat? Vel pecunia datur pro labore a mediatore suscipiendo, aut damno subeundo seu lucro amittendo. Vel pro mediatione ipsa, et cum pacto, ut intercedat ad Beneficium illud sibi obtinendum. Si 1, non erit simonia, si pecunia sit labori proportionata; quia hæc remote se habet ad consecutionem rei spiritualis (3). Si 2, simonia erit; nam licet daretur temporale immediate pro temporali, uti est illa mediatio, attamen intenditur spirituale; *sic enim per pecuniam,* ait Angelicus, *pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam* (4).

Q. 8. *Quot modis committitur simonia juris humani?*

1. Beneficia commutando, in alterius favorem resignando, in iis paciscendo, transigendo, vel pensiones licet spirituales reservando sine licentia (5). Ratio est periculum, ne fiat intuitu rei temporalis.

2. Aliquid dando vel accipiendo occasione, qua fit examen pro Parocho eligendo ex Tridentino (6): quod quidem Concilium prohibuit sive detur et accipiatur ante, sive post examen: et merito id statuit ad amovendum omne humanæ affectionis periculum in examinatoribus. Diximus *occasione, qua fit examen,* seu occasione examinis; nam pro examine ipso aliquid dare vel accipere, ut illud nempe prospere cedat, esset simonia juris divini.

3. Aliquid accipiendo etiam sponte oblatum *occasione collationis Ordinis, vel litterarum ad Ordinem ipsum, vel etiam primæ tonsuræ:* ex Triden-

(1) Alii tamen difficulter id excusant; quia, inquiunt, est verum pretium temporale pro spirituali obtinendo inani nomine eleemosynæ velatum.

(2) Imo licet periculosa res sit, ex Angelico tamen simonia non est, siquis v. g. eleemosynas monasterio eroget, ut facilius, sed ex gratitudine in illud admittatur (2, 2, *q.* 100, *a.* 3); nam nullo jure prohibetur bene mereri omni modo honesto de eo, qui potest nobis aliquando benefacere. Neque tunc tribuens obligat ad aliquid determinate, sed vult tantum illam generalem obligationem inducere, quæ necessario sequitur ex quolibet obsequio.

(3) «Nec etiam esse simoniam (licet sit periculosum) dicunt Salmanticenses cum Bonacina, Palaus, Azor, Sanchez, Filliucius, etc. si des alicui pecuniam, ut tua merita simpliciter Episcopo proponat; quia ad simoniam requiritur, ut obtentio rei spiritualis sit immediatus finis præstationis pecuniæ. Non autem sufficit, quod sit quid consequens ex alio immediato, nullam habens connexionem cum illo, uti dicunt Salmanticenses cum Suarez, Navarro et Garcia. Sed valde timendum est, ne alter relinquat officium informantis et officium summat intercedentis.» Ita S. Alphonsus, *Opus Mor.* l. III, n. 64.

(4) 2, 2, q. 100, a. 2.

(5) C. 4 *de sim.;* c. 5 *de rer. perm.;* c. 8 *de trans.;* c. ult. *de part.* — *V.* Benedictus XIV, *Notificationibus* XCIII et XCV.

(6) Sess. 24, c. 18 *de R.*

tino (1). Verum S. Congregatio 8 oct. anno 1678 permisit Episcopis, ut candelam reciperent, et mappam a presbyterandis: imo eadem Congregatio deputata ab Innocentio XI taxavit etiam emolumenta, quæ exiguntur pro dimissoriis et testimonialibus etc.

4. Vendendo vel emendo officia procuratoris, sacristæ, œconomi, defensoris Ecclesiæ (2): quod quidem prohibitum est intuitu Religionis.

5. Vendendo partem cæmeterii (3): et erit simonia juris divini, si vendatur uti locus sacer. Potest tamen emi jus sepulcri, ut quis in tali loco sepeliatur; quia non venderetur sepultura ne ratione quidem terræ, sed pretium exigeretur ratione oneris alios ibi non sepeliendi. Quod quidem est quid temporale: et usus probat (4).

6. Vendendo oleum benedictum; vel sacrum Chrisma etiam secundum suam speciem physicam (5). Usus tamen in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluit, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

7. Exactio pecuniæ pro admissione in Religionem ratione sustentationis, nisi vel lex vel consuetudo vel tenuitas monasterii excuset (6). Imo loquendo de Sanctimonialibus, cum S. Conc. Congregatio experientia didicerit nullum monasterium reperiri adeo opulentum, quod pluribus incommodis non sit obnoxium, amplexata est S. Caroli decreta, quibus a singulis indiscriminatim Monialibus statuitur tradendam esse dotem. Unde satis est Episcopo, si modum imponat sumptibus fieri solitis occasione ingressus, etc., uti monet Benedictus XIV (7).

§ II — *De pœnis quibus simonia punitur.*

Q. 1. *An omnes simoniæ species in jure puniantur?*

R. Certum est 1: nulla pœna in jure puniri simoniam *pure mentalem;* quia culpæ mere internæ legibus Ecclesiæ non subjiciuntur, vel certe ab ea non puniuntur: quapropter eo in casu *sufficit*, ait Gregorius IX, *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori* (8); — 2 nullam pariter incurri pœnam ob simoniam *pure conventionalem;* nam jura loquuntur de jam actu commissa, et effectu completa. Immo in communiori et probabiliori sententia non incurritur pœna neque ob *conventionalem mixtam*, quando nempe fuit quidem traditum pretium temporale, sed non res spiritualis; nam sine hac actus non est completus. Et hunc esse Curiæ stylum testantur Navarrus aliique, nempe non judicandi incursas pœnas, nisi ex utraque parte completa simonia; — 3 puniri simoniam tum *realem* in Beneficiis, seu completam ex utraque parte, et conferentis Beneficium et dantis pecuniam, quamvis ea occul-

(1) Sess. 21, c. 1 de Ref. — *Vid.* Pavone, *La luce fra le tenebre,* § 164.
(2) C. *Salvator* 2, caus. 1, q. 3. (3) C. 13 et 14 *de sepul.*
(4) Idem est, si plus exigatur ad deferendam crucem argenteam pro ferrea; non enim est majoris benedictionis una præ alia; sed hic honor mundanus est, qui potest vendi.
(5) C. *Dictum* 105, c. 1, q. 1; et cap. 16 *de simon.*
(6) C. 18 et 40 *de sim.* (7) *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 6; et *Notificatione* XXIX.
(8) Cap. ult. t. III, l. V *Decretal.* — *V.* d. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 6. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 105.

ta sit, et non integre solutum pretium conventum, sed tantum pars pretii data sit; tum *confidentialem*, etiamsi non sit ex utraque parte completa: ad hanc enim satis est, si Beneficium detur ea conditione, ut dimittenti aut alteri adsignetur, vel fructus illius solvantur, et ea intentione recipiatur; quamvis accipiens promissionem suam nondum implere cæperit. Item pœnæ canonicæ incurruntur etiam per simoniam commissam sive pro ingressu in Religionem, sive pro collatione et susceptione Ordinum (1). Extra hanc materiam nulla censura: hinc in Sacramentorum aut Sacramentalium et similium administratione simoniam committere erit quidem gravissimum peccatum; sed nulla erit pœna positiva (2).

Q. 2. *Quænam pœnæ contra simoniacos in Beneficiis?*

R. Prænotandum per Beneficium in hac materia intelligi tantum Beneficium ecclesiasticum, quocumque nomine appelletur (3). Hinc: 1 non veniunt Officia inquisitoris, vel legati, vel cujuscumque habentis jurisdictionem spiritualem ad tempus, ut Vicariatus Episcopi, officium procuratoris rerum Ecclesiæ, etc.; quia Beneficia non sunt, quamvis jure positivo sit prohibitum sub simonia ea vendere, quia sunt officia ecclesiastica; 2 neque veniunt Coadjutoriæ Beneficii, quæ nihil aliud sunt, quam quædam facultates exercendi officium proprietarii, etsi concedantur cum futura successione; 3 neque Vicariæ amovibiles ad nutum, aut Capellaniæ non collativæ seu pure laicales: nam ecclesiastica Beneficia non sunt. Imo nedum incurratur aliqua pœna, absque ullo simoniæ reatu possunt vendi; cum neque officia ecclesiastica sint; quamvis enim habeant onus spirituale adnexum, non tamen referunt ecclesiasticam institutionem: porro ubi verba legis non conveniunt, neque ejus dispositio locum habet; et ita tertio Romæ judicatum fuisse refert Gonzales (4). — Hisce nunc positis, en pœnæ ob simoniam in Beneficiis Ecclesiasticis:

Primo: pœna contra simoniam realem in Beneficiis sunt ex Constitutione S. Pii V: 1 *excommunicatio*, quæ incurritur ipso facto etiam a cooperatoribus, et est Pontifici reservata; 2 *nullitas* electionis, præsentationis et canonicæ institutionis, ita ut sic promotus et institutus nequeat fructus Beneficii facere suos; 3 inhabilitas perpetua ad idem Beneficium obtinendum (5).— *Secundo:* propter simoniam confidentialem sive completam, sive incompletam ultra pœnas impositas adversus realem, ex Decreto *Cum primum* S. Pii V, incurritur etiam privatio Beneficiorum omnium antea etiam obtentorum; non tamen probabiliter ante sententiam saltem crimininis declarato-

(1) An vero pœnæ incurrantur, si simonia sit tantum de jure ecclesiastico, et expresse lex ecclesiastica id non statuat, alii affirmant: quia jura generice loquuntur. Alii non minus probabiliter negant; quia jura quæ pœnam imponunt, sunt odiosa, ideoque restringenda: et revera de sola simonia juris divini loquitur *Extrav.* 2 *de simon.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 108.

(2) Extravag. 1 *Cum detestabile de simon.;* et Bulla *Intollerabilis* Pii V.

(3) *Extravag.* 2 *de sim.* (4) In Reg. 8 *Cancell.* glossa 5.

(5) Dicimus *ad idem;* nam ad alia Beneficia obtinenda non fit inhabilis, nisi post sententiam, ut probabilius et communius docent explicantes Bullam Pii V (ubi contrarium videtur innui) de foro externo; cum Bulla revera loquatur *de reis convictis.* Imo si alia Beneficia jam habeat, ea retinere potest, quia nulla lex expresse hanc pœnam ipso facto decernit. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 112.

riam. Si tamen simonia sit commissa ab ipsis examinatoribus synodalibus, qui nempe occasione examinis ad Parœciam aliquid recipiant, ipsi privantur ante omnem sententiam Beneficiis jam obtentis ex Tridentino, adeo ut *nequeant a simonia absolvi, nisi dimissis Beneficiis* (1). Beneficium autem per confidentiam collatum et acceptum, manet Sedi apostolicæ reservatum.

An (quæres) *committat simoniam et pœnas incurrat qui obtinet Beneficium per fictam pecuniæ promissionem non impletam?* — Iste reus est peccato simoniæ, quatenus cooperatur ad simoniam collatoris; sed probabilius ipse per se directe simoniam non admittit, etsi graviter peccet; cum (non interveniente voluntate se obligandi ad promissionem) non adsit vera emptio, quæ ad simoniam requiritur. Quoad pœnas vero puto cum Croix eum illas non incurrere, cum desit simonia utrinque completa (2).

Q. 3. *Quænam sunt pœnæ adversus simoniacos in Ordine, vel in ingressu Religionis?*

R. Ad 1: Pœnæ adversus simoniacos in Ordine sunt contra ordinantem: contra mediatores et præsentatores; demum contra ordinatum (3). — Quod pertinet ad *ordinantem*, ex Contitutione *Sacrum* Sixti V: 1 est ipso jure suspensus tum a collatione Ordinum etiam primæ tonsuræ, tum ab executione pontificalium; 2 est interdictus ad ingressu Ecclesiæ: et si interdictum violaverit, præter irregularitatem suspenditur etiam ab Ecclesiæ regimine, et privatur perceptione fructuum; 3 remanet excommunicatus.—Hanc excommunicationem incurrunt etiam *mediatores; præsentatores* vero incurrunt præterea suspensionem ad triennium (4). — Tandem *ordinatus* simoniace præter excommunicationem privatur spe ascendendi ad alios Ordines. Item ab Ordinibus suspenditur, et si illos exerceat, privatur omnibus Beneficiis, et fit inhabilis ad alia acquirenda. Lessius aliique docent suspensionem accipiendam tantum quoad Ordines scienter simoniace susceptos, cum nemo debeat puniri sine culpa; tamen Benedictus XIV, Constitutione *Pastor bonus*, tribuit majori Pœnitentiario facultatem cum inscio dispensandi, non quod peccaverit, sed quia illegitima fuit Ordinis susceptio.

R. Ad 2: Propter simoniam pro ingressu in Religionem communitas incurrit suspensionem, et particulares id agere præsumentes excommunicationem papalem. Sed hæc probabiliter tantum incurritur in professione: imo multi dicunt illam in desuetudinem abiisse. Ubi advertendum, quod omnes electiones simoniacæ ad Generalatum, Rectoratum, et quodlibet officium spirituale in Religione sunt irritæ (5).

Q. 4. *Quinam absolvere potest a pœnis in simoniacos latis?*

R. Quoad excommunicationem et suspensionem ob collationem Ordinum, vel Beneficiorum, vel ob admissionem in Religionem incursas, solus Papa potest absolvere, si publicæ sint; si occultæ, possunt etiam Episcopi, uti docent communiter, ex capite *Liceat.*—Quoad vero inhabilitatem, distinguendum est: vel agitur de dispensando ad habenda alia, vel idem Beneficium.

(1) Sess. 24, c. 18 *de R.*
(2) *V* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 107.
(3) Hæ non incurruntur ob collationem primæ tonsuræ. (4) C. 13 *de sim.*
(5) *Extrav.* 1 *de sim.*

Si 1, potest Episcopus ex eodem Tridentino (1) dispensare, modo simonia non sit confidentialis, ut excipit Pius V; neque deducta sit ad forum contentiosum; quia tunc adesset notorietas infamiæ. Si 2, adhuc poterit Episcopus dispensare, si simonia sit commissa, beneficiario ignorante: et quidem in illa vacatione, si Beneficium sit *simplex* et antea renuntietur (2); in alia vero vacatione, si Beneficium sit *majus, curatum,* vel *dignitas* (3).

Q. 5. *An simoniace percepta sint restituenda?*

R. Affirmative generatim loquendo: simoniace accepta restituenda sunt; cum omnis contractus simoniacus sit suapte natura nullus. Unde cum communi resolvimus: — 1 *pretium temporale acceptum* pro simoniaca collatione Ordinum, Beneficiorum, aut Sacramentorum (si excedit quod poterat a ministro exigi pro sua sustentatione, loquendo de Sacramentis), jure naturæ restituendum est danti, qui est adhuc dominus pretii simoniace soluti, cum dederit ex titulo falso. Hoc tamen intellige ante traditionem rei spiritualis; nam si jam res spiritualis tradita sit, tunc ex *una* sententia pretium adhuc reddendum est danti ob nullitatem contractus; ex *altera* Ecclesiæ, ubi est Beneficium, et hoc in pœnam irreverentiæ irrogatæ Ecclesiæ; ex *tertia* potest etiam dari pauperibus, vel etiam sibi, si vere egens sit. Quæ sententiæ sunt satis omnes probabiles: unde recipiens pretium poterit, prout voluerit, illud restituere uni ex dictis; — 2 *spirituale simoniace acceptum*, si sit Beneficium ecclesiasticum, ipso facto est dimittendum, sive crimen sit occultum sive publicum, simul cum fructibus injuste perceptis, a quibus tamen sunt detrahendi fructus correspondentes labori ac functionibus, aliique bona fide jam consumpti. Fructus debent restitui Ecclesiæ Beneficii, ex D. Thoma, modo commodum non recipiat ex hoc qui simoniam commisit (4); sed probabile est eos posse etiam dari pauperibus, aut successori in Beneficium: imo potest etiam obtineri compositio a Papa, sicque legitime retineri a possessore (5). Si vero simoniace acceptæ sint aliæ res spirituales, v. g. Reliquiæ, non debent ipsæ de necessitate restitui, cum id non præcipiat jus Canonicum, et aliunde per se dispensatio spiritualium, etiam mediante pecunia facta, est valida. Adde: plura spiritualia non amplius possunt restitui, ut Sacramenta recepta, Ordines suscepti; — 3 quod acceptum est pro admissione in Religionem, non est restituendum, nisi post sententiam, et interim potest jure retineri pro alimentatione communitatis (6).

(1) Sess. 24, c. 6 *de R.* (2) C. 27 *de sim.*

(3) C. penult. *de elect.* (4) 2, 2, q. 100, a. 6.

(5) S. Pœnitentiaria ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV potest dispensare cum occultis simoniace ordinatis; convalidare titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum; et partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. *Vid.* Liguori, *Homo Apost.* tract XIX, n. 148: de facultatibus sacræ Pœnitentiariæ. — Si simonia sit publica, pro foro externo recurrendum est ad Datariam, exprimendo et causas impetrandi dispensationem (ut esset majus scandalum ex dimissione Beneficii, et paupertas supplicantis), et fructus perceptos. *Reiffestuel, Voit.*

(6) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tract. IV, n. 53.

§ III — *De causis a simoniæ labe excusantibus.*

Q. 1. *Quænam sunt causæ a simoniæ labe excusantes?*

R. Etiamsi numquam liceat nec per Pontificis dispensationem aliquid temporale pro spirituali dare vel accipere; fieri tamen potest, ut aliquando temporale quidpiam recipiatur occasione spiritualis, videlicet ex titulis simoniæ prorsus extraneis. Hinc versus:

Hanc gratis exhibitum, dona et stipendia vitæ;
Hanc usus, labor; hanc et justa redemptio tollunt.

1. Est quando temporale pro spirituali, vel contra datur omnino gratis, et sine ullo sive explicito, sive implicito pacto tam ex una, quam ex altera parte; nam *illud gratanter recipi potest, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum* (1). Excipe quod recipitur occasione examinis ad Parochiam, vel Ordinum collationis.

2. Quando post acceptum spirituale datur aliquid temporale ex sola animi gratitudine tamquam merum donum, quod nullam potuerit vim exercere in animum concedentis rem spiritualem; motivum enim gratitudinis est motivum virtutis, unde simonia non est. Hinc simoniaca non sunt munera a parentibus præstita Parochis aut eorum Vicariis, qui ipsorum filios in fide erudierunt, ad primam Communionem sollicite pararunt: sed excipe semper, si etiam sponte oblata Ecclesia prohibeat accipere, ut contingit ex jam dictis in Ordinum collatione, et Beneficii parochialis examine.

3. Quando aliquid temporale datur Ecclesiæ Ministris per modum stipendii ad honestam sustentationem pro sacris functionibus, Missis, funeribus, etc.; nam *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (2). Et licet Sacerdos, mediante stipendio, se obliget ad celebrandum, non ideo commutat temporale in spirituale; sed in pactum deducit tantummodo justum stipendium a Deo et Ecclesia sibi concessum.

4. Consuetudo legitima, quæ vim legis obtinet: hinc Benedictus XIV ait, præstationes, quas Canonici ad possessionem admissi solvunt, si antiquas, non facile improbandas, ad majora mala vitanda (3).

5. Quando temporale datur pro labore extrinseco, qui per accidens tantum conjungatur cum re sacra, ita ut etiam sine eo ministerium sacrum sive functio spiritualis adhuc in se possit exerceri; bene enim potest separari.

(1) C. 30 *de sim.* Diximus *sine ullo sive explicito sive implicito pacto;* ad simoniam enim sufficeret pactum etiam intentum ab una tantum parte neque ab altera cognitum; imo etiam absolute rejectum, prout contigit in facto Simonis Magi. In dubio an gratis temporale sit tributum, pensandæ sunt circumstantiæ temporis, personæ ac doni; si enim v. g. tribuatur res ingens a persona tenaci paulo ante Beneficii collationem, merito judicari potest intervenire simonia.

(2) I Cor. 9.

(3) Aliter vero dicendum esset, si ageretur de labore ipsi rei sacræ intrinseco, sine quo nempe ministerium spirituale exerceri non posset, uti esset v. g. vocabulorum pronuntiatio in Sacramentorum confectione et collatione, oblatio panis et vini in Sacrificio Missæ; quia labor iste non distinguitur ab ipsa re, sed quid unum cum ipsa conflat.

ergo et æstimari. Esset v. g. cantus in Missa, longum iter susceptum pro Sacro celebrando in dato templo, etc. (1).

6. Excusat redemptio ab injusta vexatione; vexatio enim circa jus nostrum est quid temporale, quod inde temporaliter redimi potest.

An (quæres) *pœnæ ob Beneficia simoniace accepta constitutæ incurrantur ab ignorantibus?* — Si ignorantia sit omnino inculpabilis certe non incurruntur; *nam sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus* (2). Hoc tamen intelligendum est tantum quoad censuras, ad quas incurrendas requiritur scientia: unde qui scit se simoniam committere, sed ignorat invincibiliter censuras adnexas, eas adhuc non incurreret. Sed semper incurreret cæteras pœnas, et non obstante inculpabili ignorantia, ut si v. g. simonia patrata fuerit a quodam tertio, provisio Beneficii semper erit nulla, neque potest retinere fructus ab illo perceptos (3). Excipe 1 si beneficiatus sciens contradixerit, et postea simoniam ignorando acceptaverit Beneficium; 2 si tertius commiserit simoniam ad hoc, ut illum redderet inhabilem ad Beneficium; 3 si pacifice tres annos in Beneficii possessione fuisset, uti communiter docent cum S. Thoma. Nec obstat regula Cancellariæ, ubi requiritur absolute, ut Beneficium obtineatur *sine ingressu simoniaco;* nam intelligitur de eo qui culpabiliter ingreditur.

Q. 2. *An excusetur a simonia qui ad rem spiritualem sibi comparandam dicit:* ego ero tibi gratus: gratias reales referam?

R. Illæ formulæ dicendæ erunt labe simoniaca infectæ: 1 si per eas formulas exprimatur intentio sese obligandi ad temporale pro spirituali erga alium, vel obligandi alium sibi ad spirituale pro temporali; 2 si promittatur, accipiatur, aut detur temporale tamquam proportionata compensatio pro spirituali, et non vero in signum puræ gratitudinis; 3 si promittatur, aut detur spirituale pro temporali aut vicissim, non quidem ut pretium, sed ut motivum principale dandi temporale, aut vicissim. In hisce quippe casibus semper adest æstimatio inter temporale et spirituale.

Q. 3. *An sit simoniacus qui celebrat, Sacramenta ministrat, concionatur, choro interest principaliter ob emolumentum temporale?*

R. In sententia probabiliori, quam tuentur Salmanticenses, Sanchez, Sylvius, Sotus, Suarez, aliique apud Croix a simonia excusatur; nam sicut excusatur qui dat stipendium principaliter propter Missam, quæ certe res est spiritualis: ita excusandus videtur qui Missam celebrat principaliter propter stipendium: non tamen tamquam pretium, sed tamquam eleemosynam ad sustentationem approbatam; alioquin esset simonia mentalis. Etenim tunc tantum committitur simonia, cum temporale accipitur pro spirituali; non vero quando accipitur tamquam stipendium ad sustentationem Ministri

(1) *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 6.

(2) Cap. 23 *de reg. juris* in 6. Dictum est *si ignorantia sit omnino inculpabilis;* neque enim talis esset ignorantia illius Ecclesiastici, qui incidit in varias simonias, et graviter correptus, se ipsum excusat dicendo se talia peccata ignorasse: hic ex illorum est qui legere recusant, ne bene agant; quæ enim sunt propriæ conditionis, saltem quoad magis obvia, inculpabiliter non ignorantur.

(3) Cap. 33 *de sim.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 3 et 112.

secundum ordinationem Ecclesiæ, et consuetudinem approbatam, ut ait D. Thomas (1): quod verum est sive principaliter sive secundario accipiatur.

Sed (dices) *Innocentius XI damnavit hanc sub n.* 46 *propositionem, qua asserebatur* licitum est dare temporale pro spirituali, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale?— Ibi nomine *motivi* intelligitur pretium ipsius rei spiritualis, ut notat Viva, et patet ex contextu. In casu autem nostro hoc nomine non intelligitur pretium rei, sed stipendium personæ in gratiam alterius elaborantis, cui honesta debetur vitæ sustentatio. Ut clarius tamen veritas intelligatur, animadvertere oportet dupliciter hic accipi posse *lucri* vocabulum: vel ut finis operis, vel ut finis operantis. Cum lucrum intenditur *ut finis operis*, adeo ut opus ipsum spirituale intendatur tradi vel accipi, certe committitur simonia: *simoniam committit*, inquit Angelicus, *qui hujusmodi actum vendere intendit, nempe si distributiones recepit quasi finem sui operis principaliter intentum* (2). Aliter dicendum est, quando lucrum intenditur *ut finis operantis*, scilicet ratione operationis personæ laborantis in gratiam alterius; quia tunc lucrum accipitur pro stipendio sustentationis, et simonia non est: sic licet eodem sensu pecuniam tradere pauperibus ad modum stipendii, ut scilicet orent pro nobis (3).

Qui tamen sacra peragunt ministeria principaliter ob emolumentum temporale, non possunt tam facile excusari a peccato saltem veniali; cum sit inordinatio spirituale dirigere ad temporale.

An (quæres) *sit peccatum simoniæ temporale aliquid accipere pro tradenda Doctrina sacra?* — Vel instructio illa natura sua tendit tantummodo ad spiritualem aliorum utilitatem, v. g. Catechesis, Verbi Dei prædicatio et similia; vel tendit etiam in aliquod eorum bonum temporale, v. g. ad oblectationem et honorem, uti est instructio ad interpretandas Scripturas sacras, ad enodandas Theologiæ controversias, etc. Si 1, utique simonia est accipere pro ea aliquid temporale, nisi ratione sustentationis; cum sit res mere spiritualis, et labor omnino intrinsecus. Si 2, non erit simonia; quia qui docet scientiam potest stipendium accipere quasi operas suas locans (4). Nec refert quod supernaturalis sit; nam per se non ordinatur ad salutem animæ, sed ad illustrandum intellectum, ut aliæ scientiæ naturales.

Q. 4. *An excuset a simonia redemptio ab injusta vexatione?*

R. Ut res bene percipiatur, duæ hic præmittendæ sunt hypotheses. Potest injuste aliquis vexari, vel in ipso jure spirituali jam acquisito: vel in tali jure nondum acquisito, sed certe acquirendo. Item potest vexari injuste tam ab iis, qui jus illud spirituale concedere possunt, quam ab iis, qui nullo modo jus illud possunt elargiri. His positis: qui injuste vexatur, vexatur vel in jure acquisito, vel acquirendo.

Si 1, non est simonia pretio temporali redimere injustam vexationem a

(1) 2, 2, q. 100, a. 3.

(2) Quodl. 8, q. 6, c. 11. — Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 55.

(3) Neque obstat, quod talis neque concionaret neque caneret, etc. sine lucro id enim non probat, quod ponat impretiabile sub pretio, sed solum lucrum esse conditionem, sine qua non operaretur, deficiente nempe congrua sustentatione.

(4) S. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 3.

quocumque tandem proveniat: Ita Angelicus (1). Sic v. g. si Princeps infidelis Parochum impediat a Sacramentorum administratione, et a spirituali Parœciæ suæ regimine, posset profecto eidem tradere pecuniam, ut ab hujusmodi vexatione se velit abstinere: non enim daret temporale pro jure spirituali; sed daret temporale pro tollendo nefario illo impedimento, quod censetur aliquid temporale (2).

Si 2, tunc si injusta vexatio in jure acquirendo provenit ab iis, qui nequeunt jus illud concedere, fas est eam pretio redimere, quia pretium datur pro re temporali: sic v. g. si quis per diffamationem patronum impediat, ne te eligat ad Beneficium, poteris utique diffamatori dare pecuniam, ut ab illa cesset diffamatione; quia in hoc casu non redimeres nisi famam, et tolleres vim ac fraudem, quibus sublatis, patronus adhuc suo in arbitrio plenissime remanet te ad Beneficium eligendi, vel non eligendi. — Hinc cum delatus fuisset Benedicto XIV casus, quo nempe quidam Sacerdos ingentem summam cuidam laico eam postulanti dedit, cum alioquin potens ut erat, falsa crimina ei esset affixurus, ne ad Canonicatum eligeretur; respondit Pontifex, si forte indigeret talis provisio convalidatione, se eam convalidare: unde apparet, quod Papa non habuit ut certo invalidam illam provisionem, sed voluit sic agere ad securitatem; quia sic fuerat postulatus, ut ageret. — Si tamen injusta vexatio in jure acquirendo provenit ab iis, qui jus illud spirituale concedere possunt, tunc simonia erit temporale aliquid iisdem elargiri eo fine, ut cessent a vexatione; quia in hoc casu vere et proprie daretur temporale pro spirituali (3). Ponamus Titium Beneficii patronum mihi injuste denegare votum: si pecuniam eidem trado, ne votum deneget, traderem temporale pro spirituali; cur enim trado? ut is desistat a voto mihi denegando; atqui hoc idem est ac votum illud pecunia emere: nam injusta negatio voti non tollitur, nisi voti ejusdem concessione; ergo si pecuniam trado pro tollenda voti negatione, idem est ac si illud directe emam (4).

Est tandem commune cum Alberto Magno, D. Bonaventura, Cajetano, Gersone, Lessio, Sporer, Suarez, Vasquez aliisque, licere absque ullo simoniæ reatu in necessitate pecuniam dare Sacerdoti sine illa nolenti adminis-

(1) 2, 2, q. 100, a. 5. — Liguori, *Homo Apost.* tr. IV, n. 49; *Op. Mor.* l. CII.

(2) Diximus 1 *pretio temporali*; si enim daretur spirituale, esset simonia, nam pretio spirituali redimeretur vexatio temporalis; 2 *injustam vexationem;* si enim vexatio justa sit, v. g. si quis accusetur de vero crimine, ob quod Beneficium debeat amittere, vel jura spiritualia amplius nequeat exercere, simoniacum esset pretio redimere vexationem hanc: quia tale jus non est firmum, ideoque tollendo vexationem justam pretio emitur jus firmum, quod est spirituale. Ita pariter non licet dare pecuniam competitori, ut non concurrat ad Beneficium; nam directe pararetur via ad illud.

(3) C. Matthæus *de sim.*

(4) Aliter esset si ageretur de actu possessionis ecclesiastici Beneficii jam collati: tunc probabilius liceret hanc vexationem pecunia redimere; quia possessio est temporalis, cum in solo facto sita sit. Pariter simonia non esset pecuniam tribuere electoribus, ut desistant ab electione indigni; quia Ecclesia habet jus acquisitum in dignos: unde daret pro desistendo a malo. Sicut liceret dare pro eligendo digno, vel digniori in genere; nam daretur, ne mala electio fiat. Si vero determinaretur persona, simonia esset; nam directe esset pro illius electione pecuniam tribuere. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III n. 103.

trare Sacramenta, ad quæ quidem petens habet jus; quia hoc est injustam vexationem redimere, nempe removere impedimentum pravæ voluntatis, vel potius permittere alterius peccatum justa de causa. Neque tunc pretium daretur pro ipsa collatione spirituali: ita licet in necessitate mutuum petere ab usurario; quia tunc malum non provenit ex actione nostra, sed ex alterius malitia.

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 530.

Circa devotionem quatuor maxime notamus: quænam sit devotio spuria, quæ vera, et quam hæc sit rationabilis, et quot media ad illam.

1. Quoad primam audiendus Stapf, § 55: «errat siquis totum virtutis negotium solis affectiunculis confectum arbitraretur, tempore orationis easdem vi, aliisve ineptis mediis ciere vellet, atque ubi conatus iste non ex voto succedit, tristis et dejectus ab ipsa oratione desisteret. Neque exempla desunt, naturam hisce suavitatibus inescatam ad ipsas carnis spurcitias proniorem evasisse, ita ut misera navicula, ductore sobrio destituta, atque ventis secundis nimium fidens pudendis scopulis impelleretur. Scilicet: *nisi sincerum est vas, quodcumque infundis, acescit.* Præsertim de illis affectiunculis hæc obtinent, quæ non tam ex gratia, quam potius ex facili et mollicula natura proveniunt. Unde fœminas sat multas invenies, quæ, utcumque sensu devotionis exundare videantur, solida tamen virtute ut plurimum careant. Sunt pronæ ad suspiria et lacrymas præ cordis teneritudine fundendas, multas quotidie preces recitant, sæpissime pane angelico refici ambiunt, etc.; ast domi suæ contentiosæ sunt, duræ cervicis, lividæ, criminatrices et in omnibus sibi largiter indulgent.» — *V.* Sales, *Filotea*, c. 1. — Castelvetere, *Direttorio*, 1. II, c. 5.

2. Indolem veræ devotionis describit Salesius (*l.* III, *lett.* 16). « No solo debeis ser devota y amar la devocion, si no que debeis hacerla amable, útil, y agradable á todos: los enfermos amarán vuestra devocion y serán consolados por vuestra caridad; vuestra familia la amará tambien y os reconocerá por ella mas solícita en procurar su bien, mas dulce en el manejo de los negocios, y hasta mas amorosa en las represiones; vuestro marido verá que á medida que crece vuestra devocion le teneis un amor mas suave y cordial; vuestros parientes y amigos descubrirán en vos mayor sinceridad, mas paciencia y mayor condescendencia á sus deseos, mientras que no se opongan

á la voluntad de Dios. En una palabra, procurad por todos los medios que os sea posible, hacer á vuestra devocion atractiva, bondadosa y obligatoria.»

3. Quam sit rationabilis devotio, ad rem Orsini, *I fiori del Cielo:* «Yo sostengo á la faz del mundo que descaradamente se burla de las almas piadosas, que la verdadera devocion es racional y lógica, cuanto pueda serlo cualquiera otra cosa, pues emana de afecciones inherentes á nuestra naturaleza. Hemos sido formados para venerar lo que es bueno, para admirar lo que es grande y para amar santamente lo que es digno de ser amado. Y hasta los objetos inanimados excitan estas emociones en nosotros: amamos un bello paisaje, admiramos el mar cuando se presenta hermoso á nuestra vista, el firmamento en una noche estrellada, una imponente perspectiva de los Alpes. Las bellas acciones nos conmueven todavía con mas fuerza, y un gran agradecimiento nos hace enmudecer, dando rienda suelta á nuestras lágrimas. Estos sentimientos parecen á todos razonables cuando se trata de los hombres; ¿cómo pues sucede que cambian de aspecto á los ojos del mundo, cuando se trata de Dios? á un hombre que venera á su bienechor por un servicio de corta importancia, se le considera como hombre de alma hermosa; y un cristiano que devotamente honra al primero, al mas grande, al mas constante de todos los bienechores, es tenido generalmente por hombre pusilánime. ¿La beneficencia ha perdido por ventura sus derechos sobre el corazon humano, por ser contínua? ¿La bondad dejará de ser amada cuando es perfecta? ¿el poder debe despreciarse acaso cuando es sin límites?»

4. Plurima sunt excogitata media ad devotionem fovendam, plures editi libri, instituta consortia, novendialia, item plura habentur sacra numismata, scapularia, preces, etc.: quæ absit omnino ut reprobemus, prout nonnulli solent quasi ridendas muliercularum levitates. Hisce enim multum juvantur fideles, et Ecclesia non tantum illa commendat, sed eos qui talia peragunt, Indulgentiis donat: plura sunt et varia, non ut omnia uni imponantur, nam gravaretur non adjuvaretur; sed ut quisque ex tot tantisque ea seligat, quæ suæ accommodantur indoli ac conditioni, nam non omnes unum sensum habent, sed unus sic, alius autem sic. Cæterum notum est S. Franciscum Salesium nomen dedisse pluribus Congregationibus rite erectis, quia in his quotidie potest acquiri, nihil amitti; si enim opera præscripta non fiant, nullum peccatum est: de qua quidem re sunt monendi fideles, ne angustia et turbatio eos premat. Hoc notent Parochi præsertim et Confessarii.

Huc facit etiam monitum Salesii laudati ad devotionem fovendam ac tuendam: «Es preciso aborrecer nuestros errores, pero con un odio tranquilo y sosegado; es preciso tener paciencia para sufrirlos y sacar de aquí el provecho de un santo abatimiento de nosotros mismos. A falta de esto, hija mia, vuestras imperfecciones, que vos veis sutilmente, mas sutilmente todavía os turban, y de este modo se mantienen, no habiendo cosa mas á propósito para conservar nuestros defectos que la inquietud y un escesivo cuidado en corregirlos. Es una grave tentacion entristecerse por estar en medio del mundo, cuando hay necesidad de estar en él. La providencia de Dios es mas sabia que vos: nos parece que si cambiásemos de nave estaríamos mejor; sí, si nos mudásemos nosotros mismos..... Dios quiere hablar entre espinas y zarzales

como hizo á Moisés; y nosotros queremos que hable en el aire suave y fresco como hizo á Elías. Su bondad os conserve, pero sed constante y animosa, y alegraos de que os conceda la voluntad de ser toda suya.» *Lett.* 38 : *ad una maritata.*

(B) Pag. 531.

Ascetici distinguunt triplicem perfectionis gradum, nempe *viam purgativam, viam illuminativam* et *viam unitivam.* Pro triplici autem hac via triplicem item distinguunt devotorum classem, nempe *incipientium* quos ponunt in via purgativa, *proficientium* quos ponunt in via illuminativa, et *perfectorum* quos ponunt in via unitiva. Sunt aliqui, maxime de Jansenistarum Schola nobis semper invisa, quibus triplex hæc christianæ perfectionis via male sonat, eamque idcirco vellent eliminare; sed immerito, et contra ipsos Innocentius Pp. XI sub n. 26, hanc damnavit propositionem: *tres illæ viæ purgativa, illuminativa et unitiva, sunt absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica, cum non sit, nisi unica via, scilicet via interna.* Hæc sane distinctio non est ad merum arbitrium inducta, sed propriam ac congruam habet rationem (*V.* Benedictus XIV, *de Canoniz. SS.* l. III, c. 26; et Voit, *Sacra Scriptura,* In Ps. n. 3). Videlicet vita hominis in hoc mundo est quædam quasi via, quæ ad patriam tendit, id est felicitatem æternam. Jam vero in qualibet via distinguitur triplex terminus: primus dicitur *terminus a quo,* ille nempe a quo disceditur; alter est *terminus per quem,* ille nempe per quem transire debet viator, si ad metam suam pervenire velit; tertius denique est *terminus ad quem*, ille nempe ad quem via ipsa perducit. — Ita a pari evenit in itinere spirituali. Adest *terminus a quo,* et est peccatum a quo discedere omnino debet qui tendit ad perfectionem, et hæc discessio efficitur per *viam purgativam*, purgando nempe animam tam a culpa mortali et veniali, quam ab affectu quolibet ad utramque. Adest *terminus per quem*, et est consecutio et exercitatio virtutum omnium sive Theologicarum sive moralium, quem in finem tendit *via illuminativa.* Adest denique *terminus ad quem*, et est Deus ipse, cujus consecutio est omnis operis complementum et totius spiritualis itineris meta: huc autem spectat *via unitiva.*

V. Valfrè, *Sulla perfez.* §§ 1, 22 et 23. — Rodriguez, *Esercizio di perfez.* — S. Alphonsus, *Breve pratica della perfez. raccolta dalla dottrina di S. Teresa* et *Praxis Confessarii,* § 5. — P. Goudier, *De natura perfectionis.* — Sianda, *Il discernimento della perfezione.* Forlì anno 1735. — Scaramelli, *Direttorio Ascetico.*—Pinamonti, *Il Direttore*—Castelvetere, *Direttorio ascetico-mistico.* —Liber, *S. Bonaventura Card. Dottor serafico di S. Chiesa, Maestro esimio di spirito:* owero, *Teologie mistica secondo lo spirito, e le sentenze del Santo uniformi allo spirito e alle dottrine dei più celebri santi Padri e Dottori, che di ciò scrissero;* divisa in 4 parti per i tre stati ecc.

(C) Pag. 532.

Orationis generice sumptæ variæ sunt species. — 1 *Adoratio* quæ est contestatio divinæ excellentiæ per submissionem nostram; sane justum est, ut

mens nostra in laudes et summam Divinitatis admirationem prorumpat: de hac plura in Psalmis. Adoratio tamen revocari solet ad actus externos; quia plerumque et animo simul et corpore fit. — 2 *Gratiarum actio*, quæ quidem ab ipsa ratione inter præcipua nostra officia refertur. — 3 *Deprecatio offensionum* (nempe veniæ petitio pro peccatis) ad quam sacræ paginæ nos frequenter a Deo provocant, in Psalmis pœnitentialibus luculentissima exempla proponentes. — 4 *Invocatio* seu *petitio bonorum:* de hac autem nos agimus sub nomine *orationis;* ad hanc enim speciem cæteræ ut plurimum revocantur, uti notat Angelicus. Res autem hæc est maximi momenti, siquidem ex divo Augustino, Serm. 15, *recte novit vivere qui recte novit orare.* — *V.* Brancato, *De oratione ejusque speciebus.* Romæ 1685.

De Catholica oratione sermonem habet Taparelli S. J. in Opusc. *Sulla preghiera cattolica considerata in ordine alla civiltà de' popoli*, ubi hanc ipsam orationem sic perbelle definit: « Considerada *(la oracion católica)* en su acepcion mas general, abraza toda elevacion á Dios del alma cristiana, movida por la fe, animada por la caridad, ausiliada por el santo Sacrificio y los Sacramentos, dirigida por la autoridad de la Iglesia, y encaminada principalmente á conseguir la sobrenatural y eterna bienaventuranza por medio de las buenas obras.» — Pulchre etiam Lacordaire, *Conferenze Ecclesiastiche* (*Conf.* XIII): «La oracion es la reina del mundo. Cubierta con humildes vestidos con la frente baja y las manos estendidas, proteje al mundo con su majestad suplicante, y pasa de contínuo del corazon del débil al corazon del fuerte y poderoso: y á medida que es mas bajo el lugar de donde salen sus lamentos, mas alto es el trono en que se apoya y mas asegurado es su imperio. Si un insecto pudiese suplicar cuando tenemos el pié levantado para aplastarlo en el polvo, nos tocaria el corazon y le llenaria de una compasion inmensa. Nada hay mas alto que Dios y tampoco hay súplica mas victoriosa que la que á él se dirige. La oracion, señores, es la que restablece nuestras relaciones con Dios, atrae hácia nosotros su accion, y sin perjudicar en lo mas mínimo su libertad, le hace violencia, y por esto es la madre de la fe.»

Quadruplex esse potest orantis animus seu status. *Primus* est status gratia. *Secundus* est ejus, qui est in statu peccati, dolet tamen, et serio suspirat ad meliorem frugem reverti; aut est in infidelitate, vel hæresi, sed sincere desiderat veritatem. *Tertius*, est illius peccatoris, qui malis habitibus pressus infirma voluntate desiderat surgere a peccatorum suorum cæno, ideoque orat. *Quartus* est illius peccatoris, qui peccato sic delectatur, ut velit omnino in eo perseverare, veteribus semper superaddens nova peccata. — Qui in primo et secundo statu sunt, utiliter orant. Item qui es in tertio; at peccator ille caveat ne contemnat illud remotum conversionis initium, quod aspirante gratia accepit, nec timeat, Deum per suam orationem fore irritandum; hæc est enim tenuis aspirantis gratiæ scintilla, cui si adhæreat, poterit peccator ad pœnitentiæ et justificationis portum pervenire. Qui vero quarto loco positus est, certe sine fructu orat ob malam, qua afficitur, voluntatem. Utrum autem hæc oratio et ipsa peccatum sit, affirma, si non oret quem debet orare, vel non oret debito modo; quo sensu accipitur tum illud Psalmi 108: *et oratio ejus fiat in peccatum*, ut explicat Bellarmi-

nus; tum illud Prov. 28: *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Cæterum, ait S. Alphonsus, *Op. Mor.* l. IV, n. 178, non auderem de peccato ullo damnare ex devotione orantem, qui actualem voluntatem peccati haberet; alias teneremur hos hortari, ut ab omni oratione abstinerent.

(D) Pag. 539.

1. Stapf, § 564, loquens de *meditationis facilitate,* ait ad rem: «quis enim est, qui in negotiis hujus temporis, ubi de captando lucro, vel de avertendo aliquo damno agitur, suas allegare rationes, in rerum circumstantias indagare, atque certas inde agendi regulas deducere nesciat? Cur ergo non idem in negotio salutis suæ æternæ poterunt? Quis se insufficientem dicat, ut vel novissima sua, vel mysteria Christi pro nobis patientis pie ruminet, atque convenientes inde affectus et firma emendationis proposita concipiat? Revera historia homines penitus illitteratos et simplices virgunculas exhibet, quibus pium hoc exercitium facillimum videbatur, eo quod, ut sancta Theresia advertit, ad meditationem nihil aliud non requiratur, nisi amor.»

2. Quoad *meditationis necessitatem* audiamus omnes S. Alphonsi verba gravissima: «Mihi concedatur conceptum animi dolorem foras aperire. Proh magnam infelicitatem! Quam pauci sunt illi Parochi et Confessarii, qui curam hanc sibi suscipiunt insinuandi suis pœnitentibus hoc tam magni momenti exercitium orationis mentalis, sive meditationis, sine quo valde difficile est animam posse perseverare in Dei amicitia, et impossibile est in viam perfectionis se immittere! Si aliqua attentio in hac re adhiberetur, quot animæ viderentur in Dei amorem accendi! Sed hoc quis non operatur, ne sibi aliquid incommodi suscipiat: alius ne stimulos suæ exprobrantis conscientiæ sentiat, in suadendo aliis bonum quod ipse negligit. Summa hæc est, quod curæ hoc non est, quia parum diligitur Jesus Christus. — Oh si Parochi et Confessarii multum diligerent Jesum Christum, a quot efficerent ut amaretur, et eos ab inferno liberarent! Igitur exorandus Dominus est ut, si velit amari ab animabus, faciat se amari a Sacerdotibus.» *Ho. Ap. tr.* VII, n. 44.

3. Quoad *meditandi modum* hæc notat sæpius laudatus Stapf: «Ne dum oramus, mens nostra tam facile dilabatur, illam tum ad orandum prævie disponere, tum forte evagantem iterato et tranquille recolligere oportet. Pari modo quantum fieri potest, tempus et locus atque totius compositio ita instituenda sunt, ut devotio nostra exinde non turbetur, sed foveatur potius.... Præsertim homines minus culti per libros formulasque vere pias et captui suo convenientes multum juvantur; quid enim tales, præsertim juniores, sub divino officio meditari solent, nisi liber aliquis illorum tum oculos tum cogitationes religiose occupatas teneat, atque animum sursum evehat? Unde Pastor suis insigniter plane consulit, dum in communitate libros divulgat religioso spiritu repletos, et solidam pietatem stillantes.»

4. Quoad agendum, *lectione peracta,* hæc notamus: qui libro ad meditandum utitur, vel se totum exerceat in actibus voluntatis eliciendis, idest humilitatis, gratiarum actionis, contritionis, fidei, spei, charitatis, etc.; vel in-

cumbat petitionibus, quibus præsertim Dei amorem et perseverantiam finalem efflagitet; vel denique in propositis peragendis occupetur: quia ut meditatio sit fructuosa, necesse est, ut anima statuat executioni mandare, quæ in ipsa meditatione exequenda cognovit: *nemo*, inquit Salesius, *debet imponere finem orationi* (mentali), *nisi prius peculiare aliquod propositum efformaverit, puta defectus quosdam emendandi, exercendi virtutem aliquam, in quo se noverit debiliorem.*

5. Meditatio si propria ac convenienti methodo peragatur, sex habet *partes:* videlicet *præparationem, lectionem, considerationem, gratiarum actionem, oblationem* et *petitionem.* Non vacat hic singulas explanare, quod asceticis brevitatis causa relinquimus; sed non possumus non admonere tyrones nostros de obligatione eas bene discendi, si eximiam ac plane divinam artem animas Christianorum dirigendi ad Dei unionem penitus cognoscere cupiunt. Hic *V.* Da ponte, *De arte meditandi.* Taurini 1843.—*Della maniera practica di meditare,* istruz. pratica. Torino 1840. — *Maniera di far la meditazione con l' aggiunta di* 4 *meditazioni secondo questo metodo.* Vigevano.— Belleccio, *Facilis methodus rite meditandi.*

(E) Pag. 546.

Ex illis, quæ Breviario continentur, patet quanto nos obsequio illud venerari debeamus (res Dei est magna ex parte); neque tantum quoad cultum Ecclesiasticum, sed etiam quoad ipsa historica facta; cum notum sit, pluries fuisse recognitum et emendatum, habito multorum sapientum consilio: *attamen ita ut vetitum existimari non possit debita cum modestia et gravi fundamento, quæ occurrunt in factis historicis, difficultates exponere, easque judicio Sedis apostolicæ supponere, ut eorum veritatem et robur perpendat, si quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem* (Ita Benedictus XIV, *De Ss. Beatificatione*, l. IV, p. 2, c. 13). Sic ut commentitius habetur lapsus S. Marcellini, qui commemoratur in R. Breviario *die* 26 *aprilis* — *V.* Tillemont, Natalis Alexander, Sangallo, Noris, Pagi, Aguirre, Salzano, Papebrochio, De Marca, aliique plures.

Neque venerari solum, sed si adstricti, religiose persolvere debemus Breviarium. Audiatur Stapf, § 211: «ex numero eorum, qui Breviarium contemnunt, vix unum deteges, qui aliis pietatis exercitiis sedulo incumbat. Plerique jam per exitiale frigus, quo tremendum Sacrificium aliaque Religionis mysteria tractant, nimium quantum produnt, quo spiritu imbuti sint! Idem de illis, qui ad recitandas Horas tempus sibi deesse ajunt. Hinc inde quidem fieri potest, ut ob congeminatos labores vix aliquid temporis supersit; ast mentiuntur, qui generatim nullum sibi tempus suppetere prætendunt; qui enim occupationes et res suas apte disponit, atque tempore sibi concesso prudenter utitur, certe etiam ad Breviarium apta spatia habebit: id quod experientia satis confirmat. Viri cordati, licet plurimis negotiis occupentur, raro tamen conqueruntur, sese ad dicendas Horas necessario tempore destitui; contra qui hunc temporis defectum obtendunt, plerumque per magnam diei partem vel vanis confabulationibus indulgent, vel in

popinis commorantur, vel non solidæ doctrinæ, sed novellis levibusque scriptiunculis vacant, quibus sola fere curiositas nutritur, aut phantasia incalescit.» Veritate plenissima verba!

(F) Pag. 564.

Pauca hic pro choronide de Officiis, quæ nonnumquam Officio divino adduntur, id est de *Officio parvo B. M. Virginis*, *Officio defunctorum*, *Psalmis pœnitentialibus* et *Gradualibus*. Qui utitur Breviario romano nullam habet obligationem recitandi Officium Defunctorum (excepto die Animarum), Psalmos pœnitentiales et graduales, neque in choro neque extra. Est tamen obligatio recitandi, sed in choro tantum et suis temporibus, Officium B. M. Virginis, si jam ab ætate Pii V vigebat consuetudo; ita Pius V Constitutione *Quod a nobis* 1751, ubi concedit centum dies Indulgentiarum obligatis, si recitant Officium B. V. et Defunctorum, et quinquaginta dies, si recitent Psalmos pœnitentiales et graduales; non obligatis autem concedit tantum quinquaginta in primo casu, quadraginta dies in secundo, ex Constitutione *Superni* 1571. Ex eodem Pontifice ad Officium B. V. tenetur quotidie qui pensionem obtinet uti Clericus (si nempe ideo sit necessaria tonsura), idque sub onere restitutionis fructuum ad ratam, si illud omittat.

1. *Officium B. M. Virginis* perantiquum est; nam jam ab anno 728 Joannes Damascenus illud cantabat; sed postea cum in desuetudinem venisset, de novo in pristinum restituit S. Petrus Damiani. Illud autem recitandum est prout notat Breviarium, juxta temporum varietatem, nihil addendo, nihil imminuendo: sic tempore passionis adhuc dicitur *Gloria Patri* suis locis; tempore paschali dicuntur omnes antiphonæ ad Psalmos, neque addendum *alleluia* invitatorio, antiphonis, responsoriis, etc. Ante quamcumque Horam dicitur *Ave Maria*, et ita fiat in fine ultimæ Horæ, quoties terminatur Officium. Cæterum laudabilius, etsi non de præcepto, aliæ preces in fine et principio adduntur ad fovendam devotionem, ut notatur in libro ad usum Confraternitatum.

2. *Officium Defunctorum* antiquissimum est et a primis Ecclesiæ Patribus institutum, ut omnes conveniunt; non tamen dicendum ab Apostolis compositum, etsi ab Apostolis et semper in Ecclesia Dei preces pro defunctis fusæ sint.

3. *Psalmi pœnitentiales* qui scilicet nos ad pœnitentiam movent, sunt numero septem et merito, ut sic expurgati a septem vitiis capitalibus septiformis spiritus gratia illustremur. Illi videntur fuisse in usu ante S. Augustinum, qui morti proximus eos lectitasse fertur. Psalmi pœnitentiales clauduntur Litaniis majoribus: porro litania est a græca voce *litaneon*, quæ indicat orationem ardentem. Litaniæ aliæ dicuntur *majores*, uti sunt quæ dicuntur die S. Marci; aliæ *minores*, quæ in diebus Rogationum, etc.; aliæ *breves* in animæ commendatione; aliæ *Lauretanæ* quæ dicuntur in honorem B. V. ideo dictæ, quia canuntur in æde Lauretana. Litaniæ Sabbati sancti et Pentecostes præcipiuntur duplicandæ seu integre repetendæ a respondentibus; non autem cæteræ. In casu Extremæ Unctionis Psalmi pœnitentiales

cum Litaniis recitantur ab adstantibus: hoc tamen non est de præcepto, etsi plurimum conferat ad divinam opem implorandam pro infirmo, et ideo Rituale id notet.

4. *Psalmi graduales,* uti dicunt plures, canebantur in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis; et nos recitamus ut totidem gradus quibus ascendimus ad Deum. Juxta nonnullos primi quinque dicuntur pro defunctis, alii quinque pro nobis et amicis, postremi quinque pro omnibus fidelibus. Juxta alios in primis meditamur corruptibilia, in secundis cœlestia, in ultimis divina. *V. Gavantus, Merati, Cavalleri, Bona, Durandus, Bellarminus, Quarti, Barufaldus, Catalani,* etc.

(G) Pag. 565.

Fideles monendi sunt, ut matura utantur deliberatione, Confessariique judicium expostulent, antequam votum emittant. Frequenter accidit, ut quis in magno devotionis ardore, vel in aliqua gravi calamitate vota concipiat: at illis accidentibus transactis, actiones promissæ nimis difficiles videntur, et peccaminose omittuntur.—Quoad puellas vero, quæ virginitatem suam Jesu consecrare cupiunt, non permittat Confessarius eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus et edoctas in vitæ spiritualis regulis, et præcipue in oratione exercitatas. Sub initio eis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius festivitatis. *V.* Liguori, *Praxis;* et *Homo Apost. tract. ult.* n. 40.

Quoad modum votum emittendi audiendus Salesius (*l.* VI, *lett.* 88): «Para hacerlo bien, prepárate tres dias antes con la oracion, la cual podrás sacar de estas consideraciones: 1 considera cuán agradable sea á Dios y á los ángeles la castidad, habiendo querido que ella fuese observada eternamente en el cielo... ¿no serás tú feliz empezando en este mundo aquel género de vida, que continuarás eternamente en el otro? Bendice pues á Dios, que te ha dado esta santa inspiracion:—2 considera cuán noble es esta virtud, que conserva nuestras almas blancas como los lirios, puras como el sol, que consagra nuestros cuerpos, y nos suministra el modo de ser enteramente de su divina Majestad, con todo el corazon, cuerpo, espíritu y sentidos. ¿No es gran contento poder decir á Nuestro Señor: *mi corazon y mi carne se regocijaron en Dios* (*Psalm.* 83) por amor del cual yo dejo todo otro amor?—3 considera que la santa Vírgen fué la primera en hacer voto de virginidad á Dios, y despues de ella tantos vírgenes hombres y mujeres... Humíllate ante sus coros y con humildes ruegos suplica que te reciban en su compañía, no para pretender igualarlos en pureza, sino para imitarlos del mejor modo posible, como á siervo suyo. Suplica que ofrezcan contigo tu voto á Jesus rey de vírgenes, y le hagan grata tu castidad por su mérito. Sobre todo encomienda tu intencion á Nuestra Señora, y despues á tu ángel custodio, para que desde ahora en adelante se digne con particular cuidado preservar tu corazon y tu cuerpo de toda fealdad contraria á tu voto. Luego el dia señalado, cuando el Sacerdote elevará la sagrada Hostia, ofrece con él al Dios Padre el cuerpo precio-

so de su Hijo, y juntamente tu cuerpo, haciendo voto de conservarlo en castidad todos los dias de tu vida. La forma de hacerlo podrá ser esta: Ó eterno Dios, Padre, Hijo y Espíritu santo, yo N. vuestra indigna criatura puesta á vuestra divina presencia y de toda la corte celestial prometo á vuestra divina Majestad y hago voto de observar todo el tiempo de mi vida mortal, que os pluguiere darme, una entera castidad y continencia, con el favor y auxilio del Espíritu santo. Acceptad este mi voto irrevocable en holocausto de suavidad: y puesto que habeis querido inspirármelo, dadme fuerza para cumplirlo en honor vuestro por todos los siglos de los siglos... Despues es preciso que tengas un gran respeto á tu cuerpo, como á un cuerpo consagrado y á una santísima reliquia: y así como no se puede tocar ni profanar un cáliz, desde que el Obispo lo ha consagrado, así habiendo el Espíritu santo consagrado tu corazon y tu cuerpo con este voto, conviene que le tengas una gran reverencia. »

(H) Pag. 588.

Quædam notamus tum de juramenti forma, tum de Clericorum juramento, tum demum de juramento fidelitatis ab Ecclesiasticis emittendo.

1. Quod *formam,* duplex distinguitur juramentum in judicio, aliud solemne quod magno apparatu, aliud simplex quod solo Evangelii tactu emittitur (*V.* quoad Regnum Sabaudiæ, *Pratica Legale,* t. x; *et RR. Costituzioni,* l. III, tit. 14). Hodie tamen simplex tantum in usu esse videtur (*V. Codex proceduræ civ. et criminalis;* et *Circolare del ministro di grazia e giustizia ai membri dell'ordine giudiziario,* 8 sett. 1855, ubi etiam de juramento ab hebræis emittendo, quod fit tangendo Bibliam ab eorum Concistorio admissam). Cæterum S. Scripturæ tactus non est de necessitate, cum verba et animus juramentum faciant: hinc v. g. si Titius juravit tangens Biblia adulterina, puta Diodati, credens illam genuinum opus, juramento tenetur. Aliter tamen, si illi nota fuit Bibliorum qualitas; nam tunc voluisset in falsitate jurare, et ideo non haberetur verum juramentum, sed grande sacrilegium.

2. Clericus coram judice laico jurare prohibetur jure Canonico sine sui superioris licentia; in cap. 1 *de jurejurando calumniæ* legitur: *Episcopus inconsulto R. Pontifice, vel quisque Clericus, inconsulto Prælato suo, minime jurare audeat.* Et huic est conformis Instructio S. C. Immunitatis, data 14 junii 1823 pro Regno Sabaudiæ. Quod valet, etsi juramentum sit de re honesta. Si enim esset de re mala, a nemine illud præstari posset neque ipso metu mortis; sed tunc Clerum gallicanum imitari oporteret, qui in gravi persecutione anni 1790 fortiter restitit, ac mori potius elegit, quam schismaticam et hæreticam *Constitutionem civilem Cleri* jurare; in ea enim, dicente Pio VI, Brevi 10 martii 1791, *non solum disciplinaria, sed et alia non pauca in eversionem puri immutabilisque dogmatis congeruntur.* Articulos dictæ Constitutionis refert Bouvier, *Institutiones Theol.* tract. *De vera Ecclesia,* in fine. Heröicam vero Cleri gallicani virtutem mire describit Barruel, *Storia del Clero di Francia, durante la rivoluzione dei Francesi,* in 3 parti. Præcipit ta-

men Gregorius IX (c. 5 et ult. *de juram.*; cap. *nullus* 22, *caus.* 22, q. 5), ut Clerici jurent præpositis tantum, non vero tactis Evangeliis, sed tacto sibi pectore, cum id maxime deceat eorum dignitati. Hoc tamen non ita est in usu; vel tantum id permittitur (uti dicunt), cum agitur de jurando ad testandum, non de juramento in causa propria, vel in causa tantum criminali, non vero civili. Clericus qui sine licentia superioris, citatus comparet et jurat, peccat, si canon adhuc vigeat; at nullam incurrit pœnam ipso facto, cum nulla sit pœna sic constituta.—V. Ferraris, *Biblioth. Canonica* etc. V. Testis, art. 1.—Barbosa, *Commentar. in lib. II Decret. Gregorii,* tit. 7.—Schmalzgrüber, *Judicium Ecclesiasticum,* l. II *de foro competenti*, tit. 2.

3. Juramentum *fidelitatis* in genere atque obedientiæ quoad leges Status per se licite emitti potest, etsi aliqua forsan lex injusta sit condita, modo hæc non nominetur expresse; tum quia leges injustæ non sunt veræ leges, tum quia fidelitas in genere promissa respicit tantummodo quæ justa sunt.—*Vide* celeberr. Concordatum Austriacum, art. 20, quoad juramentum emittendum ab Episcopis illius Imperii. Quod vero spectat ad Regnum Sabaudiæ antiquum est, ut cum primum Rex Regnum obtinet, juramentum fidelitatis, si velit, a publicis functionariis sæcularibus exigat: immo ab ipsis Ecclesiasticis, sed a Suprema Sede facultate prius obtenta; nam secus id prohibent Lateranense IV, et Jus Canonicum (*l. II de jurej. tit.* XXIV), nisi agatur de Clericis vassalis. *V.* card. Morozzo, *Lettera Circolare*, 19 genn., 14 et 26 apr. 1822.—*Regio Editto* 11 dic. 1821.—*Lettera della R. Segretaria di Stato interno*, 10 marzo 1822.—*Ragioni della Sede Apost. nelle presente controversie colla Corte di Torino*, an. 1732, vol. II, p. 3: Discorso sul giuramento dei Vescovi ecc. Hoc tamen hodie Episcopi pedemontani ipsi Regi exhibent, cum primum Sedem occupant, ipsa annuente apostolica Sede.

Neque inde sequitur Ecclesiasticos habendos esse uti *functionarios publicos* civilis Gubernii, ab eo omnino dependentes: discrepantia est maxima inter Sacerdotem et functionarium. «El Sacerdote tiene su poder de Dios; el funcionario lo tiene del Soberano ó de la ley, que es como quien dice, del hombre. El Sacerdote es ministro de un culto independiente; el funcionario es el agente de un gobierno, á quien debe obediencia bajo la pena de ser desempleado. El Sacerdote emana de una autoridad todo espiritual, la cual tiene gerarquía, leyes y penas independientes del gobierno civil, autoridad que existe antes, fuera, y sin el estado; el funcionario al contrario, emana del estado, es el hombre del estado, que vive de él y por él.—Dirás tal vez: que el Sacerdote es funcionario público porque recibe del público un estipendio?... No: el Sacerdote no recibe un estipendio: lo que ahora se ha señalado para subsistencia del Clero, ¿es por ventura otra cosa que una ténue indemnizacion por lo mucho que se ha quitado á la Iglesia?... por esto no pasa el Sacerdote á la condicion de un asalariado ó de un funcionario: y el llamarlo con alguno de estos nombres seria igualmente ridículo, que el llamar al acreedor, asalariado ó ministro de su deudor.—(*Amico Catt.* vol. VIII, pag. 312).

Ad rem etiam Montalembert: «no, mil veces no: el Obispo y el Sacerdote no son funcionarios: es falsa y errónea la opinion de aquellos que solo ven en su Obispo á una especie de prefecto en manteletes, un comisario de alta

policía moral. Los Obispos á los ojos de los católicos (y en fin son hechos para los católicos y no para aquellos, que segun una frase famosa, no se sirven de ellos) son destinados por Dios al gobierno de la Iglesia: su mision viene de lo alto para dirigir nuestras conciencias y moverlas segun conviniere; ellos son los enviados de Dios cerca nosotros. Son nombrados y escogidos por el Rey, pero no reciben de él su poder: la ley reconoce su autoridad, pero no la crea: esta autoridad ellos la reciben de Dios y de ningun otro.» (*Memorie di Relig.* Modena, t. XVII, Continuaz.).

(I) Pag. 596.

Quidam anonymus quæsierat (revocata a nonnullis gubernatoribus jurata Gubernii forma): «1 ¿es ó no lícito á los príncipes faltar á los propios juramentos? 2 ¿Ha sido una violencia suficiente para librarles del perjurio la amenaza de perder el trono? 3 Admitido que sí, ¿no se puede decir con mas razon que no obliga el juramento de los súbditos, cuando se hallan en la alternativa ó de morir de hambre, ó de jurar para obtener un empleo? 4 ¿se pueden salvar los Estados con un grande escándalo aunque dirigido á un fin útil? 5 ¿Pueden los príncipes dispensar á sus súbditos de un juramento hecho ante Dios, cuando aquellos con juramento los hubiesen eximido de su absoluta autoridad?

«La respuesta es facilísima, bastando solo tomar cualquiera de los moralistas católicos, los cuales, siglos ha, han respuesto á tales preguntas, como á un caso nunca dado, ó sin sospechas de querer lisonjear á Fernando II, ó á Leopoldo de Toscana, ó á Francisco José. Por lo que, no es estraño, que los periódicos católicos no hayan querido repetir lo dicho por los teólogos moralistas. Con todo, ya que se nos pregunta, aquí va la respuesta precisa é ingénua, tal como responde por nosotros á la primera pregunta S. Alfonso de Liguori, cuya doctrina segun testimonio de la Iglesia puede seguirse tranquilamente por todo católico.» «El juramento hecho en favor de un tercero debe guardarse, siempre que se pueda guardar sin culpa.» (Lib. III, num. 177). Y con mas fuerza en el número 192: «Una promesa jurada que haya sido aceptada por un tercero no puede ser anulada ni por el Sumo Pontífice, sin el consentimiento de aquel á quien se ha hecho.» Es doctrina comun: Príncipes y súbditos la han de observar.—Esto por lo que mira á la obligacion del juramento; oigamos ahora del mismo Santo las causas que pueden anular su obligacion. Son en nuestro caso 1° si la cosa prometida, de buena que era, pasa á ser mala, ó ilícita, ó impide un bien mayor, ó causa un mal mayor: 2° si cesa el fin para el cual se habia hecho la promesa: 3° si así lo permiten las condiciones tácitas, que en todo juramento promisario se deben entender inclusas; y son I, si podré: II si el superior estuviere contento: III, si el estado de la cosa no cambia notablemente. Así, no está por otra parte obligado á guardar el juramento, cuando sobreviniese peligro de muerte, de infamia, ó de otro daño grave, porque es de creer que en tal caso no quiso obligarse, hallándose la cosa en diverso estado, que cuando prometió (núm. 187–88).

«He aquí pues la respuesta *precisa y clara* á la primera pregunta, que es la

principal, y de cuya solucion depende la de las otras. NUNCA ES LÍCITO AL PRÍNCIPE (como no lo es al último de los súbditos) FALTAR Á LOS JURAMENTOS. Puede con todo hallarse un caso en que el príncipe pueda, y aun deba juzgar que el juramento no obliga, porque no existe, ó mejor, porque no hubiera existido, ó mejor aun, porque jamás existió, en cuanto el que jura no hubiera jurado, ni lícitamente hubiera podido, si hubiese previsto aquel caso; y así debe suponerse que implícitamente lo haya escluido. ¿Si tú hubieses jurado llevar mañana por la tarde á un hermanito tuyo á una cena, si este por la mañana hubiese sido acometido de una fiebre violenta, te creerias obligado en virtud de tu juramento á llevarlo por la tarde á la cena, para enviarle al dia siguiente al sepulcro? Aquí tu buen sentido te dispensa de la obligacion de consultar á los moralistas. Haz pues la cuenta que el caso de un príncipe puede asemejarse á este. Y aun podemos presentarte un ejemplo mas adoptado, y cuya fuerza en los Estados Sardos se apreciará mejor que en otra parte. Supon, por una pura hipótesis, que Cárlos Alberto al subir al trono hubiese jurado mantener las leyes de una monarquía absoluta, vigiendo las cuales se encargaba del gobierno. Lo llamarás perjuro porque en el 48 por graves circunstancias concediese un Estatuto? Por cierto que tú no, ni nosotros tampoco: ¿porqué, pues, esta buena moral para dar un Estatuto, no ha de valer para retirar otro?

«Por esta respuesta á la primera pregunta queda sin efecto la segunda, puesto que no se trata de revocar el juramento de los príncipes como hecho por temor de las amenazas; pero si verdaderamente se trata de juzgar que un juramento ya no obliga, porque ya no existe, en cuanto se ha averiguado erróneo en la suposicion que todo el pueblo lo pidiese, y nocivo en los efectos, á los intereses, al sosiego y especialmente á la religion de los pueblos. — Con esto se desvanece tambien la *tercera:* la cual por otra parte supone, que no haya otro modo de vivir, que el salario de los empleados públicos; y á mas de esto mira no un juramento hecho, sino un juramento que debe hacerse, cuya honestidad debe ser antecedentemente asegurada por el que lo presta. Esto no hace á nuestro propósito y por esto lo pasamos por alto. — A la cuarta respondemos, que nunca es lícito el *escándalo, ni aun para salvar á un Estado.* Pero si algun fariseo finge escandalizarse de una accion racional y obligatoria, propagando este escándalo en los sencillos é idiotas, claro está, que no debe sacrificarse á tales aprensiones el verdadero bien; sino que lo mejor es despreciar á los hipócritas é ilustrar á los sencillos. — A la quinta pregunta, la respuesta está incluida en las precedentes, puesto que las mismas razones de falsa suposicion y de público daño, por las cuales un príncipe está autorizado á revocar el propio juramento, impiden á los súbditos exigir su cumplimiento. Mas las obligaciones, que los súbditos contrajeron con el juramento quedan invalidadas no por el príncipe, sino por las mismas razones.» Ita *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, vol. VIII.

(J) Pag. 598.

Adsunt inter incredulos ætatis nostræ, qui festorum institutionem dicteriis suis insectantur. Inaniter tamen; ad festa enim concelebranda vel ipsa

natura homines impellit, adeo ut qui Festa nostra abrogare tentarunt, alia debuerint substituere: sane nulla gens est barbara, quæ suam divinitatem festis ideo institutis non excolat.—*V.* Tassoni, *La Religione dimostrata* ecc., t. III. — Scotti, *Teoremi di politica* ecc. par. 4, t. II. — Bergier, *Dizionario* ecc. *App.* V. Festa. — *Synodus Novariensis*, pag. 389. — Della Margherita, *Memorandum storico-politico;* et in lib. *Avvedimenti politici*, cap. 22, habet: *el gobierno que descuida la rigurosa observancia de los dias festivos, marcha inevitablemente hácia su ruina, á la que llegará pronto ó tarde: los ejemplos abundan.*

Nonnulla proferamus testimonia quæ videre est in libro: Paganessi, *Della santificazione delle Feste*, dissert. Mil. Pirotta 1851. «El emperador Leon el Sabio, haciendo una ley para prohibir severamente el abuso de las obras rurales en los domingos, añade estas memorables palabras: «La tierra no será menos fecunda, cuando los trabajadores serán mas religiosos, y las oraciones atraerán la abundancia del cielo, mejor que el trabajo de los dias festivos.»—Celebris Montalembert ajebat paucis elapsis annis: «Todos preguntan con maravilla y asombro, de donde salen aquellas turbas de hombres sin fe, y sin ley, que aparecen en los dias de disensiones sociales, y que semejantes á las hordas de bárbaros de quince siglos atrás, amenazan tragarse toda la civilizacion. Justo es atemorizarse, pero no el admirarse. Estas salen de aquellos abismos, en que fueron envueltos los pueblos desde que se les obligó á trabajar el domingo, y arrancados á cuanto la religion habia imaginado con afecto de madre para instruirlos y consolarlos en aquel gran dia, se permitió que el sello de la ignorancia se imprimiese en sus almas por la mano de un deseo insaciable. Estas son hambrientas, porque se les quitó todo alimento moral: no tienen fe, porque hombres ricos é instruidos se han fatigado por un siglo con insaciable perseverancia en estirpar de sus corazones aquel tesoro: son sin ley, porque con demasiada frecuencia sus dueños y gefes, violando ellos mismos la principal de las leyes, les han enseñado á no respetar ninguna.»

Macchiavelli *(sopra la prima Deca di Tito Livio*, lib. I, c. 11 e 12) scribit: «La observancia del culto divino es causa de la grandeza de las repúblicas; así el desprecio de aquel es causa de la ruina de estas. Los príncipes ó repúblicas, que quieren mantenerse incorruptas, deben con preferencia á todo mantener incorruptas las ceremonias de la religion y tenerlas siempre en veneracion. Porque no puede tenerse indicio mayor de la ruina de un pueblo, que el ver el culto divino despreciado.» — Vel ipse Rousseau *(Lettre á d'Alembert)*, habet: «¿Qué debe pensarse de aquellos, que querrian quitar al pueblo las fiestas, las recreaciones y toda especie de diversion, como otras tantas distracciones, que le distraen del trabajo? Esta maxima es bárbara y falsa. Si el pueblo solo tiene tiempo para ganar su pan, tanto peor para él. Mas él necesita tambien de tiempo para comerlo con alegría: del contrario no lo ganará por mucho tiempo. Aquel Dios justo y benéfico, que quiere que él se ocupe, quiere tambien que se recree: la naturaleza le impone igualmente el ejercicio y el reposo, el divertimiento y la fatiga. El disgusto del trabajo oprime mas á los pobres trabajadores que el

mismo trabajo. ¿Quieres pues hacer un pueblo activo y laborioso? concédele fiestas, ofrécele divertimientos honestos que le hagan amar su estado, y le impidan envidiar otro mas dulce. Dias perdidos de esta manera darán una abundante compensacion en hacer los otros mas útiles.» *V.* etiam Ventura, *La donna cattolica*, par. I, § 5.

(K) Pag. 602.

Ex recentioribus citamus Baganessi, qui multis conatur defendere abstinentiam a servilibus et Missam esse tantummodo de præcepto Ecclesiæ, cætera vero pietatis opera in festis esse de præcepto divino præstanda. Non tamen audet de mortali accusare qui prima illa facit, secunda vero penitus omittit: quod non satis percipitur, nisi velit docere sub gravi obligare quidem præceptum Ecclesiæ, non autem naturæ ac Dei præceptum. Quod autem addit habitualem omissionem peccatum esse ob mala consectaria, et nos docemus; ideo nempe, quia ex habitu omittens illa pietatis opera, peccat contra aliud præceptum, quo identidem tenetur ad virtutum actus exercendos. —Profecto congruum est, ut Pastores conciones habeant festis diebus, quia tunc populus a cæteris occupationibus liber illis commodius vacare potest. Quæ quidem interessentia potest dici, si placet, obligare multitudinem, et hoc sensu præceptum correlativum esse, ut nempe unus prædicet, et hic vel ille audiat; quia semper plures habentur de multitudine, qui indigent instructione. Ad modum quo præceptum nubendi generaliter datum hominibus, obligat quidem communitatem; non tamen singulos de communitate, nisi quatenus in aliqua particulari necessitate constituantur.

Quod autem habet Tridentinum, *sess.* 24, c. 4 *de Ref.: moneat Episcopus populum diligenter unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum Verbum Dei*, strictum præceptum non denotat, alioquin non diceret *ubi commode id fieri potest*, ut recte observant: neque adderet *Parochiæ suæ*, cum in aliena Ecclesia conciones audiri possint. Præterea Concilium ibi non loquitur de sanctificatione Festorum; sed tantum de generali obligatione audiendi Verbum Dei, quæ utique maxima est.—*V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 269, 308 et 323; it. *Homo Apostolicus, tract.* VI, n. 4. —Suarez, *De Religione*, ubi fusius agit.

Quod vero pertinet ad Nicolaum I, patet evidenter, ipsum fuisse locutum de fine præcepti, non autem de præcepto; alioquin alia plurima essent de necessitate agenda in festis, quæ tamen neque ipsi rigidiores sub gravi præcipere auderent. En verba quæ habet, c. 11: *idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis et hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.* —Et sic cæteræ hujusmodi difficultates resolvuntur faciliter.

Cæterum et nos iterum iterumque monemus Parochos, ut suos urgeant ad hujusce præcepti finem et spiritum adimplendum, ut nempe precibus, divinis laudibus, Sacramentis, ac concionibus festis diebus frequentes sint. Parochi enim cum teneantur profectum spiritualem curare suarum ovium, con-

tenti esse non debent, quod meram præcepti substantiam impleant; idque eo magis, quia si fideles id semper in more habent, numquam vacabunt cæteris operibus, quæ si non virtute festorum, certe virtute Religionis identidem præstare debent: qui autem ea habitualiter negligit die festo, multo magis negliget feriali die. Sub quo sane respectu scribit S. Alphonsus: *quare, sciscitor, Deus festa constituit? instituit ut unusquique, quum omnibus aliis hebdomadæ diebus bonis corporis vacaverit, in die festo bonis animæ vacet. Et non sufficit Sacro tantum interesse, sed opus est ut concionem audiat, visitet Ss. Sacramentum, se Deo commendet, aliosque pietatis actus exerceat; sed tot personæ in die festo ad quid habent animum intentum? ad ludendum, ad intemperanter bibendum, ad inhoneste loquendum (Inst. Catech.* p. 1, c. 3). Insistant ergo Concionatores, Confessarii ac præcipue Parochi: qua in re *habere ob oculos non omittant Catechismum Romanum, quem ex Decreto Concilii et S. Pii V jussu editum, alii Ss. Pontifices ac nominatim Clemens XIII cunctis animarum pastoribus denuo commendatum voluit:* ita Pius IX Encycl. 8 dec. 1849. It. *v.* Audisio, *Lezioni di eloquenza,* par. 1ª, lez. 10.

Q. *An peccet graviter dominus, qui imponit decem servis, singulis servilem laborem dimidiæ horæ in festo?* — Billuart hic anceps hæret: et doctiorem expectat. Bouvier ait, eum qui ita agit, ob meras cavillationes præceptum Ecclesiæ eludere. Alasia tuetur talem dominum graviter delinquere; tum quia qui per alium aliquid facit, per se illud facere censetur; tum quia ille fraude agit in legem, et ideo in eam graviter peccat. Sed communius et satis probabiliter docent alii cum Sanchez, Salmanticensibus, Roncaglia, Trullenco, Viva, Oviedo, etc. hoc non excedere veniale; nam singuli operantes venialiter tantum peccant: neque eorum opera uniuntur in unum. Dominus autem ideo peccat, quia eos inducit ad peccandum; ergo (scandalo præcluso) venialiter peccat, ad modum illorum. Sic v. g. siquis efficeret, ut diversi comederent in jejunio, parum singuli, etsi omnium quantitas esset notabilis, non peccaret mortaliter; quia deficit unius modicæ materiæ continuatio cum alia. Sane præceptum sanctificandi festa in qualibet persona terminatur: nec per plures personas gravis alicui fit injuria (ut fieret, si quis v. g. pluribus juberet, ut aliquid parum Titio furentur). Neque etiam servi sic laborantes impediuntur, quominus singuli possint divino cultui vacare quantum ad mortale vitandum.

(L) Pag. 608.

Tria monita ad praxim maxime spectantia quoad superstitionem:

1. Monitum *Ambrosii Stapf:* «in evellendis opinionibus superstitiosis multa prudentia et animi sobrietate opus est. Equidem si talis opinio directe Religioni aut bonis moribus adversatur, utique omni modo et quantocius extirpari debet. Dum vero ejusmodi opiniunculæ vix non innocuæ videntur, et simul a multa antiquitate plurimum vigoris acceperunt, prudens animarum pastor illas non quidem confirmabit; attamen ad tempus dissimulare, atque studium suum eo dirigere debet, ut successive, atque per solidam institutionem ætatis præsertim juvenilis, eas eliminet. Qui importune et conci-

tato impetu in obvias quasque superstitiones invehitur, plurimos quidem offendet, sed vix aliquem corriget: et illi non absimilis videtur, qui aquam non sat limpidam vehementi agitatione adhuc turbidiorem reddit. Unde cum servi dicerent: *Vis, imus et colligimus zizania?* paterfamilias ait: *Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.* Matth. 13, 28. Præterea non omne, quod profano hujus temporis genio displicet, mox superstitiosum censeri debet. Præ reliquis animarum pastor illis invigilet, qui studio lucri opiniones superstitiosas *divulgant,* dum e. g. hujus furfuris libros et pagellas venditant, de arcanis gloriantur, etc.» §§ 171 et 177. Item Parochi, concionatores, catechistæ et ii omnes qui munus populum christianum erudiendi habent, enumerent tantum eas superstitiones, quæ notæ sunt in suis regionibus, ne alias potius edoceant, quam ab eis avertant; superstitio enim contagiosa est.

2. Monitum *S. Alphonsi nostri* (Op. Mor. l. *III*, *n.* 20): advertant, quod in dubio præsumendus est aliquis effectus potius provenire a causa naturali, quam a superstitione: ita Sporer cum D. Augustino, Sanchez, Laymano, Elbel, Croix, et Salmanticenses cum S. Thoma, qui docet (2, 2, q. 60, a. 4): *ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Recte tamen consulunt AA. citati tunc præmitti protestationem nolendi effectum, si aliqua superstitio subsit. Datur autem juxta S. Thomam naturalis fascinatio; *oculi autem inficiunt aërem continuum usque ad determinatum spatium* (1 p. q. 117, a. 3): hinc qui experitur hanc pestiferam qualitatem, abstineat a nimio colloquio hominum et oculos declinet. At superstitiosa est fascinatio vulgaris, quæ a vulgo creditur, scilicet quod aspicientes invido animo noceant, et ideo vetanda quæ contra ipsam imponuntur.

3. Monitum *card Gousset:* «Con respecto á las personas que se entregan á actos de supersticion por ignorancia ó sencillez, el confesor las instruirá é inducirá á dejar toda práctica supersticiosa. Evitará sin embargo por prudencia, de calificar de pecado mortal tal ó cual observancia y de hacerse prometer que renunciarán á ellas, á menos que tenga algun motivo de esperar la ejecucion de esta promesa. Inútilmente por ejemplo se trataria de destruir la supersticion de ciertas mujeres que despues del parto no quieren salir á misa en viérnes, ó que no quieren hilar ó hacer colada en ciertos dias, temiendo que les suceda alguna desgracia:» *quis infirmatur, et ego non infirmor?* (Theol. Moral. *n.* 424).

Præstat quoque, ut explicemus nomina præcipua circa superstitiones: — Astrologia ducitur a græco *astron*, stella; et *logos*, sermo. — Aëromantia ab *aêr*, aër; et *manteuô*, divinare. — Amuletum sic dicitur ab *emollire*, quasi noxia emolliat et avertat. — Chiromantia a *chêir*, manus. — Physiognomia a *phisis*, natura. — Geomantia a *gea*, terra.—Hydromantia ab *hydôr*, aqua. — Idololatria ab *eidôlon*, idolum, simulacrum. — Lamia a *laimos*, gula: lamias dicebant devorare quos possent invenire pueros. Dicuntur etiam *sagæ* a sagacitate. Dicuntur etiam teterrimæ istæ *striges* ab avi quadam nocturna, *strix* dicta, quæ noctu stridendo volat, derelictosque infantes e cunis rapit, eorumque sanguinem absorbet. — Magus a *magos*, sapiens; vel a

megos, magnus. — Necromantia a latino *niger*. — Omen, quasi *ex ore veniens*. — Oniromantia ab *oneriros*, somnium. — Oraculum, quasi illi insit *divina oratio*. — Pyromantia a *pyr*, ignis. — Pythonismus ita dicitur, quia sic divinantes responsa ferebant insidentes tripodi, qui coopertus erat pelle serpentis Pythonis ab Apolline interfecti.

(M) Pag. 615.

Quoad numerorum rationem et lunæ influxum observamus:

1. Non semper *numerorum ratio* uti superstitiosa habenda est; sed quando numero ut tali tota exhibetur fides; cum revera inter causam et effectum nulla tunc proportio sit. Sed aliter est, si ideo numerus usurpetur, quia ab Ecclesia est præscriptus ad Indulgentias consequendas, ad pœnitentiam agendam, ad cultum religiose exercendum, ut patet ex propositione 64 proscripta a Pio VI Bulla *Auctorem fidei*.—Idem est, si numerus mysticam significationem includat, vel in alterius rei cognitionem nos faciat venire; tunc enim laudabiliter numerorum ratio observatur, et firmat veritatem, ac quasi tessera et professio fidei nostræ est: quod et Ecclesia commendat, et Scriptura usurpat; quare falso nos superstitionis accusant Protestantes. Sic sacer est numerus *ternarius*, quia tres Trinitatis Personas refert, tres dies sepulturæ Christi, tres annos prædicationis illius: sacer est numerus *quinarius* in honorem quinque plagarum Salvatoris; numerus *septenarius*, quia in mentem revocat sex dies creationis et septimum, quo requievit Dominus: *novenarius* in honorem novem mensium, quibus fuit Christus in utero matris, item in gloriam Trinitatis; tres nempe dantur ad indicandum tres esse Personas, æqualiter dantur ad indicandum Personas esse coæquales; sicque illius mysterii fides in ipsis idiotis firmatur: *trigesimus*, quia refert triginta annos vitæ privatæ Redemptoris nostri: *trigesimustertius*, quia memoriæ reducit totam illius mortalis vitæ periodum, etc. — *V.* Bouvier, *Inst. Theol.* de Decal. pun. 3 *de vane observ.* — Bergier *Dizion.* V. Novene. — Stapf, § 174.

2. Quoad *lunæ influxum* (quem perperam aliqui superstitiosum dicunt, etsi falsus esse posset) audiatur Antonacci, *Raccolta delle più ovvie e più utili operazioni fisico-chimiche ed industriali:* «Es opinion que la luna influye en la vejetacion de las plantas, pero no es cosa bien probada: ciertos efectos atribuidos á la luna parece deberian mas bien atribuirse á la serenidad de la atmósfera, durante la cual la luna de ordinario es visible. Las personas idiotas, especialmente del campo, hacen gran caso de la luna menguante, segun dicen ellos y de la luna creciente. Para la siembra de los productos del campo escogen casi siempre el tiempo de la luna menguante, porque del contrario dicen que las plantas nacerian demasiado pronto, y luego formarian espiga y así ó faltaria del todo ó daria un producto escaso y de no muy buena calidad. Tambien en el corte de las maderas para las diversas construcciones, los leñadores atienden á la luna, y rara vez cortan los árboles para tales efectos fuera de las dos lunas de agosto y enero, pues, del contrario dicen ellos, la madera estaria sujeta á carcomerse. Sea lo que fuere de estas observacio-

nes lunares, yo no me atrevo á pronunciar sobre ello juicio alguno: á lo menos en cierta manera podria buscarse alguna razon física de algun efecto atmosférico, que se atribuye á la influencia de la luna sobre la vegetacion: pero estas son discusiones intrincadas y bastante dudosas. Mas siempre seria prudente, cuando no hubiese una razon en contrario, sobre el punto especial de la sementera y de la cosecha, atenerse á lo observado por tantas generaciones, que se han sucedido unas á otras, y las cuales aseguran siempre lo mismo.»

(N) Pag. 616.

Possessio in eo consistit, ut dæmon corpori humano quodam modo uniatur et in illo et per illud extraordinaria operetur. Quod si dæmon in corpore hominis residere non videatur, sed tantum externe operetur, illud variis modis vexando, tunc habetur *obsessio*. — Veras dari *possessiones* et *obsessiones* sine errore in fide negari non potest. Constat ex variis Scripturæ locis (I *Reg.* 16 *Marc.* 16, *Matth.* 17, etc.). Constat ex perpetua traditione, ac PP. sensu (Klee, *Storia de' dogmi*, t. I, pag. 249). Hinc et exorcismos habemus, quorum exercitium testatur Tridentinum (*sess.* 23, *c.* 2), semper in usu fuisse apud Ecclesiam. Quæ porro ad sensum metaphoricum haud possunt detorqueri. Neque hæc repugnant; attenta enim dæmonum natura, eorum magna virtute, eorumque per aërem præsentia, fieri certe potest, ut corpora hominum intime pervadant. Hac in re clarissimum medicinæ professorem Laur. Martini (in suis *Elementis medicinæ forensis*, c. 3) audiant scioli: *nos Ecclesiæ integram fidem præstamus; idcirco de energumenis non dubitamus.* — It. *vid.* Forni, *Del mondo degli spiriti e della sua efficacia nell' universo sensibile.* Torino 1851.

Etsi autem et hodie hac de re exempla non desint, frequentiora tamen fuerunt primis Ecclesiæ sæculis; quod quidem fuit, Deo permittente, tum ut ejus gloria manifestaretur, tum ut melius veritas christianæ Religionis innotesceret, etc. *V. Bibbia* di Vence, vol. VI, dissert: Le ossessioni, e possessioni del demonio.—It. Scotti, *dissertat. hac de re.*—Cesari, *Lezioni su Mosè*, lez. VI. Quomodo a dæmone vexati dirigendi, *v.* Liguori, *Praxis Confessariorum*, nn. 110 et seqq.

(O) Pag. 619.

Nonnulli impudentissimi eo usque progressi, sunt, ut catholicæ fidei miracula habeant veluti totidem magnetismi effectus. Insaniæ portentum est; quæ enim conventio signorum nostrorum cum magneticorum nugis? Ubi in veris miraculis ridiculosi apparatus, ubi convulsiones, ubi detorsiones, ubi tactus et alia, quæ in magnetismo videre est? et tamen cæci a nativitate vident, mortui quatriduani resurgunt, aqua convertitur in vinum, montes fugiunt, etc. etc. Mali homines contra catholicam fidem nova systemata adstruunt pejora prioribus, at inaniter: illud accidit quod veteres poëtæ de gigantibus finxerant, qui ut cœlum expugnarent, tentavere humeris monti su-

peraddere montem; sed montes a facie Dei tamquam cera liquescunt (*V.* cl. P. Perrone, *Prælect. Theol. De vera Relig.* nn. 192 et seqq.).—Quod de miraculis dicimus, id valet quoque de futurorum liberorum prædictione, cujus quidem magnetizatos prorsus esse incapaces nemo sanus mentis ignorat: et vel ipsi in hac arte celebriores ultro fassi sunt, «que las previsiones de los sonámbulos no son del todo seguras, ni aun cuando se trata de las enfermedades y de las crisis: cuando menos lo serán, si miran los hechos dependientes del libre albedrío del hombre! La razon dice con bastante claridad, que es absurdo é imposible conocerse en sí, por el que existe y conoce en el tiempo, lo que todavía no está determinado por causa alguna. Luego el hombre viviente no puede conocer los futuros contingentes ó libres ni en sí mismos ni en sus causas determinantes.» *V.* Civiltà Cattolica, *ser.* 1, *vol.* v, vi, vii *et* viii, ubi omnia fusius.

Magnetismo vel huic similes affines prædicant tum *tabulas semoventes* seu *rotantes*, tum *spirituum manifestationes*. Duo hæc sunt, quæ hisce temporibus in gentem undequaque rumorem excitarunt; hodie tamen jam fere mortua: primum ubique, secundum in Americæ provinciis experiuntur novitatum amatores.

Ad *primum:* sint aliqui, qui uni aliis digitum minimum superimponentes invicem sibi nectantur; si omnes, quasi facta catena, digitorum extremitate leviter comprimant nudam tabulam aut mensam, hæc fere statim ac de se movetur, elevatur, volvitur: en tabulæ semoventes seu rotantes. Qua quidem in re nihil extranaturale: «el profesor Grimelli (audiatur *Civ. Catt.* vol. II, ser. 2, p. 70), que á lo menos conoce el electricismo animal tanto como cualquier otro, nada encuentra en las mesas giratorias, que tenga relacion con aquel, sino únicamente un efecto mecánico, y de sus observaciones y de su discurso concluye, que las mesas, sombreros, cajas, sillas y cualquier otro objeto conductor ó no conductor eléctrico, se mueven por movimiento que les comunica la presion muscular de las personas que forman el círculo, conforme las leyes ordinarias de la mecánica muscular.» Vel ipsi autem, qui hisce rebus plus æquo forsan fidem habent, negant tamen et merito plura, quæ a vulgo prædicantur, ut cum prætendunt quod clavis vel anulus filo subtilissimo suspensus moveri debeat juxta simplicem internæ voluntatis nutum: vid. *Sulla potenza motrice trasfusa dall'uomo nella materia bruta* ecc. Esperimenti del dott. Terzaghi ecc. Milano 1853.

Ad *secundum* non pauci (vulgo *mediums*) in America contendunt, se modum invenisse communicandi cum defunctorum spiritibus, et alios hunc modum se edocere posse, ita ut plura nova ac ignota ab illis spiritibus noscantur. «Nosotros, á escepcion de pocos casos (iterum *Civ. Catt.* pag. 600), en los cuales la Providencia favorece á algunos Santos con comunicaciones celestiales, no conocemos otros comercios con el mundo invisible, que los usados con los diablos. Y si quiere creerse á los que aseguran ser almas de los difuntos, á lo que por cierto no estamos obligados, se vendria á parar en lo mismo: en cuanto aquellas almas si son elegidas pertenecen á la primera categoría: si réprobas, á la segunda. Y así, escluido el caso de especiales y gratuitos favores divinos, los que no podemos suponer en las *manifestaciones*

espirituales de la otra parte del Atlántico, no nos quedan sino los ilícitos comercios con los pérfidos demonios, y los profesores de estos entre nosotros, ennoblécelos cuanto quieras en apariencia, no serán llamados con otro nombre, que con el de nigrománticos, magos, hechiceros, ó brujos.»—Hæc ars *stulta* est, cum sit quærere veritatem a patre mendacii; *falsa* est, cum spiritus plura proferant absurda et contradictoria, ut facta probant; *injuriosa* est Deo, cum societatem cum dæmone foveat, et veritatem alia via inquirat, quam non constituit Dominus; *damnosa* est hominibus, neque sane hostis hominibus infensissimus vult hominibus præsto esse: «tenemos á la vista (*ad rem diarium laud.* p. 612) la historia lamentable de un padre de familias, que, muerta su querida y fiel compañera, quiso saber de ella no sé qué por medio de los espíritus; y supo, que la esposa le habia sido infiel toda la vida, y que no era suya la prole que tenia en su casa. No se necesitaba mas para empujar á aquel desgraciado á la desesperacion, para echar mil imprecaciones á la memoria de la que tanto habia amado, hacer desheredar y echar de casa á los afligidos hijos y amargarlos hasta las ansias de la agonía. Considérese que seria de la sociedad si este juego se hiciese frecuente, y el padre de la mentira debiese servir de maestro de la verdad.»

Ita etiam liber laud. circa has aliasque similes inquisitiones: «No siempre es inocente, ó por cierto no siempre es inmune de peligro aquel empujar con demasía, por mera curiosidad, las pesquisas ó pruebas para escudriñar los secretos de la naturaleza. Las fuerzas de esta, cuando se traspasan ciertos límites, son tan inciertas, y los límites mismos son para nosotros tan indeterminados, y por decirlo así, tan disminuidos y evaporados, que el hombre fácilmente los traspasa sin casi advertirlo, y puede encontrarse empeñado en comercio ilícito con los espíritus malos, sin tener una voluntad pronta y decidida. Si esto puede ser libre de culpa, no lo es siempre de peligro; y puede tenerse una prueba de hecho en las mesas giratorias, y en algunos procedimientos del magnetismo animal. Distamos mucho de querer llamar diabólicas tales cosas: nosotros mismos hemos esperimentado diferentes veces y de varias maneras aquellas y las hemos esplicado de un modo natural y mecánico. Pero cuando se nos dice que las mesas responden con levantar y bajar los piés: cuando se nos cuenta que estas secundan las intenciones de personas que no las tocan: cuando se nos refieren efectos estraños y portentosos del magnetismo animal, nosotros no podemos menos de ver en esto la intervencion de una fuerza sobrenatural, que en el presente caso solo podria ser diabólica. Ahora que los profesores de ciencias naturales multipliquen los esperimentos para conocer mejor este ó aquel agente físico y enriquecer la ciencia con nuevas invenciones, esto lo comprendemos: comprendemos tambien que las autoridades eclesiásticas, que tienen el deber de regular las ciencias, hagan pruebas con aquella cautela cuya oportunidad y alcance ellas conocen; pero que todo mozito de veinte años, toda mujer curiosa, todo hombre medio escéptico quede á disposicion del primer charlatan que le prometa hacerle ver, sin saber como ni porqué, la luna en el pozo, ó la vieja en el cielo, esto es muy impropio de aquel espíritu de sencillez y prudencia tan propia del católico: no puede

hacerse sin peligro, y tal vez en muchos casos no se podria sin culpa. Dirás, que te metemos una *pulga en la oreja;* pero vale mas por cierto tener una pulga en la oreja, que un demonio en casa, ó lo que es peor, en el cuerpo.»

Quoad magnetismum *vid.* Amico Cattol. *Giornale Relig.* Milano, t. II et VII. —De Luca, *Annali*, t. XII et XIII. —Bergier, *Dizionario* ecc. *Append.* V. Magnetismo. — *Pensieri di un credente Cattolico.* Milano 1841. —*Il magnetismo e mesmerismo animale,* dial. 3 Ferrara 1841: in quo stylo italico eleganti et jucundo non solum physice et medice, sed etiam theologice res tota discutitur. — *Civiltà Cattolica*, serie I, vol. IV: del magnetismo animale; et ser. 3, vol. IV et V: La moderna negromanzia. —Luigi Concato dottore in medicina, *Sull' azione del magnetismo animale nell' umano organismo*, osservaz. critiche. Padova 1851. —Et maxime *Sulla causa dei fenomeni mesmerici.* Bergamo 1856.

(P) Pag. 621.

1. Quod *martyrium* notamus: martyrium græce idem est ac latine *testimonium.* Usu porro ab Ecclesia recepto martyrium sumitur pro testimonio singulari veritatis christianæ per tolerantiam mortis. Martyr igitur est testis, qui morte sua perhibet testimonium veritati, quæ per Christum nobis innotuit: unde martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius Christi. Quæ tamen mors non de necessitate requiritur in effectu, sed sufficit ad rigorem martyrii, ut quis propter Christum tormenta sustineat de se sufficientia et efficacia ad inferendam mortem, etsi contingat mortem impediri; nam hoc est vere subire mortem in causa efficaci per se; nec inde minuitur affectus internus et acceptatio mortis propter Christum: sic martyr appellatur, imo Martyrum Regina B. V., licet non obierit morte violenta (*V. Mazzola, De B. M. Virgine*, pag. 256). « Terminarémos con una observacion muy consoladora para aquellos que se dedican á servir á los apestados: y es que una pia creencia venera como á mártires á aquellos, que sucumben víctimas de la caridad: *velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit* (Martyrol. Rom. 26 febr.). Y segun dice S. Alfonso (*l. VI, n.* 100) son reputados como verdaderos mártires por doce Universidades, trece Cardenales y mas de trescientos autores:» *Gousset.* Ex hactenus disputatis sequitur: —1 illum esse verum Christi martyrem, qui non pro ipsa christiana fide generatim, sed pro alia speciali virtute christiana moriatur. Hinc vere est martyr Joannes Nepomucenus, qui occisus fuit pro tuendo sigillo sacramentali; item B. Panacea, quæ crudeliter a sua noverca necata fuit ob ejus eximium orationis studium. *V.* ven. Bescapè, *Novaria sacra,* lib. I et II.—Travelli, *De B. Panacea sanctitate et cultu* etc. (ut tamen Officium de Martyre concedatur, quid amplius requiritur, vide penes Benedictum XIV, *De Canoniz. Ss.* l. III, c. 15 et 19); —2 illos qui occiduntur in bello justo pro defensione Reipublicæ adversus infideles et hæreticos, qui fidem Christi corrumpere moliuntur, esse veros martyres; si tamen militent ex zelo fidei ac Religionis christianæ; —3 non esse veros Martyres, qui occiduntur in bello justo propter de-

fensionem boni communis seu Reipublicæ tantum. Excipit Sylvius, nisi illam intendant defendere propter Deum ex amore justitiæ et legis divinæ; sic enim moriuntur, ne virtutis officium deserant. D. Thomas ait: *bonum Reipublicæ est præcipuum inter bona humana. Sed bonum divinum, quod est propria causa martyrii, est potius quam bonum humanum. Tamen quia bonum humanum potest effici divinum, si referatur ad Deum; ideo potest esse quodcumque bonum humanum martyrii causa, secundum quod in Deum refertur. V.* Billuart, *De fortitud.* diss. 1, a 2.

2. Quoad *miracula:* «viene al caso aquí advertir un justo sentimiento del docto y pio P. Crasset, quien dice, que son tan fáciles las personas buenas en creer los milagros, como las malas en mofarse de ellos. Añade, que así como es debilidad el dar crédito á todo, así al contrario el rechazar los milagros, que nos son asegurados por hombres graves y piadosos, ó huele á infidelidad, pensando que son imposibles á Dios, ó á temeridad negando el crédito á tal especie de autores.» Liguori, *Gloria di Maria,* aggiunta in fine.—*V.* Bollandus, *Præfatio generalis in vita Sanctorum,* c. 3, § 2. Sed maxime Muzzarelli, *Buon uso della logica,* opusc. VIII: *numero e qualita de miracoli;* ubi etiam catechistas hortatur, ut ea enarrare non erubescant, cum plurimum conferant rite exposita ac probata ad fidelium instructionem. Quoad *legendas V. Civiltà Catt.* ser. 3, vol. II, pag. 340.

De miraculis et miraculorum gradibus *V.* Benedictus XIV, *De Canoniz. SS.* par. IV.

(Q) Pag. 623.

1. *Quid* (quæres) *de horrendis maledictionibus latis in malos Psalmo* 108? R. In hoc non peccavit David; nam *pluribus de causis adversus inimicos suos obloqui potuit:* 1 *ex sincera correctionis illorum cupiditate: eos percute Domine, ut inique agere ac lacessere tandem aliquando desistant;* 2 *ut in hoc mundo castigati, minoribus in altero afficiantur;* 3 *ut eorum supplicium impios deterreat, qui ex illorum nequissimo exemplo paria conantur;* 4 *ut bonis scandalum adimatur, quod impii injustis vexationibus ingerunt;* 5 *ut Dei gloriam ac providentiam vindicet adversus impios, qui renuunt intelligere, Deum justorum præsidio invigilare;* 6 *ne justi pravo iniquorum exemplo corrumpantur.* Ita Calmet, *Comm. in Ps.* 34.—V. S. Thomas, 2, 2, q. 25, a. 6. ad 3.—Lorinus, *Comm. in Ps.* 38.

2. *Quid de iis, qui Jesu et Mariæ Nomina appellare continuo solent?*—vel Nomina hujusmodi appellantur ex reverentia et cordis devotione, v. g. *laudetur Jesus Christus!* vel ex quadam contracta consuetudine et animi levitate, v. g. *Jesus, Maria!* vel ex subito spirituum impetu, v. g. *per Deum, per Christum!*—Si 1, ea Nomina proferentes nedum peccent, imo vero sanctam et Indulgentiarum thesauro decoratam, ideoque et sibi et Deo rem gratissimam præstant: et est salutaris se invicem salutandi in pluribus fidelibus formula. Si 2, blasphemiam utique non committunt, cum ea nomina non proferant contumeliose; sed per se culpam venialem minime effu-

gient, quia hæc est vana Sanctorum Nominum usurpatio. Hinc Scriptura: *nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis* (Eccl. 23). Si 3, excusantur ordinarie, scandalo gravi secluso quod tamen aliquando adesse potest, a peccato gravi; quia ex ignorantia aut indeliberatione (ut plurimum) id proficisci censetur, et referuntur potius in homines, quam in ipsum Deum vel Christum. At gravissime sunt isti increpandi, cum hominem christianum id dedeceat, ac mortali peccato locum faciat.—Ad rem scribit *Cattolico*, Giorn. Relig. Genova, n. 567: «En lugar de las triviales fórmulas de saludo, que se usan en la Alemania protestante, como son: *buenos dias, servidor de Vd.* y otras, el católico de Alemania y singularmente los hombres de las villas y comarcas se sirven del célebre *saludo de alianza*, recomendado por el Papa Benedicto XIII: *alabado sea Jesucristo,* al cual se responde: *por siempre sea alabado.* Yo me acuerdo muy bien, dice Klopstock, la *sensacion profunda*, que produjeron sobre mí estas sencillas palabras. Yo encontré por el camino á algunos suevos, y cada uno de ellos saludándome me decia: *alabado sea Jesucristo.* A decir la verdad, entonces yo no sabia que esto fuese un saludo, y mucho menos lo que se habia de responder. Pero la respuesta acostumbrada, que he sabido mas tarde, me ha parecido tan *natural*, que no sé comprender como no la hubiese encontrado por mí mismo.»

Hic duo adhuc restant notanda cum percelebri Della Motta, *Saggio sul Socialismo, vol.* II, *par.* 3, *c.* 11, quoad eos qui *Christi* vel *Jesu* Nomen indigne usurpant. Quoad 1: sunt inter recentiores, qui Christum exhibent sensu quodam impersonali ac quasi typum *phantasticum* et idealem ultimæ perfectionis possibilis in creatura rationali *(el Cristo)*: hic porro sensus *pantheisticus* prorsus est, ideoque damnandus tamquam gravis abusus et periculis plenus, præsertim in populo fideli: *el Cristo idea no es aquel divino Jesus que S. Pablo tenia siempre en su corazon y en sus labios. Nuestra fe no se dirige á Jesucristo ideal y filosófico, sino á la divina persona de Jesus, al Cristo histórico y real*, in illo videlicet Christo qui, (clamante Ecclesia catholica) *conceptus est de Spiritu Sancto, natus est ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilatio, crucifixus, mortuus et sepultus est: tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos.*—Quoad 2, iterum ad rem: «Qué escándalo puede compararse con este, que el nombre de *jesuita, jesuítico, jesuitismo,* etc. se use por los católicos como sinónimo de toda briboneria y como sello de infamia? Cuando para denigrar una Compañía ilustre, buscan nuevas interpretaciones del Evangelio, y aplican un significado odioso al nombre que viene del nombre augusto, demasiado diabólica es la estratagema, demasiado se manifiesta en esto la idea comun de la heterodoxia moderna con las antiguas, y aun con el paganismo, que con el nombre de *Cristicolæ*, despreciaba á los cristianos, y con el Protestantismo que inventó y aplicó el nombre de *jesuitas* á aquella Compañía como término de burla. ¿Puede en la Iglesia, en el Reino de Dios tenerse por oprobioso el nombre de Jesus, ó cualquiera derivacion de él? *Jesuitismo* no puede significar entre los católicos dogmatismo falso, moral baja y disoluta, costumbres perversas, hipo-

cresía, mentira: la impropiedad del término, la antifrasis en materia demasiado sagrada.»

(R) Pag. 629.

Præstat, ut audiant sacrilegi quod narrat p. Cesari, *Fiori di Storia Eccl.* Ragion, VI su S. Pietro: «Esta verdad fué tambien conocida por los gentiles. Queriendo Plinio convertir al uso profano cierta fábrica medio arruinada, pero que en la forma manifestaba haber sido templo de los ídolos, preguntó al emperador Trajano que debia hacer. Respondió: que lo averiguase escrupulosamente, y si resultase que verdaderamente habia sido lugar sagrado, no lo tocase: *Religio occupavit solum*: porque (¡oh verdades escritas en el fondo de los corazones, imposible de borrarse!) la Religion ha tomado posesion de aquel terreno, y no puede sin sacrilegio pasar á uso profano. Habian sido regalados al rey Masinisa dos colmillos de elefante de increible grandeza. Poco tiempo despues supo que habian sido quitados del templo de Juno en Malta: y él no lo sabia. Tuvo escrúpulo. Aparejada una galera prudentemente, los volvió á enviar al templo de la falsa diosa como pidiendo perdon de la falta, con esta inscripcion: *Rex Massinissa imprudens acceperat: re cognita, reponendos restituendosque curavit.* Lo mismo hizo P. Cemelio Superior Emiliano de una estátua de Diana que habia tomado en Cartago (*Cic. in Verrem* l. IV, cap. 34 et 46). Estos serán nuestros jueces y acusadores en aquel gran dia. Proveamos á nuestras necesidades mientras hay tiempo.»

Reale sacrilegium est profanatio vasorum et instrumentorum sacrorum, v. g. si quis calice utatur in convivio, ornamenta Altarium vel Sacerdotum ad usus profanos applicet, intellige de iis, quæ consecrari vel saltem benedici solent; nam ad nuptias, vel communem usum adhibere tapeta, candelabra, pelvim, imo et manutergium et cætera quæ medi ate serviunt ministerio sacro, non esse peccatum (docet *Tamburini*), nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, ut si semper et indifferenter sic utaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso et similibus benedictis, quod in modicis istis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Ecclesia, uti patet in pane, ligno, carbonibus, etc. benedictis.—Non est sacrilegium non suscipere Sacramenta tempore debito; sed probabilius est tantum contra obedientiam Ecclesiæ debitam. An sit sacrilegium detinere legata relicta Ecclesiæ pro ejus servitio, alii affirmant, quia ratione destinationis sunt sacra: alii negant, quia quamdiu non possidentur ab Ecclesia, sacra proprie non sunt.—Sacrilegus vero est qui irreverenter tractat sacras imagines, vel indecore nimis eas dipingit vel sculpit. *Liguori, Roncaglia, Gousset.*

TRACTATUS SEXTUS

DE

VIRTUTE JUSTITIÆ.

Inter virtutes morales post Religionem veniunt quatuor cardinales: *prudentia, fortitudo, justitia* et *temperantia.* Verum *justitia*, tam copiosum ac necessarium rerum dicendarum exhibet apparatum, ut ab ipsa Tractatum putemus inscribendum his verbis: *Tractatus de Virtute Justitiæ* (Scholastici *de Justitia et Jure* nuncupant). Cum autem virtus justitiæ in eo sita sit, ut jus suum cuique servetur, necesse profecto est, ut simul cum justitia idea tradatur juris atque dominii, quippequæ sunt justitiæ quasi finis et meta.

QUÆSTIO PRÆAMBULA.

Q. 1. *Quid est justitia?*

R. Justitia interdum accipitur pro virtutum omnium complexu, ita ut ***vir justus*** idem sit *ac vir omni virtutum genere donatus:* hoc sensu inquiebat Christus: *beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam* (1). Quo etiam sensu ajebat D. Chrysostomus: *justitia nihil aliud est, quam omnium mandatorum plena custodia* (2). Hic vero justitia sumitur prout est virtus a cæteris specie distincta, et definitur ab Augustino: *virtus quæ sua cuique tribuit* (3). Communiter autem describi solet: *virtus moralis constanter inclinans hominis voluntatem ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.*

Dicitur 1 *virtus,* quia tam hominem, quam opus illius reddit bonum; nam bonum est reddere cuique suum: quod quidem virtutis est proprium;—2 *moralis,* quia non Deum, sed hominum honestatem habet pro objecto suo immediato: quæquidem honestas sita est in tribuendo cuique jus suum; —3 *constanter inclinans:* dicitur *constanter*, quæ vox indicat propositi nostri firmitatem atque perseverantiam: quod genuinæ virtutis proprium est; *inclinans*, quia est proprium virtutis inclinare ad actus; — 4 *hominis voluntatem*, quia justitia est actus et habitus voluntatis; non vero intellectus, cujus officium

(1) Matth. 5. (2) Hom. 12 in Matth. (3) *De Civ. Dei*, c. 21.

est veritatis cognitio; neque memoriæ, cujus officium est recordatio rerum præteritarum; —5 *ad reddendum alteri;* cum enim justitia in constituenda æqualitate versetur, habet profecto ex ipsa sui natura, ut in alterum tendat: *nihil autem est sibi æquale, sed alteri*, ait Angelicus (1); — 6 *jus suum*, id nempe quod non solo titulo honestatis, sed stricti nominis obligatione debetur: et hoc proprie justitiæ objectum constituit; neque enim hic *jus* sumitur *formaliter*, prout est legitima facultas ad aliquid; sed *objective* prout est debitum rigorosum, ex cujus violatione non solum contrahitur turpitudo moralis, ut in aliis debitis, v. g. gratitudinis, verum etiam obligatio restitutionis; — 7 *ad æqualitatem:* quibus verbis intelligitur accurata mensura rei, quæ redditur cum jure alterius: sic v. g. qui centum nummos creditori suo debitos solvit, servat æqualitatem; quia hæc summa jus creditoris perfecte adæquat.

Q. 2. *Quomodo dividitur justitia?*

R. Cum justitia dicat ordinem unius ad alterum; totuplex erit justitia in Republica, quotuplex in ea hujusmodi ordo; atqui iste ordo triplex est, nempe partium ad totum, totius ad partes et partis ad partem: ergo triplex est justitiæ species. — *Legalis* una, quæ ordinat partes ad totum, et inclinat privatum ad reddendum communitati quod ipsi debitum est propter bonum commune: dicitur *legalis*, quia habet pro suo objecto id, quod communitati debetur *ratione et vi legum* (2); talis est lex tributorum, electio ministrorum, etc. — *Distributiva* altera, quæ ordinat totum ad partes, et inclinat voluntatem Superioris ad bona et onera communitatis distribuenda juxta merita et vires subditorum; ideo distributiva dicitur: uti esset distributio pensionum ac dignitatum. — Tertia *commutativa*, quæ ordinat partes inter se, et inclinat privatum ad reddendum alteri privato ad æqualitatem quod eidem stricte debetur, ratione videlicet vel pacti vel contractus vel alterius tituli peculiaris. Dicitur *commutativa*, quia in commutationibus, ut plurimum, solet habere locum (3).

Violatio justitiæ legalis dicitur *illegalis injustitia;* justitiæ vero distributivæ dicitur *personarum acceptio;* justitiæ demum commutativæ, appellatur *injuria*. Nulli dubium est, quod cujuscumque justitiæ violatio sit ex genere suo mortalis; cum quælibet justitia sit gravissimi momenti ac gravissimi finis, et jus alterius plus minusve lædat, ideoque semper includat læsionem charitatis; neque sane potest esse dilectio ubi committitur injuria: quamquam diversa sit ratio justitiæ a ratione charitatis; nam charitas respicit bonum privatorum, quibus tenemur de nostro ex divina ordinatione providere; justitia e contrario respicit vel bonum publicum vel jus strictum alterius

(1) 2, 2, q. 58, a. 2. (2) D. Thomas, 2, 2. q. 63, a. 1.

(3) Et hæc est, de qua maxime sumus disputaturi, et de qua cæteræ justitiæ species plerumque participant. Ex dictis autem patet justitiam tria importare: — 1 quod sit ad alterum: quare erga se ipsum proprie dicta justitia non datur; — 2 quod in uno sit verum jus, in alio verum debitum: unde hæc non est in Deo relate ad homines: his enim Deus nihil stricte debet; — 3 quod servetur æqualitas: hinc hæc locum non habet in filios relate ad patrem et vicissim, si considerentur *qua tales*, cum non sit perfecta alternitas; nam filius ad æqualitatem patri numquam dabit quod debet. Nec pater filio dando dat alteri, aut secundum quod debet; nam dat filio ut sibi, cum filius sit quid patris: unde hoc vinculum est majus vulgari justitia. *V. Charmes.*

id est quod aliquo modo jam est aliorum.—Quæstio autem esse solet, *an scilicet omnes injustitiæ species tales sint stricti nominis?* Sunt qui affirmant; quia veram obligationem inducunt unius ad alterum. Attamen alii id negant de justitia legali et distributiva: nam illa tantum dici potest veri nominis justitia, cujus objectum est strictum jus, adeo ut ejus violatores teneantur de restitutione; hoc autem valet de sola justitia commutativa, ex Angelico (1). Quod vero pertinet ad vindicativam, hæc novam justitiæ speciem non constituit; nam tota in eo est, ut inclinet Superiorem ad infligendam reo pœnam debitam. Jam vero prout Superior per pœnam civium felicitati prospicit, ea ad legalem pertinet: prout pœnas ipsas criminum gravitati proportionatas decernit, ad distributivam: denique prout justitiæ vindicativæ officia exequitur ex quodam quasi contractu cum Republica de recte negotiis publicis administrandis, pertinet ad justitiam commutativam (2).

Q. 3. *In quo discrepant justitia commutativa et distributiva?*

R. Hoc discrimen notant, quod nempe justitia commutativa exercetur a cive ad civem, a privato ad privatum, et locum habet in contractibus ac in negotiis ad sociale commercium pertinentibus; servanda igitur in ea erit proportio rerum ipsarum nempe æqualitas rei ad rem, uti si v. g. debeas centum, reddas centum non attendendo nisi quod debetur, nullo habito per se respectu conditionis personæ: et hæc est proportio, vulgo *arithmetica*. — Justitia autem distributiva exercetur a Superiore ad subditum, et locum habet in distribuendis honoribus et oneribus, præmiis ac pœnis; ideo non habet respectum rei ad rem, sed rei ad personas, seu ad merita personarum; unde illi, qui habent merita uti quinque, si tribuantur decem nummi, illi cui sunt merita uti decem, tribui debent viginti: hæc proportio dicitur *geometrica*.

DISPUTATIO PRIMA

DE JURE.

CAPUT PRIMUM

DE JURIS NOMINE, DEFINITIONE ET DIVISIONE.

Q. 1. *Quid juris nomen indicat?*

R. *Juris* nomen ductum est vel a *jubendo*, quia continet quæ *jussa* sunt, id est legis *præcepta;* vel melius a *justitia*, quia continet ea quæ *justa* sunt, id est *recta*.

Ejus significatio multiplex est:

1. Significat illud omne, quod æquum est et bonum, ac rectæ rationi consentaneum. Quo sensu Terentius, ut adolescentes arceret a malorum con-

(1) 2, 2, q. 61, a. 1; et q. 185, a. 3. (2) S. Thomas, 2, 2, q. 80.

sortio, sic inquiebat: *quid cum illis agas, qui neque jus neque bonum et æquum sciunt?*

2. Significat scientiam ipsam æquiet boni. Quo sensu in hac scientia versatos *Jurisperitos* vel *Jurisconsultos* nuncupare solemus.

3. Ipsam collectionem legum ac regularum, quibus regitur homo tam in religiosa, quam in civili societate. Hoc sensu venit *Corpus Juris* tum *Canonici*, tum *Civilis*.

4. Ipsam judicis sententiam, vel locum ubi judicia fiunt. Quo quidem sensu dicitur judex *jus* dicere, et reus *in jus* vocari.

5. Rem ipsam, quæ rigorose ac stricte debita est. Hoc sensu res nostra dicitur *jus nostrum:* jus ita sumptum est justitiæ objectum.

6. Aliquid habendi et retinendi potestatem: quæ significatio ad ipsam Juris formam pertinet. Et hoc sensu hic a nobis accipitur (1).

Q. 2. *Quomodo definitur jus, atque dividitur?*

R. Jus *formaliter* acceptum (quod dicitur etiam *jus strictum*, seu *formale* communiter definitur: *legitima facultas ad aliquid:* id est ad aliquid habendum vel agendum; his namque duobus *habere et agere* omnis hominum absolvitur facultas et efficacitas.

Prima juris divisio est in *publicum* et in *privatum:*

1ª Est illud, quod pertinet ad regimen et utilitatem *totius Regni*, quodque ipsum afficit Reipublicæ corpus, non vero partes singulas, quibus constat: talia sunt jura de Sacris et Divinis rebus, de Sacerdotibus, de Magistratibus etc.

2ª Est illud, quod respicit utilitatem *singulorum civium*, et ejus materia sunt contractus, testamenta, tutelæ, etc. — Ab ipso *jure privato* altera oritur divisio nempe in *jus ad rem*, *et jus in re:*

Jus ad rem est legitima potestas, quam quis habet, ut res aliqua sibimet obligetur et sua fiat: ideoque adquiritur ante ipsius rei traditionem, et actionem suppeditat in personam, non vero in rem ipsam. Efficit nempe, ut persona citari possit ante judicem et per ejus sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat; non autem efficit, ut res ante judicis sententiam possit occupari. Sic v. g. si Titius horologium Cajo jam venditum alteri tradat, Cajus actionem habet in ipsum Titium, ut eum cogat ad horologium sibi tradendum. *Actio* autem hoc loco significat *jus prosequendi in judicio quod suum est, vel quod sibi debetur.*

Jus in re est potestas legitima alicui competens circa rem ipsam sibi jam obligatam et suam factam: ideoque adquiritur post rei ejusdem traditionem, et secum affert *actionem realem*, per quam ejus possessor potest a quovis detentore eam repetere, sibique vindicare. Sic in allato exemplo, si horologium Cajo non solum jam venditum, sed eidem etiam jam traditum fuerit et postea furto sublatum et a fure in alium emptorem transmissum, Cajus actionem habet *tum* in furem; *tum* in emptorem, *tum* denique in rem ipsam, ad quascumque manus tandem ea devenerit.

Quid (quæres) *requiritur ad adquirendum jus ad rem et jus in re?*

(1) *V.* Grotius, *De jure bell. et pac. in proleg.* § 12, ubi de juris nomine et significatione plura habet. — *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 486 *et seqq.*

R. Ut *jus ad rem* adquiramus, hoc unum necesse est et sufficit, videlicet *justus titulus.* — Ad *jus* autem *in re* requiritur et *justus titulus;* et *rei existentia;* et tandem *rei occupatio,* si nullius fuerit, vel traditio, aut *quasi-traditio,* si res in alterius dominio jam posita sit.

Species juris privati *ad rem* sunt *contractus* et *quasi-contractus:* de his erit in sequenti. — Nunc agemus de speciebus juris privati *in re,* seu de fontibus, ex quibus tale jus emanat.

A nobis enumerantur: *Servitus, usus, ususfructus, habitatio,* et *possessio.*

CAPUT SECUNDUM

DE DIVERSIS JURIS PRIVATI SPECIEBUS.

ARTICULUS I — DE SERVITUTE.

Q. 1. *Quid est servitus?*

NOTA: *servitutis* et *libertatis* vocabula non solum personis, sed ipsis etiam rebus aliquando conveniunt, cum hoc discrimine, quod persona dicitur *serva* et *non libera,* si dominum habeat; res autem dicitur *libera,* cum unum solum dominum habet, ita ut præter eum non teneatur præstare alteri commodum et utilitatem. Quod si alter præter ipsum dominum habeat jus a *re illa* percipiendi utilitatem quamcumque, tunc res ipsa dicitur *servire,* vel *servitute ligata.*

Insuper hæc servitus vel *passive* sumitur, et est ipsa rei subjectio in utilitatem alterius; vel *active,* et est jus quod quis habet in re alterius, ut sibi serviat: quo sensu hic accipitur. — His positis:

R. Servitus definiri potest: *jus in aliena re constitutum, quo dominus in re sua quidquam pati vel non facere cogitur in alterius rei vel personæ utilitatem.*

Dicitur 1, *Jus in re,* non in persona; si enim persona tantum obligaretur ad aliquid patiendum vel non faciendum, esset *obligatio,* sed non *servitus;* cujus naturæ proprium est rei adhærere, et sic in possessorem quemcumque cum re ipsa transire.

2. *Aliena,* nam res propria domino suo minime *servit:* quare quæ inde commoda atque emolumenta dominus percipit, *jure dominii* percipit, non *servitutis.*

3. *Quo dominus in re sua quidquam pati, vel non facere cogitur: pati* v. g. ut sinat aliquem aquam e suo fundo ducere: *non facere,* v. g. ut altius domum suam non ædificet. Unde servitus est diminutio dominii, cujus pars tollitur ab eo, qui servitutem debet, et accedit ad eum, cui ipsa debetur.

4. *In alterius rei, vel personæ utilitatem;* neque enim leges ullo modo permitterent hanc dominii immutationem, nisi adesset *vel* præsens, *vel* certo futura alicujus utilitas.

Q. 2. *Quotuplex est servitus?*

R. Ab ipsa definitione patet servitutem duplicem imprimis esse distinguendam, *personalem* nempe et *realem.*

Servitus *personalis* est quæ a re debetur personæ, uti sunt usus, ususfructus et habitatio.

Realis vero est quæ a re debetur alteri rei, v. g. ab uno prædio alteri prædio, et dicitur etiam *prædialis*. Ad hanc constituendam patet prædia duo requiri, quorum unum debet *servire*, et dicitur *serviens;* alteri vero servitus exhibenda est, et dicitur *dominans*.

Servitutes *reales* (de quibus hic agitur) multipliciter distinguuntur: nempe in *rusticas* et *urbanas*, *affirmativas* et *negativas*, *continuas* et *discontinuas*, *apparentes* et *non apparentes*.

Rusticæ sunt illæ, quæ prædiis seu fundis inhærent. *Urbanæ* sunt illæ, quæ inhærent ædificiis, quovis in loco positis.

Affirmativæ, quæ verbis affirmativis exprimuntur, obligant dominum fundi servientis ad permittendum, ut proprietarius fundi dominantis aliquid agat, v. g. aquæductum construat. *Negativæ*, quæ verbis negativis indicantur, obligant dominum fundi servientis, ut se abstineat ab aliquo peragendo in ipso, quod quidem perageret, si servitus non existeret, v. g. ab ædificio construendo, vel altius illud attollendo.

Continuæ sunt, quarum exercitium est vel esse potest continuum absque actuali hominis opera, v. g. cursus aquæ in fundo. *Discontinuæ*, quarum exercitium requirit actualem hominis operam, ut est aquam haurire e puteo in fundo existente.

Apparentes, quæ exterius conspiciuntur, uti aquæductus, fenestra. *Non apparentes*, quarum nullum signum exterius apparet, uti sunt servitutes *negativæ*.

Q. 3. *E quibusnam fontibus servitutes dimanant?*

R. Tres sunt fontes, unde servitutes dimanant. Est nempe:

1. *Naturalis positio locorum*: sic fundus, qui est in situ inferiori, tenetur recipere aquas effluentes e fundo, qui est in superiori: servitutes quæ sic manant, dicuntur idcirco *naturales*.

2. *Lex:* quo nomine venit etiam *sententia judicis*. Sic ob utilitatem publicam vel privatam lex præscribit regulas quoad viarum constructionem, aquarum deductionem, domorum ædificationem, murorum distantiam etc.: servitutes istæ dicuntur *legales*. Servitutes a lege statutæ et magis usitatæ, respiciunt aliæ murum et fossam communem, nec non jus fulcimenti; aliæ distantiam inter quasdam structuras, fossiones et plantationes, aliæ prospectum in fundo vicini: aliæ stillicidium; aliæ vero jus transitus et aquæductum.

3. *Conventiones:* possunt nempe vicinorum fundorum proprietarii (si lex, vel ordo publicus non obstet) secum convenire, ut unus fundus alteri serviat, et vicissim: en servitutes *conventionales*. *(A)* (*) Servitutes etiam usu acquiruntur, scilicet præscriptione decem annorum inter præsentes et viginti inter absentes in servitutibus *continuis;* et in discontinuis tempore immemoriali absque titulo vel decem annorum cum titulo inter præsentes et viginti inter absentes (*) (1).

(1) Ley 15, tit. 31, part. 3.

Q. 4. *Quot modis servitutes amittuntur?*

R. Triplici modo servitutes amittuntur (1).

1. Si amplius non inserviant (2) si tamen res reducantur ad primum statum, servitutes reviviscunt, nisi obstet præscriptio.

2. Si serviens et dominans prædium in dominium unius transeant; sane res sua nemini servit: et hoc dicitur *confusio.*

3. (*) Si usus non intervenerit, hoc est, si decem annorum usus non intervenerit inter præsentes et viginti inter absentes in servitutibus *urbanis*, dummodo libertatem aliquo facto adquisierit; at in *rusticis* non uso viginti annorum in *discontinuis* et immemoriali in *continuis*. Tunc, si agatur de servitutibus *discontinuis*, tempus currit a die, quo quis illis non fuit usus; si vero agatur de *continuis* tempus currit a die, quo aliquid contra illas actum est. (*) (3).

(**) Ad rem ait Vaulx.

Licet quidam hic distinguant inter servitutes mere reales continuas, quales volunt esse tigni immittendi, oneris ferendi, stillicidii, et similes, et inter discontinuas, quales ponunt servitutem itineris, viæ, actus: tamen hanc distinctionem alii merito improbant, cum omnes servitutes habeant causam continuam, licet exercitium interdum intermittatur, *l.* 14, *C. de servitutibus*, 28, *ff. eod. tit.* animoque perpetuo retineantur.

Cum autem proxima causa præscriptionis sit continua possessio, sciendum, eam aliter incipere in servitutibus affirmativis, id est in quibus tribuitur jus ad aliquid agendum circa rem alterius, ut est tigni immittendi, aquæductus, et similes; aliter vero in negativis, id est in quibus jus datur ad impediendum, ne quis aliquid agat, v. g. ne altius tollat domum, ne venetur in tali sylva, ne eruat lapides e tali fundo; nam in affirmativis incipit ab eo die, quo quis tali jure utitur bona fide, in negativis vero incipit ab eo die, quo quis prohibet vel impedit alterum, ne quid agat (*) (4).

ARTICULUS II — De usu et usufructu.

Q. 1. *Quid est usus?*

R. Usus solet definiri: *jus utendi rebus alienis, salva earum substantia tum quoad materiam, tum etiam quoad formam.*

Vocabulum *jus* significat facultatem, quæ competit *usuario* (sic nempe in

(1) Gury ponit quartum modum, nempe renuntiationem tacitam vel expressam proprietarii et elapsum statutum tempus. Comp. Theol. mor. Tract. de just. et jur. art. 3. Et hoc est conforme juri hispano. *V.* Ley 17, tit. 34, part. 3. N. E.

(2) *Por ejemplo:* si se seca el manantial de donde manaba el agua, si el campo que daba el paso queda inundado por un rio vecino: si la pared en que se tenia derecho de abrir ventanas se cae.

(3) *Por ejemplo:* una finca vecina me presta la servidumbre de un conducto de aguas; el propietario destruye los tubos y desvia el curso del agua; la prescripcion empieza á correr desde aquel momento; y si dejo pasar treinta años sin hacer reclamacion alguna, mi derecho quedará estinguido. Lo mismo puede decirse en el caso en que yo tenga ventanas que miren á la propiedad del vecino, si las mando tapiar yo mismo, y se conservan en este estado durante treinta años. — *V.* Ley 16 ibidem.

(4) Vallensis paratit. jur. canon. lib. II, tit. 26 § VI.

Scholis appellatur is, cui competit usus; ille autem, ad quem pertinet rei proprietas sive dominium dicitur *proprietarius*).

Illud *utendi* significat facultatem usuario convenientem extendi ad illa dumtaxat, quæ ad usum quotidianum sunt necessaria.

Verba *alienis rebus* indicant usum in rebus propriis consistere non posse; quilibet enim in rebus suis non usum tantummodo, sed dominium quoque habere dicitur.

Additur, *salva earum substantia;* alioquin non esset usus, sed abusus. Ex quo sequitur, usuarium non posse ne in meliorem quidem formam rem, cujus usum consecutus est, immutare. Et ideo sunt posita ea verba: *tum quoad materiam tum etiam quoad formam.*

Sed (quæres) *an usuarius possit usum suum alienare?* Usuarius non potest alteri locare, vendere aut donare jus suum; usus enim in eo consistit, ut quis re utatur pro mensura tantummodo suæ necessitatis. Excipe nisi clare appareat ipsi talem facultatem fuisse concessam: nam usus ab ipsa conventione primum sustinetur.

Q. 2. *Quid est ususfructus?*

R. Ususfructus, prout hic accipitur, est *jus utendi, et fruendi aliqua re, fructus ex ea percipiendi eo ipso modo, quo perciperet ipse proprietarius; salva tamen ejus substantia tam quoad materiam, tum etiam quoad formam, sicut in usu.*

Differt ab usu in hoc, quod latius pateat; nam *uti simpliciter* est fructus dumtaxat necessarios ad usum quotidianum percipere (1). Sic v. g. si quis habeat usum alicujus horti, potest quidem fructus ab eo suscipere pro se et suis, sed non potest eos alienare et extraneis elargiri; potest autem si ejusdem habeat usumfructum. Ille cui competit ususfructus, dicitur *fructuarius.*

Nomine *fructuum* generatim intelligitur illud omne, quod res fert vel producit; fructus enim dicti sunt a *ferendo.*

Et sunt alii *naturales,* qui ex re ipsa, et *solius naturæ beneficio* producuntur: uti herba, poma, nuces; item fœtus animalium, et quæ ab ipsis proveniunt, cum habeantur uti pars viscerum.

Alii *industriales,* in quibus hominis quoque labor et industria partem habent: uti sunt v. g. frumentum et segetes. Hos Theologi appellant *mixtos;* quia et partim *natura,* et partim *humanæ industriæ beneficio* producuntur.

Alii mixti, qui partim a natura, partim ab industria habentur, uti sunt oleum, vinum, caseus, etc.

Alii tandem *civiles,* qui proveniunt tantummodo *occasione rei,* et vi obligationis particularis in jure civili fundatæ: v. g. pretium domus locatæ, pensiones fundi, usuræ pecuniæ mutuo datæ, etc.

Fructus ipsi *naturales* et *industriales* dividuntur in *nascituros,* et *natos,* isti item in *pendentes,* et in *perceptos;* et isti adhuc in *extantes,* et in *consumptos* dividi solent.

(1) Illud tamen *ad usum quotidianum* non sic oportet intelligi, quasi non aliud liceat, quam quæ singulos in dies sufficiant. *Recte quippe,* ait Dettori, *simul ac semel accipit, quæ sibi in annum necessaria sint, quamvis universos parvi fortasse prædicti fructus inde absumi contingat.*

Q. 3. *Quotuplex est ususfructus?*

R. Duplex est usufructus divisio.

Prima est in usumfructum *proprium* et *improprium*. Ille constituitur in rebus, quæ usu minime consumuntur, uti sunt v. g. domus et hortus. Iste vero constituitur in *rebus fungibilibus*, ut vocant, quæ nempe usu consumuntur, uti sunt v. g. panis, vinum et oleum. Usufructus improprius dicitur etiam *quasi usufructus*.

Altera divisio est in usumfructum *singularem*, idest quarumdam rerum in specie; in *particularem*, idest alicujus partis bonorum; et *universalem*, in quo bona omnia continentur.

Q. 4. *Quot modis constituitur usus, et usufructus?*

R. Usus et usufructus constituitur et *lege* et *voluntate hominis:*

1. *Lege:* (**) in favorem Patris in bonis adventitiis filiorum (1) in favorem ejusdem in dimidio bonorum filii emancipati (2) per auctoritatem judicis in judiciis partitionis hæreditatis (3) per præscriptionem. Ita jus Romanum (4) (*).

2. *Voluntate hominis*, v. g. vi conventionis, donationis, testamenti (5).

§ I—*De juribus et oneribus usuarii et fructuarii.*

Q. 1. *Quænam sunt jura usuarii?*

R. Usuarius jus habet a re sibi in usum tradita percipiendi, quæ ad usum quotidianum sibi et familiæ sunt necessaria, non exclusis filiis nasciturus. Hæc autem necessitas metienda est juxta conditionem, statum et dignitatem ipsius usuarii, et ejus familiæ.

Q. 2. *Quænam sunt jura fructuarii?*

R. Hæc habet jura fructuarius *in genere*, seclusa conventione:

1. Jus habet, ut possit fructus omnes percipere sive *naturales* sive *industriales*, eosque suos facere, sive collegerit per se, sive per alios. Collecti intelliguntur, cum a solo, vel a re fuerint separati; hinc si fructuarius moriatur, fructibus quidem maturis, sed nondum a solo vel a re separatis, fructuarii hæredis non sunt; sed rei proprietarii. Quod si hæres iste, fructuario jam morituro, fructus immaturos collegerit, tenetur eos proprietario restituere; nam neque ipse fructuarius poterat fructus immaturos colligere.

2. Jus habet in ea omnia, sine quibus usufructus haberi non potest. Quare jus itineris habet ad rem fructuariam per fundum hæreditarium, si aliunde non pateat aditus. Item jus utendi servitutibus omnibus fundo inhærentibus; quia habentur tamquam qualitates fundi ipsius. Item jus habet in singula fundi instrumenta, nisi contraria appareat testatoris voluntas; non

(1) Leg. 6, l. ult. c. de bon. quæ lib. § 1, infr. per quas pers.

(2) D. l. 6, § 3, Cod. et § infr. d. t.

(3) L. 6. § 10, com. div. l. 16, § 1. fam. esc. l. 6, § 1. h. t. § 4, infra de off. judic.

(4) L. ult. in fin. c. de præsc. long. temp. En España se constituye por contrato ó concesion por última voluntad; por la prescripcion ordinaria; y por el juez en los juicios divisorios. *Ley* 30. tit. 31, part. 3; y ley 10, tit. 15, part. 6. N. E.

(5) L. 11. D. de servit. præd. rust. N. E.

enim præsumendum est testatorem voluisse, ut fructuarius sibi instrumenta compararet pro fundo, quo ad tempus tantummodo usurus sit.

3. Jus habet, ut possit fructus vendere, donare, locare, imo et pignori tradere, nam qui per alium fruitur, per se frui ipse videtur.

4. Jus habet utendi mediis, quibus suum usumfructum tueatur. Quare datur eidem *actio* tum adversus eos, qui usumfructum impediunt; tum adversus eos, qui fructus perceperint, ut eos restituant.

Q. 3. *Quænam sunt onera usuarii?*

R. Usuarius tenetur:

1. Rem, cujus habet usum, integram diligenter servare proprietario; nam ipse non habet jus ea utendi, nisi *salva ejusdem substantia.*

2. Tenetur percipere fructum, qui cum ipso usu conjunctus sit et proportionatus, non vero distinctus; quia solus usus ei conceditur. Sic si usuarius initio anni acceperit quæ sibi necessaria sunt ad integrum annum, et ante anni finem decedat, illius hæredes restituere debent id quod superest.

3. Tenetur præstare cautionem de re utenda instar boni patrisfamilias, nec potest jure suo uti, nisi inventario bonorum confecto.

4. Tenetur pro ratione fructuum ad modicas refectiones, atque ad ordinaria tributa.

Q. 4. *Quænam sunt onera fructuarii in genere?*

R. Onera fructuarii in genere ad hæc revocari possunt:

1. Ut rem debeat restituere proprietario in illo statu, in quo eam accepit. Ideo initio ususfructus fieri debet inventarium rerum mobilium, et descriptio status rerum immobilium, quæ in usumfructum cedendæ sunt, non obstante quacumque dispensatione testatoris.

2. Ut rebus iis tam mobilibus quam immobilibus fruatur tamquam bonus paterfamilias. Et idcirco tenetur cautionem præstare *de bene utendo*, nisi eum dispenset *aut* titulus ex quo ususfructus ipse dimanat, *aut* lex. Sic lex dispensat patrem et matrem circa usumfructum in bonis filiorum: item venditorem aut donatorem, si contractus sit initus sub conditione ususfructus.

5. Tenetur tributa *ordinaria* persolvere, et reparationes item ordinarias peragere, ac tandem abusus et damna omnia præcavere.

(**) Sub usum et usumfructum non veniunt res unico actu consumptibiles, ut vinum, oleum, panis etc... quia per talem usum non manet salva rei substantia.

Usufructuarius facultatem habet percipiendi quidquid in fundo nascitur, sicut segetes, fœnum, fructus arborum, etc.: ad ipsum quoque pertinet proventus piscationis, fœtus animalium, eorum lana et lac etc. Item potest in sylvis certam lignorum portionem cædere, quam paterfamilias cædere solet. (*) (1).

§ II — *De modis, quibus usus et ususfructus extinguitur.*

Q. *Quot modis usus et ususfructus extinguitur?*

R. Usus et ususfructus, prout diverso modo, *lege* nempe et *conventione*, constituitur, et modo diverso extinguitur.

(1) Gury Com. Theol. Mor. tract. de just. et jur. n. 584.

(**) Quantum ad extinctionem usus et ususfructus generatim, id est tam *lege* quam *conventione* constituti, en jus Romanum (1). «Finitur autem usus et ususfructus morte usufructuarii et duabus capitis diminutionibus, maxima et media, et non utendo per modum et tempus: quæ omnia nostra statuit constitutio. Item finitur ususfructus, si domino proprietatis ab usufructuario cedatur, (nam cedendo extraneo nihil agitur) vel e contrario, si usufructuarius proprietatem rei acquisierit; quæ res consolidatio appellatur. Eo amplius constat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu; vel vitio suo corruerint, extingui usumfructum et ne areæ quidem usumfructum deberi» (*).

1. *Morte usuarii, et fructuarii;* quum enim tam usus quam ususfructus sint jura personalia, morte ejus cui competunt, extingui debent. Quid (inquies) si usus et ususfructus Civitati vel Collegio relictus sit? Extinguitur elapsis centum annis (2) jure Romano, cui est consonum jus hispanum.

2. *Finito tempore, si quod fuerit constitutum:* res per se patet. Si tamen sit concesus usquedum aliqua determinata persona ad talem ætatem pervenerit et ante moriatur, ususfructus nihilominus perseverat usque ad præfinitum tempus.

3. *Consolidatione,* quum nempe usuarius vel fructuarius rei ipsius proprietatem consequuntur atque dominium.—Item *renuntiatione,* quæ tamen si sit fraudulenta, poterit invalidari.

4. *Non usu*: videlicet si usuarius et fructuarius neque per se neque per alium spatio ad præscriptionem determinato, jure suo utantur, et interim utatur proprietarius.—Item *ejusdem abusu,* quo res fiat deterior culpa utentis.

5. *Totali rei interitu:* ratio est: usus et ususfructus sunt *jura in corpore,* quo sublato, et ipsa tollantur necesse est.

Diximus *totali;* nam si *partialiter* tantum perit, sustinetur in eo, quod remanet, ususfructus.

Qui modi quibus ususfructus extinguitur, hisce versiculis exprimi breviter possunt, memoriæ juvandæ causa:

Temporis, utentis, rei, usus finis, abusus;
Proprietas si erit, explicit ususfructus et usus (3).

(1) Inst. lib. II, tit. 4, n. 3.

(2) L. 56. D. de usufructu.

(3) En España el usufruto se acaba por muerte natural del usufructuario; por la muerte civil, esto es, por el destierro perpetuo ó la deportacion; por prescripcion; por la enajenacion del derecho de usufructuar; por la consolidacion ó la reunion en una misma persona de las dos calidades de usufructuario y propietario; por la pérdida ó destruccion total de la cosa en que estaba constituido el usufruto; por la renuncia ó remision; por espiracion del tiempo para que fué concedido; y por la resolucion del derecho del que confirió el usufruto.

El padre pierde el usufruto legal que tiene en los bienes adventicios del hijo, primero, si entrare y profesare en alguna órden religiosa; segundo, si por disipador se le quitase la administracion de los bienes del hijo; tercero, si por algun delito se le impusiere la pena de presidio, etc.; cuarto, si fuere emplazado por edicto en virtud de algun delito y condenado en rebeldía; quinto, si emancipare al hijo, bien que en este caso tiene el derecho de reservarse la mitad del usufruto hasta que el hijo se case; y sexto, si el hijo contrajere matrimonio. V. leyes 24, 25 y 26. tit. 31, part. 31; ley 3ª, tit. 8º, part. 5ª: ley 15, tit. 18, part. 4ª.

ARTICULUS III—De habitatione.

Q. *Quid de habitatione dicendum occurrit?*

R. Habitatio est *jus alienas ædes habitandi, salva earum substantia.* Qui inhabitandi jus habet una cum familia habitare potest, licet postea matrimonium contraxerit; sed non poterit hoc jus alteri cedere, vel locare.

Quoad onera autem; qui totam habitat domum, tenetur ad omnes necessarias et ordinarias expensas; qui partem tantum habitat, tenetur pro rata rei. Cæterum nisi alia sit conventio, habitatio constituitur, regitur et extinguitur eodem modo, quo usus et usufructus (1).

ARTICULUS IV—De possessione (2).

Q. 1. *Quid est possessio?*

R. Possessio sic dicitur, quasi nempe sit vel *positio pedis*, vel *positio sedis*, vel *sessio cum potestate*, vel *potentia*. Ea autem poterit definiri, ut sit: *legitima rei detentio.*

Quamvis possessio ordinarie cum proprietate soleat confundi, differt tamen: sane potest quis rem possidere, quin sit proprietarius illius, aut e contra. Scilicet *possessio* est jus, quo rem detineo uti meam; *proprietas* vero, seu *dominium* est ipsum jus, quo res est mea, atque ego sum dominus ejus.

Q. 2. *Quod modis acquiritur possessio et deperditur?*

R. 1: Possessio generice adquiritur apprehensione *vera, ficta, legali.*

Quando res est nullius, ut sunt pisces maris, ad eam adquirendam requiritur apprehensio *vera.*

Quando res est alicujus, qui vult alteri tradere possessionem suam, sufficit apprehensio *ficta*, ut si tradantur claves domus.

Quando vero res habetur sola juris dispositione absque corporis et animi adminiculo, dicitur *legalis:* hoc sensu hæres, etsi nesciens, possidet possessionem defuncti testatoris.

R. 2: Deperditur possessio pluribus modis: nempe *facto nostro*, ut si rem abjiciamus: *facto alieno*, ut si eam quis jure occupet; *casu*, ut si in incendio pereat; *lege ita disponente:* sic lex statuit, ut quorumdam animalium possessio per fugam amittatur (3).

Q. 3. *Quomodo dividitur possessio?*

R. Præcipue dividitur possessio in possessionem *facti*, et *juris.*

1. Possessio *facti* recte definiri potest: *rei detentio corporis, animi, et juris adminiculo.*

Dicitur 1, *rei,* quo nomine intelligimus non solum res corporeas; sed etiam incorporeas, uti sunt census, patronatus etc. quæ quidem a Theologis dicuntur *possideri*, a Jurisconsultis autem *quasi possideri*, ad discrimen rerum

(1) Pro Hispan. vide, ley 27, tit. 31, part. 3.

(2) *V.* Anacletus, *Jus Canon. Univers.* L. 2 decret. *Tit.* 12.

(3) *V.* Roncaglia, *Theol. Mor. Tr.* XIII. — Et *Ap. ad Compend. Theol.* Suarez.

corporearum, quas et ipsi *possideri* docent; —2, *corporis adminiculo*, quia ut res aliqua possideatur, debet actu aliquo corporali apprehendi; v. g. manibus, pedibus, oculis et similibus; — 3, *animi*, quia res ut possideatur, debet apprehendi animo illam habendi uti suam; — 4, *juris*, idest jure non resistente neque impediente (1); quia ad possessionem requiritur, ut jus seu leges non impediant, quominus detentio rei censeatur vera ejusdem possessio (2).

2. Possessio autem *juris* definitur: *jus insistendi rei tamquam suæ non prohibitæ possideri.*

Dicitur 1, *jus*, per quod differt a *possessione facti*, quæ est ipsa occupatio rei vel ejus detentio, ex qua vel oritur jus, si sit *justa:* vel non oritur, si *injusta* sit;—2 *insistendi rei*, id est rem pacifice detinendi, et juris remediis (interdum etiam armis ubi fuerit opus) eam tuendi contra perturbatores;— 3 *tamquam suæ*, nam siquis insistat rei nomine alieno, non erit *vera* possessio. Sic v. g. tutor dici non potest possidere bona minoris, sed minor ipse possidet per tutorem; quia tutor non retinet illa bona *tamquam sua*, sed nomine minoris;—4 *non prohibitæ possideri*, id est nulla lege resistente atque impediente, uti dictum est *de possessione facti* (3).

Q. 4. *Quinam sunt effectus possessionis?*

R. Privilegia, seu effectus possessionis communi acceptione sunt:

1. Possessio parit præscriptionem, et dominium possidenti acquirit, si ea habeat conditiones requisitas;—2 in dubio, an quis sit rei dominus, melior est conditio possidentis;—3 possessor non tenetur probare rem esse suam, possessio enim parit præsumptionem dominii;—4 turbatus in possessione, in ea est restituendus prius quam de possessionis justitia agatur.

(1) Hinc patet nos loqui de possessione justa, atque bonæ fidei, neque enim jura favent ei qui mala fide rem possidere attentat, vel contra legum dispositiones.

(2) Sic v.g. detentio rei sacræ quæ fit a laico, ne *possessio* quidem *facti* dici potest: quia jus talem possessionem impedit.

Contra detentio rei furtivæ profanæ penes furem est vera *possessio facti;* quia jus non impedit quominus talis rei detentio sufficiat ad possessionem.

(3) Possessio solet etiam dividi in *naturalem, civilem*, et *civilissimam*.

Prima est detentio rei vel sine animo eam sibi habendi, et talem habet creditor pignoratitius in pignus; vel cum animo eam sibi habendi, sed sine titulo: et hanc habent fures. — Secunda est detentio rei cum animo eam habendi fundata in aliquo titulo. — Tertia est detentio rei sine ullo actu vero, sed ficto. *V.* Alasia, *Comment. T.* IV, *pag.* 48. *Edit. anni* 1830.

DISPUTATIO SECUNDA

DE DOMINIO.

CAPUT PRIMUM

DE DOMINII DEFINITIONE, ORIGINE, ET DIVISIONE.

ARTICULUS I—De dominii definitione et origine.

Q. 1. *Quid est dominium?*

R. Dominium generalissima sua significatione sumptum est *jus gubernandi vel disponendi de aliquo:* ex quo habetur dominium tum jurisdictionis tum proprietatis; primum est *actualis potestas gubernandi subditos in ipsorum commodum, præcipiendo, prohibendo, judicando:* secundum, de quo hic agitur est potestas in re, et duplex est, nempe vel *publicum* seu eminens et altum; vel *privatum* seu humile, uti ajunt, et vulgare. Dominium publicum definiri potest *facultas quæ convenit Reipublicæ disponendi de bonis subditorum, sic exigente bono publico:* hæc autem exigentia vera sit oportet: neque enim Respublica est bonorum ac civium domina, sed potius curatrix ac vindex: ideo modus servandus est in hac exercenda potestate, ut neque fines necessitatis excedat, neque id sine retributione fiat, neque acceptionem personarum includat, ita ut plus ab uno quam ab alio extorqueatur: cum omnium civium atque cætuum bona sacra sint (1)?

Dominium vero privatum, quod dicitur etiam *proprietas*, definiri solet: *jus disponendi pro arbitrio de re tamquam propria, nisi lege, conventione vel testatoris voluntate prohibeatur.* Dicitur:—1 *jus* seu facultas quæ vox locum tenet generis; jus enim tam exerceri potest in personam, quam in rem;—2 *disponendi*, propria nempe auctoritate non ex alterius commissione;—3 *pro*

(1) «El derecho de propiedad (ad rem Gousset n.° 674) es un derecho sagrado; nadie puede ser obligado á ceder su propiedad sino por utilidad pública y mediante una justa y previa indemnizacion. Lo que se llama el alto dominio, el derecho eminente del príncipe, *jus altum*, no es un derecho de propiedad, un dominio propiamente dicho: no es mas que un derecho de administracion, el derecho de ordenar ó prescribir lo que conviene al bien general, establecer sobre los bienes de los particulares las contribuciones necesarias para sostener las cargas públicas, é imponer penas mas ó menos graves segun la gravedad de los delitos. El poder pertenece al Rey y á los que gobiernan; la propiedad á los ciudadanos: *ad Reges potestas omnium pertinet*, dice Séneca *ad singulos proprietas.* Napoleon primero decia al consejo de Estado en 1805: *la propiedad es inviolable; con toda la fuerza de mis armas no podria posesionarme de un campo, porque violando la propiedad de uno se viola en todos.* Y Bossuet decia: *el derecho contra la iniquidad y la fuerza es immortal.*—*V. Avvedimenti politici* cap. 20.—Riccardi, *gemiti della Chiesa di Spagna*, Convers. 2.

arbitrio, id est ad omnem usum, rem videlicet vendendo, donando vel etiam destruendo sine causa (est tamen improbandus qui re sua abutitur; quia, esto quod non offendat justitiam commutativam, non tamen publicæ et privatæ utilitati studet; *expedit enim Reipublicæ, ne sua re quisque male utatur*) (1);—4 *de re tamquam propria*, ut dominium distinguatur a nuda possessione etiam legitima; sæpe enim contingit, ut quis habeat possessionem rei, cujus tamen non habet dominium, ut illa uti possit tamquam sua, uti patet v. g. de pignore;—5 *nisi lege;* sic minoribus non permittitur rerum suarum alienatio, nisi ex justa causa, et servatis quibusdam solemnitatibus; et tunc non aufertur dominium, sed impeditur tantum illius usus: sicuti ligatis pedibus impeditur ambulatio actualis, sed non tollitur ambulandi potentia;—6 *conventione* esset si venditorem inter et emptorem conventum sit, ut emptor re empta non utatur, nisi post certum diem;—7 *vel testatoris voluntate*, esset si testator fundum legasset alicui ea conditione, ut illo non utatur nisi post annum.

Dominium hoc, quod scilicet quisque privatus habet in rebus suis, vel *plenum* est, vel *non plenum*. *Plenum* est jus disponendi de re simul, et de ejusdem usu: *non plenum* est jus disponendi de re, vel de ejusdem usu; non vero de utroque simul: quare istud dividitur in *directum* et *utile*. Videlicet vel continet solum rem seu proprietatem: et dicitur *directum*, quasi directe rem ipsam, sive ejus proprietatem afficiens. Vel non continet, nisi rei usum et emolumentum, et dicitur *utile:* sic in usu et usufructu dominium directum habet dominus, utile habet usuarius et fructuarius.

Q. 2. *Unde repetenda dominii seu proprietatis origo?*

R. Dominii origo patebit ex sequenti Scholio:

Scholium—*Communismus.*

Errorem vetustate jam exoletum, quo quidam olim prædicabant *omnia bona esse in mundo communia* (2), ab inferis revocare ausa est ætate nostra et nova quasi veste indutum evulgare recens quædam impiorum hominum secta *Communismi* nomine designata. In Helvetia primum exorta videtur (an. circiter 1841), ac dein in alias quoque regiones, præsertim Germanicas effusa. Ejus porro solemne effatum est *bonorum et rerum communionem in jure naturæ fundari, et ideo nullum dominium, nullumque jus proprietatis in humana societate esse admittendum.*

Communismus impudentissimum habuit in Gallia patronum Proudhonium quemdam, (hujus opera omnia quocumque idiomate prohibuit S. C. Indicis 22 Januarii 1852), qui eo temeritatis devenit atque dementiæ, ut dicere non

(1) *Inst.* l. I, tit. 8, § ult.

(2) Communismum primo professi sunt Waldenses, dein Albigenses, Anabaptistæ, aliique ejusdem furfuris Hæretici (vid. Villegardelle, *Histoire des Idées Sociales*). Thomas Morus Lovanii librum edidit (ann. 1516) in quo Communismum ad systhema reduxit: ejus doctrinas quasi ex integro tradidit et in Italiam induxit circa medium sæculum XVII Thomas Campanella (V. *Histoire du Communisme* etc. *par Alfred Sudre:* Paris 1850. *V.* etiam Bergier, Dizionario Append. *V° Comunismo*).

erubuerit *jus proprietatis in civili societate nihil esse aliud, quam ipsum furtum.*

Monstrum hoc adeo exitiale et truculentum Apostolico anathemate a Petri cathedra percussit Pius IX Pontifex M. in sua prima Encyclica ad omnes Orbis Catholici Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos data, in qua *Communistarum* doctrinam apertis verbis declarat *infandam ac vel ipsi naturali juri maxime adversam.*

Sit ergo:

PROPOSITIO.

Dominium seu jus proprietatis in Scriptura et natura ipsa fundatur.

Prob. 1.ª *pars:* vel ipsi primi mundi habitatores (Adamo et Heva a paradiso per peccatum ejectis), exhibentur nobis a Moyse dominio seu jure proprietatis jam legitime præditi.—Sic Abel factus *pastor ovium* et Cain *agricola* (1) uterque fructus e proprio labore provenientes faciebat *suos,* et de substantia *propria* offerebat *munera Domino* juxta illud: *honora Deum de tua substantia* (2).—Lot etiam et Abraham habebant *greges ovium et armenta et tabernacula utique propria.* Imo, sacro textu dicente, *non poterat eos capere terra ut habitarent simul; erat quippe substantia eorum multa* (3): ex quo ad rixas vitandas et jurgia præcavenda facta est inter eos bonorum divisio, quam Dominus ipse approbavit.

Quid multa? integer Pentatheucus et cæteri libri omnes tum veteris tum novi Testamenti quot non abundant legibus pro singulorum proprietatibus regendis, custodiendis, et conservandis, pro tuendo unicuique jure suo in societate, pro avertendo a cujuscumque substantiis quolibet damno, pro indemnitate in iisdem servanda? Uno verbo nonne in utroque Testamento fundatur præceptum de furto non patrando: *non furaberis: non furtum facies?* Sed quomodo hoc Sacrarum Ltiterarum præceptum esse vel concipi nempe poterit, nisi in Sacris Litteris plane fundari dicatur *jus proprietatis?*

Prob. 2.ª *pars:* in ipsa natura plane fundatur humana Societas: ergo in ipsa natura plane fundatur etiam dominium, seu *jus proprietatis.* Stat consequens, si cum humana societate dominium seu jus proprietatis ita cohæreat, ut illa sine isto esse non possit; atqui profecto res ita se habet: tolle enim dominium seu *jus proprietatis,* et cito nullam amplius Societatem habebis, et homines conspicies perductos ad brutorum conditionem, huc illuc in sylvis errantes et palabundos leonum instar atque luporum, quales barbare in deliciis habuit eos contemplari anteacto sæculo genevensis Philosophus in suo *pacto sociali* (4). Sublato enim dominio seu jure proprietatis, quis amplius commerciis, quis domorum ædificiis, quis scientiarum, quis artium, quis litterarum studiis, quis agrorum etiam culturæ ullam amplius navaret operam, si fructus inde profecturi non sibi nec suis, sed omnibus indiscriminatim hominibus, exteris etiam et incognitis, imo et

(1) Genes. 7. (2) Prov. 3. (3) Gen. 13.

(4) *V. L' Emilio disingannato, Dialoghi Filosofici del Conde Alfonso Muzzarelli.*

inertibus, otiosis, sceleratis et improbis cedere omnino debent? *Si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas*, inquiebat Angelicus (1).

Hinc merito concludit Pius IX in Encyclica sua, quod *semel admissa doctrina* (Communistarum), *omnia jura, proprietates ac vel ipsa humana societas funditus everterentur*. Sane si *consensus omnium gentium naturæ ipsius vox est*, uti vel ipsi Philosophi Gentiles suis in effatis habebant, quæ natio, quæso, qui populus, quæ gens poterit adsignari, ubi non vigeat dominium seu *jus proprietatis*? ubi non adsint leges *proprietatum* custodes et directrices? ubi furtum non graviter vetetur et puniatur? ubi uno verbo non habitum semper fuerit et adhuc non habeatur ut sacrum et inviolabile *meum* illud et *tuum*? Ergo etc. (2).

Sed in ipsa natura (inquies) *illud fundari non potest, quod dotem in hominibus naturalem extinguit; atqui tale est dominium, seu jus proprietatis*. Prob. min.: *natura ipsa fecit omnes homines inter se prorsus æquales; atqui hanc æqualitatem extinguit dominium seu jus proprietatis. Quare merito inquiebat S. Clemens Papa: per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, et alius illud; et sic inter mortales facta est divisio* (3).

R. Nego min. ad primum argum.: et dist. min. ad secundum: natura ipsa fecit omnes homines inter se prorsus æquales, *ratione originis et destinationis*, conc.; secus, nego. Natura porro ipsa omnes quidem homines fecit æquales eo sensu quod habeant æqualem *originem* et *destinationem;* omnes enim mentem acceperunt intelligentia et ratione præditam; omnes eumdem conditorem habent: omnes ad eamdem felicitatem *destinati* sunt, ita ut universum genus humanum sit veluti ingens familia per totum orbem diffusa, cujus omnia membra ejusdem naturæ cognatione quasi quodam fraternitatis vinculo sub eodem Patre et rerum omnium Moderatore Deo O. M. colliguntur. Sed natura non fecit homines æquales quoad conditiones privatas et individuales; hæc enim æqualitas stare nequit cum humana societate, quæ ab ipsa natura prorsus enascitur (4).

Ad auctoritatem autem allatam facilis est responsio, dicendo sensum S. Clementis non esse quod rerum divisio fuerit in se inhonesta et peccaminosa; sed quod inducta fuerit occasione peccati, tum *originalis*, quod nisi præcessisset, necessaria non fuisset rerum divisio, cum singuli habuissent absque labore ad vitam necessaria; tum etiam peccatorum *actualium*, quæ merito timebantur absque illa divisione.

Si res ita est, quomodo explicatur primæva dominiorum origo?

R. 1. Docuere Scriptores nonnulli dominia, seu *proprietates* primum inter homines prodiisse a quodam pacto, quod vocant *sociale*.

Hos nempe tres humanæ historiæ gradus ac quasi periodos confingunt:

(1) 2, 2, q. 66, a. 6.

(2) *V.* Libr. *Della proprietà di A. Thiers, versione italiana,* Milano 1849, in quo cap. 5, ex absurdis ostendit quantum humanitati Communismus adversetur, inquiens: *El Comunismo destruye el trabajo, suprime la libertad, y si es consecuente, debe abolir la familia.*

(3) C. *dilectissimi* Caus. XII, q. 1. c. 2.

(4) *V.* Gerdil. *Dell' uomo sotto l' impero delle leggi.* — It. Haller, *La Ristaurazione della Scienza Politica*, Foligno 1847. — It. Bonald, *La Legislazione primitiva.*

1. Quod homines *ab initio* fuerint ac vitam egerint absque ulla vel minima inter se invicem relatione.

2. Quod pertæsi *deinde* incommodorum, quibus in eo statu erant obnoxii, decreverint esse in societatem simul una et perpetuo coëundum.

3. Quod *tandem* societatis ejusdem vincula atque conditiones fundamentales et irrevocabiles constituerint. Inter has vero conditiones illam dicunt præcipuum habuisse locum, ut singuli aliquam partem naturalis suæ libertatis amitterent et pro bono publico in unam personam vel in unum personarum cœtum conferrent, ut sic oriretur atque constitueretur aliquod Superioris imperium, seu *dominium*, ut dicunt, *jurisdictionis* (sine quo penitus perspexerant Societatem stare non posse), et simul induceretur conditionum inæqualitas, vi cujus distinguerentur etiam rerum et bonorum proprietates.

Nobis hæc hypothesis probari nullimode potest, quia status ille *naturæ* sylvestris (in sensu supra exposito) non est, nisi putidum imaginationis figmentum, quod nostra quidem ætate fastidiose et sesquipedalium verborum apparatu commendant sophistæ fere omnes. Adversatur nempe genuinis historiæ monumentis et præsertim S. Scripturæ. Et sane: consulatur historia Moysis, et cito patebit, quam status ille falsus sit et absurdus. Imo adversatur ipsi etiam naturali rationi. Quis enim sanæ mentis credat hominem, quem Deus minuit *paulo minus ab angelis* (1), vix conditum more belluino vixisse? (2).

Quapropter narratiunculis hisce posthabitis:

R. 2. Circa primævam dominiorum originem sententiam nostram sic explicamus, habita semper præ oculis historia Moysis. Res omnes ab initio fuisse communes ultro fatemur, dicente Sacra Pagina: *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum* (3); sed vix crescente mortalium numero, ipso naturali jure compellente, necesse fuit a prima illa rerum communione pedetentim discedere, quia aliter vitæ conservationi et securitati consuli non poterat, neque ingeniorum malitiæ se in dies exerenti occurri, neque discordiæ et rixæ evitari, *quæ in re communi immensæ solent oriri* (4), uti probavit exemplum Lot et Abraham jam supra prolatum; neque ullus ordo in rebus servari, cum, experientia teste, constet *communiter negligi quod communiter possidetur* (5).

Quædam itaque rerum divisio induci cœpit, ita ut quæ quisque sibi sumpsisset eo animo, ut illa conferret ad usus suos, et alios ab usu et dominio illo prohiberet, v. g. domus a se constructæ, agri a se culti, jam *sua* dicerentur et *propria* cum aliorum exclusione. Sic Abel *pastor effectus* ovile sibi fecit *proprium* et *proprias* oves: sic Cain *factus agricola* habuit *proprios* campos et eorumdem proventus: sic Henoc habuit *propriam* domum, imo et civitatem, quam ædificaverat, et donavit nomine filii sui: sic Abraham (6)

(1) Psal. 8.

2) Quis credat obsoletis illis Græcorum fabellis, quibus fertur Orphæus quidam Poeta Thracius *saxa ferasque lyra movens primus omnium sylvestres homines, cædibus et victu deterruisse,* eosque sic ad vitæ communionem vocasse?

(3) Psalm. 13.

(4) Dig. de servit. præd. urb. c. 26.

(5) Dig. l. *quando et quibus quarta pars*, c. 2.

(6) Genes. 13.

factus est dives in possessione auri et argenti (1).

At hæc (repones) *explicant quidem factum, seu historiam inductæ proprietatis, sed non explicant proprie dictum ejusdem jus, quod erat inquirendum; semper enim restat definiendum quomodonam, posita primæva rerum communione, quis potuerit sine læsione juris communis, rem aliquam sibi apprehendere animo habendi ut suam cum aliorum exclusione, nisi isti aliquo saltem modo consentirent.*

R. Ex facto historico vero et ineluctabili, prout nobis fuit expositum, facili modo deducitur etiam ipsum *jus*, si sic velimus argumentari: ratio ipsa nos docet nasci hominem ad societatem, uti Philosophi omnes tueri solent et demonstrare in Ethica: hoc sensu Philosophorum ille facile princeps S. Thomas hominem appellabat *animal sociale et politicum in multitudine vivens* (2). — Jam vero lumen ipsum naturale post Adæ peccatum in tanta hominum multitudine indicavit rerum divisionem et *jus proprietatis* non solum esse medium utile et expediens, sed etiam omnino necessarium ad communem quietem et pacem, atque ad integræ societatis vitam et conservationem. — Si porro natura voluit finem, medium quoque voluisse dicenda est; alioquin sibimet contradixisset, quod est absurdum (3). Quare sic recte inquiebat de Lugo: *natura homines induxit in mundum quasi in domum opibus refertam, ut singuli sibi acciperent, et accipiendo facerent sua ea, quæ ante erant communia omnium: sicut ligna cædua communia, antequam cædantur sunt in dominio Communitatis; post cæsionem vero sunt propria cædentis* (4).

Ad argumentum vero desumptum a primæva rerum communione patebit responsio, si animadvertatur duplicem esse distinguendam rerum communionem, unam videlicet *positivam*, ut vocant, alteram *negativam*. Prima est in communione rerum, quæ æque pertinent ad dominos complures, uti contingit in contractu societatis, in hæreditate paterna inter filios nondum divisa: altera vero est quando res in vacuo sunt, et nondum alicui *in particu-*

(1) Hac ratione dominium inductum est: hac ratione *proprietatis* vocabulum in humanam societatem illatum, termini agris impositi, contractus instituti, et alia similia locum habuere, quæ conditionum, statuum, circumstantiarum et ingeniorum diversitas visa est necessario expostulare, quæque proinde oportuit tam ad pacem tuendam ac socordiam declinandam, quam ad rixas avertendas atque discordias perpetuas evitandas publicis etiam legibus firmari, regi et custodiri, posito pro fundamento præcepto illo divino positivo: *non furaberis*; et tribus iis Justitiæ principiis: *honeste vivere, neminem lædere, jus suum cuique tribuere.*—Istæ autem leges oriuntur a *jure gentium* et *civili*, cui utrique nunc uti centro suo ineluctabili innititur dominium seu *jus proprietatis*; et ideo commune factum est penes Juristas adagium, nempe *dominia oriri a jure gentium et civili.*

Nos existimamus et pro certo habemus *jus proprietatis* non esse tantummodo *individuale*, id est in singulis individuis dominii capacibus, sed esse posse etiam *collectivum*, id est extendi ad collectionem simultaneam individuorum cumplurium, v. g. ad datam familiam, ad datum peculiarem personarum cultum, qui in civili societate per legem non sit reprobatus. Si enim singuli cives possunt ex lege naturæ sibi aliquid tamquam proprium acquirere et retinere, quare non item poterunt eodem jure substantias proprias simul conferre, in collectionem personarum sibi acceptum transfundere, maxime cum *jus associationis*, ut vocant, sit ab ipsa natura non secus ac *jus proprietatis?* (2) Opusc. 20, t. 1, c. 1.

(3) A nobis minime discrepant Juristæ, cum dominiorum originem ducunt a jure gentium; nam Justiniano definiente, *jus gentium est quod naturalis ratio dictat esse faciendum*, et hoc ipsum est quod Theologi appellant *jus naturale.* (4) Tract. *De Just. et Jure*, Dissert. 6, art. 1.

lari adjudicatæ, ita ut *nullius* existimentur, quia nemini adhuc *in particulari* concessum est jus et dominium in easdem. Jam vero primæva rerum communio non fuit *positiva*, sed *negativa*, quatenus nempe nemo adhuc in eas particulare jus adquisiverat, neque natura aliquid adjudicaverat Titio, aliud Sempronio; nemo ergo debebat se jure proprio abdicare in alterius apprehensione: nemo injuriam patiebatur: an quis v. g. injuriam pati dici poterat ex eo, quod Cain factus *Agricola* agrorum fructus sibi vindicabat ut *proprios?* an quis jure proprio privabatur ex eo, quod Abel factus *pastor ovium* gregem faciebat *suum?* Non sane: omnes enim ex æquo res in vacuo positas poterant occupare, apprehendere et dominio suo subjicere; nullum ergo pactum, nulla conventio neque expressa neque tacita, nullus denique consensus præcessisse dicendus est. Exemplum communionis *negativæ* adhuc habemus quibusdam in locis, ubi adsunt nemora quædam, colles et montes penes Communitatem illius datæ regionis: antequam ligna vel arbores ibi cædantur, sunt omnium de regione ipsa; sed postea evadunt propria illius qui cædit. Sic bona omnia ab initio erant communia penes homines, ut tamen (ipsa natura permittente, imo et suadente et præcipiente ad vitæ securitatem, ad publicam quietem et pacem, ad rectum et legitimum rerum socialium ordinem) fieri possent propria primi occupantis et apprehendentis sibi.

Staret conclusio (dices ultimo) *si revera ad publicam societatis quietem et conservationem necessaria essent dominia et jura proprietatum; atqui constat omnino contrarium, dicente S. Joanne Chrysostomo, meum illud et tuum esse frigidum verbum, et quidquid malorum est in vitam nostram invehens innumeraque gignens bella* (1).

Sane constat, primos fideles ad pacem Christianæ societati conciliandam renuntiasse dominiis et proprietatibus, vitamque inter se invicem iniisse communem. Id constat etiam de Clericis prioribus Ecclesiæ sæculis: quid ergo obstare poterit, quominus idem et nostra ætate fiat in toto saltem christianismo, si ad suam perfectionem Religio nostra producatur, ejusque præcepta adamussim serventur?

R. Negando minorem. Experientia omnium sæculorum et gentium ab ipso mundi exordio ad nostra usque tempora evidentissime demonstrat incommoda et rerum discrimina, quæ a bonorum communione in mundo oriuntur: neque argumentis jam supra allatis alia adjungere oportet, quippequæ forent inutilia prorsus atque superflua.

Oraculum vero S. Joannis Chrysostomi nullam facessit difficultatem: non enim ipse dominia rejicit vel proprietates, sed antithesim in citato loco *oratorio more* instituit præsentem vitam inter et beatitudinem immortalem. Cæterum qui sibi suadere velit quantum a sententia Communistarum longe abfuerit præclarus Antistes, attente perlegat ipsius homilias ad populum Antiochenum contra furtum, ut illud prorsus a christianis eliminaret, et contra fures, ut eos ad restitutionem adduceret.

Neque exempla ex historia ecclesiastica desumpta aliquid concludunt; nam *stat utique* (inquit De Lugo) (2), *quod in aliqua bonorum congregatione*

(1) Orat. de S. Philogon. (2) Loc. supra cit.

utilius sit ad pacem communem nihil proprium singulos habere, ubi nempe propter singulorum perfectionem et animorum concordiam omnia discrimina et inconvenientia facile vitari queunt, deputatis aliquibus, qui res communes administrent et cæterorum prospiciant necessitatibus, prout in cœtibus religiosis... sed in universali hominum societate modus ille vivendi utilis esse non potest, nec est possibilis, uti experientia probat. Quare etiam primis Ecclesiæ sæculis, crescente fidelium multitudine, oportuit pedetentim ex illa bonorum communione prorsus exire et singulos habere res suas et dominia privata. In ipso Clericali Ordine id idem contigisse docet historia, ita ut vita illa communis remanserit penes paucos et electos, nempe penes cœtus Religiosos.

Exaggerant denique Communistæ vim christianæ Religionis, cum sibi confingunt ipsam posse societatem humanam ad talem ac tantum perfectionis gradum adducere, ut omnes omnibus et singulis mundi habitatoribus cupiditates extinguat, et vitia valeat præfocare (1) *(B)*.

Corollarium. — *Radicalismus, Socialismus, et Fourierismus, seu Systema Phalansterianum.*

1. *A Communismo* tamquam rivulus a fonte alius exortus est error magis turpis et atrox, qui dicitur *Radicalismus:* quia totam civilem societatem *radicibus eruit imis.* In eo enim situs est, ut de medio tollat quamcumque potestatem in mundo, et cujuscumque generis aut nominis regimen, docens omnes et singulos cives æquali auctoritate præditos esse, nec unum alteri *præesse* posse aut *imperare;* ideoque quodcumque gubernium esse injustum et naturæ hominum prorsus adversari. Monstrum tam immane et ingens vix exhibuisse, simul refutasse est (2).

In hoc autem a *Communismo* differt *Radicalismus*, quod primus proclamat æqualitatem civium omnium in bonis, alter æqualitatem omnium in auctoritate et jurisdictione: ille inficiatur *jus proprietatis*, iste rejicit *jus imperii* (3).

2. Tam *Communismus*, quam *Radicalismus* habebantur a plurimis utpote vera ac putida imaginationum figmenta, ad rem minime umquam ducibilia (vulgo *utopia*). Quid ergo fervescentes eorum auctores et asseclæ? ut ostenderent utrumque pro bono societatis universæ ad actum et effectum reduci utique posse, *methodos* sine numero induxerunt (et adhuc inducunt quotidie sæpe etiam secum invicem contradicentes) in Germania præsertim

(1) *V.* Barran, *Esposizione ragionata de' dogmi e della morale del Cristianesimo.* T. 2.

(2) *V.* Apologus Menenii Agrippæ de membris humani corporis adversus stomachum conspirantibus penes T. Livium l. 2.

(3) Proudhon *ha dicho:* la propiedad es un robo: *hé aquí el Comunismo!* El mismo *ha añadido:* el peor mal del mundo son los gobiernos: *hé aquí el Radicalismo!* El comunista *grita:* mueran los ricos, mueran los que tienen criados! El radicalista *añade:* mueran los reyes, mueran todos los gobernantes! *El comunismo se contentaria con reformas gubernativas; El Radicalismo quiere cambiar la raiz misma de la sociedad:* en discrimen inter utrumque. — Vid. *il Socialismo Plebeo ed il Voltervianismo Borghese, La Civiltà Cattolica. Pubblicaz. periodica di tuta l' Italia.* Tom. 1, pag. 313. Napoli 1850.

et Gallia; licet complures ut minori populos timore doctrinis suis exagitent, utrumque temperare studeant, ac verbis in specie blandis et mansuetis lenire nitantur.

Harum porro *methodorum* complexio generico *Socialismi* vocabulo solet designari: ex quo patet *Socialistas* illos omnes existimari et dici, qui uno vel altero saltem modo *Communismum* et *Radicalismum* non *speculative* tantum, et *in abstracto;* sed *practice* etiam et in actu carum habent, et promovent (1).

3. Inter *Socialistas* celebriores eminet Carolus Fourier, cujus systema a suo auctore *Fourierismum* appellant (2). Iste dividit regionum incolas in varias sodalitates ac quasi cohortes, quas *phalanges industriales* nuncupat, plus vel minus numerosas pro locorum, et circumstantiarum diversitate: unicuique adsignat communes domos ad domicilium, ad victum, ad artes liberales atque vulgares, ad opera, ad lucra; sub datis tamen legibus, et aliquali superiorum regimine: eo autem modo, quo nos communes *Monialium* domus dicimus *Monasteria*, is communes suorum habitationes *Phalansteria* vocavit, ex quo *Fourierismus* dictus est etiam *Systema Phalansterianum* (3). Et sic in deliciis habet auctor cives contemplari singulos artibus, industriæ, commerciis, opificiis et opificinis suis indesinenter intentos, feliciter et lætitiæ plenam vitam ducere in suis Phalansteriis, ad instar apum in suis alvearibus, et formicarum in nidis suis.

Quæ omnia licet verbis pulcherrimis exornata, quomodo locum habere queant in maxima præsertim gentium multitudine ad longum tempus et sine infinitis incommodis, sine horrifica familiarum et morum corruptione et sine malis cujuscumque generis immensis, videat ipse: et *credat Judæus Apella!* (4)

ARTICULUS II — De dominii divisione.

Q. 1 *Quomodo dividitur dominium?*

Dominium dividitur in *eminens* seu *altum*, et in *humile:*

1^m Est quod convenit Reipublicæ in personas et bona subditorum, sic exigente bono publico. Quæ tamen exigentia vera sit oportet; neque enim respublica est bonorum ac civium domina; sed potius curatrix ac vindex. Item et modus servandus est in hac exercenda potestate, ut nempe neque fines necessitatis excedat, neque acceptionem personarum includat, ita ut plus ab uno quam ab alio extorqueatur; cum omnium civium atque cœtuum bona sacra sint.

2^m Est quod quisque privatus habet disponendi de rebus suis. Hoc porro

(1) *V.* A. Thiers, *Della Proprietà*, l. 3. *Del Socialismo*, cap. 10, *del carattere generale de' Socialisti*, ubi ostendit, *que los Socialistas atentan contra la propiedad tanto como los mismos Comunistas.*

(2) *V.* Exposition abrégée du Système Phalanstèrien de Fourier par Victor Considerant, Paris 1845.

(3) *V.* Opusc. Victoris Considerant, § 13. *Idée d' un Phalanstère.*

(4) *V. Il Comunismo e Socialismo nelle loro stravaganze riguardo alla Religione ed al Politico* pel P. Liberatore Luciano del SS. Redentore, Napoli 1850.

vel *plenum* est, vel *non plenum*. *Plenum* est jus disponendi de re simul, et de ejusdem usu. *Non plenum* est jus disponendi de re, vel de ejusdem usu; non vero de utroque simul.

Quare istud dividitur in *directum* et *utile*. Videlicet vel continet solum rem seu proprietatem, et dicitur *directum*, quasi *directe* rem ipsam sive ejus proprietatem afficiens. Vel non continet nisi rei usum et emolumentum, et dicitur *utile*. Sic v. g. in usu et usufructu dominium *directum* habet dominus, *utile* autem dominium competit usuario et fructuario.

Q. 2. *Quotupliciter potest dominium considerari?*

R. Triplici sub ratione potest dominium considerari, si plenam ejus notionem, uti par est, consequi velimus:

1. *Ratione objecti* circa quod versatur; 2, *ratione subjecti* in quo residet; 3, *ratione modi*, quo adquiritur et in alium transmittitur.

CAPUT SECUNDUM

DE DOMINII OBJECTO.

Q. 1. *Quodnam est objectum dominii?*

R. *Objectum dominii* sunt omnes res externæ et inferiores, quæ hominis usui subjiciuntur. Hinc Scriptura: *omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves* (1). Iterum in Scripturis: *terram dedit filiis hominum* (2).

Res autem, quæ in hominis dominio esse possunt, aliæ appellantur *corporales* et *incorporales;* aliæ *mobiles* et *immobiles*.

1. *Corporales* et *incorporales.—Corporales* sunt quæ sensibus sunt obnoxiæ, uti v. g. fundus et domus.—*Incorporales* vero sunt quæ percipiuntur tantummodo intellectu, et in jure consistunt, uti jus nominandi ad beneficium, jus hæreditatis, etc.

2. *Mobiles* et *immobiles.—Mobiles* sunt *quæ soli partem non faciunt*, sed

(1) In animantium usu duo cavenda sunt, uti monet Stapf § 343: et *indigna affectio*, et *inhumana sævities*.

Primum creaturæ rationali est indignum: sane carpendi sunt quos certa animalcula ita sibi devinctos tenent, ut hæc pluris videantur facere ipsis hominibus, quos ideo importunant, vexant, non curant.

Sed non minus ratio omnem adversus animantia petulantem sævitiem abhorret. Hæc enim divinis consiliis repugnat. « Deus enim etiam animantia sensu vitæ pro illorum modulo jucunda donavit: absit ergo ut hunc eorum sensum absque omni ratione vulucremus..... Tum vero talis animalia torquendi consuetudo semper indignam animi ferocitatem supponit; mens enim vel mediocriter humana hanc torquendi libidinem refugit..... Denique per hanc affectus humanitatis magis semper magisque hebetari solet: qui in bruta animalia dæsevire consuevit, brevi etiam contra homines ferociet..... Quam pium benignitatis sensum Testamentum vetus erga animantia spir : ex compluribus locis patet: *Exod.* 23; *Deut.* 25; *Prov.* 12; *Eccl.* 7 » In pluribus etiam Germaniæ locis est instituta societas ad animalia tuenda contra hominum vexationes.

(2) Ps. 8; et 113. Hoc autem in bruta animalia dominium, etsi post peccatum quoad exercitium atque usum fuerit imminutum, idem tamen profecto est quoad jus et potestatem, quale Domino post diluvium Noe et filiis ejus (Gen. 9 : *terror vester et tremor sit super cuncta animantia terræ* etc.

loci mutationem de facili recipiunt, et in duplicem classem dividuntur: aliæ nempe tales sunt ex *natura propria*, quæ nempe *vel* se ipsas movent, v. g. animalia: *vel* facile de uno in alium locum transferri possunt, v. g. massa auri. Aliæ tales sunt ex ipsa legis *determinatione*, v. g. pensiones vitalitiæ, obligationes et actiones etiam hypothecariæ circa res mobiles etc.—*Immobiles* e contrario appellantur res quæ transferri nequeunt, et triplicis sunt generis: nempe vel tales sunt *ex natura sua*, uti ædificia: vel tales sunt propter earum *destinationem*, uti ea quæ a proprietario alicujus fundi data sunt ad ejus culturam: vel tales sunt propter *objectum* quod spectant, uti est ususfructus rerum ipsarum immobilium.

Q. 2. *An vita hominis sit objectum illius dominii?*

R. *Negative*, si sermo sit de dominio directo et proprie dicto; solus enim Deus sicut vitæ hominis auctor est et conservator, ita solus est etiam ejusdem dominus: *tu es dominus, qui vitæ et mortis habes potestatem* (1); et ipse ajebat de se ipso: *ego occidam et ego vivere faciam* (2). Sane vita et corpus præsupponuntur ad dominium tamquam ejus fundamenta; ergo non subjacent dominio. Idem docuerunt vel ipsi pagani: hinc Cicero *de senectute* refert Pythagoram dixisse, *nemini fas esse injussu imperatoris summi Dei, de præsidio et statione vitæ discedere.*

Ex quo consequitur hominem *absque divina auctoritate* numquam posse *directe* seipsum occidere; quia injuria irrogaretur Deo.

Diximus 1, *absque divina auctoritate;* res enim aliter esset, si divina auctoritas haberetur, uti adfuit in Samsone, et in compluribus religionis Christianæ martyribus (3).

2. *Directe*, quia aliquando fas est *indirecte* se interimere; scilicet fas est gravi ac justa de causa aliquid *vel* facere *vel* omittere *vel* permittere, ex quo mors propria sequatur, dummodo ea minime intendatur (4); præceptum enim conservandi vel defendendi vitam est *affirmativum*, ideoque non obligat *semper et pro semper*. Imo desinit obligare propter necessitatem aut magnam utilitatem; nam ex principio tradito a S. Thoma, licet ob rationem sufficientem ponere causam in se bonam duos effectus habituram, *bonum* nempe intendendo; et *malum* solummodo permittendo. Sane cum vita ad moralem nostram perfectionem nobis a Deo concessa sit tamquam scopum primarium, est bonum dumtaxat relativum, virtuti nempe subordinatum, ideo licet illam profundere officii vel virtutis gratia (5).

Ita Christus potuisset quidem se defendere contra inimicos, ad nos tamen redimendos sui crucifixionem permisit. Ita martyres sæpius potuissent se tueri adversus tyrannos, virtutis tamen amore mortem laudabiliter susti-

(1) Sap. 16. (2) Deut. 33.

(3) Plurimi tamen censent, Samson etiam sola virtute muneris sui, scilicet judicis ac liberatoris Israel, potuisse hostibus populi sui interitum moliri, quamvis prævideret, se mortem effugere non posse. V. *A Lapide*, et *Veith. in h. l.*

(4) Neque tantum sui, sed etiam alterius vitæ dominium indirectum habere potest, seu improprie dictum, quatenus nempe homo cadere potest in alterius servitutem. De servis autem proprie dictis erit ubi de *venditione*.

(5) Verum ut patet, eo major esse debet causa, quo majus est periculum, et prætiosior est res, quæ periculo exponitur, ut sic debita sit proportio, atque actio cohonestetur.

nuerunt. At nemo dixerit se ipsos martyres et Christum interfecisse; nam permissio non fuit causa, sed simplex, innocens, ac remota occasio mortis ipsorum (1).

Ex hac regula deducere est:

1. Potest miles ad evertendam turrim hostilem aut ad perdendos hostes, pulverem incendere, et minas explodere, quamvis certo prævideat se simul cum hoste fore obruendum: quod historia Regni nostri valde laudavit et jure merito admirata est in Petro Micca.

2. Potest quilibet navim mergere vel incendere, ne inimici ea potiantur cum gravi Reipublicæ damno, etsi prævideat et se mersum iri.

3. Potest subditus ad salvandum Principem suum se medium interponere, licet certo prævideat se fore gladio secandum (2); hæc enim agere non est nisi *indirecte* se interimere.

Ex adverso deducere est, nefas esse *se* in carcere interficere ad evitandum infamiæ periculum, *se* abstinere ab alimentis ad vitandas hujus vitæ miserias, *se* in flumen projicere cum certo mortis periculo ad baptizandum puerum; hoc enim esset sibi vitam *directe* auferre, uti *commune* est. Neque sane sunt facienda mala, ut eveniant bona (3).

Q. 3. *An Respublica habeat dominium vitæ subditorum?*

R. *Negative:* Respublica non habet ratione sui dominium vitæ subditorum: id enim solius est Dei, qui solus et vitæ et mortis habet potestatem.

Illud tamen dominium habet ratione publici boni, cui providere tenetur: hinc quando ad bonum illud est necessarium, potest subditorum vitam in bello exponere. Potest item homines scelestos interficere, utpote custos tranquillitatis publicæ, eo modo. quo custos vitæ suæ potest putridum ejus membrum sibi resecare, et perdere partem pro salute totius. Hinc Apostolus habet: *si malum feceris, time; non enim sine causa Princeps gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit* (4).

Q. 4. *An homo habeat dominium propriæ famæ?*

R. *Affirmative:* homo habet dominium propriæ famæ; ratio quia fama est fructus nostræ industriæ, meritis nempe nostris productus: et ideo licitum est nobis illam condonare.

Quare homo potest *justa de causa* et *per se loquendo* se infamia afficere, v. g. ad petendum consilium, ad coërcendam superbiam, ad procurandam humilitatem, ad Dei misericordiam commendandam, ad famam alteri restituendam, etc.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 366, *et segg.*

(2) Item «dicunt licere cibum amico cedere in penuria. aut tabulam in naufragio, etiamsi eam jam apprehendisset: ita Toletus Lessius, Sylvius, Lugo, Salmanticenses, Prad. Busembaum, Victoria, et alii communius contra Soto et Layman,et est valde probabile; quia aliud est sibi mortem inferre et aliud est omittere vitam tueri, quod est licitum ex justa causa. Et hoc expresse docet S. Thomas in 3 sent. dist. 29. q. 1, a. 4. ad 3 dicens: *tradere se ipsum morti propter amicum est perfectus actus virtutis. unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam corporalem.* « Ita Liguori, *Homo Apost. Tr.* VIII, *n.* 1.

(3) *V.* Ravizza. *Il suicidio, il sacrificio della vita, e il duello:* Saggi psicologici. morali. *Mil. tip. Branca.*

(4) *Rom.* 15. — Vid de *Rest.* ubi erit de *homicidio.*

Diximus 1, *justa de causa;* nam aliter esset contra rectam rationem. Huc spectat illud Ecclesiastici: *curam habe de bono nomine* (1).

Diximus 2, *per se loquendo;* nam nefas profecto esset famam suam prodigere:—1, quando infamia redundat in dedecus *status*, vel *conditionis* propriæ, v. g. Clericatus, instituti Religiosi, familiæ;—2, quando infamia officit proprii muneris executioni, v. g. Parochi, Magistri, Rectoris;—3, quando infamia scandalum affert, quod in Ecclesiasticis maxime locum habet; ut enim ajebat Augustinus: *nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra* (2). *(C).*

CAPUT TERTIUM

DE DOMINII SUBJECTO.

Q. *Quodnam est dominii subjectum?*

R. Certum est, omnem et solam substantiam intellectualem dominii esse capacem: dominium enim est legitima facultas disponendi pro libito de re aliqua tamquam sua: atqui omnis et sola substantia intellectualis hanc facultatem habere potest.

Deo quidem soli competit supremum, absolutum et independens dominium in res creatas tam ratione *creationis,* quam *continuæ conservationis,* clamante Scriptura: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo* (3). Imo hoc dominium nulli potest creaturæ communicare, quia pendet a creatione et conservatione, quibus Deus abdicare se nequit.

Id tamen non impedit, quominus Deus queat dominium particulare universali suo et absoluto subjectum communicare creaturis rationabilibus juxta illud: *terram autem dedit filiis hominum* (4).

ARTICULUS I—De dominio infidelium et peccatorum, parvulorum et amentium.

Q. 1. *An infideles, hæretici et peccatores sint capaces dominii?*

R. Joannes Hus et Wiclephus docuerunt eos non esse veri dominii capaces qui sunt in statu peccati mortalis: *nullus est dominus civilis* inquiebant, *nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*—Verum refutantur; infideles enim, hæretici et peccatores etiam actu, quo sunt in peccato mortali, non carent libero arbitrio et facultate disponendi de quacunque re tamquam sua; cum rationalis natura, non vero fides aut charitas sic dominii fundamentum. Hinc sacra Pagina uti veros dominos agnoscit tum Principes infideles, quales fuerunt Pharao, Cyrus aliique; tum Reges peccatores, uti fuerunt David, Salomon et alii. Hinc in Concilio Constantiensi diris devota est dicta Hussitarum et Wiclephitarum propositio. Hinc illud Augustini: *non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi*

(1) Cap. 41. (2) Loc. *de bona viduar.* c. 21. (3) Ps. 23. (4) Ps. 113.

Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet (1).

Q. 2. *An parvuli et amentes sint capaces dominii?*

R. Parvuli et amentes, etsi actu careant rationis usu, attamen sunt capaces dominii; nam usus rationis necessarius quidem est ad disponendum hic et nunc de bonis seu ad usum dominii; non vero ad habendam possessionem seu dominium habituale, quod quidem immediate fundatur in potentiis: porro potentiæ usum rationis præcedunt. Adde: si isti non essent dominii capaces eorum bona pertinerent vel ad Rempublicam vel fierent bona nullius; atqui hæc dicere omnino repugnat. Hinc Apostolus de parvulo sic scribit: *quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium* (2); quod etiam ad amentes extendi debet, cum eadem sit ratio. Idipsum constat ex omnium populorum usu.

ARTICULUS II.—De dominio ecclesiæ et ecclesiasticorum.

Q. 1. *An Ecclesia sit capax legitimi dominii in bona temporalia?*

R. Christum Ecclesiæ omnibusque Clericis prohibuisse bona temporalia possidere, contendebat sæc. XII Arnaldus de Brixia, turbulentus ille homo *quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere* (3); sæc. XIII Waldenses; sæc. XIV Marsilius Paduanus atque Wiclephus, et XVI Lutherus. His accesserunt plures moderni publicistæ, ac nonnulli Theologi jansenistarum placitis addicti, qui jus Ecclesiæ ad sola spiritualia restringunt, contendentes quoad res temporales nullum Ecclesiæ jus competere, nisi ex mera legis civilis concessione ac nutu. Attamen quod Ecclesia rerum temporalium dominii natura sua sit capax, de fide est; Concilium enim generale Constantiense damnavit has Wiclephi propositiones: sub n. 10, *contra sacram Scripturam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones;* sub n. 32, *ditare Clerum est contra regulam Christi;* sub n. 33, *Sylvester papa et Constantinus imperator errarunt Ecclesiam dotando.* Accedit consensus omnium populorum, qui ubique ac semper suas Ecclesias independenter a Principe dotare non dubitarunt. Accedit invictum præscriptionis argumentum; siquidem historia refert, Ecclesiam bona immobilia vel ante Constantinum libere possedisse. Accedit ratio: Ecclesia suam habet a Deo existentiam a statu et Principibus independentem, est ergo societas sui juris, independens, perfecta, quæ cum inter homines sit exercenda et ab hominibus, proprietatibus indiget: adsunt ministri, ædes sacræ, Clericorum educatio, cultus instrumenta, solemnitates, sacrificia, et alia plurima. Hinc Ecclesiæ divitias quinto ineunte sæculo jam carpentibus nonnullis respondebat Chrysostomus: *cum facultatum Ecclesiæ magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum turbam, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum necessitates* (4).

(1) Lib. V *de Civ. Dei*, c. 21: (2) Gal. 4.

(3) S. Bernardus, *Epist.* 196: *Vid. Civiltà Catt.* ser. 3, vol. IV et V.

(4) *Hom.* XXI *in* I *Corinth.* — *V.* Thomassinus, *Vetus et Nova Ecclesiæ Disciplina.* par. 3, l. I, cap. 1, etc.

Hinc omnium bonorum Ecclesiæ usurpationes, distractiones, alienationes sine ecclesiastica auctoritate peractæ irritæ prorsus ac nullæ semper fuerunt habitæ. Et Tridentinum contra omnes, quacumque dignitate etiam regali præditos, qui bona, fructus, jura, reditus Beneficiorum, piorum locorum aut Ecclesiarum, vel per se vel per alios, quacumque arte aut quæsito colore usurpare præsumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos pertinent, percipiantur, graves pœnas tulit. Sunt: 1 excommunicatio major latæ sententiæ et reservata Pontifici; 2 privatio ipso facto juris patronatus, si tali jure sit præditus usurpator; 3 privatio Beneficiorum, et inhabilitas ad alia obtinenda. *Clericus vero* (addit Concilium) *qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; necnon quibuscumque Beneficiis privatus sit, et ad quæcumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum executione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur* (1).

Q. 2. *An Clerici bona temporalia possidere possint?*

R. 1: Bona Clericorum sunt vel patrimonialia, vel quasi-patrimonialia, vel Ecclesiastica.

Bona patrimonialia dicuntur ea, quæ Clerico obveniunt independenter ab omni ministerio aut Beneficio ecclesiastico; sed ex titulo laicis quoque communi, v. g. hæreditate, dono, officio docendi, etc.

Bona quasi-patrimonialia sunt quæ Clericis, qua talibus obveniunt, sed per modum stipendii, nempe ex functionibus et officiis ecclesiasticis, ex munere docendi Theologiam vel sacram Scripturam, ex Sacramentorum administratione, concionibus, Missis, funeribus, anniversariis: item alii incerti Parochorum proventus ex stola, vulgo *incerti:* item fructus piorum legatorum, Beneficiique laicalis: imo huc veniunt distributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis; quia istæ non dantur immediate ob titulum Beneficii, quamvis ex titulo Beneficii proveniant, uti dicunt Covarrubias, Lessius, Lugo, Salmanticenses, etc.; sed dantur ob servitium, tamquam merum personæ stipendium. Hæc dicuntur etiam *industrialia.*

Ecclesiastica sunt quæ Clerici acquirunt ex Beneficiis ecclesiasticis: huc referuntur etiam bona, quæ *titulo supplementi* a gubernio solvuntur Pastoribus et Canonicis, ut declaravit S. Pœnitentiaria 19 jan. 1819: et sane hæc locum tenent eorum bonorum sacrorum, quæ inique vendita fuerunt (quod valet etiam de decimis, quæ faciunt partem ipsius præbendæ). — Bona autem ipsa ecclesiastica triplici sub respectu consideranda sunt: 1 vel tamquam honestæ Clericorum sustentationi necessaria: 2 vel tamquam studiosa quadam frugalitate a necessaria vitæ sustentatione subtracta, et dicuntur *par-*

(1) Sess. 22, c. 11. Etiam Bulla *Cœnæ*, § 17 id prohibetur; sed Bulla solam excommunicationem injungit; at Tridentinum patronis et Clericis alias pœnas imponit. In Bulla prohibetur solum usurpatio proprie accepta, id est vindicatio sibi facta et sequestratio (uti esset res propria) jurisdictionis, fructuum, proventuum debitorum ratione Ecclesiæ, Monasterii et Beneficii: at in Tridentino prohibetur etiam mandatum, impedimentum, et quælibet injusta invasio ac cooperatio ad usurpanda bona, jura, fructus, emolumenta (ideo et distributiones) et quascumque obventiones, quæ in ministrorum aut pauperum necessitates converti debent, sive percipiantur ex aliqua Ecclesia sive Beneficio, vel ex Monte Pietatis aliisque locis piis. *Bonacina.*

simonialia; 3 vel tamquam superflua, quæ scilicet supersunt honestæ ac necessariæ sustentationi (1). Hoc posito:

R. 2: Si sermo sit *de bonis patrimonialibus* seu profanis, certum est Clericos esse illorum dominos; et nulla citari potest lex quæ tale dominium Clericis interdicat. Hinc si sacra et ecclesiastica consulatur historia, clare patebit, Clericos iis etiam temporibus, quibus hæretici fatentur Ecclesiam fuisse puram, sanctam et sine macula, bona temporalia possedisse tam mobilia, quam immobilia. Sic discipuli cum Christo ipso vitam agentes habebant pecuniam, qua emerent escas et sibi et turbis: *eamus et emamus in omnem hanc turbam escas; discipuli... ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent* (2). S. Matthæus jam Domini discipulus habuit domum, ubi excepit Christum: *secutus est eum, et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua, et erat turba multa publicanorum* (3). S. Joannes domum item habuit, ubi excepit Beatam Virginem post Christi mortem, uti notat Epiphanius (4). S. Philippus diaconus domum habebat Cæsareæ, et ibi fideles hospitio recipiebat.

Si vero sermo sit *de bonis quasi-patrimonialibus*, tum Antoine, Habert, Collet cum aliis tenent, Clericos perfectum non habere dominium in bona quasi-patrimonialia; sunt enim res sacræ, cum ex sacris proveniant. — Verum Anacletus, Bergier, Billuart, Lugo, Lessius, Salmanticenses, Sanchez et Sylvius cum Benedicto XIV (5), et aliis communiter docent, Clericos eorumdem verum habere dominium; quia fideles bona hujusmodi Clericis elargiuntur tamquam rem vere iisdem debitam ob ministerium personale; eaque liberæ eorum dispositioni relinquunt, quin aliquid oneris imponere iisdem intendant: sane quilibet operarius dignus est mercede. Præterea bona ista vel ad Clericos pertinent, vel ad Ecclesiam, vel ad donatores; atqui non ad Ecclesiam, quia ipsi numquam fuerunt appropriata; non ad donatores, quia iisdem se abdicarunt actu donationis: ergo ad Clericos.

Si tandem quæstio est *de bonis ecclesiasticis:* an scilicet illorum Clerici sint domini, notandum est, quod in præsenti quæstione nomine bonorum ecclesiasticorum non intelliguntur fundi, quos certo Clerici alienare non possunt; cum eorum dominium sit penes Ecclesiam, Clerici autem sint simplices fructuarii: sed solum intelliguntur reditus inde provenientes. Porro vel agitur de reditibus seu bonis ecclesiasticis honestæ *sustentationi necessa-*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 111 et 490.

(2) Luc. 9; et Joann. 4.

(3) Luc. 5.

(4) Hæres. 78.

(5) *De Canoniz.* 55. l. III, c. 34, n. 23. Quæ quidem sententia (ait Bouvier, *Inst. Theol.* t. VI, pag. 16. Edit. VI, 1846) longe probabilior nobis videtur ob sequentes rationes: 1 Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. V, c. 8, n. 5, probat ex Regula Metensibus Canonicis data a S. Episcopo Chrodegango sub fine sæculi VIII, eleemosynas pro Missa vel pro alia functione sacra receptas, in quoslibet usus, pro voluntate accipientis expendi posse; 2 pro ea opinione multo communius stant auctores; 3 S. Pœnitentiaria interrogata, an responsio ab ipsa die 19 jan. 1819 data relate ad salaria a Gubernio soluta, extendi deberet ad oblationes fidelium; respondit die 9 aug. 1821, *negative*: magis adhuc expresse locuta est de vero dominio Clericorum circa hujusmodi bona die 9 jan. 1823.... Ad hujusmodi bona pertinent distributiones chorales, jura curialia, et variæ oblationes personis ecclesiasticis datæ, non vero Ecclesiis appropriatæ. »

riis; vel de bonis *parsimonialibus;* vel denique de bonis *superfluis*.

1. Si agitur de iis ecclesiasticis bonis, quæ honestæ Clericorum sustentationi necessaria sunt, certum est Clericos etiam divites esse veros eorum dominos: nam respectu eorum se habent tamquam operarii, qui etsi divites, sibi acquirunt dominium stipendii sui: *quis militat suis stipendiis umquam?* inquiebat Apostolus: *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (1). Hinc Concilium Constantiense damnavit Wiclephum, qui asserebat decimas esse meras eleemosynas, quibus Clerici ob eorum peccata possunt a populis expoliari. Quid autem intelligendum sit pro honesta et congrua Clericorum sustentatione, non potest definiri æqualiter respectu omnium Clericorum; plus enim congruit Episcopo quam Canonico, plus Canonico in Ecclesia cathedrali quam simplici Presbytero, plus in uno loco quam in alio. Idcirco attendi potius debet ad usum aliorum timoratæ conscientiæ in eodem gradu, et in iisdem circumstantiis rerum, locorum et temporum (2). — Non autem refert, quod jam ex patrimonialibus habeat Clericus unde vivat; rationi enim naturali consonum est, ut omnis *qui servit altari, de altari vivere possit.* Neque divites inservientes Reipublicæ injuste stipendia accipiunt, quia divites: idque expresse tenet Angelicus, qui hoc non limitat, nisi in casu, quo aliquis pauper sit in gravi necessitate: et merito quia tunc jam habens superfluum statui, pauperi graviter egenti succurrere tenetur ex ipso jure naturæ.

2. Si agatur de bonis ecclesiasticis parsimonialibus, pariter docent Anacletus, Cabassutius, Cavarruvius, Gousset, Lessius, Navarrus aliique communiter contra paucos, Clericis competere verum eorum dominium; talia enim bona dantur uti stipendia laborum iis, qui Ecclesiæ inserviunt. Ergo siquis ab ea sustentatione, ad quam jus habet, studiosa frugalitate et parsimonia quidquam sciverit sibi subtrahere et reservare, poterit de illo ad arbitrium disponere; sunt enim detracta ex iis, quæ jam sua sunt. Aliunde absurdum videtur, quod ad eorum acquirendum dominium omnino sint consumenda: si ita esset, tunc eos parsimonia faceret deterioris conditionis. Idem docet S. Thomas (3): *de his autem quæ sunt specialiter suo usui deputata* (nempe Clerici), *videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis.*

3. Si agitur de bonis ecclesiasticis superfluis, omnes concedunt, Beneficiarios sub mortali teneri (saltem ex virtute Religionis et præcepto charitatis) reditus propriæ sustentationi superfluos in usus pios vel in pauperes erogare; nam sunt bona dicata Deo ac pietate donata. Hinc Tridentinum eos prohibet, ne in usus profanos expendat; et *omnino eis interdicit, ne ex red-*

(1) I Cor. 9.

(2) Utrum autem possit haberi ratio nobilitatis disputant: nobis non videtur damnandus qui id affirmaret; unusquisque enim secundum suum statum vivere potest. Ita quoque licite potest ex his bonis debita post Beneficium contracta solvere; cum id quoque pertineat ad rationem proprii status (imo etiam debita antea contracta, si aliunde non habeat, ut solvat ex propriis bonis, eadem ratione). Sicuti etiam moderatam hospitalitatem exercere; cum id sit debitum virtutis. Item nepotes in studiis alere, si parentes pauperes sint ac alii pauperes non graviter indigeant, et ipse alia bona non habeat; tunc enim hoc evadit opus charitatis et misericordiæ. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 182. — Thomassinus, *Vetus et Nova Eccl. discipl.* par. 3, l. III, c. 47.

(3) 2, 2, q. 185, a. 7. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. x, n. 6.

ditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant; cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa (1). Cæterum notant communiter, quod peccatum expendendi superflua in usus profanos, ut pertingat ad mortale, majorem requirit materiam quam in furto: D. Thomas, requirit *multum excessum* (2). Sed quinam sit multus excessus, disputant; verius sufficit pars vigesima ad mortale constituendum: unde si Clericus ex vigintimillibus superfluis mille expendat in usus profanos, nempe quinque pro quolibet centenario, graviter peccat.

Sed magna difficultas est: *an Beneficiatus teneatur etiam ex justitia ad superflua pauperibus distribuenda, ita ut negligens non tantum peccet pro gravitate materiæ; sed etiam teneatur ad restitutionem?* — Prima sententia probabilior affirmat cum Antoine, Habert, Concina, Laymano, Roncaglia aliisque non paucis; quia nulla ratione probatur Beneficiatum adipisci dominium horum fructuum; et si forte adipiscitur, tantum acquirit quoddam dominium limitatum juxta mentem Ecclesiæ ac intentionem fidelium, nempe cum onere adnexo superfluum dispensandi pauperibus. Hinc Ss. Patres Basilius, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Bernardus, et plurima Concilia hæc bona appellant *bona pauperum, patrimonia egenorum, pretia peccatorum, vota fidelium* (3), *bona dominica;* ergo Clerici sunt dispensatores tantum, non vero eorum domini: ideoque omne, quod ex illis superest, ex stricto justitiæ rigore pauperibus reddere debent.

Hoc tamen non obstante, negari non potest oppositam sententiam, quæ est valde communior, quamque inter cæteros tuentur S. Antoninus, Billuart, Cabassutius, Holzman, Lessius, Lugo, Salmanticenses, Sylvius, Grassi, etc. satis esse probabilem præsertim ob auctoritatem divi Thomæ, qui expresse docet, quod de bonis Beneficiorum eadem habetur ratio, quam de bonis patrimonialibus (4), id est quoad dominium et immunitatem a restitutione; non autem quoad obligationem charitatis. Hinc S. Doctor aperte dicit in alio loco, quod si Clericus abutitur fructibus suæ præbendæ, *non tenetur ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam paragendam* (5). Verba autem Patrum ac Conciliorum non videntur ita rigorose accipienda hodie præsertim; quia cum habeatur facta (ut Angelicus tenet pro certo) rerum ecclesiasticarum divisio vel per ipsos Pontifices vel pedetentim per ipsum usum; fuit tributum unicuique suum, nempe Episcopo, Clericis, Ecclesiæ et pauperibus: ideo

(1) Sess. 25, c. 1 de Ref.

(2) 2, 2, q. 185, a. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 491.

(3) *Basilius* ad Jul. Apostat.; *Augustinus,* in Conc. Cartag. IV; *Hieronymus,* in c. 3 Isaiæ; *Ambrosius,* Epist. 31 ad Valentinianum; *Bernardus* ad Nepot. Ita Concilium *Turonense* anno 813. *Aquisgranense* an. 816, *Parisiense* an. 829, *Valentinum* an. 855.

(4) 2, 2, q. 185, a. 7.

(5) Quodl. 6, a. 12. — « Neque vero (ad rem *Sylvius* doctissimus ac felix mentis *Angelici* interpres) recipienda est expositio Navarri dicentis, S. Thomam esse intelligendum de illa dumtaxat parte, quæ ad ejus honestos sumptus est necessaria; clarum enim est ex textu, ipsum loqui de omnibus bonis, quæ usui Episcopi sunt specialiter deputata; atque distinguere ab iis, quæ sunt deputata usibus vel pauperum vel ministrorum, vel fabricæ Ecclesiæ. »

sublata est omnis materia justitiæ. Quidquid sit præstat, ut concludamus cum Benedicto XIV, qui hac de re ita Episcopos alloquitur: *urgeant ipsi et inculcent suis Clericis ex Ecclesiæ stipendiis victitantibus gravem obligationem, quam habent, elargiendi pauperibus aliisque piis usibus applicandi sibi redundantes ecclesiasticos reditus; sed adhuc latentem hujus obligationis originem non investigent* (1).

Qui dono recipit (quæres) *a Beneficiato bona superflua peccatne graviter et teneturne ea pauperibus restituere?* — Si Beneficiatus per talem donationem reddatur impotens ad satisfaciendum præfatæ suæ obligationi, alia nempe bona tribuendo, utique accipiens et peccat et de restitutione tenetur juxta nostram sententiam, qua dicimus Beneficiatum obligari ex justitia dare superflua pauperibus; nam donatarius accipiendo vere influit in damnum pauperum, qui jus habent in illa bona; cum illis sint adjudicata a Conciliis, a Patribus atque fidelium intentione. — Hoc tamen intellige si accipiens sit in mala fide; si enim quis acciperet superflua Beneficii in bona fide tuto credens ea accipere posse, nihil postea teneretur restituere, quia ex una parte sententia, quæ tenet superflua non esse danda pauperibus ex justitia, est valde ac satis probabilis; ex altera vero parte possessio bonæ fidei tribuit jus insistendi in re possessa, quamdiu certo prohibetur res illegitime possideri (2).

Teneturne (addes) *qui pensionem accipit de Beneficii redditibus, erogare superflua pauperibus, saltem ex præcepto Religionis?* — Negative si pensio data sit laicis, puta principibus, patronis, etc. ob præstita Ecclesiæ obsequia; vel Ecclesiasticis, sed ob aliquod munus temporale, v. g. cantoris, advocati, etc.; quia omnia hæc sunt in stipendium laboris. Si vero pensio detur Ecclesiasticis ob aliquod ecclesiasticum munus obeundum, ut ea quæ datur Parochi Coadjutoribus, etc., tunc alii affirmant pensionarum superflua *pauperibus* erogari debere; nam cum illa pensio sit ex fructibus Beneficii detracta, transit cum onere suo. Alii vero satis probabiliter negant: et ita decisum refert Azorius a Romana Rota; nam cum Pontifex ob causam detrahit de fructibus Beneficii, jam eosdem pie applicat: ergo fructus illi non amplius ferre debent talem obligationem, ut iterum atque iterum pie applicentur (3).

Quid (dices) *si a Clerico ad usus profanos superflua in morte relinquantur?* — Ecclesia circa hujusmodi alienationes nihil decernit, cum sit admodum difficile probare eos fructus e Beneficiis provenisse; quia aliis modis, industria, arte, frugalitate, etc. acquiri potuerunt. Unde hodie ordinarie quidquid relinquit Beneficiatus cedit hæredibus, vel ab ipso vocatis: in quo juri Canonico fuit derogatum, quod statuebat proventus ecclesiasticos ad

(1) *De Syn. Diœc.* l. VII, c. 2. Cæterum *parum refert utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an vero quia peccavit contra charitatem, non bene distribuendo facultates suas ecclesiasticas:* ita Bellarminus.

(2) Qui vero accepit cum dubia fide teneturtantum ad partem restituendam, habita ratione probabilitatis contrariæ sententiæ. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 35; et l. III, n. 492. 612 et 722. Et *Homo Apost.* tract. x, n. 8.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 491; et l. IV, nn. 182 et seqq.

Ecclesiam pertinere (1). Diximus *ordinarie;* nam excipiuntur mobilia magna (vulgo *muebles voluminosos*), uti scamna, tabulæ, vasa vinaria, etc. quæ si in domo Ecclesiæ reperiantur tempore mortis successoribus in Beneficio cedunt iis in locis, ubi recepta est Bulla Pii V, *Romani Pontificis*.

Q. 3. *An omnia superflua sint eroganda absolute pauperibus?*

R. *Exclusa gravi necessitate,* potest Clericus bona superflua impendere pro arbitrio in quoscumque usus pios, puta ad Dei cultum augendum; nam Tridentinum dicit *ne dissipentur bona Beneficii* (2); non censentur autem dissipari, si ad usus pios applicentur, quamvis non denter pauperibus, ut communiter dicunt. Imo possunt etiam servari in usus pios futuros, ut ipse docet Angelicus: *siquis necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ et necessitatibus pauperum, laudabiliter facit* (3). Attamen maxima tunc cautela est adhibenda, ut superflua a propriis bonis secernantur: item illico quid in posterum sit de iis agendum determinetur, ne differendo de die in diem mors ingruat, et tales reditus a consanguineis diripiantur, ut non semel lugendum est.

Diximus tamen *seclusa gravi necessitate;* si enim pauperes ea laborarent tam spirituali quam temporali, nequiret Beneficiarius superflua in alios usus impendere; quia urgeret præceptum naturale, vi cujus qui habet statui superflua, ea tenetur sub gravi pauperibus elargiri. Veniunt autem nomine *pauperum* non solum ostiatim mendicantes; sed etiam illi omnes, qui sine alieno subsidio nequeunt honestum suum statum conservare, quia sunt pauperes in proprio statu. Atque hoc ad ipsos Beneficiarii consanguineos extendendum est, qui statum suum sustinere non possunt, quin ipsius Beneficiarii eleemosynis reficiantur: imo postulat charitatis ordo, ut Beneficiarius prius subveniat pauperibus consanguineis, quibus tamen tribuendum est *moderate, idest ut non indigeant, non ut ditiores fiant* (4). Si vero adsint pauperes ipsis consanguineis egentiores, videtur etiam in hoc casu Beneficiarius posse consanguineos præferre; quia subventio propinquorum egentium pertinet etiam ad proprium statum Clerico ipsi servandum; cum eorum quodammodo paupertas in ejus dedecus redundet (5) *(D)*.

(1) *Decr.* Greg. l. III, t. XXVI, c. *Relatum.* Quamvis igitur Beneficiati de jure non dicantur habere usumfructum, sed tantum usum; de consuetudine tamen universali hodie habentur uti usufructuarii, qui ideo valent transmittere fructus ad hæredes etiam ab intestato.

(2) Sess. 25 de R. c. 1.

(3) 2, 2, q. 105, a. 4. — At hodie multæ et quotidianæ habentur necessitates, adeo ut non facile valeant excusari Clerici sub quocumque prætextu thesaurizantes. (4) 2, 2, q. 185, a. 7.

(5) Hinc si ipse Beneficiatus statum suum mutet ex assumptione ad splendidum aliquod Beneficium, poterit subvenire consanguineis saltem proximioribus, ut ipsi decenter vivant juxta ejus dignitatem; cum de ipsa aliquo modo participare videantur. Quod tamen de solis Episcopis aliisque ad similem dignitatem assumptis, non vero de Parochis aliisve accipiendum est, ut recte ait Roncaglia; nam quoad istos non videtur tanta immutatio, cum uti ordinaria habeatur. Oportet autem ut omnes summopere caveant, ne bona consanguineis data ad eorum subvenienda necessitati, potius vitia foveant et eos ditiores efficiant. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 491, q. 2.

ARTICULUS III — De dominio filiorumfamilias (1).

Nomine *filiorumfamilias* veniunt ii, qui sunt sub patria potestate.

Q. 1. *Quænam sunt bona filiorumfamilias?*

R. Bona hæc, quæ (cum constituant parvulum quasi patrimonium) *peculii* nomine solent appellari, quadruplicis generis sunt, nempe *castrensia, quasi-castrensia, adventitia et profectitia* (2).

1. *Castrensia* dicuntur quæ filiisfamilias obveniunt *vel* causa militiæ *vel* illius occasione (3). Huc revocantur:—1 quæ filius sibi comparavit in castris, *sive* hæc debita essent uti stipendia, sive acquisita uti prædæ ab hostibus captæ; — 2 dona, quæ *vel* a Ducibus *vel* a parentibus *vel* ab uxoribus militiæ intuitu collata sunt; — 3 quæ ob aulicum servitium obvenerunt, atque a peculio castrensi producta sunt. Certum autem est, et lege et usu inductum, horum bonorum omnium filiosfamilias habere *dominium* et *usumfructum* (4)

2. *Quasi-castrensia* dicuntur:—1 quæ filiifamilias sibi compararunt *vel* ex publici alicujus officii gestione, v. g. Senatoris, administratoris Provinciæ, judicis, advocati, medici, notarii: *vel* ex professione artium liberalium aut eorum intuitu; —2, quæ a Principe dono traduntur; —3 quæ Clericus sibi acquirit in Clericatu, quocumque tandem titulo ea sibi obveniant. Nullum hic pariter dubium est, quin horum *dominium* et *usumfructum* habeant filiifamilias (5).

3. *Adventitia* sunt, quæ filiifamilias sibi comparant *independenter* a patre (**). Ex jure Romano horum bonorum filius habet dominium directum, pater vero usum et administrationem (6) etiamsi sint bona majoratus (7) (*).

Excipiuntur sequentes casus, in quibus *usumfructum* filius consequitur: — 1, est quando *vel* usufructus *præcise* filio datur cum patris exclusione, vel quidquam ei confertur patre contradicente, habita tamen auctorizatione tribunalis, *vel* filius ipse bona sibi acquisierit proprio labore et industria separatim a patre; —2, quando filius una cum patre succedit in hæreditate sororis vel fratris (8).

(**) S. Liguorius cum Lugo addit tertium modum, si filius accipit dotem, Patre non se obligante: *ibidem* (*) (9).

4. *Profectitia* sunt quæ filiisfamilias obveniunt ex bonis patris, ut cum filii una cum patre in ejus negotio æqualiter laborant: pertinent ad patrem tum quoad *usumfructum* tum quoad *proprietatem*.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. 3. n. 488; et *Homo Ap. Tr.* x. n. 2.

(2) Hæc distinctio a romana lege inducta est; animadvertatur etiam hanc quæstionem tria respicere, nempe *proprietatem, usumfructum et administrationem* bonorum filiorum.

(3) «Castrensia non sunt, ait Continuatur Tournely, quæ in bello injusto, vel privato, vel illius intuitu comparantur.

(4) Ley 6, tit. 17, part, 4. N. E.

(5) Ley. 7, 78. N. E.

(6) Gury *Comp. Theol. Mor. tract. de Just. cap.* 2, § 2.

(7) S. Lig. *Opus Mor. lib.* 3 *tract.* 5 *de just et jur. n.* 4.

(8) Less. l. 2. c. 3, n. 9, 10 et 11. et Lugo D. 5 n. 32 cum aliis. N. E.

(9) S. Liguor. *Opus Mor. lib.* 3. *tract.* 5 *append. de just. n.* 448.

(**) Etiam dicuntur bona profectitia illa quæ dantur filio intuitu Patris: secus vero si dantur filio intuitu sui ipsius, etsi occasione Patris filius cognitus sit a donante. *Lug.* 37. In dubio autem, an aliquid sit donatum intuitu Patris vel filii; erit totum filii si ipse bona fide incæperit possidere; alias dividendum pro rata dubii. Bona vero data filio a Patre in patrimonium ad suscipiendos ordines sacros non sunt numeranda inter profectitia, sed bene sunt conferenda cum aliis fratribus, cum ille hæreditatis portionem exposcit (1) (*).

Q. 2. *An filiifamilias* (2) *possint sibi in conscientia vindicare lucra, quæ domo patris proprio labore acquirunt?*

R. Si lucra filiifamilias acquirunt industria omnino separata a negotio patris, v. g. aliqua arte sibi unice propria, pictura, musica etc. quæ acquirunt, utique sibi acquirunt; nam *pietatem liberi parentibus debent, non operas* (3). Hoc sane multum confert ad industriam atque laborem fovendum.

Si vero filii ea lucra acquirunt in negotio patris laborando, vel nomine patris, vel ex bonis patris, distinguendum est: *vel* in his impendunt laborem ordinarium; *vel* extraordinarium.

Si in iis lucris impendunt laborem ordinarium, ea non sibi, sed *probabilius* patri acquirunt; cum acquirant ex illius bonis. Quid autem magis congruum, quam ut filii patrem adjuvent in sua arte, quam inde et ipsi addiscunt?

Si vero in iis lucris impendant laborem extraordinarium, tunc ea sibi acquirunt, uti docent Angelus, Bouvier, Baldus, Bartolus, Cabassutius. Collet, Decius, Lugo, Lessius, Pontas etc. Sane ex *una* parte filii non censentur deterioris conditionis, quam sit extraneus, cui in hoc casu concederetur stipendium illius excessus; ex *alia* nulla lege gratuito titulo illa extraordinaria adjudicantur patri (4). Unde filii possunt sibi compensare illa lucra, si ex rubore non petierint, neque remiserint, gratis laborare volendo, vel nisi remittere debuerint ob patris necessitatem; sed deducendæ sunt expensæ, quas pater fecerit in alendo, educando ac vestiendo filio; eas enim ipse dare non tenebatur filio potenti lucrari (5).

Q. 3. *An filius familias perfectum habeat dominium in bona, quæ sibi a parentibus tradita sunt?*

R. Si bona a parentibus tradita *usu non consumuntur*, uti vestes, libri etc.,

(1) S. Lig. *Opus Mor. lib.* 3. *tract.* 5 *append. de just. n.* 448.

(2) Filii hic dicuntur illi qui ex legitimo matrimonio orti cujuscumque sint sexus, adhuc paternæ potestati subjacent. N. E. (3) *L. penult. ff. de obseq. par. præb.*

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3 *nn.* 448, 554 *et* 910. — Pavone *Spicilegio ecc.* §§ 73 *et seqq.* ub fusius.

(5) «Quantitas autem exigenda æstimari debet in bona fide ex modo laborandi et natura operisi si enim filius laboravit ut socius, v. g. in commercio, habet jus ad lucra, juxta regulas istiusmodi societatum; si ut mercenarius, habet jus ad stipendium in tali conditione usitatum».

«Quod de filiofamilias dicitur, pari ratione de nepote, de filiafamilias, et de nepte dicendum est, quod de patre, de matre similiter dici debet».

«Sedulo autem notandum est hanc sententiam nostram circa præsentem gravissimi momenti; quæstionem, publice docendam non esse propter incommoda, quæ pe. abusum inde sequerentur; sed in praxi non parum erit utilis ad solvendos ea de re casus existentes difficiles». Ita Episcopus *Bouvier.*

filiusfamilias non perfectum, sed utile tantummodo habebit in iis dominium: quia parentes solent in filiis suis de hisce bonis improbare dispositiones, ipsis inconsultis, peractas. Ideoque bona ista nequeunt filii absque parentum consensu vel expresso vel rationabiliter præsumpto nec donare nec vendere nec mutare nec quomodocumque alienare.

Si vero *usu consumuntur*, ut pecunia, est distinguendum: *vel* bona illa data sunt absque ulla conditione; *vel* sub conditione aliqua, v. g. emendi libros scholasticos vel pensionem solvendi.

Si 1, *juxta omnes* potest filius de bonis iis pro nutu disponere, cùm ipsis libera relicta sint;—Si 2 dominium in bona illa filius sub omni respectu non haberet, ideoque si alium in finem impenderet, v. g. si pecuniam datam pro pensionis solutione in ludo consumeret, peccaret profecto contra justitiam; cum disponeret contra jus ipsi tributum. Unde onus incurreret restitutionis, nisi rationabiliter judicaret parentes de hoc rogatos condonationem facile concessuros.

Vincula, quibus obstringitur dominium filiorum, pendent a patria potestate: unde si hæc posset dissolvi, et illa dissolverentur. Sit ergo:

§ unicus—*De patria potestate.*

Q. 1. *Quid est patria potestas?*

(*) R. Patria potestas est quoddam quasi *imperium parentibus datum tam relate ad custodiam et educationem filiorum, quam relate ad usumfructum bonorum iisdem competentium:* congruenter hac potestate gaudent genitores tum ob vitam quam filiis dederunt, tum ob educationem quam illis debent. Et patri et matri convenit hæc potestas jure naturæ inspecto; attamen lege civili patri solummodo tribuitur ad confusionem vitandam:—Sub patria potestate sunt non tantum filii legitimi et adoptivi, sed ipsi etiam illegitimi, si tamen legitimentur vel per subsequens matrimonium, vel per Principis rescriptum, non autem naturales, adulterini, etc. (1).

Acquiritur patria potestas *matrimonio*, *legitimatione*, *et adoptione.* (2) (*).

Q. 2. *Quinam sunt effectus patriæ potestatis?*

R. Effectus patriæ potestatis alii sunt a jure naturæ, alii a jure civili.

Ex jure naturæ parentes habent jus et officium simul educandi, instituendi et corrigendi per opportunas et moderatas pœnas proprios filios.

(*) Ex jure vero civili hæc habent: quoad filiorum *bona profectitia,* possessionem, proprietatem et usumfructum; usumfructum quoad *adventitia*, quoad vero bona *castrentia*, seu *quasi-castrentia*, nec proprietatem, nec usumfructum. Quoad *filiorum personas* ut pater liberis impuberibus possit dare tutores; iisdem pupilariter substituere; ipsos corrigere et moderatim punire. Item habet pater facultatem exposcendi a Tribunali filium qui voluntarie vel invitus sit sub alterius potestate, vel vagabunde et inobediens se agat (3) (*).

(1) *V.* Ley 1, 2, et 3, tit. 17, part. 4. — Instit. lib. 1, tit. 8, § 10 et 11.
(2) Leg 4. ejusd. tit. et part.
(3) Ley 3, tit. 17, part. 4. Ley 18. part. 4. Leyes 6 y 7, tit. 17, part. 4.

Q. 3. *Quot modis patria potestas dissolvitur?*

R. Pro ea parte, qua patria potestas innititur jure naturali, dissolvi non potest ullo modo, et sic cum officia honoris, amoris et reverentiæ filiorum erga parentes oriantur præcipue ex jure naturali; ea idcirco perpetua sunt et indissolubilia.

Pro ea autem parte, qua patria potestas innititur jure tantum civili, dissolvi potest sex modis.

(*) 1. *Morte patris:* solvitur nempe patria potestas morte naturali patris qui patriam habet potestatem: et ideo filius, qui sub ejus manu est, eo mortuo, fit sui juris. Ita tamen ut primi tantum gradus liberi post patris dicessum sui juris fiant, ulteriorum graduum non item, si superstites sint, quorum in potestatem possint accidere. Sic in jure Romano (1).

2. *Morte civili:* scilicet per capitis diminutionem maximam, captivitatem (2) puta et servitutem pœnæ. Etiam amittitur capitis diminutione media, id est deportatione patris vel filii. In Hispania mors civilis ignota est; habemus tamen interdictionem civilem quæ privat fere omnibus familiæ juribus.

3. *Emancipatione:* Est emancipatio *actus legitimus*, quo pater liberos a sua potestate dimittit ut sui juris efficiantur (3).

4. *Dignitate.* Veluti per electionem Filii ad patriciam dignitatem (4), ad sacerdotium episcopale (5) ad consulatum, ad præfecturam prætorianam, præfecturam urbis, patrocinium fisci (6).

5. Item in pœnam, jura patriæ potestatis amittunt parentes prostituentes filias (7), exponentem infantem (8), incestas nuptias contrahentes (9).

6. In nostra Hispania liberi exeunt a patria potestate per nuptias solemnes et per separatam œconomiam vigesimo quinto anno expleto (10). (*).

ARTICULUS IV—De dominio uxorum (11).

Q. 1. *Quotupliciter distinguuntur bona uxorum?*

R. Bona uxorum triplicis generis distinguuntur, nempe *dotalia*, *paraphernalia*, atque *communia*.

(1) *Pr. Inst. quib. mod. jus pat. potest. solv.* In Hispania autem cum nepotes non sint sub potestate avi, per mortem hujus non solvitur patria potestas, sed morte patris in cujus potestate sunt filii. N. E.

(2) Patria potestas magis suspendebatur quam tollebatur captivitate patris aut filii, quippe his in civitatem reversis, jure postliminii, pristiana jura servabantur intacta.

(3) Justinianus constituit modum emancipandi, et eo nos utimur: pater nempe, actibus intervenientibus et filio præsente et consentiente, apud judicem competentem declarat velle se filium e sua potestate dimittere. Ex quo deducitur ad emancipationem requiri *consensum* patris et filii: patris quia ipse amittit potestatem in filium; nemo autem sine causa *invitus* jure suo privari debet: *filii*, quia emancipatio est beneficium filio factum, sed *beneficia in invitum non conferuntur*.

(4) L. fin. C. de consul § 4. Instit. hoc titulo, quib. mod. jus pat. potest. solv.

(5) Nov. LXXXI c. 3. (6) Nov. ead. c. 1.

(7) L. 12. C. de episc. aud. l. 6. C. de spect.

(8) L. 2. C. de infant. exposit. Nov. CLIII. c. 1.

(9) Nov. XII cap. 2. — Ita Jus Roman. cui convenit jus Hispaniæ. — Ley 1 y 2, tit. 18, Part. 4 Ley 18, tit. 1, Part. 6; Ley 17, tit. 10. lib. 12. N. R. etc. (10) Loc. cit.

(11) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3. *n.* 489; et *Homo Apost. Tr.* x *n.* 5.

Dotalia sunt quæ ab uxore vel ab alio ejus nomine marito traduntur ad onera matrimonii.—*Paraphernalia* seu extradotalia (1), quæ uxori obveniunt extra dotem, v. g. donatione et hæreditate.—*Communia* quæ communi utriusque conjugis labore acquiruntur.

Q. 2. *Quod uxorum jus in bona dotalia, paraphernalia et communia?*

(*) R. 1: *Bonorum dotalium* uxor habet proprietatem, maritus vero usumfructum et administrationem, qui ideo jus habet prosequendi in judicio dotis debitores etc (2). Potest tamen constitui in contractu, quod uxor singulis annis recipiat partem fructuum vel usurarum pro minutis expensis. Si autem dos sit in pecunia, vel res dotalis sit æstimata *in rebus mobilibus*, tunc maritus quidem acquirit proprietatem (nisi aliud fuerit declaratum); sed, soluto matrimonio, pretium debet restituere, quasi celebrata venditione (3).

Diximus in *rebus mobilibus*; nam si res dotalis æstimata immobilis sit, non transit in proprietatem mariti, nisi hoc ipsum in instrumento dotali exprimatur (*).

(**) Hinc uxor post mortem viri omnibus creditoribus personalibus præfertur. Et adhuc vivente viro, se ipse vergit ad inopiam, potest uxor dotem repetere; deinceps notandum quod si bona dotalia, etiam stabilia dentur viro æstimata, animo ut æstimatio venditionem constituat, tunc etiam vir eorum dominium adquirit et soluto matrimonio, non tenetur nisi ad pretium reddendum (*) (4).

R. 2: *Bonorum paraphernalium* proprietas et usufructus est penes uxorem: ideo hæc sine ejus consensu ne administrari quidem a marito possunt.

R. 3: *Bonorum* denique *communium* (**) proprietas et utilitas ex jure Romano et Hispano pertinet ad utrumque conjugem (5), sed administratio eorumdem bonorum pertinet ad sôlum maritum. Hæc autem communitas bonorum varias conditiones seu restrictiones admittere potest. Sed attendendum est ad varias locorum dispositiones (6) (*).

Quid (dices) *si mulier proprio nomine laboret, v. g. si pictrix sit vel propria pecunia negotietur?* Putamus eam non marito, sed sibi acquirere; nam mulier sui juris est: neque ullibi in jure recensetur inter eas personas, quæ aliis, non sibi acquirunt.

An (quæres) *sponsi possint secum invicem inire societatem bonorum universalem?*

Affirmative sed tantum quoad fructus percipiendos, ac ea nonnisi in contractu matrimonii stabiliri potest. Item nequeunt comprehendi in ea societate debita et credita jam ante conjugium existentia: sicuti neque illa, quæ postea deferuntur titulo successionis, legati aut donationis. Quoad reliqua, conventione deficiente, observentur regulæ pro contractu societatis.

(1) *Paraphernale* dicitur a græco *para* præter, et *pherne* dos.

(2) Ley 7 y 25, tit. 11, Part. 4. (3) Ley 17, 18, 19 y 20, tit. 11 Part. 4.

(4) L. Quoties ff. de jur. dotium, et pro Hispan. leg. cit. not. præced.

(5) Ley 1 y 4, tit. 4, Lib. 10. Nov. Rec.

(6) Gury tract. de just. et jur. cap. 2, p. 2. et *V. Liguor. Op. Mor. lib.* 3. n. 489. — *V.* pro Hispania Ley 5, 9, 10 y 11, tit. 4, Lib. 10 Nov. Rec. — Ley 5, tit. 17, Part. 7.

Quod vero pertinet ad societatem *particularem,* ea tum sponsis tum conjugibus permittitur, si auctoritas accedat Præfecti tribunalis, qui certiorari debet de plena mulieris voluntate, ac cavere ne quid minimum fiat contra leges.

CAPUT QUARTUM

DE MODO MULTIPLICI ACQUIRENDI RERUM DOMINII.

Q. 1. *Quot sunt modi acquirendi rerum dominii?*

R. Cum dominium nunc innitatur duplici jure, *gentium* et *civili,* duplicis idcirco generis distinguuntur modi, quibus illud acquiri potest: alii sunt *juris gentium,* alii *juris civilis.*

1. Modi *juris gentium* varii sunt pro rerum varietate:

Vel enim acquiritur res, quæ est *nullius* aut *nullius* censetur; et modus iste dicitur *originarius;* quia cum ipsa dominii origine nectitur. Modi isti sunt *occupatio,* cum nempe aliquid acquirimus facto nostro; et *accesio,* cum aliquid acquirimus vi rei nostræ.

Vel acquiritur res, quæ *alicujus* jam est, et modus iste dicitur *derivativus;* quia per eum dominium ab uno quasi *derivat* in alium. Et hic maxime venit *traditio.*

2. Modi *juris civilis* dividuntur in *universales* et *particulares:*

Per *universales* acquirimus *universitatem bonorum,* v. g. totum assem hæreditarium. Et hic maxime venit *hæreditas.*

Per *particulares* non acquirimus nisi dominium *rerum particularium,* v. g. domum, palatium etc. Huc veniunt *præscriptio,* et *contractus.*

Q. 2. *Quot modis amittitur semel acquisitum rerum dominium?*

R. Rerum dominium amittitur: 1 morte illud habentis; nam mors omnia temporalia jura solvit; 2 voluntate domini sive per contractum translativum proprietatis; sive per abdicationem, cum quis nempe suo juri renuntiat; 3 judicis sententia, quæ obtinet tum in casu expropriationis bonorum, quam prosequitur creditor, ut debiti solutionem obtineat; tum in casu pœnæ, quæ dicitur bonorum *confiscatio,* qua scilicet bona fisco adjudicantur; 4 ipsa lege, quæ pleno jure suum sortitur effectum: casus esset v. g. revocatio donationis per supervenientes filios in donatore.

Ob rerum dicendarum copiam totidem capitibus erit de modis acquirendi rerum dominii.

CAPUT QUINTUM

DE MODIS ACQUIRENDI RERUM DOMINII JURIS GENTIUM ORIGINARII.

ARTICULUS I—De occupatione (1).

Q. *Quid est occupatio?*

R. Occupatio definiri solet: *apprehensio rei corporalis in nullius dominio existentis animo eam sibi comparandi.*

Dicitur 1, *apprehensio rei corporalis;* incorporalia enim, uti jura, apprehendi corporaliter non possunt.

2. *In nullius dominio existentis*, idest ad neminem in particulari spectantis; quia dominium earum rerum, quæ jam sunt alicujus, acquiritur diverso modo, uti dictum est.

3. *Animo eam etc.;* si enim quis rem compararet nomine alterius, non sibi, sed alteri eam acquireret.

Occupationis species sunt, *venatio, piscatio*, et *inventio*. Inventione rerum occupatio casu fit; venatione vero et piscatione data opera nostra facimus animalia, quæ sunt *nullius* in particulari.

Hic animalia distinguuntur triplicis generis:—Alia sunt *natura sua fera* quæ nempe libere vagantur, qualia sunt animalia vel terrestria, uti lepores; vel volatilia, ut aves in aëre volantes; vel natantia, ut pisces in mari aut fluminibus.—Alia sunt *natura sua mansueta* et *domestica*, ut oves, gallinæ, boves.—Aliæ *cicurata* quæ nempe ex feris mansueta fiunt, ut columbæ in columbario, cuniculi in garena.

§ I—*De venatione, et piscatione.*

Q. 1. *Cujus sunt animalia venatione et piscatione capta?*

R. Vel animalia sunt *mansueta*, vel *mansuefacta*, vel *fera:*

Si 1, ea semper sunt domini sui, etsi ab illius conspectu subtraxerint se. Ita ut si quis lucrandi animo ea detineret, vel fructus ab iis perciperet, v. g. plumam, ova, furtum committeret; quia *res* et *ejus fructus semper clamant ad dominum.*

Si 2, quoadusque ea retinent consuetudinem revertendi ad dominum, semper sunt domini perinde ac animalia *mansueta.* Si vero illam consuetudinem amiserunt, erunt *primi occupantis,* non secus ac animalia fera; quia eo in casu cum iis æquiparantur (2).

Si 3, jam lege definitum est eadem esse primi occupantis: *et volucres et pisces*, inquit Justinianus, *et omnia animalia quæ mari, cælo et terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur* (3).

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor, l.* 3, *n.* 493, et *Homo Ap. Tr.* x, *n.* 9.

(2) Sed quoad cuniculos, columbas et apes vide infra.

(3) § 12 *Instit. t. de rer. divis.*

(**) Porro addiscendæ essent, nisi hæc tractatio plus æquo diffussa evaderet, leges quæ in hac re interdum ferri solent ad piscationem et venationem regulandam. Et sunt ratione loci, personæ (1), temporis et modi.

Quæ quidem reservationes legitimæ sunt. Hinc Lessius cum aliis contravenientem non solum de peccato gravi reum dicit sed etiam ad restitutionem teneri contendit qui venatur in locis a Rege reservatis et hæc quidem loca sint clausa nec alia sit imposita pœna (2); si enim pœna imposita esset tunc peccatum non committi dicendum esset cum S. Lig. de leg. 145. Hinc alii, quibus leges piscationem aut venationem prohibentes videntur pure pœnales, probabile judicant in illo casu vel non peccari vel saltem tantum *venialiter* (3). Videant omnes venatores, ne venando segetibus fructibusque damnum inferant; qui enim damnum infert, de damno tenetur (*).

(**) *Quæres:* An peccet contra justitiam *commutativam* qui venatur aut piscatur in fundo alterius absque ejus licentia?

R. 1° *Neg.*, si fundus ille sit pervius; nullum enim peccatum committitur, nisi ex hoc damnum provenerit, quia feræ non sunt fructus fundi.

R. 2° *Affirmat.* si fundus sit omnino clausus, ita ut feræ non possint inde exire, quia eæ tunc censentur amisisse libertatem suam et ad fundi dominum pertinere (*).

(**) An dominus fundi accipere possit prædam ab alio occisam vel impedire ne ab illo capiatur?

R. *Neg. ad utrumque;* quia quamvis dominus habeat jus impediendi ne alter venetur in suo fundo, fera tamen occisa ad occisorem pertinet. Dominus autem habet jus ad compensationem pro damno a venatore illato.—Lugo, etc. (4) (*).

Q. 2. *Cujus est animal a te captum, si fugam arripiat?*

R. Si fugam arripiens animal a te captum, naturalem acquisivit libertatem, desinit esse tuum et fit *primi occupantis*. Secus semper tuum erit. *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur animal, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus prosecutio:* ita Justinianus (5).

Quid (dices) *si fera est ab uno vulnerata aut illaqueata, capta vero ab alio?* Si fera ita vulnerata erat aut illaqueata, ut adhuc posset fugam arripere, fit *primi occupantis;* quia adhuc censetur in naturali sua libertate.—Si vero ita vulnerata erat aut illaqueata, ut non amplius potuisset fugam arripere, tunc propria erit vulnerantis et illaqueantis ob contrariam rationem; est enim jam inchoata possessio.—Si vero res dubia sit, dividetur in partes æquales; cum æquale tunc sit utriusque et jus et spes. Cæterum est maxime at-

(1) Quoad Clericos est lex ecclesiastica de qua vid. de obligation. d. 1, c. 2, a. 2. N. E.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 604, 605. Hoc pariter valet de piscatione.

(3) Gury de justitia et jure c. 2, § 3.

(4) Gury *Compend. Theol. Mor.* tract. de just. cap. 2, §§ 3.

En España por Real decreto de 3 de Mayo de 1834, art. 8 está prevenido que la caza que cayere del aire en tierra de propiedad ó entrare en ella despues de herida pertenece al dueño ó arrendatario de la tierra y no al cazador. N. E.

(5) § 12 *Inst. t. de rer. div.*

tendenda juxta alios lex illa generalis: *feræ bestiæ capientibus cedunt, non vulnerantibus* (1).

(**) Quæres an quis occidere possit columbas alienas agro suo nocentes?

R. 1. *Neg.* Si non inferant damnum grave, vel si facile abigi possunt.—*Ita communiter.*

R. 2. *Affirm.* Juxta communem sententiam si *graviter* noceant; quia licet unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde pro altero sequatur indirecte damnum æquale damno, quod vult *directe* a seipso avertere. Columbæ autem non præsumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum. —Lugo, Billuart, Elbel (2).

Cæterum (3) columbæ fugientes proprio motu, quin fraude attractæ sint, fiunt ejus in cujus columbarium veniunt. Secus si fraude v. g. cibo omnino extraordinario, seu valde exquisito attractæ fuerint (4) (*).

(**) Quæres quid dicendum de apibus?

R. Examen apum quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque tuum est quamdiu in conspectu tuo remanet, nec difficilis tibi evasit ipsius prosecutio. Aliter fit primi occupantis (5) (*) *(E).*

§ II—*De inventione.*

Q. 1. *Quotuplicis generis sunt res inventæ?*

R. Res inventæ triplicis generis sunt.

Aliæ dominum neque habent, neque habuerunt: v. g. *lapilli* et *gemmæ*, quæ in litore maris interdum reperiuntur.

Aliæ dominum quidem jam habuerunt, sed nunc desierunt habere: ut sunt thesaurus, *bona vacantia*, et *derelicta.*

Aliæ tandem dominum habent, sed ignoratur quisnam ipse sit: ut sunt nuper *amissæ res.*

Q. 2. *Cujus sunt res quæ dominum nec habent nec habuerunt?*

(**) R. Res quæ neque dominum habent nec habuerunt ut lapilli, gemmæ, fragmenta auri, margaritæ, coralla etc. quæ in fluminum fundo reperiuntur vel in litore maris, sunt inventoris. Quia quæ nullius sunt, jure gentium

(1) En España la Ley 21 tit. 28, Part. 3, no hace semejante distincion: solamente dice que la caza herida que perseguida por los cazadores fué cogida por otro, pertenece á este y no á aquellos. Tambien es del primer ocupante el animal que hubiese sido cogido en lazos, cepo, hoyos ú otro armadijo sin que pueda alegar derecho alguno el que los hubiere preparado. A mas de que por el Real Decreto de 4 de Mayo de 1834 sobre caza y pesca está prohibido en todo tiempo cazar con hurones, lazos, reclamos machos etc., esceptuándose tan solo las codornices y demás aves de paso. N. E.

(2) Conforme con esta doctrina el citado Real decreto de 4 de Mayo manda á los dueños de los palomares que los tengan cerrados durante los meses de Octubre y Noviembre, y desde 15 de Junio á 15 de Agosto, facultando tirar á las palomas á cualquier distancia fuera del pueblo durante estas temporadas además de la multa pecunaria que impone. N. E.

(3) Columbæ (quod valet cum proportione de cuniculis) proportionari debent latitudini fundi, atque a domino curandum est, ne damnum inferant maxime seminationis tempore. Vicini quibus nocent, possunt eas utique abigere, eaque de re reclamare. Vid. *Bouvier.*

(4) Gury loc. citato. (5) Gury ibidem.

fiunt primi occupantis (1). Jure tamen Cæsareo vel municipali Provinciarum diversæ sunt dispositiones (2) (*).

Q. 3. *Quid de thesauro* (3)?

(**) R. 1. Thesaurus in proprio inventoris fundo repertus, totus est inventoris. Thesaurus vero in alterius fundo inventus, ex jure positivo (quidquid sit de jure naturali) inter proprietarium fundi et inventorem æque dividi debet, si fortuito repertus sit: si autem ex industria (4), proprietario fundi totus cedere, interveniente juridica sententia.—Ita Jus Rom. (5), cui convenit jus Hispaniæ.

(*) R. 2. Thesaurus in loco publico inventus dividi debet inter inventorem et fiscum (6), si locus sit *profanus*, vel inter inventorem et fabricam aut prælatum si locus habeatur ut sacer (7) (*).

(**) Hoc tamen limitandum est, quod repertus in loco publico fit totus Principis aut civitatis, si fuerit ex industria quæsitus sine consensu: media pars quidem ante judicis sententiam, altera post. Ratio est quod Princeps non sit pejoris conditionis quam alter particularis, cui totus thesaurus sic adjudicatur ut diximus (8) (*).

Q. 4. *Quid de fodinis?*

(**) R. Fodinæ non tantum carbonariæ, arenariæ, marmoreæ, aliæque similes minores, sed et metallicæ etiam pretiosæ v. g. argenti et auri, jure naturæ pertinent ad dominum fundi. Ratio est quia tam venæ auri et argenti, quam ferri, plumbi, etc. sunt pars fundi adeoque ad ejus dominum pertinent.

Legitime autem effectum est sive jure communi sive consuetudine communiter recepta, ut Principes aut Respublicæ eas sibi vindicent parte concessa inventori et compensato damno, quod domino fundi infertur. (9). Legiti-

(1) L. 18 *Inst. de rer. divis. et adquir. rer dom.*

(2) Billuart Theol. curs. tract. de jure et just. § de thesauris.

(3) Thesaurus ex jure Romano est summa pecuniæ in terra abscondita, cujus memoria non extat; Leg. numq. 31 ff. De acquir. dom. N. E.

(4) Qui bona fide emit arcam, in qua gemmas vel pecuniam invenit, totum sibi retinere potest, si nulla sint vestigia, quibus judicari possit, ad quem hæ pertineant; quia est simul inventor et dominus. Ita *Lessius.*

Item qui pretio communi emit agrum suspicans ibi esse reconditum thesaurum totum retinere potest, si inveniat, nam thesaurus nondum repertus ad dominum agri nullimode pertinet, neque est pars fundi. Ita *Bouvier.*

Dices: non licet a rustico emere vili pretio gemmam, quam ipse putat esse vitrum, ergo a pari neque campum pretio ordinario, si ibi latet thesaurus. Sed, disparitas est, quod præstantia gemmæ sit pars ejus; insuper non emitur pretio quod ex communi habet æstimatione. At thesaurus non est pars agri; et ager emitur juxta communem æstimationem. Ita *Lyonnet.*

(5) *Instit. lib.* 2, *de rer. divis.* Thesaur. 39. N. E.

(6) *Institut. eodem loco* ubi dicitur « si quis in fiscali loco vel publico vel civitatis thesaurum invenerit, dimidium ipsius esse debeat et dimidium fisci vel civitatis.» Fiscus proprie dictus est vas ex junco: dein dictus fuit loculus aut saculus ad pecuniam servandam: demum dici cæpit publicum ærarium et omnis pecunia publica. N. E.

(7) Gury Comp. Theol. Mor. de just. et jur. c. 2, de inventione. N. E.

(8) Henno Theol. Dogm. Mor. et Scholast. de jur. disp. 4, quæst. 5. Idem dicendum de thesauro invento in loco sacro, inscito aut invito Prælato et ex industria quæsito. N. E.

(9) En España segun la ley de 11 de Abril y el reglamento de 9 de Agosto de 1849, todas las

me quidem quia id convenit Principibus aut Rebuspublicis ad sustinenda onera communia, et aliunde cum sint magnæ æstimationis et difficillimæ inventionis interest excitare homines proposito præmio ad hujusmodi venarum inquisitionem et inventionem (1) (*).

Q. 5. *Cujus sunt bona derelicta et vacantia?*

R. Bona mobilia *derelicta*, utpote domino carentia fiunt *primi occupantis;* res enim derelicta est res vere *nullius*. Censetur autem dominus rem suam *derelinquere*, quando eam abjicit, vel derelinquit cum intentione eam non amplius habendi uti suam (2).

Sed quid (quæres) *de bonis naufragorum? suntne inter derelicta habenda?* Negative: *eas res palam est*, ait Justinianus, *non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit...; quare siquis eas lucrandi animo abstulerit, furtum committit* (3). Imo si hæc bona pertineant ad Christianos, ea surripientes incurrunt excommunicationem *latæ sententiæ* (4).

Hic observamus, quod *tum* jura super bona in mare projecta aut a mari rejecta; *tum* jura super plantas et herbas, quæ crescunt juxta litus, ubique propriis reguntur legibus.

Q. 6. *Quid de rebus inventis, quæ dominum habere censentur?*

R. Si diligentia adhibita, quæ rei inventæ valori respondeat (5), statim invenitur dominus, res ei tradenda est; cum clamet ad dominum. Hinc D. Augustinus: *si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti* (6): et Origenes, *multi sine peccato putant esse, si alienum quod invenerint, retineant: et dicunt, Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo hoc peccatum simile*

sustancias inorgánicas que se prestan á una esplotacion, sean metálicas, combustibles, salinas ó piedras preciosas, ya se encuentren en el interior de la tierra, ya en su superficie, son de propiedad del Estado, y nadie pod á beneficiarles sin concesion del Gobierno en la forma que se dispone en la misma ley. N. E.

(1) Reuter cum Molina, Lug. Vasq. et alii contra Less. Valentiam id negantes. Theol. Mor. part. III tract. quæst. V. — Billuart Theol. de just. et jur. art. 2, § VII. N. E.

(2) In fundo alieno fungos perquirere, vel colligere glandes, vel sibi vindicare nuces ac castaneas, quas (iis jam collectis) conductæ mulieres stramen pectinando, vel alii casu inveniunt, ferme ubique consuetudo permittit; ut permittit in alienis agris vel vineis colligere spicas vel uvas, quæ fugiunt manus metentium vel vindemiatorum. Hæc uti totidem bona a domino derelicta habentur. Sed cavendum, ne talia inquirendo alienis fundis damnum inferatur, ut non raro lugendum est.

(3) *Inst. de rer. div.* § *ult.* — *V.* pro Hispania Leg. 49 y 50, tit. 28, Part. 3 y Ley. 7, tit. 9, Part. 5.

(4) Ex c. excomm. de rapt.

(5 « Inventor *saltem ex charitate* tenetur ad inquirendum dominum cum diligentia pretio rei proportionata, quia in pari occasione idem sibi fieri unusquisque censetur velle. Dixi *saltem ex charitate*, quia plurimi Theologi cum Collatore Ambianensi, ut valde suspectum injustitiæ habent eum qui omittit hujusmodi disquisitiones; adest enim quasi contractus, quem vocant *gestionis*, vi cujus inventor, eo ipso, quod rem apprehendat, et in custodia accipiat, suscipit in se illius curam, ac proinde obligationem dominum quærendi, ut ipsi eam reddere valeat. Si has disquisitiones facere nollet, tunc res non erat apprehendenda.

Hoc satis rationi consentaneum est, et imo ultra omne dubium, si disquisitiones omittendo, rem inventu difficiliorem reddat, prout ordinarie accidit, cum inventor rem apprehendens causa sit, cur dominus communiter recordans loci, in quo eam perdidit, eam frustra hoc in loco quærat, vel res amissa non inveniatur ab eo, qui dominum diligenter inquisivisset. » Ita *Lyonnet.*

(6) Serm. 179.

esse rapinæ, si quis inventa non reddat (1). Est certum apud omnes (2).

Sed (quæres) *cui tradenda est res inventa, si debita diligentia adhibita, ejus dominus nullimode potuerit inveniri?*

R. Si post adhibitam debitam diligentiam non inveniatur dominus rei inventæ, cuinam illa sit tradenda in conscientia, non una sententia est.

Alii cum Navarro et Soto tenent, quod inventor potest tuto illam retinere; quia domino non invento post omnem diligentiam, res censetur domino carere, et ideo fit primi occupantis. Unde lex civilis sic resolvens etiam conscientiose quæstionem resolvit.

Alii valde communius censent cum S. Antonino, Cajetano, Sylvio aliisque, rem perditam debere elargiri in usus pios. Ratio, quia præsumitur voluntas domini esse, quod si ipse rem amissam habere non possit, saltem illa pro anima sua erogetur. Hic citari possunt et Catechismus Romanus, et S. Carolus in Concilio Mediol. IV, a quibus aperte statuitur bona inventa in pios usus distribuenda esse. Et talis etiam videtur esse fidelium persuasio. Unde inventor non potest ea sibi applicare, nisi sit vere pauper.

Alii tandem sic verius distinguunt cum Croix, Holzman et Lugo: si etiam post adhibitam diligentiam aliqua appareat spes inveniendi dominum, tunc ei conservanda est, aut ejus pretium; et si neutrum servari potest, debet distribui pauperibus; quia dum talis spes durat, dominus habet dominium rei; ideoque illa distribuenda est juxta ejus præsumptam voluntatem (3). Hoc porro sensu accipienda sunt objecta testimonia. — Si e converso, res (spectatis circumstantiis longitudinis, temporis, vel distantiæ loci, vel diligentiæ inquisitionis, vel impossibilitatis recognitionis rei, ut accidit in nummis ordinariis) non sit amplius possibile, quod ad dominum redeat, illam potest inventor sibi retinere, cum sit nullius; et si casu postea dominus compareat, nihil ei debetur, cum amiserit omne jus.

Nec valet dicere, quod juxta præsumptam domini voluntatem est res illa eroganda in usus pios; nam quando attentis dictis circumstantiis, judicari potest, quod dominus amplius non possit inveniri, tunc nulla supponi debet præsumpta domini voluntas; nam iste per suam impossibilitatem eam recuperandi, ejus dominium prorsus amisit.

Hanc sententiam expresse docet S. Thomas, qui ait, *et similiter, si* (res) *pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum* (4).

Ratio *a priori* est, quia jus gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur. Hinc quando est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, illa tamquam derelicta evadit nullius, et redit ad

(1) Hom. IV, in c. 4. Lev.

(2) Si autem inveniatur dominus, quod ipse teneatur non solum omnes expensas factas pro re sua solvere, sed etiam aliquod inventori præmium tribuere, rationi congruum est et bonum publicum fovens; facilius enim sic alliciuntur inventores ad rem domino inquirendam, conservandam atque reddendam: ideo præmium tuto potest exigi et retineri.

(3) Quod si post hanc distributionem dominus compareat, dicunt rem ipsi esse restituendam, si adhuc illa in se vel in æquivalenti existat, nec sit præscripta; quia largitio hæc videtur includere conditionem, *nisi dominus innotescat.* (4) 2, 2, q. 66, a. 5.

primævum jus naturæ; ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione (1).

Quid autem (dices) *si Confessarius a pœnitente rogetur de rerum inventarum restitutione domino facienda?*

Confessarius non debet in se tale onus suscipere, nisi aliter restitutio satis commode fieri nequeat. Quo in casu ad omnem suspicionis notam effugiendam attente satagat, ut attestationem peractæ restitutionis in scripto exaratam a domino ipso reportet, eamque pœnitenti caute consignet (2). *(F).*

ARTICULUS II — De accessione.

Q. *Quid est accessio, et quotuplex?*

Accessio est ille dominii acquirendi modus, *quo nostrum fit illud, quod vel rebus jam nostris adjungitur, vel ab ipsis rebus nostris producitur sive de industria, sive ipsa sui natura; sive res illæ mobiles sint, sive immobiles.*

Duo igitur sunt genera accessionum: res enim *vel* ab altera producitur, *vel* alteri adjungitur.

§ I — *De accessione quoad rem, quæ una ab altera producitur.*

Q. *Quomodo una res ab altera producitur?*

R. Res una ab altera producitur vel *realitate*, ut fructus agrorum, fœtus animalium etc.: vel *suppositione* seu juris fictione, ut pensio fundi locati, reditus vitalitii etc. Quæ omnia generali *fructuum* nomine appellantur. Ut igitur cognoscatur ad quem pertineant hæ accessiones, triplicem imprimis distinguendam dicimus possessorum classem: alii sunt possessores *vere domini:* alii *bonæ fidei*: alii *malæ fidei.*

Possessores *vere domini* sunt qui plenum habent rei, v. g. fundi, dominium.

Possessores *bonæ fidei* sunt qui rem alienam possident tamquam ejus proprietarii vi alicujus tituli, qui quidem idoneus est ad dominium transferendum; sed illud reapse non transfert ob vitium latens, quod a possessore penitus ignoratur: v. g. si quis fundum ex hæreditate possideat, putans eum fuisse a suo auctore aliquando emptum, cum non emptus revera fuerit, sed usurpatus.

Possessores *malæ fidei* sunt qui rem possident, quam non ignorant esse alienam, v. g. furto sublatam. His positis:

1. Dicimus: omnes fructus alicujus rei pertinent ad ipsius *proprietarium*: cum sit *vere dominus;* sed cum onere compensandi aliis expensas omnes, si quæ factæ fuerunt:

2. Possessor *bonæ fidei* jus habet in omnes fructus perceptos (3), nec debet

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 603. — *V.* etiam Gousset, *Theol. n.* 704. En España está dispuesto por la Ley de 16 de Mayo de 1835 que queden adjudicados al Estado los bienes semovientes, muebles é inmuebles, derechos y prestaciones que no pertenecen á dueño conocido, ni están poseidos por individuo ó corporacion alguna. N. E.

(2) Ita etiam *Synodus Novariensis* pag. 124.

(3) Porro, *perseverante bona fide* (non obstante axiomate illo) quod (*res fructificat domino suo*),

domino restituere nisi quos percepit a die, qua *judicialiter* de restitutione fuit expostulatus, non exclusa compensatione sibi facienda cujuslibet incrementi, quod res acceperit si adhuc retineat.

3. Possessor *malæ fidei* restituere debet non solum fructus omnes perceptos, sed etiam quos percepisset, si bene et tamquam bonus paterfamilias rem administrasset, ac merito, cum sit in culpa.

§ II — *De accessione quoad rem, quæ una alteri adjungitur.*

Hæc accessio contingit tum in *immobilibus* tum in *mobilibus*. Ubi notamus, quod hic generatim est receptum, ut accessorium sequatur principale. Est autem *principale* res, quæ subsistit, licet minus pretiosa; *accessorium* autem, quod alterius rei ornandæ causa accedit.

Q. 1. *Quot modis contingit accessio immobilium* (1)?

R. Duobus: 1, *plantatione* et *ædificatione*; 2 *vi cursus aquarum*.

1. *Plantatione* et *ædificatione*.

(**) *Ædificatione* ex § *Cum in suo Inst. de rer. divis.* § 29 ubi statuitur, quod si tu ædifices in solo tuo de aliena materia, omne cedat solo, sed tenearis reddere duplum pretii illius materiæ: et si ædificium ruat, possit dominus materiam illam sibi vindicare. Vide Croix (2). E converso in § 30 statuitur, quod si ædifices scienter ex materia tua in solo alterius, ædificium illius est, et tu materiæ dominium amittis. Ex quo colligitur, in eo casu ne pretium quidem illius te posse repetere, quia præsumptio fit, te donare voluisse. Secus autem si constet te donare noluisse (3). Quapropter si mala fide ædificasti, materiæ pretium repetere non potest, bene vero si bona fide. Tunc enim, diruto ædificio, potes tuam materiam vindicare et interim etiam pretium repetere ex æquitate, juxta utilitatis æstimationem (4) (*).

(**) *Plantatione ex* § 31 ubi statuitur, quod si tu ponas alienam plantam in solo tuo, illa tua fiat: sic e converso, si ponas tuam in solo alterius, planta illius erit, si jam radices egerit. Et ibi pariter statuitur quod planta posita prope confines fundi alieni, quæ in illum radices jecerit, sit communis. Notandum hic autem, non licere arboris in alieno fundo positæ succidere radices aut ramos porrigentes se in agrum proprium, nisi alter monitus eos tollere nollet. Idem quod dicitur de planta statuitur de frumento sato, quod etiam solo cedit, ex § 32. Et qui seminaverit mala fide, neque expensas repetere potest. Pariter in § 33 statuitur, ut litteræ, licet aureæ, cedant chartis: sed hodie ex consuetudine asserit Croix (5) cum Ills. et Haun contrarium vigere (6) (*).

ait Bouvier, *communius dicunt auctores hanc dispositionem valere pro foro interno, quia lex dominium hujusmodi fructuum ad possessorem intuitu pacis et securitatis familiarum transfert.* — *V.* etiam *de Restit.* disp. 1, c. 1, a. 1, § 1.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 493, *et seqq.*

(2) Lib. 3, p. 2, n. 128.

(3) L. 2, c. *rei vindication.*

(4) L. 38 ff. de pet. hæredit. Ita S. Liguor. *Op. Moral. lib.* 3 *tract.* 5, n. 500. — Gury *Theol. Tract. de just. punct.* 4, *n.* 581. N. E.

(5) Loc. cit. n. 134.

(6) Ita S. Liguor. loc. cit. n. 501.

2. *Vi cursus aquarum.* Quatuor sunt species accessionis, quæ fit *vi cursus aquarum:* 1, *alluvio;* 2, *avulsio;* 3, *mutatio alvei;* 4, *insula in flumine nata.*

Contingit *alluvio* quando aliquid *latenter* et *insensibiliter* ita fundo meo adjicitur, ut intelligi nequeat quantum quovis temporis puncto adjiciatur: hoc incrementum pertinet ad eum, cujus est fundus, sub certis clausulis. Similiter quando aqua paulatim unam ripam deserit alteram supergrediendo, proprietarius ripæ a flumine derelictæ hujus alluvionis incrementum acquirit, quin proprietarius ripæ oppositæ possit reclamare partem proprii fundi, quam aqua supergressa est.

(**) Ita jus Romanum «Quod per *alluvionem* agro tuo flumen adjicit, jure Gentium tibi acquiritur (1) (*).»

Non autem *avulsione* id est *alluvione repentina* dominium acquiri potest (2).

Avulsio contingit quando vi et impetu improviso, v. g. fluminis, pars aliqua notabilis distrahitur ab uno fundo et adjungitur alteri, et hæc semper manet in dominio illius, a cujus fundo detracta est; in hac enim facile potest dominus inveniri, quod non evenit in alluvione (**). Ita jus Romanum «quod si vis *repentina* fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit et vicini prædio attulerit, palam est eam tuam permanere. Si tamen longiori tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse (3) (*).»

(**) Quoad vero insulam in mari natam, occupantis fit: nullius enim esse creditur. Idem dic de insula dudum ab incolis deserta.

At insula in flumine nata si mediam partem fluminis tenet, communis est eorum qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident; pro modo scilicet latitudinis cujusque fundi quæ prope ripam sit. Quod si alteri proximior sit parti, eorum est tantum qui ab ea parte prope ripam prædia possident. Quod si aliqua parte divisum sit flumen, deinde infra unitum, agrum alicujus in formam insulæ redegerit, ejusdem permanet is ager cujus et fuerat (4) (*).

Q. 2. *Quot modis contingit accessio mobilium?*

R. Triplici modo contingit accessio mobilium, nempe *adjunctione*, *specificatione* atque *confusione* sive *commixtione.*

1. *Adjunctio* est quando una res, vel multæ res mobiles, quæ ad diversos dominos pertinent, uniuntur et coalescunt alteri rei tamquam principali: v. g. si plures gemmæ plurium dominorum annulo includantur, ita ut unum annulum pretiosum constituant.

Jam vero: *vel* res secundaria, quæ principali adjungitur, est ipsa longe pretiosior: *vel* non.—Si 1, proprietarius rei adjunctæ (si id factum sit absque ejus scientia ac consensu) potest arbitrio suo aut totum inde exurgens sibi vindicare, v. g. annulum tot iis gemmis præditum, soluto pretio rei princi-

(1) In termin. lib. 2. Inst. de rerum division. § Præterea 20.
(2) V. Gury Comp. Theol. Mo. Tract. de just. et jur. de accession.
(3) Lib. 2. Instit. de rerum divis. § Quod si vis.
(4) Lib. 2. Instit. de rer. divis. ibid. V. Billuart 2ª 2 æ Tract. de Jure et just.

palis; vel petere separationem ejusdem a re principali. — Si 2, tunc si res *possunt separari* absque earum detrimento, quilibet dominus retinet proprietatem rei suæ, et valet ejus separationem a toto expostulare: si *non possunt*, totum pertinebit ad dominum rei principalis, soluto pretio rerum adjunctarum; quia *accessorium sequitur naturam principalis* (1).

2. *Specificatio* est, quando *species nova* conficitur ex re aliena, v. g. si quis ex lana Titii sibi conficiat pannum; vel ex massa auri quod Titii proprium est, sibi conficiat annulum; vel demum *ex* uva Titii sibi conficiat vinum: iste dicitur *specificans*.

(**) Igitur dum quis ex aliena materia novam speciem formavit, si species ad priorem materiam integra redire possit, pertinet ad dominum materiæ, ut si quis ex tuo argento sciphum fabricavit, tuus est. Si vero species ad priorem materiam integre redire non possit, pertinet ad eum qui fabricavit, ut si ex lana aliena vestem, ex corio alieno calceum confecisti, tua est vestis, tuus est calceus, semper tamen cum obligatione solvendi pretium materiæ (2) (*).

(**) Quidam ex æquitate naturali, ut putant, excipiunt vinum factum ex uvis alienis et oleum ex olivis alienis, sed jura laudata expresse contradicunt, quippe quæ hæc exempla formaliter proponunt in sensu stabilito, et frumentum dumtaxat ex spicis alienis excussum excipiunt, quia inquiunt, *Cum grana, quæ spicis continentur, perfectam habeant speciem suam; qui excussit spicas, non novam facit speciem, sed eam quæ est delegit* (3).

Tamen si quis sciens materiam esse alienam, eam confuderit, aut ex ea novam speciem fecerit, res a pristino omnino vindicari posset (4) (*).

3. *Confusio* sive *commixtio* est quando diversæ materiæ ad complures dominos pertinentes simul confunduntur seu commiscentur. Id contingit *vel* in corporibus liquidis aut liquefactis, v. g. si vinum duorum simul infundatur in unum idemque vas; *vel* etiam in corporibus solidis, v. g. si nummi Titii cum nummis Sempronii misceantur, frumentum cum frumento.

Porro *vel* materiæ illæ sine præjudicio a se invicem separari possunt: *vel* non. — Si 1 quilibet dominus rem suam potest sibi vindicare, v. g. quilibet suam pecuniam. — Si 2, tunc *si constat* quænam sit res principalis, dominus rei principalis sibi vindicat totum, v. g. vinum, compensando cæteris materiam propriam, v. g. uvas; *si non constat*, res tota pertinebit ad singulos pro rata quantitatis, qualitatis et valoris materiæ uniuscujusque eorum (5).

(1) Habenda autem erit uti *res principalis* illa, cui res adjuncta est tamquam ornamentum vel usum vel complementum: sic v. g. gemma adjungitur annulo, et purpura vesti. Si vero dubitetur, habebitur uti res principalis illa, quæ præstat valore et pretio: et si valor et pretium sint ferme æqualia, præfertur illa, quæ præstat volumine.

(2) *L. adeo sæp. cit.* § 7, *et Institut. de rerum division. tit.* 1. § *Quum ex* 125.

(3) *L. adeo citat.*

(4) *L. de eo* § *siquis ff. ad exhibendum l.* 1.° *tit.* 4.—*V.* Billuart Theol. Tract. de jure et justit. art. 2.

(5) *V.* Lig. *Opus. Mor. l.* 3, *tract.* 5, *de just. et jure, n.* 498.—La doctrina contenida en este artículo, sacada en general del derecho romano, es muy conforme con nuestro derecho de Partidas. Así por ejemplo: Por derecho de accesion natural son nuestras las crias de los animales que están en nuestro dominio, *ley* 25 *tit.* 28, part. 3ª: es nuestro el aumento de terreno que el rio va incorporando insensible y paulatinamente á los campos que poseemos en su orilla, *ley* 26, nuestra

CAPUT SEXTUM

DE MODIS ACQUIRENDI RERUM DOMINII JURIS GENTIUM DERIVATIVIS.

ARTICULUS UNICUS — De TRADITIONE (1).

Q. 1. *Quid est traditio, et quotuplex?*

R. Traditio definitur: *translatio possessionis de manu in manum, si res mobilis sit;* vel *immissio in possessionem, si sit immobilis.*

Traditio alia est *propria*, quæ consistit in rebus *corporalibus*, quæ mobiles sint sive immobiles. — Alia *impropria*, quæ rebus incorporalibus convenit: hæ quippe dicuntur *tradi,* cum dominus alteri concedit earum usum. — Alia demum *ficta* quæ triplex est *brevis manus*, *longæ manus* atque *simbolica:*

1. *Brevis manus* est cum res nostra, quæ jam est penes alterum, ex nova causa *jure dominii* ipsi relinquitur, v. g. si res nostra apud aliquem jam existens aliquo titulo, puta ex deposito, apud eumdem relinquatur alio titulo, puta venditione.

2. *Longæ manus* est cum res ante oculos posita sola voluntate alteri traditur, qui eamdem se acciperesignificat oculis, *quasi longa manu* eam apprehendens.

3. *Simbolica* est cum intervenit aliquod signum, quod rei traditionem significet, v. g. si tradantur claves horrei ad significandam traditionem omnium, quæ in illo continentur.

Q. 2. *Quomodo fit traditio?*

R. Si agatur de rebus *incorporeis,* traditio fit per consignationem documentorum, quæ rerum illarum dominium respiciunt, v. g. patronatum alicujus Beneficii; aut per usum earumdem rerum de consensu domini.

Si vero agatur de rebus *corporeis* est distinguendum: vel agitur de rebus corporeis *immobilibus:* vel de corporeis *mobilibus.* — Si 1, traditio fit per consignationem clavium, ubi agatur de aliquo ædificio; vel documentorum ubi de alia proprietate sit sermo. — Si 2, (**) traditio fit traditione vere reali, id est donatione manu in manum (*) (2).

la porcion del campo inmediato que la fuerza del rio arrebata en su creciente rápida y la agrega al territorio que nos pertenece, si el dueño de aquel es tan negligente que sin hacer reclamacion alguna deja que sus árboles echen raices en nuestro campo, ó que se consolide la reunion del terreno agregado, aunque tendrémos que darle la estimacion del menoscabo, *d. ley* 26. etc. Lo mismo debemos decir de la accesion industrial ó sea por la *conjuncion, especificacion* ó *commixtion.* Véase la *ley* 35, *tit.* 28, Part. 3ª, y 36, 37 y 42 *del mismo título y Partida.* N. E.

(1) Ins. lib. II, tit. 1 n. 40. N. E.

(2) *V.* de hac re Leges 46, 47 et 48, tit. 28, et leg. 1, 6, 7, 8 et 9, tit. 30, Part. 3. N. E.

CAPUT SEPTIMUM

DE MODO ACQUIRENDI DOMINII JURIS CIVILIS UNIVERSALI ID EST DE HÆREDITATE.

Q. 1. *Quid est hæreditas?*

R. Hæreditas definitur: *successio in universum jus, quod defunctus habebat tempore mortis.* Hæreditas in jure civili appellatur quoque *as, pondo* seu *libra*, cujus partes vel unciæ enumerantur duodecim, vel etiam plures, si ita placuerit.

Hæreditas generice accepta duplex est; pro duplici nempe modo quo ipsa hæreditas solet deferri.

Videlicet vel defertur ex hominis voluntate per testamentum declarata; et dicitur *hæreditas* vel *successio testamentaria.* Huc pertinet etiam hæreditas *fidei-commissaria*, et *fiduciaria.*

Vel defertur ex ipsa legis vi et auctoritate, et dicitur *hæreditas legitima*, sive *successio ab intestato.*

Q. 2. *An omnes, qui usum rationis habent valide possint de bonis suis per testamentum disponere ipso jure naturæ?*

R. Cum *Bouvier* affirmative:

Prob. 1. *Scriptura,* ubi legitur: *addiditque Abraham: mihi autem non dedisti semen et ecce vernaculus meus* (Eliezer) *hæres meus erit* (1). Unde sic: Abraham nullis tunc, saltem valde probabiliter, regebatur legibus positivis; atqui tamen intendebat servum suum instituere bonorum suorum hæredem, sicque de bonis suis per actum testamentarium disposuisset: ergo persuasum habebat talem facultatem a legibus positivis non exoriri.

Prob. 2. *Ratione:* supponamus plures homines in quadam insula nullis legibus positivis subjectos: unus prope mortem dicit aliis: volo ut cum abiero, bona mea inter vos sic dividatis: Petrus habebit vestes meas, Paulus libros etc. Vel illa dispositio est valida, vel non. — Si valida est, facultas disponendi per testamentum est naturalis. — Si non esset valida, ergo bona defuncti erunt primi occupantis, et non obstante illius dispositione, fortior poterit absque cæterorum injuria, omnia sibi arrogare. At hoc rectæ ratio-ni et obvio sensui repugnat, etenim *nihil est tam conveniens æquitati naturali,* ait Justinianus, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam habere (2). Adde ex naturali lege quisque suum donare potest sub conditione suspensiva; talis autem est donatio per testamentum; est nempe donatio sub conditione mortis.

Hinc sequitur quascumque dispositiones, a lege positiva non clare prohibitas, esse validas per se; facultate enim naturali valide et licite uti possumus, dum illius usus nulla certa lege restringitur.

(1) Gen. 15.

(2) Inst. de rer. divis. 540. Hoc ipsum contra nonnullos Juristas tuetur cl. Pastore. *Commenti del Cod. civ. Albertino h. t.*

Præstat, ut Theologi materiam de hæreditate apprime calleant, ut consilium opportunum præbeant, et ne animabus laqueum imponant (1).

ARTICULUS I — De hæreditate testamentaria (2).

Q. 1. *Quid est testamentum?*

R. Testamentum, quasi *testatio mentis*, definitur: *justa sententia propriæ voluntatis de eo, quod aliquis post mortem suam fieri vult de rebus suis.*

Dicitur 1, *justa sententia. Sententia*, idest certum et deliberatum animi judicium. *Justa*, idest legibus testamentariis accommodata.

2. *Propiæ voluntatis*, ut intelligatur testamentum ex nostro, non ex alieno arbitrio pendere.

3. *De eo, quod aliquis*, nam testamentum declarat ultimam voluntatem unius personæ, non plurium simul; et ideo nullum esset testamentum sive pro alterius, sive pro reciproca utilitate uno et eodem actu conditum a personis duabus, vel pluribus.

4. *Post mortem suam fieri vult*; quia testamentum vim suam non habet, nisi post mortem testatoris, et ideo dici etiam solet *ultima hominis voluntas.*

5. *De rebus suis,* quæ verba indicant materiale testamenti objectum.

Q. 2. *Quotupliciter testamentum potest considerari?*

R. Quadruplici sub respectu potest hic considerari:

1. Ratione suæ *formæ extrinsecæ*; — 2, ratione suæ *formæ intrinsecæ*; — 3, ratione *personæ testatoris*; — 4, ratione *personæ hæredis.*

§ I — *De Testamenti forma extrinseca.*

Q. 1. *Quotuplex est testamentum ratione formæ extrinsecæ?*

R. Testamentum si ratione *suæ formæ extrinsecæ* consideretur, aliud est *minus solemne* seu *privilegiatum*, in quo aliquæ solemnitates aliunde præscriptæ *privilegio* omittuntur. Aliud *solemne* et *non privilegiatum*, in quo solemnitates illæ debent præstari:

1. *Minus solemne* et *privilegiatum* ad triplicem speciem revocatur.—Idest ad testamentum *tempore pestis* vel contagii (**), ad quod non requiruntur septem testes simul congregati: sed sufficit si separatim singuli adhibeantur (3).—Ad testamentum conditum *in itinere super mari.*—Denique ad testamentum *militare* (**), circa quod en S. Liguorii doctrina (4). «Milites hujus temporis gaudent iisdem privilegiis testandi quibus olim, dummodo in castris (vel in propinquo ex causa legitima versentur); atque ideo sufficiunt iis duo testes (licet probabiliter nec hi requirantur) etiam non rogati, Dia-

(1) *V.* Omodeo, *Trattato delle successioni testamentarie.* — Ferrero, *Trattato analitico e ragionato con tavole genealogiche delle successioni ab intestato.* — De Vechi, *Formulario dei Testamenti*, Vercelli 1845. — *Manuale del Notojo.* ossia Istruzione per domande e risposte sopra i contratti, i testamenti ecc. con formole d' atti d' uno stile breve, chiaro e preciso, colla percezione ragionata dei diritti d' Insinuazione, *Torino. Vol. unic.*

(2) *V.* Liguori, *Op, Mor. l.* 3. *nn.* 919 *et seqq.*

(3) Liguor. *Opus Mor. l.* 3, *tract.* 5, *n.* 692. (4) Liguor. *loc. cit. n.* 920. N. E.

na et alii contra Mol., Lugo etc. etiam alias inidonei, modo non sint impuberes, nec cæci vel servi, Lugo, Vasq. etc. neque opus est eorum subscriptione, vel signorum appositione, vel ut sint in conspectu testatoris. Imo miles jure militari (quo præsumitur esse testatus in dubio) potest testari solo nutu. Potest etiam simul plura testamenta valida facere vel pro parte testatus, vel pro parte intestatus recedere. Valetque ejus testamentum etiam post missionem honestam, sed non ultra annum. Lugo etc. Denique possunt milites supra dicto modo testari, tametsi sint surdi et muti (saltem si in castris auditum et vocem amisserunt). Diana et alii (*).»

2. *Non privilegiati* et *solemnis* duplex species: (**) *Scriptum et nuncupativum*. Scripti testamenti solemnitas de jure civili consistit in eo, quod fiat sine tempore et contextu, ita ut nullus actus extraneus et alienus a testamento intermisceatur (1); quod item fiat coram septem testibus ad hoc vocatis et rogatis (2) qui nomina sua subscribant, et signent testamentum annulo, vel proprio vel alieno aut alio signaculo (3) ac denique in hæredis institutione directa, hoc est ut nominetur aliquis, qui in universum jus defuncti sit successurus (4).

Nuncupativum dicitur, quo testator, non interveniente scriptura, coram septem testibus ad hoc convocatis, nuncupat et exprimit palam nomen hæredis et legatorum dationem (5). Atque ita distinguitur a testamento scripto, quod ad substantiam hujus non requiratur scriptura nec testium subscriptio aut subsignatio sitque ex mero jure civili. Et propterea olim Prætor ex eo decernebat bonorum possessionem (6) (*).

(**) Hodie vero passim et jure canonico receptum est et moribus ut testamentum fiat coram Notario et duobus pluribusve testibus. Quod testamenti genus nuncupativum esse verius est, quia testator voluntatem suam nuncupat et declarat coram testibus; Notarius vero nuncupatam voluntatem excipit scripto: non ad substantiam testamenti, sed ad rei gestæ comprobationem nempe testamentum nuncupativum factum fuisse.

Similiter jure Pontificio valet testamentum factum coram parocho et duobus tribusve testibus, potissimum si fiat ad piam causam, veluti si pauperes instituantur hæredes, vel Ecclesia aut Monasterium aliquod (7) Quo in casu ad validitatem testamenti etiam in foro externo non requiri ullas solemnitates jure civili introductas, sed sufficere ea, quæ juris sunt gentium, ut scilicet duo adsint testes nec aliam qualitatem in testibus exigi quam quæ ex ipso jure gentium insit, docet Covar. de *testam. c.* 11. *n.* 9. Jul. clarus § *testamentum quæst.* 9, *n.* 1, et facit textus in c. *Relatum* 11. h. t. Quinimo nequidem requiri duos testes, ad hoc ut testamentum sit validum, dummodo sit potestas in disponente, capacitas in eo in cujus favorem disponitur, et liber-

(1) *L. Hæred.* 21 *in fine ff. Qui test. fac. poss. l. Antiquitas. Cod. hoc t.*
(2) D. l. Hæredes § in testamento. (3) § Sed cum paulatim. Ins. h. t.
(4) L. Hæred. 59, ff. de R. Y.
(5) Hæc consultissima 21 § per nuncupation. et l. Hæredes § penult. ff. eod. titul.
(6) L. Si ita scriptum: ff. de bonor. possess. secund. tabb. V. Vallensis paratit. in jus canon. lib. III, titul. 26, § 1, n. 2.
(7) D. c. *Relatum* 11, h. t.

tas in dispositione docet Lessius (1). Ita ut testes ad probationem dumtaxat sint necessarii ; idque obtinet etiam, ubi testamentum non fit principaliter ad piam causam ; veluti ubi laicus instituitur hæres, ut in c. *Cum esset* 10, *h. t.* quia inquit, Pont. (2). Scriptum est, quod in ore duorum aut trium testium fiet omne verbum (*).

(**) Quamquam hoc casu, quo, inquam, non sit ad piam causam testamentum, *posita contraria consuetudine et usu*, verius videtur, utrumque jus in suo foro servandum esse (3) (*).

(**) Ut in testamento ad pias causas non requiruntur solemnitates juris civilis, ita nec in testamento inter liberos utriusque sexus (4), sed tantum attenditur dispositio juris gentium. Ideoque sicut in testamento ad pias causas duo sufficiunt testes, etiam non rogati, ita et in testamento inter liberos (5) quod aut a Patre aut a Matre aut ab altero ex ascendentibus conditum sit. Tamen valde notandum quod quando hujusmodi testamentum fit in scriptis, Justinianus novo jure statuit (6) non esse validum nisi subscribatur a testatore et a liberis institutis ; aut nisi ipse testator propria manu tempus conditi testamenti, nomina filiorum, et portionem in quibus instituti fuerunt, in testamento scripto exprimat, non tamen requiruntur testes, idque statuit Justinianus ad præcavendas liberorum fraudes. Si autem hoc testamentum fiat nuncupative, nihil innovavit Justinianus et standum erit juri veteri, atque sufficiet quod fiat cum duobus vel tribus testibus masculis aut fœminis V. Molina disp. 128 (*).

(**) Denique rusticis conceditur, ut si ruri testentur, ubi non possint haberi testes quam quinque, ii sufficiant pro suo testamento tam scripto quam nuncupativo : ita in *leg. ult. Cod.* de *test.* Quod si dicti testes nesciant scribere, nec alii qui id sciant inveniri possint, valebit adhuc, quamvis ab ipsis non sit subscriptum : si autem haberi possint aliqui qui scribere queant hi scribant pro se et suppleant pro aliis illiteratis præsentibus (*).

Q. 2. *Quinam sint testes idonei in testamentis ?*

R. (**) Jure Romano testes adhiberi possunt in testamento qui non prohibentur. Prohibentur autem mulier, impubes, servus, furiosus, mutus, surdus, cui bonis interdictum est, et si quos leges jubent improbos intestabilesque esse, id est quibus leges denegant testamenti factionem aut testimonii dictionem (7) (*).

(**) Item prohibetur hæres scriptus et qui eidem vel testatori ratione patriæ potestatis conjunctus est (8) (*).

(*) Jure tamen speciali non denegatur testimonium legatario et fidei commissario singulari eorumque filiis puberibus et aliis in potestate existentibus (9), cum plerumque testibus aliquid relinquatur, ut fideijussore existant, et remunerandi causa non debet destrui testamentum, eo quod ad confirmationem illius factum est (*) *(G)*.

(1) De *just. et jure*, c. 19 dub. 2, n. 7. (2) Alexander tertius. N. E.
(3) *Vallensis paratit. in jus canon.* lib. III, tit. 26, § 1, nn. 5 et 6.
(4) L. *consultissima* § ex *imperfecto.* — Del Vaulx. (5) *Loc. cit. Cod. de test.*
(6) *Authen. de test. imperf. n.* 107 *c.* 1. (7) Inst. lib. II, titul. X, de testam. ordin. n. 6.
(8) Inst. loc. citat. nn. 8, 9, etc. N. E. (9) Inst. loc. cit. § *legatar autem.*

Q. 3. *An testamentum cui desunt tantummodo solemnitates extrinsecæ a jure civili præscriptæ, nullum sit in foro conscientiæ?*

R. Dissident Theologi (1).

Alii cum Lessio docent, adhuc valere testamentum in conscientia; nam a voluntate oritur obligatio, et lex est tantum in subsidium juxta illud: *non fit locus provisioni legis, nisi quando cessat provisio hominis.* Hic porro hominis provisio habetur, licet erratum sit in forma.

Alii cum Suarez docent testamentum nullum esse, quia lex solemnitatum, cum sit lata ob bonum publicum, ad fraudes nempe præcavendas, in conscientia ligat.

Verum *alii* plurimi cum Bannez, Beja, Billuart, Bouvier, Cabassutio, Ferraris, Gousset, Layman, Sanchez, Soto etc. dicunt, eo in casu præferendum esse possessorem, semper ac donatio illa per testamentum sit libere facta inter personas jure habiles ac in parte disponibili (2). Hanc porro sententiam *probabiliorem* et *in praxi omnino tenendam* esse dicimus; quia potius omni jure est *jus possessionis.* Quapropter hæres non tenetur solvere, et e contrario legatarii si jam bona fide legata sint consecuti, non tenentur restituere, nisi accedat judicis sententia, cui parendum est ob bonum commune, ut paci consulatur, simulque jurgiis et litibus imponatur finis (3) *(H).*

§ II — *De Testamenti forma intrinseca.*

Forma testamenti intrinseca respicit *institutionem hæredis; quarumdam personarum exhæredationem; modum utriusque peragendæ.*

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 972 *et fusius* 711.

(2) *V.* Bouvier, *De donatione*, ubi pluribus id tuetur, *Edit. an.* 1846, docens et usum sic se habere, et id esse rationi consentaneum, juxta mentem legum, atque a nimio rigore simul et laxitate alienum.

(3) Segun este parecer (audiatur *Gousset*) el donatario ó legatario que está en posesion de los objetos que le han sido donados ó legados sin observar las formalidades prescritas por la ley, puede conservarlos sin escrúpulo de conciencia; pero los herederos del donador ó testador pueden igualmente en conciencia rehusar la ejecucion de las disposiciones de su autor, haciendo anular en caso necesario el testamento ó acto de donacion.

En este estado de cosas ¿á qué pues deberémos atenernos? Hé aquí nuestro modo de pensar acerca la conducta que debe seguirse, modificando la opinion que tenemos emitida en nuestras *Conferencias de Angers.*

1° Un párroco ó confesor que sea consultado acerca de si se puede en conciencia recibir de los herederos del testador, ó conservar en su poder, un legado ó un don nulo por defecto de forma, responderá afirmativamente.

2° Consultado por los herederos sobre si están obligados en conciencia á cumplir la voluntad bien conocida del testador, les *aconsejará* que la cumplan ó que procuren transigir amistosamente con el legatario; pero *evitará* el hacerles de ello una obligacion, por temor de ir demasiado lejos; á menos que se tratase de un legado piadoso, ó que tuviese razones poderosas para creer que el testador ha hecho el legado con objeto de reparar una injusticia ó para satisfacer al deber de la limosna á los pobres, en favor de los cuales no hubiese hecho durante su vida lo que estaba obligado á hacer, segun opinion de los que lo hubiesen conocido.

3° Si fuese consultado acerca las donaciones manuales acompañadas ó seguidas de las cosas que han sido objeto de ellas, responderá que son válidas. Debe suponerse que no exceden notablemente la cantidad disponible, y que no han sido hechas en fraude de la ley que prohibe el dar á un incapaz.

Q. 1. *Quid de hæredis institutione?*

R. Hæredis institutio est *designatio personæ, quæ succedat titulo universali in jus, quod defunctus habet tempore mortis.*

Hæc fieri potest quocumque modo, idest quibuscumque verbis, sive *directis*, sive *obliquis*, sive *precariis*, sive *imperativis*, dummodo tam de voluntate testatoris, quam de hæredis persona certo constet: ita ut tamquam invalida habenda sit institutio personæ incertæ, quando nullo modo certificari possit. Item erit invalida, si incerta persona sit determinanda ab aliquo tertio.

Q. 2. *Quibus verbis fieri potest institutio hæredis?* (1).

R. Dispositio bonorum quadrupliciter fieri potest.

1. *Pure*, si testator instituit hæredem, quin causam indicet, aut conditionem apponat; sed simpliciter illum nominat, ut passim fit.

2. *Sub causa*, quando nempe exprimitur ratio, quæ ad disponendum movet, quæ si sit *falsa* ac finalis, nulla est dispositio. Si tamen dignosci non potest eam *unicam* fuisse, quamvis illa tantum fuerit indicata, non ideo tamen dispositio est invalida.

3. *Sub demonstratione*, quando scilicet testator describit rem vel personam, quin tamen ipsam nominet. Porro falsa vel rei vel personæ demonstratio non nocet, si aliunde res vel persona certo dignoscatur, demonstratio enim per se habetur uti quid *accessorii*, ideoque per se non influit in substantiam (2).

4. *Sub modo*, quando scilicet hæredi aliquid faciendum injungitur, vel omittendum: modus non suspendit institutionem, sed cautio præstanda est de illo implendo. Nonnumquam tamen modus vestit indolem conditionis.

5. *Sub conditione*, quando nempe testamentaria dispositio habet aliquam conditionem adjectam vel *suspensivam*, quæ rem suspendit; vel *resolutivam*, quæ eam non suspendit, sed veniens resolvit. Dispositio sub conditione *resolutiva* nulla est, si hæres ante illius verificationem moriatur. Non idem est, si conditio sit *suspensiva*.

Cæterum loquendo de conditionibus generatim utrum valeant, distinguendum est: *vel* agitur de conditione possibili et licita, *vel* de conditione impossibili, turpi, ac legi contraria.

Si 1, institutio tenet: nam unusquisque potest pro suo libito de re sua disponere, modo non faciat contra leges: ideo suspendit successionem usque ad conditionis illius eventum.

Si 2, conditio ista habetur pro non adjecta: nempe vitiatur, sed non vitiat (3). Et merito: nemo enim cogitans de morte jocare voluisse censetur (4).

Quid vero (quæres) *si conditio sit: si hæres a nuptiis abstineat, si religionem non ingrediatur*, vel *si eam ingrediatur?*

(1) Quæ omnia proportionatim valent de vocatione *legatarii*.

(2) *V.* Mantica, *De conjecturis ultimarum voluntatum, Coloniæ Allobrogum* 1735.

(3) Sic v. g. erit conditio *impossibilis*, si quis aliquem instituat hæredem, dummodo cœlum manu tetigerit. Erit *turpis*, si eum instituat, modo fiat hæreticus.

(4) Inst. lib. II, tit. XIV, n. 10 de hæred. inst. N. E.

Prima conditio est contra legem; interest enim reipublicæ, ut proles augeantur, et multiplicentur cives. (**) Ita in jure Romano (1). Proinde hæreditas debetur etiamsi matrimonium contrahat. Pariter si legentur mille si non contrahat, et 500 si contrahat debentur mille etiamsi contrahat (2). Quæ omnia vera sunt, ait Cuniliati (3), etiam in foro conscientiæ ut probabilius cum Sylvestro docent plures graves et docti. Etenim legum sanctio justa et communi bono favorabilis prævalere debet voluntati testatoris, præcipue circa dispositiones, quæ honestati undequaque non concordant (*). Excipe si agatur de aliqua pensione, usu, vel usufructu præstando durante tali tempore; nam tunc non proprie conditio prohibens ponitur, sed determinatur tantum duratio præstationis faciendæ tali tempore durante. Item si conditio a conjuge sit posita, quæ semper uti posita habetur, si superstitem prolem relinquat: hoc enim et bonum prolis et votum primi mariti postulat.

Conditio autem *altera* item habetur pro non scripta, utpote quæ est injuriosa Religioni atque turpis (4).

Tertia tandem conditio saltem in *sententia probabiliori* non reprobatur; quia indirecte tantummodo matrimonium per eam prohiberi censetur, quod quidem leges non improbant.

Q. 3. *Quid est exhæredatio et an hæredes exhæredari possint?*

R. Exhæreditatio definiri potest: *exclusio a legitima hæreditatis portione.* (**) Porro ex jure Romano sola Patris auctoritate exhæredari possunt filii in casibus sequentibus. 1° Si *filius injiciat manus in parentem aut contumeliose eum tractet;* 2° si *ejus accusator aut testis sit in causis criminalibus;* 3° si *rem habeat cum ejusdem uxore;* 4° si *nolit fidejubere ad patrem e carcere liberandum;* 5° si *patrem a condendo testamento prohibuerit;* 6° si *filia recusato matrimonio luxuriose vivat* (5) (*). Hæ sunt præcipuæ causæ, jure enim Romano enumerantur usque *quatuordecim* (6). In nostra Hispania exhæredari etiam possunt filiinuptias contrahentes ante ætatem a lege præfixam sine parentum consensu (*).

(**) Causæ vero quibus parentes possunt exhæredari sunt octo, eædem cum superioribus, at pauciores tamen, quia ob inæqualitatem societatis pluribus casibus liberi ingrati possunt esse erga parentes quam parentes erga liberos v. g. si *capitis accusarint liberos, si insidiati sunt vitæ filiorum; si ipsos testari prohibuerint; ob hæresim; si pater matri* vel *hæc patri* venenum præbuerit etc. (7) (*).

Exhæredatio tamen non præjudicat descendentibus exhæredati; et sane personalis culpa suos auctores tenere debet.

Exhæredationis causa semper in testamento exprimenda est ac probanda; alioquin exhæredatus habebit jus ad legitimam. Imo si aliunde non habeat ut vivat, licet exhæredationis causa fuerit expressa, ipsi alimenta debentur

(1) Lex *Quoties* 22., *lex cum tale* 72 *ff.* de *conditione* et *demonstratione.*
(2) L. Titiæ si non nupserit 100. ib.
(3) Theol. Mor. tract. 10 de testam. n. 9.
(4) Novell. 123, c. 37.
(5) Gury *Theol. Mor. tract. de contract. n.* 785, *S. Liguor. n.* 948.
(6) Novel. 113, c. 3. (7) Novel. 115, c. 4.

ab eo, qui illius legitima gaudet, uti æquitas postulat, alimenta tamen non debent superare legitimæ fructus (1).

§ III—*De persona testatoris* (2).

Q. 1. *Quinam testari possunt?*

R. Ex jure naturæ facultas testandi de rebus suis competit iis omnibus, qui gaudent animi integritate, et nullo laborant corporis vitio, quo impediantur declarare quid de rebus suis fieri velint post mortem. Nihil enim vetat, ut ille qui potest rem suam in alium transferre, ita provideat, ut ejus dominium quoad vivit sibi adhæreat, post mortem vero transeat in alium.

Legibus tamen civilibus quarum officium est bono publico prospicere, nonnulla hac super re inducta sunt. Unde iis inhærentes dicimus, *eos omnes libere testari posse, qui testari non prohibentur a lege.*

Q. 2. *Quinam testari prohibentur a lege civili?*

R. Testari a lege civili prohibentur (**) surdus simul et mutus a natura: prodigus, servus, usurarius publicus, filiusfamilias de bonis adventitiis (etiam de consensu Patris nisi ad causas pias) (3) impubes, captivus apud hostem, damnatus ad mortem, si bona ejus confiscantur, professus religionem (4) (*).

(**) Dico *professus,* quia novitius, cum adhuc sui juris sit, absque licentia superioris valide testari potest, etiam non servata juris solemnitate, ut habet Trull. (5) ex Sa et Bonac. et si quidem intestatus decedat, proximi consanguinei in bonis succedunt. Similiter Religiosus societatis Jesu post emissa vota simplicia, etsi non licite, valide tamen potest testari; quia dominium bonorum suorum retinet impeditum quasi voto paupertatis, quoad dispositionem sine licentia superioris, non tamen ulla dispositione canonica irritatur. Ita Mol. Sanch. Laym. qui addit potestatem testandi, seu jure seu consuetudine, etiam religiosis ordinum militarium concessam, frequenterque a pontifice concedi iis solere qui extra claustrum beneficium vel episcopatum habent (6) (*).

Si Religiosi pertinent ad Instituta Religiosa *sæcularia*, ut sunt v. g. Oblati S. Caroli, nullum est dubium quin possint testari non secus ac cæteri clerici omnes, cum paupertatis voto non teneantur. Excipe nisi aliquid peculiariter constitutum fuerit in eorum approbatione ex parte legitimæ auctoritatis.

Sed quid (quæres) *de testamentis conditis in aliena Ditione?*

R. (**) Quantum ad *solemnitates externas,* illas nempe quæ exiguntur ad validitatem testamenti, testator debet servare leges vel statuta loci ubi tes-

(1) *V.* Liguor. *Op. Mor. lib.* 3, *tract.* 5, *n.* 948. N. E.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 942 *et seqq.*— Nemo proprie loquendo, ne in foro quidem conscientiæ tenetur ad testandum; jam enim eo in casu lex providit. Tenetur per accidens, ne lites, aliaque incommoda oriantur. Item præstat, ut christiani quædam etiam ad causas pias relinquant, et hac de re merito a notariis interpellantur.

(3) Ex l. qui in potestate 6. D. Qui testamenta etc. et c. licet de sepult. in 6.

(4) S. Liguor. *Op. Mor. lib.* 3, *tract.* 5, *n.* 942. (5) C. 18, d. 5.

(6) S. Liguor. *Op. Mor. lib.* 3, *tract.* 5, *n.* 942.

tamentum condit, etiamsi diversæ sint solemnitates receptæ et etiamsi bona alibi sita sint; cum tantum actus solemnitatem afficiant minime vero nec personas nec res actum celebrantis: actionum enim solemnitates pertinent ad jurisdictionem illorum in quorum territorio celebrantur (1). Alioquin qui testamentum condere vellet, vel plura condere teneretur vel observare in uno eodemque testamento plurium locorum solemnitates, quod est contra rationem juris, cum testamentum sit actus unus et indivisibilis (2) (*).

(**) Quantum vero ad *formam intrinsecam* testamenti, uti esset v. g. exhæredatio, vinculatio, etc., cum indubitabiliter afficiat ipsam rem, testator ubicumque sit, tenetur leges servare regionis ubi res invenitur (3) quoad res immobiles: quoad vero mobiles et personas tenetur ad leges ubi testator habitet (4).

Q. 3. *An testator ad hæreditatem possit vocare quem voluerit?*

R. *Affirmative:* testator potest vocare hæredem quem voluerit, sed salva portione quam *legitimam* appellant, si aliquibus hæc a lege concedatur; et modo vocatus capax sit ad acquirendum per testamentum, ac vocans aliis obligationibus non obstringatur saltem quoad conscientiam. Quisquis sane rei suæ dominus est, si lex nulla obstet (4).

Q. 4. *Quid est legitima, et quibus in jure conceditur?*

R. Legitima definitur: *quædam portio bonorum defuncti ex legum civilium præscripto personis quibusdam debita.*

Dicitur: 1, *quædam portio bonorum*, non *hæreditatis;* nam in legitima æstimanda æs alienum prius deducendum est, quod in hæreditate non fit:— 2, *defuncti*, quia legitima non conceditur, nisi post mortem testatoris:— 3, *ex legum civilium præscripto,* quia ex lege naturæ patres filiis, filii parentibus non legitimam, sed tantum quod necessarium est ad vitæ sustentationem suppeditare tenentur:—4, *personis quibusdam debita,* quia leges civiles indicant personas, quibus legitima tribuenda est, et dicuntur *legitimarii.* Sunt autem:

1. Omnes filii *legitimi* vel *legitimati:* et sub hoc nomine veniunt omnes eorum descendentes in quocumque gradu; et etiam filii *adoptivi*, et descendentes eorum, cum hoc tamen discrimine, quod descendentes non exhibeant nisi filium quem repræsentant in testatoris successione.

2. Deficientibus filiis aut eorum descendentibus, veniunt ascendentes testatoris, quibus successio esset concedenda etiam ab *intestato.*

Sed (quæres) *quæ legitimæ quantitas hæredibus necessariis debita?*

(**) R. Ex jure Romano.

(1) L. 6, de evict. l. 3, in fin. de testibus. l. 2, C. *quemadmod.* test. ap. l, 9, et ult. C. h. t.

(2) Nihilominus si lex *expresse* disponeret etiam in hujusmodi solemnitatibus externis sequi statuta loci ubi bona radicantur, servandæ essent ad validitatem testamenti.

(3) L. 4, c. de *jur. fisc. l. ult. de jurisd.* — Ita *Vinn. Comm. sup. lib.* 2, *tit.* 10, *n.* 14.

(4) Hic maxime præstat, ut Confessarii ad moribundos audiendos accersiti monitum curent, quod Parochis præbet Synodus Novariensis, nempe *postquam ægroti animæ ex Ecclesiæ præscripto consultum fuerit, si eidem bona aut jura quælibet sint, de quibus testamentariis tabulis legitime disponere queat, id ipsum efficiendum innuant, quin tamen iis rebus quæ hæredis institutionem spectant, sese ingerent, nisi generalibus verbis, ut nempe justitiæ, æquitatis, charitatis, et memoris animi significandi leges minime perfringantur* (pag. 190).

1° Quoad *ascendentes: Triens*, seu tertia pars, deficientibus descendentibus.

2° Quoad *filios legitimos: Triens* si non sint plures quam quatuor filii et *semissis*, seu dimidia pars, si plures sint.

3° Quoad *filios naturales:* succedunt matri pari jure cum legitimis; patri vero non succedent si alios filios habeat, secus in sexta parte hæreditatis (1) (*).

(**) Quod autem si alicui ascendentium vel descendentium portio legitima non relinquatur, competit ei actio ad petendum complementum, vel ad rescindendum testamentum, ut ipso jure nullum, maxime si causa idonea exhæredationis non sit inserta et probata. Ita cum Laym. S. Liguor. (2). Agere inquam potest, non quidem querela inofficiosi testamenti ut olim (3) sed ex constitutione Justiniani condictione ex lege, ad supplementum (4) quæ non finitur quinquennio, ut querela inofficiosi, sed durat triginta annos, uti omnes actiones personales (5) (*).

(**) Hæc vero legitima portio nullo onere, veluti usufructu, fideicommisso, condictione, aliave re gravari potest. Quod si secus fiat, onus pro non adjecto habeatur (6). Unde legitima dicitur *jure naturæ debita* et *naturæ debitum* (7) (*).

(**) Qua ratione si filius a patre institutus hæres jussus sit hæreditatem alteri restituere, non solum legitimam suam portionem ab hoc onere fideicommissi servabit liberam, sed præterea jure Pontificio quartam detrahet Trebellianicam, id est quartam partem totius hæreditatis quam jussus fuerit restituere; et utramque portionem, cui voluerit relinquere poterit, vel ab intestato ad legitimos suos hæredes transmittere, quia reliquum dumtaxat fideicommisso continetur (8). Habetque locum hæc duplex detractio etiam in testamentis liberorum respectu parentum, iis scilicet casibus, quibus permissum est liberis condere testamentum (9) (*).

(1) Gury Theol. Mor. tract. de contract. n. 786.—V. S. Liguor. Op. Mor. lib. 3. n. 947. et Nov. 1.

(2) S. Liguor. *Op. Mor. ibidem.*

(3) Leg. *Papianus* 8. § *Quoniam.* ff. de inoffic. testam.

(4) L. *Omnimodo* 30 leg. *Scimus* 36 *Cod. dic. tit.* (5) *D. l. Scimus.*

(6) *L. Quoniam in prioribus* 33. *Cod. Eod. cap. Raynutius* 17. Pro Hispan. *V.* Ley 17, tit. 1, Part. 6.

(7) *C. Rainaldus* 18 *hoc. titulo.—Vallens. paratit. in jus can. lib.* 3. *tit.* 26. § II.

(8) *Cap. Raynaldus et cap. Rainut. hoc titulo.*

(9) *Arg. D. Cap. Raynut. etc. Rainald. punc.* 1. *Nam etsi parentib.* 15 in princ. ff. de inoff. testament.

(**) Verum, an utraque hæc deductio seu detractio etiam jure civili obtineat, admodum controvertitur. Non obtinere, probari videtur ex *l. in ratione* 11 § *quod vulgo ff. Ad leg. Falcidiam*, ubi uncia quarta detrahitur; et *l. Jubemus*, c. Ad S. C. Trebell. ubi jubentur liberi, qui rogati sint restituere hæreditatem dodrantem, id est, novem uncias totius hæreditatis restituere. Igitur servare sibi poterunt dumtaxat unciam quartam, id est tres uncias reliquas. Item ad negandam hanc duplicem detractionem, negatur quoque legitimam debitam esse debito naturæ (*).

(**) Attamen ait *del Vaulx* Paratit. Jur. Can. lib. 3, tit. 26 § 3. Verius videtur, filium fideicommisso gravatum etiam jure civili posse detrahere utramque quartam; sive sub conditione vel in diem rogatus sit restituere. ut vult communis Interpp. sententia, sive pure: id est, sive diversis temporibus quarta legitima et Trebellianica deducatur: legitima quidem, simul atque se filius paternæ hæreditati immiscuerit. Trebellianica vero tunc demum cum extiterit conditio restituendæ hæreditatis: sive uno et eodem tempore deducenda sit utraque quarta, ut si Filius pure rogatus sit

Quænam (inquies) *in legitimæ computatione regulæ servandæ sunt?* Sequentes regulæ sunt servandæ in legitimæ computatione:

1. Cum legitima sit quædam pars bonorum, non potest nec debet computari, nisi deducto ære alieno, quo fortasse hæreditas gravetur: item lucris dotalibus, et oneribus quibuscumque.

2. In personarum enumeratione comprehenduntur ii omnes, qui successissent defuncto, si mortuus esset absque testamento; idest qui capaces fuissent succedendi, non exclusis exhæredatis, neque iis, qui hæreditati renuntiassent. Unde istis quoque legitima adsignatur, licet postea sit dividenda inter alios legitimarios.

3. Cum legitima sit quædam pars successionis defuncti, patet eam non habere locum, nisi post mortem ejus a quo provenit.

Q. 5. *An parentes teneantur, si non ex jure civili, saltem in conscientia filios suos instituere in toto asse?*

R. Parentes non videntur teneri neque in conscientia omnia bona sua testamento relinquere filiis propriis; sed sufficit si eis relinquant portionem legitimam, prout est in jure præscriptum, saltem si portio hæc ipsis sufficiat ad vivendum secundum statum proprium et propriam conditionem. Nam si aliter esset, ipsi potius fructuarii, quam domini bonorum suorum dicendi essent, exitu inspecto.

Quapropter si pauperes gravi premerentur necessitate, vel opus aliquod esset perficiendum quod maxime cederet in bonum publicum, v. g. hospitale vel templum, nullo modo peccare videntur parentes, si relicta filiis portione bonorum legitima, quæ pro eorum statu congrue sustentando idonea sit, reliquum in dictos pauperes vel opus publicum impenderent.

Peccarent tamen si ita se gererent ex odio in filios; vel etiam, juxta multos, si absque causa sufficienti reliquam hæreditatem darent extraneo, cum

restituere alteri hæreditatem paternam. Ratio sumitur ex eo quod, cum tamquam regulare tradatur, quod quando auxilia plura per leges promittuntur ex diversis causis, competant singula nec unum per aliud excludatur nisi per aliam legem constituatur illud. Ideoque cum filius habeat legitimam ex una causa nempe ex naturæ debito, ad excludendam querelam inofficiosi testamenti, et insuper Trebellianicam ex alia causa, scilicet pro præmio aditionis ad hæreditatem restituendam, poterit utramque deducere.

Et hoc videtur indicare Justinianus Imp. qui cum *l. Si pater et in l. Quoniam in prior. C. de inoff. test.* voluisset onere fideicommissi universalis gravatum liberari ab eo onere: quoad legitimam sic tamen ut legitima querelam inofficiosi excludat: nihilominus postea *l. Jubemus Cod. Ad. S. C. Trebellian.* eidem filio concedit quartam Trebellianicam pro præmio additionis. Hinc in variis regionibus hæc duplex detractio instituta est.

Qui circa hanc rem plura appetat, præcipue adversariorum duplici detractionis argumenta viriliter proposita inveniet inter quæstiones selectas juris Justinian. Arnold. Vinnii cap. 29. (*)

(**) Quemadmodum autem gravatus fideicommisso detrahit quartam Trebellianicam, ita gravatus legatis ultra dodrantem, id est novem uncias (omnis enim hæreditas cujuscumque quantitatis in duodecim uncias a jure distribuitur, totaque hæreditas venit Assis nomine) detrahit quartam Falcidiæ *tot. tit. ff. etc. Cod. et Inst. Ad leg. Falcidiam.* Exceptis legatis piis et nonnullis aliis, quæ deductionem illam non admittunt. Ibidem.

(**) Denique observandum hic est, Episcopum de legatis Ecclesiæ in sua Diœcesi sitæ detrahere portionem canonicam (quæ respectu consuetudinis cujusque loci varia est,) prout præscribitur *in cap. officii* 14 *hoc. tit. cap. Requisit.* nisi citra fraudem legata fuerint Ecclesiæ pro ornamentis, fabrica, cereis, pro pauperibus etc. V. Vallens. paratit. loc cit.

hoc videatur contrarium ordini charitatis, et illi Proverbiorum: *bonus relinquit hæredes filios, et nepotes* (1).

Diximus *juxta multos*, quia sunt qui docent ordinem charitatis non obligare, si filii bona jam habeant proprio statui convenientia (2).

Sed (quæres) *an parentes teneantur filios instituere in parte æquali?* Si in familia adsunt filii, qui de ea, et de parentibus ipsis specialiter præ aliis fratribus sint benemeriti, nihil impedire videtur, quominus etiam in testamento parentes eos cæteris præferant aliqua ex parte, salva semper legitima in jure statuta. Sane ratio dictat plus merentibus plus deberi. Imo per se id licere videtur, quamvis filii talia merita non habeant; nam semper parentes domini sunt. Quod magis locum habet, si aliqui filii magis egeant, pusilli sint, vel si sint primogeniti quorum interest, ut familiæ decus tueantur.

Quoad tamen potest, caveant parentes, ne concitent odia atque discordias hac agendi ratione; ideo meminisse juvat Josephi historia (3).

Quid (dices) *si testator habeat tantum fratres aut sorores, teneturne eos vocare hæredes?*

Si graviter non indigeant, certum est non teneri eos sub gravi vocare hæredes, cum non sint necessarii.

Si vero graviter egeant, tunc tenetur ex præcepto tum charitatis generali, tum speciali pietatis quam habemus erga fratres, et propter quam certum est *ex communi*, læsionem in fratres habere specialem malitiam in confessione aperiendam. Tenetur autem eos vocare hæredes saltem quoad sufficit ad eorum sublevandam indigentiam (4).

Quid vero (addes) *sentiendum est de aliis consanguineis remotioribus?* Est *commune* non adesse quoad illos tam gravem obligationem; quamvis non videatur posse excusari a veniali ipsorum præteritio, si graviter indigeant, cum erga ipsos adsit quoque aliqua, licet non ita stricta, obligatio pietatis.

Quid (inquies) *si testator habeat conjugem?*

R. Duplex hic dari potest hypothesis: vel enim una cum conjuge adsunt filii superstites, vel nulli adsunt.

(**) Si 1, manente integra filiorum legitima, potest testator ex alia parte libera uxorem hæredem aut legatariam instituere: excipe si hæc non fuerit mater filiorum sed ex secundis nuptiis, in quo casu non poterit majorem ei portionem relinquere, minori quam uni ex filiis primi matrimonii reliquerit (*).

(**) Si 2, nullo filio nec descendenti superstite poterit uxorem in omnem eam partem hæredem vel legatariam instituere, quam posset in favorem personæ extraneæ (*).

Quid autem si in dispositionibus testamentariis adsit excessus? Vide infra ubi quæritur quid si hæres timeat ne onera plus æquo sint graviora *(I)*.

(1) C. 13. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 946. (3) Gen. 37.
(4) *V.* Liguori, *Homo Ap. Tr.* x. *n.* 237.

§ IV — *De persona hæredis* (1).

Q. 1. *Quid est hæres?*

R. Hæres dicitur ille, in cujus favorem testator disposuit in sua ultima voluntate. (**) Hæres alius dicitur *necessarius* qui a testatore excludi non potest: alius *legitimus*, qui de jure succedit ab intestato: alius *voluntarius* qui talis habetur ex libera voluntate testatoris.

Hinc patet distinguendum etiam esse hæredem *ex testamento* si per testamentum fuerit designatus, et hæredem ab *intestato* si de jure succedat defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit (*).

(**) Q. 2. *Quinam sint hæredes necessarii et legitimi?*

R. Jure Romano omnes cognati in linea recta: seu 1°, *descendentes* in propriori gradu; 2°, ipsorum defectu *ascendentes* tum ex parte patris, tum parte matris in gradu pariter propriori.

R. 2. Hæredes *legitimi* sunt omnes consanguinei proprioris gradus in *linea collaterali* usque ad 10 gradum in *jure Romano*, id est 5um quoad computationem canonicam (2) (*).

Q. 3. *Quinam possunt institui hæredes?*

(**) Omnes homines, etiam amentes, surdi, muti, servi imo et communitas, hæredes institui possunt, nisi specialiter prohibeatur. Ita Bona (3) quia ad hoc tantum requiritur plena potestas in disponente et capacitas in hærede. Incapaces autem secundum jura sunt. 1. Apostatæ et hæretici, eorumque fautores, receptores, defensores: licet probabile sit eos ante sententiam judicis ad restitutionem non teneri; eo quod hoc jus in eo rigore non sit receptum. Less. (4) Sanchez (5). 2. Civitas hostium et communitas judæorum. 3. Damnatus ad metalla, persecutores et percussores Cardinalium, et qui ob crimen active intestabiles sunt. Lessius (6). Adde casus in quibus aliqui excluduntur a bonis defuncti; ut 1, hæres (uti et legatarius) qui testatorem occidit (7). 2. Item si testatori prohibuit testari aut testamentum revocare, aut si ad uxorem testatoris accedat. 3. Si dum testator mente captus fuit, hæres illius curam non habuit, aut si captivum redimere neglexit. Ita cum Molina et Car. de Lugo S. Ligorius (8) (*).

(**) Unde institui possunt hæredes professi ordinum; quibus permissum est bona immobilia possidere, eorumque nomine Monasterium succedit. Tales autem sunt omnes fere Religiones, excepto ordine Minorum de observantia et Cappucinorum. Ratio est, quia illi sunt incapaces, secundum Tridentinum (9) uti et professi Societatis Jesu, licet contrarium probabilius esse putet Wading (10). Vide Diana (11). Ita S. Liguor. (12) (*).

(**) Colegia Societatis Jesu, et domus etiam professæ, hæreditates accipe-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 943, *et seqq.*
(2) Gury Comp. Theol. Mor. tract. de contract. n. 783. (3) De contract. d. 4, q. ult.
(4) L. 2, c. 19 dub. 5. (5) L. 2, c. 14, n. 31. (6) Loc. cit.
(7) L. ult. § *ult. ff. de bonis damnatorum.* (8) *Op. Mor. lib.* 3, *n.* 943.
(9) Sess. 25, c. 3, de reg. et mon. (10) Tr. de contr. l. 4, d. 1, 2 5.
(11) P. 9, t. 9, r. 26. (12) Op. Mor. loc. cit. n. 944. N. E.

re possunt, modo bona immobilia, quæ communi usui non deserviunt, vendantur, et non deferantur intuitu professi, aut vota formata habentis.

Dixi *hæreditates*, quia sicut minores et cappucini legata et alia donata admittere possunt; ita etiam Societas Jesu, etsi intuitu alicujus professi tantum ea relinquantur. Laym. Ita S. Liguorius (1) (*).

Q. 4. *An Ecclesia possit institui in legatum vel hæreditatem?*

R. *Affirmative:* Ecclesia enim ut vera et realis familia consideratur in ipsa societate existens, quæ ideo potest acquirere. Idque sane congruenter, cum pluribus indigeat Ecclesia ad cultum divinum, qua par est, sustinendum: quantum autem in ecclesiasticis cæremoniis pompa ad populi devotionem faciat, nemo sane ignorat. Qui vero clamat, *ut quid perditio hæc? potuit istud venumdari multo et dari pauperibus*, sciat, ea verba non a divino Magistro, sed a discipulo traditore prolata fuisse. Cæterum de Ecclesiæ bonis et pauperes et opifices non parum capiunt (2).

Et hic omnium populorum unus sensus est; neque enim Hebræi tantum veri Dei cultores, sed ipsi quoque gentiles templa et sacerdotes ingentibus ditabant divitiis, ut *Romani*, *Galli*, *Ægyptiaci*, *Syri*, *Mexicani*, *Sinæ*, *Turcæ* etc. Et consentientes habemus vel ipsos politicos homines, ut *Mirabeau* (3), *Silhon* (4), *Lopez de Sierra* (5); imo et protestantes, ut *Springerum* (6), *Winestalium; Wood* (7), *Grotium* (8), *Melancthonem* (9), *Voet* (10), etc. etc. (**) In nostra Hispania post diversas restrictiones Ecclesiæ

(1) Op. Mor. lib. 3, n. 944.

(2) *V.* Scotti, *Teoremi di politica cristiana, par.* 4. *Teor.* 3. *El Teor.* 4 ait: «Nuestros adversarios conociendo bien que el vulgo, á quien quieren hacerse suyo, se deja facilmente engañar con palabras, y que en el asunto de que tratamos, las mas á propósito para despertar una idea desagradable, sean las de *manos muertas*, han abusado de ellas repitiéndolas continuamente en los folletos, en los diarios, en sus discursos al pueblo para inducirlo á no dar cosa alguna á la Iglesia, y á condenar como efecto de la barbarie de otros tiempos las donaciones que la veneranda antigüedad habia consagrado.

¿Puede hallarse pero cosa mas ridícula que el abuso de aquellas palabras? ¿Son por ventura *manos muertas* en el sentido que no cultivan bien sus propiedades? Sin embargo sucede todo lo contrario. ¿Entenderán tal vez algunos que es porque su producto no circula entre el pueblo, y que el Estado y los pobres no reciben de él abundantes socorros? todos saben que es bien al reves. ¿O se querrá significar que las *manos* de los eclesiásticos sean *muertas* en el sentido de inútiles para el pueblo? pero poco antes y en otro lugar hemos tratado de las ventajas que reportan á la sociedad. ¿Sucede por ventura que aquellos bienes perecen como perece una nave en un naufragio, un bosque en un incendio, un ejército en una derrota? En tal suposicion, ¿podria darse idea mas absurda? Los eclesiásticos forman una parte siempre viva, enérgica, considerable de la socieded cristiana, y de ahí se infiere que sus bienes sean patrimonio del *público*, si es que á esta palabra se le ha de dar la definicion que le conviene. (S. Augustinus, *De civ. Dei*, *l.* 2, *c.* 21.) ¿Qué importa al público que las fincas pertenezcan á una ó á otra clase, si por esto no se disminuye su produccion, y si ella circula incesantemente?

Sepárese pues toda idea odiosa del título de *manos muertas* que se da á las propiedades de la Iglesia, y tómese esta calificacion, en su verdadero significado, esto es; que no pueden dilapidarse caprichosamente los bienes y las cosas que están consagradas al culto divino. (*Extrav. Ambitiosæ, de reb. Eccl. non alienandis.*)»

(3) *L' Amides hommes*, 3. 1. c. 2.

(4) *Lib.* 2, *dis* XI.

(5) *Satisfaccion á el suplemento presentado en el consejo etc.*

(6) *Discurs. Acad. de pace relig. Concl.* 38.

(7) *Hist. univers. Oxon. l.* 1.

(8) *Adnot. ad consult. Cassandri.* art. 26.

(9) *Schuldetus, Curricul. vita.*

(10) *Polit. ecclesiast.* L. IV, Tr. 2, c. 10.

positas circa bonorum acquisitionem, et consequenter ejus institutionem in legatum vel hæreditatem, tandem ultima conventione inter Sanctissimum Dominum Pium IX Summum Pontificem et Majestatem suam Elisabeth II Hispaniarum Reginam Catholicam die 16 Martii 1851, art. 41 statutum est.

« *Ecclesia insuper jus habebit novas legitimo quocumque titulo acquirendi possessiones: ejusque proprietas in omnibus quæ nunc possidet, vel in posterum acquiret inviolabilis solemniter erit* (*).»

Q. 5. *An testator possit propriam hæreditatem relinquere animæ suæ?*

R. *Affirmative:* testator potest hæredem vocare animam suam, si aliis non sit ligatus obligationibus, cum sit dominus rei suæ, nec prohibeatur sic testari.

Q. 6. *Quo tempore hæres capax esse debet, ut succedat?*

R. Requiritur in hærede succedenti capacitas:

1. *Tempore conditi testamenti;* nam institutio, quæ ab initio nulla est, tractu temporis convalescere nequit.

2. *Tempore mortis testatoris;* quia tunc tantum obtinet testamentum.

Porro *successio aperitur*:

1. Momento mortis (habita ratione circumstantiarum ætatis et sexus, si multi cum testatore eodem tempore ac casu, puta in naufragio, perierint ad successionem vocati).

2. Declarata absentia personæ, nempe post annum 30 a die, quo præsumpti hæredes provisorie bonorum possessionem obtinuerunt, vel post annos 100 a nativitate absentis: necesse tamen est, ut interveniat auctoritas tribunalis.

3. Emissione votorum in Religione approbata; si tamen vota sint temporaria, casu quo intra sex annos ab eorum emissione solvantur, bona illa restituenda sunt cum fructibus unius anni: unde hæredes toto illo tempore ea conservare debent (1).

Hæreditas vero acquiritur *aditione*, actu nempe quo hæres apertam (2) ac delatam sibi hæreditatem acquirendi voluntatem aperit. Dupliciter fit, vel cum beneficio inventarii, vel sine tali beneficio (3).

Hic notandum est quod *uxores, minores, interdicti, prodigi, surdo-muti* si scribere haud sciant, nequeunt valide acceptare hæreditatem sine consensu illorum, quorum curæ dictæ personæ sunt commissæ. Item notandum, quod hæreditates *locis piis* delatæ, ab eorum administratoribus sunt acceptandæ. Idem est de hæreditate *minori* delata.

Q. 7. *Quid de hæredis juribus, atque oneribus?*

R. 1. Hæredis jura hæc sunt:

(1) Est autem aperiendum testamentum ad instantiam cujuscumque, qui sua interesse putat; et quidem aperiendum est a notario coram judice et duobus saltem testibus, ut cognoscantur status schedæ et ipsæ subscriptiones, quoad fieri potest. Circa aperitionem testamenti standum est statutis regionis.

(2) Aliud est *aperitio* aliud *aditio* hæreditatis. *Illa* intervenit cum bona desinunt habere primum dominum, et alii aperiuntur. *Hæc* intervenit quando persona nominata sibi delatam hæreditatem aliquo modo capit, illique adit.

(3) *Vel* talis aditio exprimitur, ut cum quis actu publico aut privata scriptura assumit hæredis qualitatem; *vel* subintelligitur, ut cum hæres aliquid exercet, quod hanc voluntatem includat.

1. Hæres *statim* post mortem testatoris succedit in omnia ejus *jura realia*, eorumque fit verus dominus; quia hæres ab hero dictus est, et veteres *hæredem pro domino appellabant*. Diximus *in jura realia*, quia *jura personalia*, v. g. usus-fructus, habitationis etc. una cum ipsa testatoris persona extinguuntur, cum personam comitentur.

2. Hæres gaudet *jure adcrescendi*, nempe acquirit etiam portionem cohæredis, si hic testatori præmoriatur, vel si eam cohæres renuntiaverit, aut acceptandi sit impos. Excipe nisi testator expresse quotam singulis determinaverit; tunc portio illa volvitur ad legitimos testatoris hæredes cum onere adimplendi onera adnexa.

R. 2. Sicut hæres succedit in omnia bona et jura defuncti; ita et omnibus ejusdem oneribus subjicitur, æquitate ipsa postulante, ne commoda ab incommodis sejuncta sint. Quod si hæredes sint plures, unusquisque onera ferre tenebitur pro parte sua.—Diximus his oneribus *subjici hæredem;* nam legatarii hæreditatis onera ferre non debent, si tamen aliqui excipiantur casus.

Cum autem *supremæ defuncti preces sacræ sint,* hæreditatis onera tempore suo statim implenda sunt, quod si nullum sit definitum tempus, quoad primum poterit compleri debent (1).

Q. 8. *Quid si hæres timeat, ne onera plus æquo sint graviora?*

R. Ne temere quis ab oneribus hæreditatis opprimatur, duo hæredum gratia inducta sunt beneficia:

1.m Est *beneficium inventarii*, quo hæres neque per contrariam dispositionem expoliari potest; sed acceptatio hæreditatis sub hac conditione est publico patefacienda (**). Hoc inventarium secundum jus commune hæres debet incipere intra triginta dies a cognita hæreditate sibi delata et absolvere infra alios sexaginta dies (2), nisi adsit legitimum impedimentum. Ad confectionem inventarii certæ formalitates requiruntur secundum diversas leges ac consuetudines (*).

2.m Est *jus deliberandi* (**) Jure Romano conceditur annus ad deliberandum, an velit nec ne acceptare hæreditatem: et hoc jus, si intra annum hæres moriatur, transmittit ad hæredes (*).

(**) Statim autem ac acceptavit simpliciter, etiam antequam possideat, transfert in se omnia tam bona et jura, quam onera et debita realia defuncti, etiamsi superent vires hæreditatis, saltem in foro externo, nam in foro conscientiæ eximunt ab eorum solutione *probabilius et communius* theologi —Salmant.—Reuter.—Gousset, etc. (3) (*).

(1) (**) Ex lege 23 Maj. 1845 in nostra Hispania, hoc insuper oneris hæredi impositum est, si non agitur de successione in linea recta, ut nempe aliquid solvat regio ærario ex bonis immobilibus hæreditatis, vel ex iis quæ immobilia habentur, cum hisce limitationibus ac proportionibus. «*Art.*6° *En las herencias ó bienes inmuebles se pagará el derecho con arreglo á la escala siguiente:—Uno por ciento en las haciendas de colaterales de segundo grado, en las de hijos naturales legalmente declarados, y en las de marido á mujer y de mujer á marido. — Cuatro por ciento en las colaterales de tercer grado y en la de los hijos naturales no declarados legalmente. — Seis por ciento en las colaterales de cuarto grado. — Ocho por ciento en las de grados mas distantes ó en las de estraños* (*) N. E.

(2) L. ult. §. sin autem, dub. Cod. de jur. delib. — V. S. Lig. *Op. Mor. l.* 3, *n.* 961.

(3) V. Billuart. de contract. art. 3, § 6. — Gury Comp. Theol. mor. de contract. n. 784.

(**) Censetur autem quis pure et simpliciter hæreditatem acceptare, quando ut hæres exercet aliquem actum circa hæreditatem. Intellige tamen modo sit major 25 annis; minorensis enim his non obstantibus, imo etsi explicite acceptaret hæreditatem pure et simpliciter, non censeretur nisi hæres beneficiarius (1). Si hæreditatem acceptet sub beneficio inventarii, non tenetur ad debita defuncti ultra vires hæreditatis (2) (*).

Q. 9. *An hæres teneatur voluntatem testatoris implere, si de ea in testamento non constet?*

R. Si hæc defuncti voluntas, de qua in testamento non constat, respicit legata relicta in exonerationem suæ conscientiæ et debita ex justitia, procul dubio illa voluntas *statim ac certo constat* implenda est; hoc enim onus est reale hæreditatis, quod transit in hæredes quoscumque. Ubi notandum est illud: *statim ac certo constat*, idest sive verbis sive nutu sive scriptis, aut per duos testes fide dignos; nam ex regula juris omnium consensu recepta non tenebitur hæres in sui præjudicium credere uni testi, quamvis probatissimo: *licet quædam sint causæ quæ plures exigunt testes, nulla tamen est quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur* (3). Quod quidem merito statutum fuit ad bonum commune, ut fraudes in civili societate evitarentur. Hinc hæres non tenetur credere soli Parocho licet probo, nisi adsit testis alter.

Si vero defuncti voluntas respicit meras donationes liberales, tunc nulla extare videtur obligatio solutionis, cum *satis probabiliter* quælibet proprie dicta donatio causa mortis facta nulla sit etiam in foro conscientiæ, sine debitis solemnitatibus. Et hoc maxime, quia hæres est in possessione (4).

Q. 10. *An hæres possit hæreditatem repudiare* (5)?

R. *Generatim loquendo*, potest quilibet hæreditatem sibi delatam repudiare; cum nemo sit cogendus ad beneficium accipiendum invitus. Diximus *generatim loquendo;* quia si agatur de communitatibus, de Ecclesiis cæterisque *corporibus*, ut vocant, *moralibus*, debent eorum administratores ex ipsa lege hæreditatem acceptare cum beneficio inventarii. Et sane tenentur administratores incrementum curare rei administratæ.

Ut tamen quis valide repudiet hæreditatem requiritur:

1. Ut hæreditas jam actu favore ipsius aperta sit. Quamobrem hæreditas futura et jura eventualia ad eamdem renuntiari non possunt, excepto casu ingressus in Institutum Religiosum.

2. Ut renuntians capax sit alienandi: et ideo absque formis legalibus nequeunt hæreditatem alienare uxores, minores et interdicti ab administratione bonorum suorum.

3. Ut renuntians non sit jam in hæreditatis possessione, nisi sit *minorensis* qui uti supra diximus, potest beneficio ætatis etiam acceptatam hæreditatem repudiare.

4. Ut nihil ab hæreditate subtraxerit. Item ut facultas hæreditatem acceptandi, vel repudiandi non fuerit præscripta. Præscribitur autem lapsu

(1) L. Necessarius 77, ff. de adquir. hæredit. — V. Billuart ibid.
(2) V. Billuart loc. citat.
(3) C. licet de testib.
(4) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 923, *et seqq.* — V. de *solemnit.* in testamentis.
(5) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 932.

annorum triginta, adeo ut, eo transacto, quin aliquem actum vocatus hæres circa hæreditatem illam exerceat, a jure cadat. Repudiando autem quis hæreditatem non censetur item repudiare legata in sui favorem relicta.

Q. 11. *Quomodo hæreditas dividenda est, si hæredes sint plures* (1)?

R. Si testator ipse hæreditatis dividendæ modum præscripsit, patet modum illum esse servandum.

Item est, si nihil præscripserit testator, sed hæredes *consentiant* circa modum dividendæ hæreditatis. Tunc non requiruntur aliæ solemnitates, nisi concurrant minores, interdicti vel absentes; quibus in casibus requiritur bonorum æstimatio ac divisionis probatio a tribunali.—Si vero *non consentiant,* tunc judex sic debet divisionem instituere, ut omnium utilitati prospiciat.

Divisio peti potest, non obstante quacumque prohibitione; at testator eam poterit impedire usque post elapsum annum a die, qua postremus ex hæredibus majorem ætatem attigerit; semper tamen facta Magistratui facultate aliter statuendi. Item potest conveniri, ut divisio ad quinque annos non fiat; quam conventionem renovare licet.

Semel facta divisio rescindi non potest, nisi causa vis aut doli, vel causa læsionis.

Sed (quæres) *quænam sunt conferenda in hæreditatis divisione?*

Descendentes, cum succedunt ascendentibus suis, bona sibi ab iis inter vivos donata sive directe sive indirecte, simul in unum conferre debent æqualiter dividenda cum fructibus et usuris, nisi ab ipso defuncto aliter fuerit dispositum.

Diximus: 1 *descendentes,* unde fratres succedendo fratribus, ascendentes descendentibus, nihil conferre debent.

2. *Cum succedunt ascendentibus suis:* ex quo capite simplices legatarii et donatarii nec ad collationem tenentur, nec ipsam petere possunt, nisi aliter disposuerit donans, vel donatio ut excedens sit reducenda.

3. *Bona inter vivos donata sive directe sive indirecte.* (**) Eximuntur a collatione variæ donationes, sic. 1° Ea omnia quæ testator dedit, hæredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo *præcipui juris,* intra limites partis de qua disponere poterat; 2° Variæ expensæ factæ a donatore alicujus gratia, in alimenta, vestes, munera consueta, etc. Item expensæ nutritionis, educationis, nuptiarum, artis addiscendæ et similia (2). Nec sunt necessario referendæ donationes manuales, nisi maximi sint momenti (3); nec ea quæ de bonis paternis filius male expendit, nisi expensæ fuerint excessivæ (4), videlicet quod expenderit plus quam pater contentus fuisset ut inhonestas recreationes impenderet (*).

(**) Neque sunt conferendæ expensæ factæ a patre in gratiam filii pro doctoratu, beneficio, studiis, libris etc. etc., quia hæc in bonum commune familiæ cedunt nempe in ejus honorem, commodum etc. Aliunde gratuito a paren-

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 954, 955. —Pavone, *Spicilegio ecc.* §§ 70 *et seqq.*
(2) S. Liguorius, *Op. Mor. lib.* 3, *n.* 955.
(3) DD. Gousset, *n.* 794 etc.
(4) S. Liguor. *loc. cit. n.* 957.

tibus filio donata censentur (1). Excipe tamen si expensæ extraordinariæ fiant (*).

(**) *An conferri debeat patrimonium a patre filio donatum ad sacros ordines suscipiendos, si donatio lædat aliorum filiorum legitimam?*

R. Negant Gomez Pereira et alii apud Salmant. ex concilio Tridentino *sess.* 21, *c.* 2, ubi prohibetur omnis alienatio patrimonii. Affirmant vero probabilius Lugo, Salm. cum Vasq. Molina etc. quia donatio quæ lædit aliorum jus, est jure naturali illicita. Concilium autem (respondetur) non absolute prohibet patrimonii alienationem, sed tantum quando clericus aliter decenter vivere nequit: hinc licite clericus potest sponte patrimonium conferre, spe majorem portionem consequendi. Ita S. Liguorius (2) (*).

(**) *An autem conferri debeat pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum?* Distinguendum est: si filius redimatur in propriam utilitatem *affirm.;* quia id æquitas postulare videtur; secus quoties filius redimitur in utilitatem patris, v. g. infirmi, senis vel pauperis, aut familiæ sustentandæ; quia familia quæ commodum percipit, onus etiam ferre debet. Ita cum Rogron et D. D. Gousset, Gury (3) (*).

4. *Cum fructibus et usuris*: hæc debentur a die qua successio est aperta. Adde *nisi aliter* etc.; nam testator rei suæ dominus est.

Collatio, si agatur de *mobilibus*, fit computando valorem. Si de *immobilibus,* potest etiam fieri rem ipsam individuam conferendo. Si vero agatur de *pecunia* accepta, collatio fit accipiendo minorem pecuniæ quantitatem quæ reperitur in ipsa hæreditate: quæ si non sufficiat, conferens poterit se liberare mobilia conferendo, et in defectu immobilia hæreditatis ipsius. *(J).*

Corollarium I — *De legatis* (4) (**) *et Codicillis* (*) (5).

§ I — *De Legatis.*

Q. 1. *Quid est Legatum* (6)?

R. Legatum recte definitur: *donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præstanda* (7).

Dicitur 1, *donatio quædam*, ut intelligatur legatum proficisci quidem a liberalitate, sed esse donationem *impropriam,* maxime quia potest pro libito revocari; — 2, *a defuncto relicta*, ut a donationibus inter vivos distinguatur: — 3, *ab hærede præstanda*, quæ verba significant, legatarium, etiamsi

(1) S. Liguor. *n.* 955. — *V.* Gury *Theol. Mor. n.* 767 *et* 768.

(2) S. Liguor, *n.* 956. (3) Gury *Comp. Theol. Mor. trac. de contract. n.* 769.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor. lib.* 3 *nn.* 930, *et seqq.*

(5) Cum codicilli in Hispania admissi sint, quod non evenit in *jure Gallico* et forsan neque in jure Sardiniæ, Auctor de ipsis expresse non tractet, non abs re esse dijudicavimus breviter hic de ipsis quæstionem instituere. N. E.

(6) In nostra Hispania etiam legatis aliquid solvendum Regio ærario ex dicta leg. 23 Maj. 1845 impositum est cum proportione sequenti. «4 *por ciento en los legados de propiedades á favor de parientes del cuarto grado, de marido á mujer y de mujer á marido*: 8 *por ciento en los legados á favor de parientes en grados mas distantes ó en favor de estraños.*» — Ibidem. N. E.

(7) § Inst. de legat. N. E.

rei legatæ dominium *ipso jure* adipiscatur, ejus tamen possessionem consequi debere ab ipso hærede, nemo enim jus sibi dicere debet.

Ex lege ii possunt legare, qui possunt testari; et sane qui potest majus, etiam minus posse dicendus est. — Iis autem, ut patet, potest legatum adsignari, qui recipiendi capaces sunt.

Legatum autem illis modis fit, quibus testamentum. Insuper *in diem*, cum quis v. g. dat aliquid ad quinquennium; *ex die*, cum non dat nisi post certum tempus a decessu; *disjunctim*, si diversis diversa tribuat; *conjunctim*, si pluribus aliquid leget; *alternatim*, quando tribuitur facultas eligendi inter plura.

Legata resolvuntur iisdem causis, quibus nullæ sunt dispositiones testamentariæ (1). Insuper *alienatione* rei legatæ, vel *immutatione*, ita ut primam amittat formam. Item illius *interitu* totali, etsi perierit post mortem testatoris, et hæres fuerit in mora, modo æque periisset.

Q. 2. *Quænam res queunt legari?*

R. Res quælibet legari possunt, dummodo sint in rerum natura, vel fore sperentur, sintque præterea in commercio humano, neque id a lege prohibeatur.

Imo legari possunt etiam res *incorporales*, veluti si testator alicui leget quod sibi debetur ab altero, et dicitur *legatum nominis*; vel quod sibi debetur a legatario ipso, et dicitur *legatum liberationis*.

Nullum autem est legatum de re, quæ alterius sit, nisi id sciverit testator et in testamento expresserit; quo in casu hæres tenetur *vel* rem illam procurare, *vel* ejus pretium legatario tribuere (**) si neque judiciali via rem legatam redimere possit (2). Id autem verum est, posito quod testator non ignoraverit, rem legatam esse alteri obligatam; si enim hoc ignoraverit, non valet legatum, nisi tamen ex conjecturis prudenter constaret, quod testator eam nihilominus legasset, quamvis scivisset eam esse alteri obligatam: imo etiamsi testator putasset rem esse suam, cum sit hæredis, debebit hæres illam tradere legatario (3). Ratio est, quia cum hæres cætera defuncti bona acquirat, congruum est, ut ipse ad gratificandum defuncto, se dicta re alteri legata expoliet (*).

(**) Legata non debentur nisi deducto ære alieno (4). Ea quæ nondum sunt

(1) «Hic autem quæritur, *an testamentum nullum quoad causas non pias, valeat quoad legata pia?* Alii negant, quia corruente principali, corruit accessorium. Sed *communior* sententia affirmat, quia specialis ratio reperitur in accessorio, quæ non est in principali, nempe favor religionis; et ideo ibi attenditur tantum jus canonicum. Ita Layman, *l.* 3, *tr.* 3, *c.* 2; et Ronc. *de testam. c.* 2, *q.* 6, *res* 2, *cum* Cov.» Hæc habet S. Alphonsus, *Opus Mor. l.* 3 *n.* 925.

Sunt etiam qui censent, id locum etiam habere quoad alia legata non pia; quia utile inquiunt per inutile non debet vitiari. Addunt, non certo constare quod hoc non obtineat ex ipso Albertino Codice: imo potius eruitur contrarium; nam si una pars bonorum aliquo casu accrescit legitimis hæredibus, adhuc sustinentur legata (art. 867 et seqq). Saltem res dubia est, concludunt; at tunc ex Codice (art. 15) recurrendum est ad generalia juris principia, consideratis omnibus circumstantiis; atqui hæc principia favent legatis, ut patet ex tot. tit. *ff. si quis omiss. on. test.* — Verum hic recolantur quæ supra per nos dicta sunt, ubi de *solemnitatibus* in testamentis requisitis.

(2) *Lex cum alienam* 10 *Cod. de Legat.* V. pro Hispania Ley 10, tit. 9, Part. 6.

(3) *Lex usum* ex familia 67. ff. si in rem tuam 8 V. Cuniliat. tract. 10 § 3 n. 4.

(4) L. 66. Ad leg. falcid. 2.

sed futura sunt, legari possunt, ut fructus ex agro proventuri (1). Res nominatim legata, ut hic equus, si non reperiatur, nec dolo hæredis deesse probetur, peti ex testamento non potest, secus si res, puta equus, generatim legetur (2). Legatarius non utitur legis falcidiæ aut trebellianicæ beneficio (3) (*).

Q. 3. *An legatum relictum puellis, ut matrimonium ineant, possit in conscientia dari Religionem ingredientibus?*

R. Affirmative, *si legatum relictum sit personæ determinatæ.* Patet ex jure canonico, ubi dicitur, legatum relictum *certæ* personæ ad nubendum, ei dari posse, si fiat religiosa (4). Et rationem affert, ne scilicet ad legatum consequendum cogatur Religionem relinquere.

Diximus *si legatum* etc. nam si sit indeterminatis relictum, nobis videtur certe *probabilius* cum Barbosa, Concina, Lugo, Molina et Sanchez, illud Religionem ingredientibus dari non posse, quia esset in aliarum præjudicium.

Quid (dices) *si legatum relictum sit orphanis, darine poterit pauperibus habentibus patrem inutilem?*

Si extat concursus vere orphanorum, legatum non potest dari sine justitiæ violatione; cum enim voluntas testatoris possit impleri in sensu proprio, non est attendendus sensus figuratus (5).

Si vero talis concursus non sit, videtur receptum quod dari possit, sic enim voluntas impletur testatoris, quæ est opitulari filiis non habentibus a quo alantur, ut sunt qui habent parentes inutiles, quod idem est ac non habere; *inutilis* enim *reputatur uti mortuus* (6).

Quid vero (quæres) *si legatum relictum sit puellis, ut nubant, et jam sine dote nupserint?* Quando legatum relictum est puellis pauperibus bene dari potest nuptis, nam tunc perseverat finis testatoris sublevandi illarum indigentiam.

Excipe nisi constet expresse testatorem voluisse subvenire nubendis ad periculum prostitutionis vitandum; tunc enim per matrimonium remoto periculo, cessat jus ad legatum. Ita *communiter* Concina, Diana, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, etc.

Quid demum (rogabis) *si legatum sit relictum virginibus ad nubendum, poterit dari corruptæ?* Si publice constat de corruptione, non potest; quia non adimpleretur finis testantis. Secus si clam sit corrupta, quia in communi æstimatione virgo reputatur; neque tenetur fœmina suam prodere turpitudinem.

Attamen *probabilius* fœmina illa non potest petere legatum; quia verba testatoris sunt servanda quoad fieri potest, maxime quia id vergeret in aliarium præjudicium. Excipiunt Concina et Roncaglia, si aliæ virgines desint; quia tunc benigne videtur posse legatum interpretari tamquam de virgine communiter habita uti tali.

Q. 4. *Quid de legati solutione?*

(1) L. 17 ff. de Legatis.
(2) L. 32. ff. Legatis.
(3) L. 47 ff. ad leg. falcid. 5.
(4) Authent. de Sanctiss. Epis. § et hoc.
(5) *Ex Clem. Quia contingit de rel. Domib.;* et *ex Trid. sess.* 25, *c.* 8.
(6) Ex Glossa V. *Inutilem* in c. inter cætera de trans. Episc.

R. Si legatum sit *simplex*, jus illud habendi legatario competit a morte testatoris, illudque jus ad legatarii hæredes transmittitur. Si sit *conditionale*, conditionis verificatio expectanda est: adstringi tamen potest hæres ad dandam cautionem.

Cæterum in omni casu res legata postulanda est, neque ex se propria fieri potest. Ipsa autem tradenda est una cum suis accessionibus necessariis: imo et usuræ peti possunt et fructus rei legatæ ab ipsa morte testatoris — 1, si testator id imperaverit; — 2, si legatus sit fundus, pecunia vel res frugifera; — 3, si titulo alimentorum sit legata pensio. In aliis casibus fructus decurrunt a die judicialis petitionis, aut a die quo promissa fuit ipsa legati præstatio.

Sed quomodo (quæres) *est distribuendum legatum relictum pauperibus?* Si testator id reliquerit arbitrio hæredis, poterit dari cuicumque vere pauperi ex data facultate. Sin autem, ex præsumpta domini voluntate distributio facienda est juxta charitatis regulam.

Nempe præferendi sunt — 1, conjuncti testatoris proximiores; — 2, pauperes testatoris concives; — 3 magis indigentes, et magis probi; — 4, in pari necessitate fœminæ sunt præferendæ, cum sint majori periculo expositæ. Ita *communiter* (1).

Non est hic omittenda lex Synodi Novariensis (2), qua præcipitur

1. Ad legata assecuranda non omnia indistincte Ecclesiæ bona esse oppignoranda.

2. Qui ea distribuendi onus habent, non debere ea nisi in singulos annos adsignare, ut eorum dispositio libera maneat; et congruentius esse, ut cum Parocho rem habeant, cui status personarum facilius innotescit.

3. Ea solvenda citius, et qui ultra annum dolose protraxerit; cadit in reservationem, eumque Parochus tenetur Episcopo denuntiare (3).

Quod merito statutum est ob detrimentum non leve, quod evenit defuncto non quidem quantum ad meritum eleemosynæ, quia meritum principaliter a voluntate et intentione dependet: sed quantum ad illius effectum, non quasi pro illa tarditate puniatur defunctus; sed quia ei remedium non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum juvaretur. *Ita divus Thomas* (4).

Q. 5. *An Pontifex possit quoad legata testatoris voluntatem mutare?*

R. Affirmative: constat *ex Clementina, quia contingit de religiosis domibus,* ubi hæc leguntur: *ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alia (salva Sedis Apostolicæ auctoritate) converti.*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 930. *dub.*, 10.

(2) Hic etiam per grave monitum sit omnibus Parochis ac Beneficiatis, qui de piorum Legatorum quomodocumque solutione tenentur, ut ea statis adimpleant temporibus, atque omnino de vice in vicem in apposito libro adimplementum adnotent, cum suis omnibus circumstantiis. Videant toto cœlo ne differant de die in diem, sicque oblivionem evitent et confusionem: quot lites inter beneficii successores et antecessorum hæredes! quot controversiæ, quot inimicitiæ, et consequenter quot Dei offensæ et peccata evitabuntur, si hæc adamussim serventur! (3) Pag. 230, et 237.

(4) *Quodl.* 6, *q.* 8, *a.* 13. — Hinc merito ab Ecclesia Legatorum promotores constituti sunt, quorum quidem est invigilare, num rite impleantur piorum voluntates.

Hujusmodi tamen commutationes nequeunt fieri, nisi *ex justa et necessaria causa*, adeo ut commutatio sine tali causa peracta in *communi* et *veriori* sententia, quam defendunt Busembaum, Layman, Salmanticenses, Sanchez, etc. nullius ponderis æstimanda sit; quia R. Pontifex non tamquam dominus agit, sed tamquam piarum causarum dispensator. Sicut igitur Princeps potest legatum profanum commutare in aliud ob necessitatem publicam vel alia justa de causa tantum; ita et Pontifex legatum pium (1).

(**) § II — *De Codicillis* (*).

(**) *Codicillus est minus solemnis testatorum intestatorumve ultima voluntas* (2). Diximus esse *voluntatem ultimam*. Unde codicilli sunt Scripti vel Nuncupativi, itemque vel Testato vel ab Intestato facti (3) quorum hi viribus suis subsistunt (4) illi cum testamento cadunt (5). Addimus esse *voluntatem minus solemnem*. Unde pleraque quæ ad solemnitates tam externas quam internas testamentorum pertinent, hic exulant. Hinc codicillos facit qui testamentum facere potest, sed non potest quis in codicillis hæredem directe instituere, exhæredem scribere, substituere; nec conditionem hæredi in testamento instituto codicillis adjicere (6).

Etsi cum duobus testamentis nemo possit decedere, codicillos tamen plures quis facere potest, modo sibi invicem non adversentur (7). — Clausula codicillaris est clausula testamento ipsi inserta, qua declaratur quod si testamentum ex aliquo defectu non valeat, vi tamen codicilli valere debeat.

Ad codicillum sive nuncupativum id est viva voce habitum, sive scriptum sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, et etiam fœminæ. Sic *ex jure Romano* cui convenit jus Hispaniæ (**).

(1) An autem cum causa possint etiam Episcopi proprio jure commutare pias dispositiones; *probabilius* negant Layman, Molina, et Sanchez, Ratio, quia ex *C. Tua de test.* et ex *Tridentino sess.* 21, *c.* 8, imponitur Episcopis exequi exacte ultimas voluntates; quod valet licet commutatio fieret in melius, ut dicunt Barbosa, Imola, Layman, Lugo etc. — Ex Tridentino autem *c.* 6, *sess.* 6 id unum committitur Episcopis, ut quando commutationes a Sede Romana eis committuntur, ipsi eas ante executionem examinent, an sit verum expositum; Concilium enim *c.* 5 præcedenti de hoc tantum fuerat locutum: unde illud caput frustra ab adversariis opponitur.

Sunt tamen causæ aliquæ, ob quas communiter creditur quasi per epichejam concessa Episcopis commutandi facultas. Esset 1, si pecunia ad aliquem usum legata non sufficiat; 2, si res legata nequeat deservire pro usu determinato; 3, si legatum non sit ad usum ita necessarium; puta si sit relictum pro vasis sacris conficiendis, quibus Ecclesia non egeat, sed potius casulis. — *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 931. (2) § ult. Inst. hoc tit. (3) § 1, Inst. h. t.

(4) L. 3, pr. § 2, l. 8, pr. § 1, D. h. t. (5) L. 3, § ult. l. 16, D. h. t.

(6) § 2, Inst. L. 6, pr. l. 10, D. l. 2, C. h. t.

(7) § 3, Inst. l. 6, § 1, D. l. 3, C. h. t. — En España, para los codicilos nuncupativos se requieren las mismas solemnidades que para los testamentos de igual clase; de ahí es que valdrá la institucion de heredero que en ellos se haga, aunque en este caso dejarán de ser codicilos pasando á la categoría de testamento. En los cerrados, empero, han de concurrir cinco testigos que firmen, y en ellos no podrá instituirse heredero.

Respecto de Cataluña, seguimos las solemnidades del derecho Romano, excepto en el número de testigos, en lo que nos conformamos con el derecho canónico, bastando en consecuencia dos ó tres testigos, lo propio que en los testamentos, segun ya dijimos en su respectivo lugar. — Véase ley 3, tit. 12, part. 6. N. E.

Corollarium II — *De Substitutionibus* (1).

Q. 1. *Quid intelligitur nomine substitutionis in re testamentaria?*

R. Substitutio est (**) *institutio hæredis secundi* (tertii, quarti, etc.) *in locum deficientis primi* (*) (2).—Triplex autem distinguitur: *vulgaris*, *pupillaris* seu *paterna*, et *fidei commissaria:*

1. *Vulgaris* sic dicta, quia vulgo ab omnibus iis fieri potest qui possunt testari, est institutio facta aliarum personarum, casu quo ille qui priori gradu scriptus est, hæres non fuerit. Hæc substitutio admittitur; substitutus tamen non jam primitus vocato, sed testatori succedit. Est autem nullius roboris, si substitutus præmoriatur testatori, aut primitus vocato antequam renuntiaverit.

2. *Pupillaris* (**) est qua pater prolem impuberem sub potestate sua constitutam hæredem instituit, eique alium substituit sub conditione, si nempe ante pubertatem, cum testari prohibetur, decedat. Per hanc substitutionem si proles instituta moriatur impubes, non solum bona patris, sed etiam omnia alia, quæ ipse acquisivit, devolvuntur ad substitutum, quia *in pupillari institutione* inquit jus (3), *duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alterum filii, tamquam si ipse filius sibi hæredem instituisset:* ita quod substitutio patris sit quasi testamentum prolis. Id tamen intellige sub his tribus conditionibus. 1. Quod proles sit vere sub potestate patris. Unde mater non potest sic prolibus suis substituere, quia proles non dicitur esse sub matris potestate, sicut nec proles illegitimata sub potestate patris. 2. Quod proles impubes non cadat, moriente patre, sub potestate alterius, unde vivente avo potest filio suo substituere. 3. Quod proles moriatur ante pubertatem, alioquin cum puber facta sit capax testandi, corruit paterna substitutio (4) (*).

3. *Fideicommissaria* seu *precaria* vel *obliqua* ea est, qua hæres vel legatarius ex defuncti voluntate jubetur hæreditatem aut legatum conservare, et alteri restituere, v. g. si quis dicat: *Titius esto meus hæres, et rogo et illius fidei committo, ut hæreditatem restituat Cajo* (5).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 952.

(2) L. 1, pr. l. 36, pr. l. 43 § 2, D. de vulg. et pupill. subst.

(3) Inst. § *Igitur de pupill. subst.*

(4) Billuart, Theol. curs. trac. de contract. art. 3, § 1, n. 4.

(5) En España conocemos una especie de substituciones fideicomisarias llamadas mayorazgos, las que no son mas que unas instituciones por las cuales se prohibe la enagenacion de ciertos bienes, ligándose la posesion de estos á una serie de determinados sucesores.

Los mayorazgos se fundan en las últimas disposiciones, y aunque puedan tambien fundarse por contrato entre vivos, siempre participará este de la naturaleza de aquellas en cuanto es de su esencia el disponer de los bienes para despues de la muerte del que hace la disposicion. Antes no se necesitaba licencia alguna para fundar un mayorazgo; pero la *Real cédula de* 14 *de Mayo de* 1789 prescribió, que de allí en adelante fuese precisa la licencia del Rey concedida á consulta de la Real Cámara, cuya licencia no puede obtenerse á no ser que los bienes que tratan de amayorazgarse asciendan á 3000 ducados de renta, y además otros requisitos que se enumeran en la Cédula citada. Por otra *Real Cédula de* 24 *de Agosto de* 1795, se mandó que las vinculaciones anteriores á la prohibicion del año 1789 estuviesen sujetas al pago de un 15 por 100 para la Real caja de Amor-

Q. 2. *Quid sentiendum de hæreditate fiduciaria?*

R. *Fiduciaria* institutio ea est, qua quis instituitur hæres vel legatarius, data clam fide de legato vel hæreditate alteri restituenda. Differt a *fideicommissaria*, quia in una clam, in alia palam onus restitutionis imponitur.

Hæc successionis species (**) in aliquibus locis (*) a lege civili abrogata est, neque amplius admittitur in *foro externo*. Diximus *in foro externo;* nam cum sic institutus verus non sit hæres, hæreditatem retinere non potest, sed tenetur clam datam fidem exequi, si legitima sit; vel hæreditati renuntiare, ut sic ad hæredes transeat (1).

Corollarium III — *De executore testamentario.*

Q. *Quid de executore testamentario?*

R. Præter hæredem solent aliquando a testatoribus una vel plures designari personæ, quibus officium incumbat executione donandi extremas ipsorum voluntates: istæ dicuntur *executores testamentarii.*

tizacion, lo propio que los posteriores á dicho año. Finalmente, en 1830, se dispuso que cada nuevo poseedor haya de satisfacer la primera anualidad para la extincion de la deuda del Estado. Por último, el *decreto de las Cortes de* 27 *de Setiembre de* 1820, publicado como ley en las mismas en 11 de Octubre del mismo año, y restablecido en 30 de Agosto de 1836, dispuso en su *artículo* 14, que para de allí en adelante quedase prohibida toda especie de fundacion de mayorazgos y cualquier otra clase de vinculaciones. Prohibidas pues como acabamos de ver semejantes substituciones, como tambien los fideicomisos, patronatos, y vinculaciones de bienes raíces, muebles, semovientes, censos, juros, etc., restituyéndolos á la clase de absolutamente libres, nos contentamos con haber insinuado su historia y estado actual, dejando de examinar el modo como se fundan, sus diversas especies, y las reglas por que se rigen.

Dirémos sin embargo, que los que en aquella fecha eran poseedores de los mayorazgos ó vinculaciones suprimidas, solo pudieron disponer libremente como propios de la mitad de los bienes vinculados, debiendo la otra mitad pasar despues de la muerte de aquellos á sus inmediatos sucesores, quienes podrán disponer de ella libremente como dueños. Aquellos poseedores que no tuvieren sucesor legítimo, podrán disponer libremente del total de los bienes vinculados, previa una informacion de testigos que aseguren quedar por muerte del poseedor reducidos á la clase de mostrencos, cuya informacion deberá hacerse con las solemnidades prescritas en la aclaracion hecha por las Cortes á la citada ley, en 30 de Mayo de 1821 restablecida por Real decreto de 15 de Agosto de 1836.

Tambien en Cataluña conociamos las substituciones fideicomisarias indefinidas á las que se daba el nombre de *vincles*. Diferenciábanse bastante de los mayorazgos de Castilla en cuanto se permitia su enagenacion con mayor facilidad, como por causa de dote etc. No nos detendrémos tampoco en esplicarlas, en atencion á que cesa hoy dia su aplicacion, habiéndose reducido igualmente á la clase de bienes libres por la citada ley. — Véase el comentario de Arnoldo Vinnio, traduccion al castellano por D. J. P. y B. lib. 2, titul. 23 sobre las herencias fideicomisarias, de donde hemos estractado estas noticias. N. E.

(1) *Quid dicendum si testator hæredem amicum vocet, sed cum pacto ut ille bona reddat filio suo spurio?* Certe peccat tum pater tum amicus, cum agant contra legem. Sed si pactum acceptaverit, quid agendum erit? Salmanticenses cnixe tuentur amicum acquirere hæreditatem, sed ob pactum ex justitia teneri eam reddere spurio. Sicut enim (ajunt) qui promittit pretium meretrici illicite promittit, et ante copulam promissis non tenetur, at copula secuta, licite pretium reddit, imo ex justitia tenetur ut communiter AA. admittunt; ita a pari quamvis amicus illicite tradere promiserit spurio, licite tamen potest, imo debet ex inito pacto ipsi tradere, postquam testator ei hæreditatem reliquit. — Nobis tamen *probabilius* videtur in hoc casu amicum teneri bona restituere hæredi ab

Nemo potest hoc munus suscipere, si a lege prohibeatur: prohibentur autem *minores* etiam cum licentia tutoris; *et fœminæ matrimonio conjunctæ* sine consensu mariti, licet legitime ab illo separatæ. Cum autem executio testamenti hoc modo personæ alicui commissa, sit argumentum fiduciæ testatoris erga personam ipsam, patet hanc qualitatem extingui morte ejusdem.

(**) Executores esse possunt Religiosi ex licentia Prælati sui, nisi ordinis Regula obstet; et quidem generalis si sit Societatis Jesu; fratres de Observantia nullo modo (1) (*).

(**) Circa testamenti executionem hæc pariter tenenda sunt (2).

Plures executores testamenti institui possunt, et uno absente alter ad testamenti executionem procedere potest. Munera executoris testamenti ad ejus hæredes non transeunt.

Executor invigilare debet; 1°, ut apponantur sigilla, si inter hæredes sint minores, interdicti vel absentes; 2°, ut fiat inventarium, præsente vel rite advocato proximo hærede; 3°, ut vendantur mobilia, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat; 4°, ut executionem testamenti urgeat; et omnia bona administret tamquam bonus paterfamilias.

Impensæ quæ fiunt ab executore muneris sui adimplendi causa, ex rebus hæreditariis solvi debent. Nemo cogi potest ad illud munus acceptandum; sed si acceptet, ad rationem gestionis tenetur (*).

(**) Si nullus a testatore nominatus est executor, executio pertinet ad hæredem etiam quoad legata pia: quo tamen casu episcopus jure communi ad se pertrahere potest. Cum Layman S. Liguor. (3) (*).

(**) Executor non potest officio fungi per alium, nisi testator id ei permiserit, aut nisi committatur executio nudi facti jam declarati. Cum Sanchez, de Lugo, Diana, S. Liguor. (4) (*).

(*) Executor tenetur omnia exequi secundum mentem testatoris; ad hoc tamen executor particularis non potest vendere bona defuncti, nisi hic ita statuerit: universalis autem potest, ita Lugo, Diana. Neque potest umquam invito hærede, rem legatam dare legatario: quia non potest nisi per judicem spoliare hæredem sua possessione, licet teneatur monere episcopum ut hæredem cogat: Sanchez, Lugo, Diana; quod si bona non sufficiant ad legata omnia solvenda, distribuenda sunt omnibus æqualiter pro rata (etiamsi sint pia: et licet uni res certa, et in individuo sit legata) nec licet uni præ aliis gratificari: quia par omnium est ratio et jus. Tenentur executores reddere rationem executionis (idque probabiliter etiamsi testator eos hoc onere liberasset) exceptis iis quæ testator jussit erogari secreto (5) (*).

intestato, quia ex una parte non tenetur tradere spurio utpote contra legem; ex altera non potest sibi ea retinere, quia numquam testator intentionem habuit ea ipsi tradendi.

(1) S. Liguor. Op. Mor. lib. 3, tract. 5, n. 936.

(2) Gury Comp. Theol. Mor. tract. de contract. n. 796.

(3) S. Liguor. ibidem.

(4) S. Liguor. ibidem.

(5) Liguor. ibidem ubi fusius de hoc titulo.

SCHOLIUM — *De causis, quæ testamentum infirmant.*

Q. *Quibus modis testamenta infirmantur?*

(**) Jure Romano variis modis testamenta infirmantur, quos Jurisconsulti verborum curiosissimi, totidem vocabulis distinguere solent. Aliud enim testamentum I, *Nullum* est; aliud II, *Injustum;* aliud III, *Ruptum;* aliud IV, *Irritum;* aliud V, *Destitutum;* aliud VI, *Rescissum vocatur* (*).

(**) I. *Nullum* est, quod ab initio non subsistit, vel 1, ob defectum solemnitatis internæ (1), vel 2, ob inhabilitatem testatoris etc. (2) (*).

(**) II. Injustum dicitur, *quod itidem ab initio non subsistit, quia non rite et jure factum, atque omissæ in eo solemnitates externæ* (3). Et hujusmodi testamenta nulla et injusta tota corruere, et ne legata quidem aliaque capita subsistere, satis apparet ex eo quod *Novell. CXVI*, c. 3, non de querela nullitatis sed inofficiosi agat. Injusta tamen aliquando sustinentur per clausulam codicillarem (4) (*).

(**) III. Rumpitur testamentum, *cum in eodem statu manente testatore ipsius testamenti jus vitiatur* (5). Idque fit 1, per agnationem postumi vel *naturalem* si hæres suus post testamenti factionem nascitur, vel *civilem* si testator vel arrogat vel descendentem adoptat, vel naturalem legitimat, vel nepos succedit in locum sui hæredis (6). Idem fit mutata testatoris voluntate, sive ipse novum testamentum jure perfecto condat (7), sive priori adjecta sit clausula derogatoria (8), sive prius testamentum coram tribus minimum testibus revocarit accesseritque lapsus decennii (9), sive prius abolleverit (10) (*).

(**) Et ruptum testamentum totum corruit, nisi sustineatur beneficio prætoris; qui bonorum possessionem etiam ex rupto testamento dare solet, si postumus qui rupit vivo testatore decessit (11) vel si testator tabulas posteriores incidit, ut priores supremas relinqueret (12) (*).

(**) IV. Irritum fit testamentum, *si status testatoris mutatur*, id est si is vel maximam, vel mediam, vel minimam capitis diminutionem patitur,

(1) l. 1. D. de injust. rupt. irr.
(2) L. 1, D. h. t.
(3) L. 1, D. de Inst. rumpt. irr. test.
(4) Heinecc. Inst. lib. II, tit. 17, n. 570 et 571.
(5) § 1, Inst. h. t.
(6) § 1, Inst. ex exhæredand. liber. § 1, Inst. h. t. § 2, Inst. de hær. qui ab intest. — En España la l. 20. tit. 5, p. 6, no esceptua el caso en que el adoptado se halló instituido, de modo que tambien entonces se invalidará el testamento.
(7) § 2, Inst. h. t. — L. 1 et 2, D. de injust. rupt. irr.
(8) L. 1, § 2. D. de jur. codicill.
(9) L. 27. C. de testam.
(10) L. 1, de his, quæ in tes. del.— En España, para que el testamento posterior derogue á otro anterior en que se continuó cláusula derogatoria, es necesario que se haga en él mencion del primero, y que el testador manifieste no querer que las palabras de este obvien á la validez del segundo. Como esto, empero, pende de la presunta voluntad del testador se rompe á el primer testamento siempre y cuando por conjeturas apareciese que el testador quiso que prevaleciese el segundo, aun cuando en él no haya la revocacion.—V° Comentario de Arnoldo Vinio. traduccion al castellano adicionado etc. p. D. J. P. y B. — Barcelona sobre el lib. II, titul. 17. N. E.
(11) L. 12. D. de injust. rupt. irr.
(12) L. 11, § 2. D. de bonor. possess. sec. tabb.

cum per primam fiat servus, per mediam peregrinus, per tertiam filiusfamilias et neuter testamentum condere possit (1) (*).

(**) V. Destitutum dicitur testamentum, *ex quo hæres non existit sive nolit hæreditatem adire, sive ob mortem vel deficientem conditionem non potuerit* (2). Ergo his casibus res ad causam intestati redit (3) (*).

(**) VI. Postremo *Rescinditur* testamentum facto judicis post *querelam inofficiosi;* sive quod factum sit contra pietatis officium etc. (4) (*).

ARTICULUS II—De hæreditate legitima sive ab intestato.

Q. 1. *Quid est hæreditas ab intestato, quomodo fit, et quotuplex est?*

R. Ad 1: Tunc hæreditas dicitur *ab intestato,* quando ob defectum testamenti lex ipsa decernit quis debeat succedere in bonis defuncti. Idcirco huic hæreditati non fit locus; nisi deficiente testamento ex illo juris: *non fit locus provisioni legis, nisi cum cessat provisio hominis.* Testamentum autem tunc *deficere* dicitur, cum non est conditum, aut conditum est *invalide,* vel hæredes nolunt aut nequeunt illud acceptare (5).

R. Ad 2: Hæreditas ab intestato fit *in capita* et *in stirpes.*

Fit *in capita*, quando hæreditas dividitur in tot partes *viriles* seu æquales, quot sunt *capita* seu personæ proprio jure concurrentes ad hæreditatem (6).

Fit *in stirpes*, cum succeditur *jure repræsentationis*, seu cum succedentes obtinent tantum illam partem hæreditatis, quam si viveret, accepisset defunctus, cujus personam repræsentant. Unde hic non attenditur numerus personarum, sed stirpis seu familiæ (7). Et notandum etiam absentes et eos qui jura civilia amiserunt, repræsentari. Imo etiam filii ac descendentes exclusorum vel quia indigni vel quia exhæredati sunt, gaudent jure repræsentationis, sub datis limitationibus (8).

R. Ad 3: Hæreditas ab *intestato* duplex est pro duplici specie personarum, quas respicit. Nempe vel respicit personas secum aliquo parentelæ etiam civilis vinculo conjunctas, et dicitur *regularis.* Vel respicit personas nullo tali vinculo ligatas, et dicitur *irregularis.* Prima complectitur *descendentes, ascendentes* et *collaterales.* Altera complectitur *filios naturales, conjuges superstites* et *fiscum.*

(1) § 4. Inst. h. tit. L. 6, § 5. D. de injust. rupt. irr. — Tocante á España adviértase que pudiendo los hijos de familia testar segun l. l. 4, tit. 18, lib. 10, Nov. Rec. no se hará irrito el testamento por la *capitis* diminucion mínima ni media.

(2) § 7 Inst. de hæred. qui ab intest.

(3) Pr. Inst. h. t. l. 181 D. de reg. jur.

(4) *V.* Inst. lib. II, titul. 18 h. tit.

(5) Ley 1, tit. 16, Part. 6; y Ley 1, tit. 18. Lib. 10, Nov. Rec. N. E.

(6) Text. in princip. Instit. de hæred. quæ ab intest. deter. N. E.

(7) *Exemplum:* Titius genuit Petrum ac Paulum. Et ipse Paulus, qui jam defunctus est, genuit Joannem ac Jacobum. — Titii hæreditas dividitur in duas partes: una erit Petri; altera filiorum Pauli, qui iterum illam dimidiam partem æqualiter divident inter se.

(8) *Exemplum:* Titius genuit Petrum (*qui jura civilia amisit*), Paulum (*qui nunc abest*), Joannem (*qui merito exhæredatus fuit*), et Jacobum. Petrus, Paulus et Joannes singuli habent duos filios. — Titii Patris hæreditas dividitur in quatuor partes æquales: una erit Jacobi, qui succedit in capita: altera filiorum Petri, tertia filiorum Pauli, quarta filiorum Joannis, qui omnes succedunt jure repræsentationis.

Inter utramque illud adest, quod in successione *regulari* possessio bonorum defuncti transeat *ipso facto*, et *jure pleno* cum suis oneribus in hæredem; in succes sione autem *irregulari* possessio bonorum expostulanda est a parentibus defuncti, vel ab auctoritate.

Q. 2. *Quid est stipes, linea, ac gradus?*

R. 1: *Stipes* est illa persona, ex qua descendunt aliæ, de quarum parentela et conjunctione quæritur; ideoque esse potest tam pater quam mater, sive simul accipiantur sive etiam separatim.

R. 2: *Linea* vero est ipsa series personarum ab uno atque eodem stipite descendentium.

Alia autem est *recta*, quæ exhibet seriem personarum, quarum una ab altera genita est; et dicitur *descendentalis*, si in ea conficienda descendamus a stipite ad posteros; *ascendentalis* vero, si a posteris ascendamus ad stipitem. Utraque *maschilis* est, vel *fœminilis*, prout masculos comprehendit vel fœminas. Item *paterna*, vel *materna*, prout patrem respicit vel matrem.

Alia est *obliqua*, et dicitur etiam *transversa* vel *collateralis*, quæ exhibet seriem personarum, quarum una non est procreata ab alia, uti sunt v. g. duo fratres. Hæc porro vel est *æqualis*, quando personæ quas exhibet æqualiter distant a stipite, uti sunt duo fratres jam dicti; vel est *inæqualis*, quando personæ, quas exhibet, distant inæqualiter a stipite, uti sunt frater et fratris filius.

R. 3: *Gradus* est ipsa distantia personarum inter se.

In civili computatione tot sunt gradus in linea recta et transversali, quot sunt personæ genitæ, quæ generationem multiplicant, dempto stipite: sic fratres inter se distant duobus gradibus (1).

In computatione *canonica* quoad lineam *rectam* nihil diversitatis est; sed quoad *obliquam* sic gradus computantur, ut in *obliqua æquali* eo gradu distent collaterales inter se, quo gradu unus eorum distat a stipite: sic fratres distant uno tantum gradu inter se; in *obliqua* autem *inæquali* eo gradu distant, quo remotior distat, semper dempto stipite (2).

Q. 3. *Quotupliciter distinguuntur filii ac fratres?*

(1) Cuando se dice que son tantos los grados, cuantas son las personas engendradas, no debe tomarse la cosa tan materialmente, que se entienda que cada individuo engendrado añada siempre un nuevo grado al parentesco, siendo lo cierto que en la línea recta, muchos hijos no constituyen otros tantos grados de distancia del padre, sino uno solo. Igualmente en la línea colateral los hermanos están en el segundo grado entre sí, los sobrinos con el tio en el tercero; aun cuando los hermanos, los sobrinos y los tios, sean en gran número en sus respectivas líneas.

Las personas, pues, que hacen crecer los grados de parentesco, son aquellas que simplemente multiplican la misma generacion, esto es de hijo, de sobrino, de sobrino segundo etc.

Ita Ferrero, *Trattato delle succesioni ab intestato, pag.* 41.

(2) Ratio disparitatis est, quia computatio canonica inducta est pro regula matrimoniorum, quæ quidem nonnisi inter duo haberi possunt; ideo in illis duo tamquam unum usurpantur (*can* 2, *quæst.* 3, *caus.* 33). Quod non evenit in computatione civili; in ea siquidem ratio habetur successionis, in qua personarum numerus variare solet.

Idipsum obtinet etiam in affinitate, cum in ejus gradu computando habeatur ratio consanguinitatis. Unde disparitas quæ est in consanguinitate, erit etiam in affinitate. Hinc Titius secundum computationem canonicam est affinis in primo gradu cum uxore fratris sui; est autem in secundo gradu affinis secundum computationem civilem.

R. 1: *Filii* alii dicuntur *legitimi*, si oriantur a matrimonio legitimo, vel publice et bona fide uti tali contracto saltem ex una parte.

Alii *illegitimi*, si aliter habiti sint. Isti porro vel sunt *naturales*, si oriantur ex muliere libera et patre item libero (ac possunt modis præscriptis legitimari, quo in casu dicuntur *legitimati*, et gaudent iis juribus, quibus legitimi). Vel sunt *spurii*, *quæsiti*, *adulterini*, *incestuosi*, *sacrilegi*, si habeantur a meretrice aut a commercio inter personas, quæ nequeunt secum inire matrimonium legitimum, uti v. g. si jam alio matrimonio sint ligatæ aut sint frater et soror, aut voto solemni obstrictæ, aut sacris ordinibus initiatæ.

Alii denique dicuntur *adoptivi* (1), si ex adoptione suscipiantur.

R. 2: *Fratres* alii dicuntur *germani*, si proveniant ex eodem patre simul et eadem matre.—Alii *consanguinei*, si ex eodem patre, sed matre diversa originem ducant.—Alii *uterini*, si oriantur ex eadem matre, sed patre diverso. Idem est de *sororibus*.

Tandem notandum est, quod *agnati* dicuntur qui descendunt per lineam masculinam, *cognati* qui per lineam fœminilem.

§ I—*De hæreditate intestata regulari.*

Q. *Quos complectitur hæreditas intestata regularis?*

R. Hæreditas intestata regularis complectitur personas *descendentium* ut vocant, *ascendentium* et *collateralium* (2).

(**) 1.ª *Est successio descendentium* et sic eam exponit Novella CXVIII Just. c. 1. Si quis *descendentium intestatus moritur, cujuslibet naturæ aut gradus, sive ex masculorum genere sive ex fœminarum descendens, et sive suæ potestatis, sive sub potestate alterius sit, omnibus ascendentibus et cognatis præponatur* (3). Succedunt autem per *capita* si omnes sint in primo gradu: per *stirpes* autem si primum gradum excesserint. Nomine filiorum legitimorum etiam debito modo legitimati intelliguntur (4). Quod vero pertinet ad adoptivos et ipsi et eorum descendentes succedunt adoptanti in concursu aliorum filiorum (5) (*).

(1) *De adopt.* vid. Tract. *de matrim.* disp. 3.

(2) *V. pro Hispania* Leyes 1, 2, y 20, tit. 2, lib. 4 del Fuero Juzgo; Leyes 1, 3, 7 y 8, tit. 6, lib. 3 del Fuero Real, etc.; y Ley 3, tit. 13, Part. 6, *pro descendentibus*. Ley 2, tit. 2, lib. 4 del Fuero Juzgo; ley 1, tit. 6, lib. 3 del Fuero Real; ley 4, tit. 13, Part. 6, etc. *pro ascendentibus*; y leyes 3 y 9, tit. 2, lib. 4 del Fuero Juzgo, ley 1, tit. 6, lib. 3, del Fuero Real, etc. *pro collateralibus*. N. E.

(3) *Exemplum*: Titius habuit ex primis nuptiis cum Titia Petrum et Paulum, habuit ex secundis nuptiis cum Sempronia, Joannem. Porro Petrus (*nunc defunctus*) genuit filium, item Joannes (*pariter defunctus*) duos habet filios. — Titii hæreditas dividitur in tres partes æquales: una erit defuncti Petri, secunda Pauli, tertia duorum filiorum defuncti Joannis. Isti autem respective succedunt propriæ matri vel aviæ, nempe filius Petri et Pauli succedunt Titiæ, filii vero Joannis succedunt Semproniæ. — *V.* L. 3 de secund. nupt. — Novell. XXII, cap. 46.

(4) Legitimatio potest cum his subsistere qui a parentibus nati inter quos nullum impedimentum ut nuptiæ contraherentur, intercedebat.

Quoad legitimatos per Principis rescriptum hoc fine legitimati admittuntur si sint soli. Novell. LXXIV, cap. 1, LXXXIX cap. 9.

Si legitimi antea nati extant, et illi tamen legitimantur a Principe his salvam esse legitimam Heinecc. putat. Instit. hoc loc. N. E.

(5) Segun derecho español los grados de sucesion son del modo siguiente: 1° Son llamados los

(**) 2.ª *Est successio ascendentium:* si nulli sint descendentes hæreditatem sibi vindicant ascendentes. Inter hos autem successio sic locum habet. 1.° Cum ascendentibus et fratres germani veniunt et eorum liberi, non autem nepotes jure repræsentationis. Inter ascendentes proximus remotiorem excludit, ideoque matre et patre extantibus in *capita* successio aperitur, his defunctis et cæteris ascendentibus venientibus, successio in lineas dividitur; id est duabus partibus æqualibus factis, altera ad avos paternos, altera ad maternos tribuitur (1) (*).

(**) 3.ª *Est successio collateralium.* Si defunctus non habeat neque descendentes, neque ascendentes, hæreditatem sibi vindicant fratres ac sorores germani, aut eorum liberi modo sint primi gradus, et germani germanæve soli in capita succedunt; si germani germanorumque liberi concurrunt, illi in capita, hi jure repræsentationis in stirpes vocantur (2).

Quod si neque hos habeat, tunc succedunt fratres ac sorores unilaterales, eorumque liberi; vel in capita vel in stirpes prout de germanis dictum est (3). Quod si neque hos id est fratres ac sorores unilaterales eorumque liberos habet defunctus, hæreditas devolvitur ad ejus proximiorem vel proximiores absque discrimine lineæ paternæ aut maternæ usque ad gradum decimum prædictum (4) (*).

hijos legítimos. 2° Los legitimados por autorizacion Real. 3° Los adoptivos. — Vease apéndice á las Partidas del Rey don Alfonso el Sabio publicadas en Barcelona año 1849. N. E.

(1) *Exemplum:* Titius moritur; et pater et mater, frater et duo filii a fratre supersunt: quatuor ex hæreditate partes fiunt: altera ad patrem; altera ad matrem, altera ad fratrem, quarta ad sobrinos pertinens. Quod si pater et mater defuncti sunt; et avus paternus et avia, et avus et avia materna existunt. ex hæreditate eædem partes fiunt sed duæ partes ad patrem et matrem vivos pertinentes ita dividentur ut avus paternus portionem habeat duplam avo aut avia materna. Quod si pater et mater extarent fratribus defunctis nepotes ex iis a patre et matre excludentur. — Novell. 118, cap. 2.

Hæc sunt in hac successione animadvertenda: Patrem succedere filiis qui ipsi succedunt. Itaque filius naturalis patri non succedit nisi in sextanti, mater autem peræque ac legitimus. — Adoptans tamen nisi fuerit ascendens adoptivum non succedit quamquam hic illi succedat.

En España entran á suceder al hijo difunto en falta de descendientes sus ascedientes segun la proximidad de grado. El padre adoptivo no podrá suceder al hijo adoptivo á pesar de que este sucede á su padre segun el órden arriba esplicado. N. E.

(2) *Exemplum:* Titius habet tres fratres Petrum, Paulum ac Mariam. Paulus (defunctus) habet tres filios. — Titii hæreditas dividitur in tres partes æquales: una est Petri, alia filiorum Pauli, alia Mariæ.

(3) *Exemplum:* Titius ex primis nuptiis cum Titia genuit Petrum et Paulum: ex secundis vero nuptiis cum Sempronia quæ jam vidua erat cujusdam Eusebii (ex quo habuit Calixtum) genuit Joannem et Jacobum. Titius et Sempronia defuncti sunt. Item Petrus; Calixtus pariter, sed hic reliquit duos filios. — Si modo Paulus moriatur, ejus hæreditas dividitur in tres partes, una debetur Joanni, altera Jacobo, tertia vero filiis Calixti.

(1) *Exemplum:* Titius genuit Petrum, Paulum et Joannem. Petrus autem genuit Jacobum; Paulus Josephum et Ernestum: Joannes autem Honoratum. — Cuinam debetur Jacobi hæreditas, si soli supersint Joseph, Ernestus et Honoratus? Istis in partes æquales est danda, cum æqualiter distent: neque inter consobrinos fit locus repræsentationi. At si Jacobus relinqueret fratrem consanguineum vel uterinum, iste omnes excluderet. — Novel. Justin. 118 cap. 4 et 5.

En España segun la ley 5.ª y 6.ª tit. 2, libr. 4 del Fuero Juzgo y la ley 12 tit. 6, libr. 3 del Fuero Real debe distinguirse la procedencia de los bienes del hermano difunto: los hermanos consanguíneos sucederán en los bienes que hubiesen provenido al hermano por la línea paterna y los uterinos en los que por línea materna. En derecho Romano habia cuestion de si debia ó no hacerse

§ II—*De hæreditate intestata irregulari.*

Q. *Quotuplex hæreditas intestata irregularis?*

R. Triplex est pro triplici quasi personarum qualitate, quas complectitur. Sunt 1, *filii naturales;* 2, *conjux superstes;* 3, *fiscus* (1).

(**) 1.ª *Successio filiorum naturalium:* filii naturales hæredes non sunt patris: matri tamen succedunt, ut filii legitimi, nisi mater fuerit illustris. Non existentibus filiis legitimis, in sextantem cum concubina dividendum, filii naturales patri succedunt (2) (*).

(**) 2.ª *Successio conjugis superstitis*: non existentibus cognatis intra decimum gradum, conjux conjugi succedit. Sed mulier si pauper sit, non autem maritus, in quartam partem succedit, si tres fuerint hæredes ad successionem vocati, si autem plures portionem virilem accipit. Mulier autem et cum liberis ipsis et cum ascendentibus et germanis succedit (3) (*).

(**) 3.ª *Successio fisci:* postremo, si nullus sit successor legitimus, fiscus, exclusis affinibus, tutoribus et nutritoribus bona vacantia intra quadriennium nuntiata occupat (4). Præferuntur autem fisco. 1. Conjuges. 2. Socii liberalitatis imperialis. 3. Ecclesia in bonis clerici. 4. Vexillatio in bonis militis. 5. Collegia et corpora in bonis collegiati et corporati (5) (*) *(K)*.

esta distincion de bienes; la mas comun era la opinion negativa, no haciéndola la novela 118 de Justiniano y conduciendo la division á admitir consecuencias evidentemente contrarias á lo dispuesto en dicha novela. Por lo demás entre nosotros los colaterales ocupan el tercer lugar en la sucesion, mientras están dentro del cuarto grado, como se ve en la nota 2ª que sigue; despues de estos siguen los hijos naturales, luego la conyuge sobreviviente; en sexto lugar los colaterales desde el quinto al décimo grado inclusive y últimamente el fisco. *Fiscus post omnes. V.* Leg. cit. not. 5. N. E.

(1) *V.* pro Hispania, pro *filiis naturalibus et conjuge superstit.* la ley de 16 de mayo de 1835; *et pro fiscu;* ley 6, tit. 13, part. 6, leyes 1, 6, tit. 22, lib. 10, Nov. Rec. N. E.

(2) Novell. 89 cap. 12, § IV. En España segun la ley del 16 de mayo de 1835 despues de los parientes dentro el cuarto grado entra á suceder el hijo natural legalmente reconocido.

(3) Novell. 117 cap. 5. Hoc autem jus etiamsi testamentum extiterit, servat. — En España despues del cuarto grado en la linea colateral entra á suceder el conyuge no separado por demanda de divorcio, pero á su muerte los bienes de *abolengo* pasarán á los parientes colaterales. — Ley de 3 de mayo de 1835.

(4) L. 1, pr. D. de success. edict. l. 1. 4. de bon. vac. l. 1, § 2, D. de jur. fisc. l. 2. 4. 10. C. de suc. edict.

(5) *V.* Heinecc. elem. jur. lib. 3. tit. XIV. — Por último, por si algun dia se ponia en planta el proyecto de Código civil general en toda España, vamos á dar una ligera idea de los principios de que parte en órden á las sucesiones *ab intestato.*

Son tres tambien las órdenes de sucesion que reconoce, lo mismo que llevamos espuesto á saber: descendientes, ascendientes y colaterales.

En la línea de descendientes hay lugar á representacion como en derecho Romano, ya sea que los nietos sucedan con los hijos, ya que sucedan solos.

En la línea ascendiente, la sucesion se verifica *in capita* escluyendo siempre el mas próximo al mas remoto.

En la línea colateral hay lugar á la representacion hasta el 2.º grado, ó sea hasta los hijos de los hermanos. Cuando concurren hermanos bilaterales con hermanos unilaterales, los hermanos bilaterales tienen una porcion doble en la sucesion.

Cuando concurren solos los hermanos unilaterales, heredarán todos en partes iguales. Sus hijos tendrán el derecho de representacion como los hermanos germanos.

COROLLARIUM—*De hæreditate jacente.*

Q. *Quid de hæreditate jacente?*

R. Quando alicujus substantiæ non agnoscitur hæres, vel ii qui cogniti sunt, hæreditati renuntiaverunt, hæreditas illa dicitur *jacere* vel *jacens*, quasi nempe sit sine domino. Jam vero quando hæreditas talis evadit, deputatur ad eam tuendam et administrandam aliqua idonea persona *curatoris* nomine nuncupata.

Si omnes usque ad 10ᵐ gradum hæredes renuntient, devolvitur hæreditas ad fiscum.—Si autem non cognoscitur hæres, nec post 30 annos aliquis compareat, hæreditatem præscribit idem fiscus.

CAPUT OCTAVUM

DE MODIS ACQUIRENDI RERUM DOMINII JURIS CIVILIS PARTICULARIBUS.

Modi hujusmodi sunt *præscriptio* et *contractus*. Ob magnam rerum dicendarum copiam duabus dissertationibus illos explicabimus.

DISSERTATIO PRIMA

DE PRÆSCRIPTIONE (1).

Q. 1. *Quid est præscriptio, et an legitime inducta?*

R. Præscriptio, quæ hodie non distinguitur ab usucapione (2), definitur: *medium institutum ad acquirendum aliquod jus, vel ad obtinendam liberationem ab aliqua obligatione, mediante lapsu temporis a lege præfiniti, et sub conditionibus a lege ipsa statutis.*

No se hace distincion de la procedencia de bienes, y la calidad del doble vínculo no se estiende mas allá del 2.° grado.

En falta de hermanos bilaterales ó unilaterales entran á suceder los demás parientes segun la proximidad de grado y siempre *in capita* hasta el 10° grado.

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 504, *et seqq.*; et *Hom. Apost. Tr.* x, *nn.* 10 *et seqq.* Consonat hæc doctrina de præscriptione cum jure hispano. Pro requisitis ad præscriptionem vide *leges Part.* 3; nempe pro *justo titulo* legem 11 et 14, tit. 29, pro *bona fide* leg. 12; pro *possessione* legem 9 et 5, tit. 30; quoad *tempus* leges 9, 17, 18 et 20 cit. tit. 29; pro *præscriptibilitate* leges 6, 7 et 4, 9, et 2, tit. 8, lib. 11 Nov. Rec. N. E.

(2) Nempe *usucapio* est acquisitio juris, *præscriptio* est liberatio ab aliqua obligatione. Usucapio dicitur, qui res *capitur usu*: præscriptio vero sic dicitur quasi *exceptio;* quia per eam exceptio opponitur domino rei.

Medium est præscriptio vere legitimum et justum pro acquirendo rerum dominio in utroque jure, *civili* nempe et *canonico* expresse approbatum (1), et vim proinde habens in utroque foro: *externo*, id est *judiciali*; et *interno*, id est *conscientiæ*.

Hæc ejus justitia tota innititur ratione boni communis (2), quatenus nempe boni communis summopere interest, ut idem jus civile loquitur:—1, *ne quarumdam rerum diu, ac fere semper sint incerti domini*; —2, *ut aliquis sit litium finis*;—3, ut possessores tranquillo animo in possessione sua serventur, neque *timore prope immortali teneantur*;—4, ut vitetur dominorum *segnities, et longi temporis error atque confusio* (3). Quare Angelicus de præscriptione ait: *dicendum quod siquis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum esse post præscriptionem* (4).

Q. 2. *Quinam potest præscribere?*

R. Regula generalis est, ut illi omnes præscribere possint, qui capaces sunt acquirendi dominii. Sicque etiam corpora moralia, uti Ecclesia, Communitas, publica Instituta non secus ac privatæ personæ præscribere possunt, et præscriptioni subduntur.

Q. 3. *Quotuplex est præscriptio?*

R. Præscriptio, licet ex natura sua sit una semper et eadem; potest tamen claritatis gratia in triplicem quasi speciem dividi ratione temporis, quod requiritur in jure ad eam legitime peragendam.

(**) Alia est *longi temporis*, alia *temporis longissimi*, alia quæ dicitur præscriptio *immemorialis* id est cujus in contrarium non extat memoria (5) (*).

(**) Item præscriptio prout per illam res aliqua aut jus aliquod acquiritur, dicitur *acquisitiva*; prout vero ipsa ab aliqua servitute vel aliquo onere liberat, *liberativæ* nomen audit (6) (*).

Q. 4. *Quænam sunt conditiones ad legitime præscribendum?*

R. Conditiones ad legitime præscribendum sunt:

1. Ut res ad præscribendum sit *apta*; 2, ut adsit *bona fides*; 3, ut *titulus* quoque sit justus; 4, ut sit *possessio justa*; 5, ut *possessio* ipsa sit continuata toto tempore a lege definito.

Quæ omnia hoc versiculo exprimuntur:

Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

1. *Res apta*: præscriptionis nempe capaces non sunt res illæ, quas ut tales declarat lex ipsa civilis, a qua præscriptio inducta est.

(**) Jure communi res præscriptionis incapaces sunt:—1, ea quæ non possunt possideri ut jura Ecclesiastica a Laico, etc. 2, contra jus naturale aut di-

(1) De jure civ. patet ex toto *t. de præscript*; de jure canon. patet ex *c. Relatus can. Præsulum* 2. *c.* 16. *q.* 3.

(2) Unde quamvis immediate non profluat a jure naturæ, est tamen ei valde conformis. Aliunde nemo negare potest quod Princeps vel respublica possit de bonis privatorum disponere, si bonum publicum id exigat; tunc autem, quod dominus rei sit invitus, est irrationabile.

(3) L. 1 de usurp. et usucap.: L. 5 pro suo; L. 7 in princip. eod. de præscr. 30 vel 40 ann.; L. 2, cod. de annali except, 5 de præscript. (4) Quodl. 2, a. 74.

(5) L. 2, § 1, 7, D. l. 23 § 2, D. de agu. et agus. pluv. ar.

(6) Gury Comp. Theol. Mor. n. 567.

vinum non procèdit præscriptio, quia in ea nihil valet potestas humana a qua pendet præscriptio (1). Item, cum finis præscriptionis sit dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio fieri nequit de re quæ ex natura sua, vel ex legis dispositione in commercium privatorum venire non possit. —Hinc res sacræ, ut ecclesiæ, cœmeteria, jura ecclesiastica, nec non ea quæ sunt dominii publici stricte sumpti, ut plateæ, præscribi nequeunt (2) neque præscriptioni subduntur certi limites Provinciarum, Episcopatuum et Parœciarum, secus si sint incerti (3): neque res furatæ (4), nec bona *minoris* 25 annis sub patria potestate constituti, neque res *dotales* (5).

2. *Fides,* nempe *bona:* et est *illa animi affectio, qua quis prudenter judicat rem quam possidet, esse suam.* Hinc jus: *oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ* (6).

(**) Hæc fides bona omnino necessaria est ad acquirendum dominium ex præscriptione: etenim qui advertit se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit, quia de jure naturali, et etiam positivo, sive divino sive humano, res aliena scienter neque subripi, neque retineri potest. Constat etiam ex *Concilio* Lateranensi IV (7) et ex secunda regula juris in 6 quæ sic habetur: *Possessor malæ fidei nullo tempore non præscribit.* Unde dispositiones juris civilis in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt pro foro interno non valent (8) (*).

(**) Rationem profert Billuart (9) inquiens, quia possessor malæ fidei est in continuo statu peccati mortalis, rem alienam scienter retinendo, illa autem quæ sine peccato esse non possunt nulla præscriptione firmantur, quia ut Innocentius IV inquit in *cap. non debet* 8 *de consang. affin. Diuturnitas temporis non minuit sed auget peccatum* (*).

(**) Requiritur autem bona fides non solum ad præscriptionem *adquisitivam* sed etiam ad *liberativam,* si casum servitutis extinguendæ excipias. Pro utroque enim eædem rationes et auctoritates æque urgent. Ratio autem exceptionis est quia in casu servitutis *passivæ* præscribens nullo ligatur debito erga eum contra quem præscribit, nec tenetur, decurrente præscriptionis tempore, monere alium ut contra ipsum servitutis jure utatur (10) (*).

(1) Billuart Theol. de jur. et just. art. 3. § x.

(2) L. *Usucapion.* ff. de *usucapion.* 4. Lex 23 de *sacros. eccles.* — *V.* Gury loc. citat. n. 570.

(3) Ex Cap. Dilect. 16. g. 3. (4) § Inst. de usucapion.

(5) L. ult. C. in quib. cau. in int. l. 1, § 2. de anal. except. l. 4, de fund. dot. Quæ omnia sunt juxta jus hispanum. Confer l. 6, d. tit. 29. — L. 4, d. tit. 29, l. 2, tit. 8, lib. 14. Nov. Rec.

(6) Cap. *Quoniam præscript.* — Et quidem bona fides *theologica* requiritur, quæ nempe excludit peccatum; etsi in foro externo habeatur uti sufficiens bona fides *juridica,* ea nempe quæ excludit indicia, ex quibus in foro civili mala fides probari possit.

(7) *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis, cum generaliter sit omni constitutioni et consuetudini derogandum, quod absque peccato mortali non potest observari: unde observare oportet ut qui præscribit in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* N. E.

(8) Gury Comp. Theol. Mor. n. 578: unde notandum est, quod *jure canonico* fides bona necessaria est non solum *initio* sed *toto præscriptionis tempore;* iniquum enim est, ut quis ex sua iniquitate locupletetur (c. 5, et ult. de præscript.)

(9) Billuart Theol. cursus de jure et justit. art. 3, § 4. (10) Gury loc. citat.

Sed quid (dices) *in ipso jure canonico de fide dubia?* Vel tale dubium oritur *initio possessionis*, vel in *ejus decursu.*

Si 1, tollitur bona fides; quia, eo stante, esse non poterat in possessore illa animi affectio, qua putaret rem esse suam.

Si 2, tenetur diligentiam adhibere ad veritatem inveniendam, ne imprudenter se periculo exponat alienum possidendi. Quod si, adhibita diligentia, dubium perseveret, ex *communi* et *probabiliori sententia* potest rem illam sibi retinere; quia tale dubium sic superveniens bonam fidem *practicam* non destruit. Aliunde *in dubio melior* est *conditio possidentis.* Ita Anacletus, Croix, Lugo, Lessius, etc. (1).

3. *Titulus justus:* titulus generatim est causa propter quam aliquid possidemus. Hic non agitur de *vero* titulo, nam tunc non esset necessaria præscriptio, quia nemo rem suam præscribit: sed de titulo agitur, qui suapte natura habilis habeatur ad transferendam proprietatem, ut esset venditio, donatio. Unde triplex distinguitur hoc in loco titulus, *coloratus*, *existimatus*, *et præsumptus.*

Coloratus, sive apparens est qui occulta laborat nullitate: esset v. g. si a Titio rem emerim, quam putabam esse Titii; cum tamen esset Sempronii.

Existimatus est qui nempe prudenter creditur interfuisse, licet non interfuerit, v. g. si filius ex hæreditate possideat aliquam rem, quæ a patre putetur empta, cum tamen empta non sit (2).

Præsumptus tandem titulus tunc adest, quando lex ipsa ob temporis diuturnitatem eum præsumit interfuisse.

Jam vero ad præscriptionem aliquis semper titulus ex his tribus necessarius est: alioquin non adesset bona fides.

(**) Pro præscriptione triginta annorum (multo magis pro præscriptione immemoriali, quia juxta Juristarum commune effatum; *Possessio temporis immemorialis est loco tituli*) nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit etiam in conscientia, modo adsit bona fides; seu potius tunc habetur titulus præsumptus in ipso facto possessionis placidæ per tantum temporis intervallum (3). Et de hoc dicit Auctor titulus præsumptus (4) (*).

4. *Possessio*: hæc est fundamentum præscriptionis, unde in jure; *sine possessione præscriptio non procedit* (5). Qualitates possessionis justæ ad præscribendum sic (**) communiter enumerantur; 1°, quod sit *dominativa*, seu haberi animo proprietarii, non vero depositarii etc.; 2°, quod sit *publica*, id est non clandestina, ita ut potuerit innotescere ei contra quem præscribitur;

(1) *Quid* (addes) *si quis putet quidem rem esse suam, sed ex ignorantia culpabili?* poteritne iste præscribere? Vel ignorantia hæc est *graviter culpabilis*, vel *leviter.*

Si 1, non potest præscribere; quia nemo ex propria culpa debet commodum reportare. — Si 2, videtur nobis *probabilius* præscribere posse; nam in Concilio Carthaginensi non damnatur nisi sola fides cum *peccato mortali.* Adde: si ignorantia *leviter mala* impediret præscriptionem, res esset innumeris scrupulis obnoxia, nam posset quilibet illius suspicione agitari quotidie, quia facile ignorantia *leviter* culpabilis locum habet etiam in viris probis.

(2) *V.* Lig. Op. Mor. lib. 3, tract. 5, n. 505. N. E.

(3) Gury Comp. Theol. Mor. n. 572.

(4) Gury ibidem. n. 571. — In nullo tamen casu valeret titulus *vitiosus*, qui nempe caret aliqua ex conditionibus a lege statutis. Unde habetur axioma: *melius est non habere titulum, quam titulum vitiosum.* (5) Reg. juris in 6°.

3°, quod sit *placida*, id est ut quemlibet violentiæ actum excludat; 4°, *certa*, hoc est non æquivoca (1) (*).

Denique *possessio continuata tempore a lege definito*, idest numquam interrupta.—Nonnulla autem super his solent inquiri (2).

Q. 5. *Quod tempus requiritur ad præscriptionem?*

(**) R. Res *mobiles* ex jure Romano cum titulo præscribuntur spatio trium annorum tam inter præsentes quam inter absentes (3), triginta vero sine titulo (4) (*).

(**) R. 2. Res immobiles sine titulo possessæ præscribuntur triginta annis sive inter præsentes sive inter absentes (5), cum titulo autem decem anni requiruntur inter præsentes, viginti inter absentes (6). In Jure Romano dicitur præsens si habitet in eadem provincia in qua situs est fundus præscriptioni obnoxius. Hæc autem provincia legibus particularibus determinatur (*).

(**) R. 3. Quoad præscriptionem *liberativam:* servitutes passivæ, census et omnia debita extinguuntur post triginta annos supposita bona fide (7) (*).

(**) Sunt etiam aliæ præscriptiones breviores: in nostra Hispania tribus annis præscribuntur actiones sequentes:

1.° La que tienen para cobrar sus servicios ó salarios los que hayan servido á otros.

2.° La que compete á boticarios, joyeros y otros oficiales mecánicos, y á los especieros, confiteros y otras personas que tienen tiendas de comestibles, por razon de lo que hubieren dado de sus tiendas y hechuras que hubieren hecho.

Los tres años se cuentan en los sirvientes desde el dia en que hubieren sido despedidos por sus amos, y en los otros desde el dia en que recibieron lo

(1) *V.* Gury ibidem n. 571.

(2) Ad res Ecclesiæ præscribendas hæc notanda sunt quoad tempus:

1. Pro bonis immobilibus Ecclesiæ requiruntur 40 anni ex *c.* 1 *de Inst. restit.* Et pro immobilibus Ecclesiæ Romanæ, 100. An autem pro mobilibus Ecclesiæ requiratur idem tempus 40 annorum, affirmant Anacletus, Hostiensis, Panormitanus, etc. dicentes quod in textu non fit distinctio; alii negant æque probabiliter.

2. Possidens beneficium aut illius fructus per tres annos juxta regulam Cancellariæ, etiamsi titulus fuisset nullus, præscribit; modo non intercesserit intrusio, aut simoniacus ingressus. — *V.* Liguori, *Homo Apost. Tr.* x, *n.* 10.

3. Dicunt Layman, Navarrus, Gobat etc. posse præscribi numerum Missarum, ac circumstantias appositas in fundatione 20, aut 30, aut saltem 40 annis. Sed *verius* id non admittitur; quia Tridentinum interdicit posse derogari illis oneribus; et Pius IV confirmans Concilium, declaravit irritum quidquid in posterum contra factum fuisset. Dicit autem Croix cum aliis *communissime* clausulam Decreti irritantem ligare etiam ignorantes, et in causis beneficialibus inficere titulum et possessionem. — *V.* Liguori, *Homo Apost. Tract.* xv, *n.* 74.

1. Etiam decimæ possunt præscribi, si necessaria maneant sustentationi; sed necessaria est bona fides, et requiruntur 40 anni cum titulo: sine titulo requiritur tempus immemorabile. — *V.* Liguori, *Homo Apost. Tr.* xx, *n.* 84.

(3) Inst. de *usucapion.* § 1 et C. de usucap. transform. L. unica.

(4) L. sicut 3 C. de præscript. 30 vel 40 an. lib. 7, tit. 39.

(5) L. sicut. in rem et L. si quis C. de præscript. 30 vel 40 an.

(6) Inst. de usucap. § 1 et L. cum longi C. de præscrip. long. temp.

(7) S. Liguor. Op. Mor. lib. 3, n. 513. — Lugo etc.

que se les dió, y para impedir esta prescripcion basta cualquiera peticion de la deuda, aunque hubiese sido estrajudicial (1).

3.° La que tienen los letrados, procuradores y solicitadores para pedir sus salarios, no habiéndose contestado sobre ello, antes que hayan pasado los tres años (2) la cual manda además, que no pueda renunciarse su contenido; y que si renunciare, no lo impida la renuncia (*).

Q. 6. *Quando præscriptio dicitur interrumpi, et dormire?*

R. Ad 1: Tunc dicitur præscriptio *interrumpi*, quando aliquod impedimentum intervenit, quod illam jam inchoatam extinguat: idque contingere potest *naturaliter* et *civiliter*.

Naturaliter, cum quis a possessione dejicitur, et rei fruitione privatus ultra anni spatium fuit *vel* ab anteriori ejusdem proprietario, *vel* a tertio; tunc de novo incipienda est.

Civiliter quando intervenit litis contestatio vel injunctio, aut cum quis sequestrum indicit. Item per citationem coram judice licet incompetenti: aliter est si citatio nulla sit defectu formæ, si auctor a petitione recedat, si perimi sinat instantiam, vel petitio rejiciatur.

R. Ad 2: Præscriptio dicitur *dormire* seu *suspendi*, cum tale eidem (**) impedimentum objicitur ne procedat ulterius, vel quando jam inchoata cessat, sic tamen ut finita causa, propter quam dormiebat, iterum reviviscat et posteriores anni computentur cum prioribus, non computatis iis quibus dormivit, et hoc accidit: 1°, dum judicia exerceri nequeunt v. g. tempore pestis, belli;—2°, contra Ecclesiam dum caret Rectore seu superiore;—3°, contra pupillos toto tempore quo pupilli remanent; filiosfamilias respectu bonorum adventitiorum; uxorem vivente marito, etc.;—4°, contra quemlibet qui jus suum prosequi nequit. *Sic varia jura* (3) (*).

Q. 7. *Quandonam præscriptio est vitiosa in sui principio?*

R. Est vitiosa præscriptio in sui principio, si talis ei opponitur defectus, vi cujus ne posset quidem ea legitime inchoari. Sic si antecessor rem furto possideat, et ejus successor agnoscat, nequit inchoare præscriptionem; quia in ipso principio deest bona fides.

Q. 8. *An præscribat hæres qui dubitat de bona fide antecessorum?*

R. *Affirmat.*: quia mala fides præsumi non debet, saltem *ordinarie et per se. Ita Coll. Andeg. contra Collet* (4) (*).

(**) Q. 9. *An mala fides antecessoris semper impediat successorem a præscriptione?*

R. 1. *Affirm.*, si hæres succedat ex titulo universali saltem pro præscriptionibus ordinariis, seu decem vel viginti annorum.

R. 2. *Neg.*, si succedat titulo particulari, quia tunc non censetur unicam personam constituere cum antecessore. Idem dicendum est de rebus adquisitis emptione vel alio contractu.—S. Liguor. n. 516 (*).

(1) L. 10, tit. II, lib. 10 de la Nov. Rec.

(2) L. 9, L. titul. — *V.* Sala Ilustracion del derecho Real de España tom. I, lib. 3, tit. 2, n. 11.

(3) Gury Comp. Theol. Mor. n. 574. — Billuart curs. Theol. trac. de jur. et just. art. 3, § 7.

(4) Gury Comp. Theol. Mor. n. 577.

(**) Q. 10. *An mala fides antecessoris noceat successori universali, etiam quoad præscriptionem triginta annorum?*

R. *Neg. probabilius*, quia jus civile dicit omnes obligationes tam reales quam personales posse præscribi per triginta annos. — Ita D. Gousset contra alios qui dicunt talem hæredem non posse prosequi præscriptionem cum vitio suo.—Billuart, Lugo, etc. (*) (1).

(**) Q. 11. *An mala fides antecessoris noceat hæredi immediato?*

R. *Neg probabilius*, quia non censetur facere unicam personam cum antecessore.—*Billuart et alii communiter* (2) (*) *(L).*

Q. 12. *Quandonam præscriptio cessat?*

R. Præscriptio cessat per *renuntiationem* non solum expressam, sed etiam tacitam, quæ ex aliquo facto deducitur.

Ut autem quis huic beneficio renuntiare possit, requiritur 1, ut illud jam acquisierit : 2, ut potestate fruatur alienandi.

Non obstante renuntiatione, si sint quorum interest, præscriptio adhuc opponi potest ; cum hæc sit jus reale.

DISSERTATIO SECUNDA

DE CONTRACTIBUS (3).

Q. 1. *Quid est contractus?*

R. Contractus sic dictus, quia duorum vel plurium voluntates in unum veluti trahit, sumitur *late* vel *stricte.*

Late idem est ac pactum seu pactio (dicta quasi pacis actio), ac definitur : *duorum vel plurium in idem placitum consensus*, obligationem videlicet pariens in una saltem parte, ut subintelligunt (4).

Stricte acceptus definitur : *ultro citroque obligatio* (5), seu *duorum pluriumve in idem consensus obligationem pariens in utraque parte.*

Hic operæ pretium est indicare etiam *quasi-contractum,* qui potest definiri : *factum hominis voluntarium, ex quo enascitur aliqua obligatio erga ter-*

(1) Talento hoc generatim admittit de omni præscriptione : « cum hodierno nostro die (ait) bona fides espresse non requiratur, et res ex solo conscientiæ judicio definienda sit, existimamus malam fidem auctoris impedire non posse suis successoribus præscriptionem; etenim successor est in bona fide, quæ coram Deo excusat : et aliunde unitas personæ auctoris cum successore est vera fictio, quæ operari non debet ultra ejus dispositiones ; ergo cum nihil desit sive in foro externo sive in interno foro, valebit præscriptio successoris, dummodo toto tempore ad præscribendum requisito in bona fide perseveraverit. Verum hoc est contra commune ; et sane bona fides expresse requiritur uti fundamentum. — Vide Liguori, *Opus Mor.* l. 3, n. 512.

(2) Gury ibidem. n. 577.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 707, *et seqq.*

(4) L. 1, ff. de pactis.

(5) L. 19 ff. de verb. signif.

tium, ac interdum mutua partium inter se obligatio. Hic locum habere potest etiam inter illos, qui consensu sunt incapaces, cum consensus ex ipsa æquitate præsumatur.

Duæ autem sunt illius species: 1 *negotiorum gestatio*, et evenit cuando quis alterius negotium suscipit, proprietario licet inscio. Hic tenetur se habere uti bonus paterfamilias, et negotium laudabiliter gerere: habet tamen jus, ut servetur indemnis.

2. Est *solutio rei sibi indebitæ*, idque contingit quando quis bona vel mala fide aliquid accepit; qui procul dubio ad restitutionem tenetur, cum omnis res clamet ad dominum.

Q. 2. *Quotuplex est contractus?*

R. Contractus dividitur præcipue:

1. In *nominatum*, et *non nominatum*. Contractus *nominati* sunt qui habent *speciale* nomen, uti emptio, venditio, locatio.

Ad quatuor classes revocantur contractus nominati; quia quatuor modis conficiuntur, nempe *re, verbis, litteris*, et *consensu:* — 1 *re*, nempe traditione rei, ut fit mutuum, depositum, commodatum; — 2, *verbis*, formulis nempe a lege præscriptis, sive stipulatione. Hodiernis vero moribus verborum formulæ in usu amplius non sunt; ideoque omnis seria promissio locum tenet stipulationis; — 3, *litteris*, idest scriptura; — 4, *consensu*, quando solo consensu perficitur contractus, uti emptio et venditio.

Contractus vero *innominati* sunt qui carent nomine *speciali;* sed retinent genericum *pacti* vel *contractus* vocabulum. Istorum quoque classes sunt quatuor, nempe: — 1, *do ut des*, v. g. *do tibi frumentum, ut tu des mihi vinum;* — 2, *do ut facias* v. g. *do tibi frumentum, ut nepotem meum edoceas:* — 3, *facio ut des*, v. g. *servus meus vestimenta tibi poliet vel sarciet, ut des mercedem postea constituendam:* — 4, *facio ut facias*, v. g. *facio pro te iter usque Romam, ut tu amicum meum infirmum cures* (1).

2. In *purum*, et *non purum*. Primus est, cui nihil adjungitur, sed absolute fit: v. g. vendo tibi equum. Alter est, cui adjungitur aliquid, v. g. conditio aliqua; ut promitto tibi 100 aureos, si lauream consequeris.

3. In *formalem*, et *virtualem*. Ille adnexum habet *expressum* contrahentium consensum: ut si expresse duo contrahant de aliqua re. Iste vero *nonnisi tacitum* consensum habet adnexum; seu est ille, in quo tacite et implicite suscipitur obligatio justitiæ ex susceptione alicujus facti. Sic eo ipso, quo quis medetur, suscipit simul obligationem tale munus diligenter obeundi.

4. In *bilateralem*, et *unilateralem*. *Bilateralis* (2) est, in quo uterque contrahentium obligatur, ut in venditione; *unilateralis*, in quo unus tantum obstringitur, ut in donatione. Primus vocatur etiam *onerosus*, quia onus importat ex parte utriusque: alter vero vocatur *gratuitus, beneficus* seu *lucrativus*, quia vergit in utilitatem unius absque alterius onere (3).

(1) Notandum tamen est, quod si illud quod datur, pretium est, tunc habetur contractus nominatus nempe emptionis-venditionis, uti si des Petro vinum, ut tibi pecuniam ille tribuat.

(2) Bilateralis dicitur etiam *sinallagmaticus*, a græco nempe *syn*, una simul; et *allassô*, contrahere.

(3) Iterum *bilateralis* alius est *commutatorius*, in quo uterque contrahens censetur dare aut acci-

5. *In contractum bonæ fidei*, et *stricti juris*. Hic *bona fides* sumitur pro bono et æquo; unde contractus *bonæ fidei* est qui non ex rigore verborum accipitur, sed ex benigna æquitate et interpretatione: ut evenit in deposito, in commodato, ac pignore. Contractus vero *stricti juris* est in quo id unum spectandum est, de quo nempe nominatim et expresse fuit conventum, puta in donatione scripta.

6. In *vestitum*, et *non vestitum* seu *nudum*. *Vestitus*, qui legis formam ita induit, ut in foro etiam externo pariat actionem. *Nudus*, qui tali caret fundamento, ut actionem in foro externo non habeat.

Q. 3. *Quotupliciter considerari potest contractus?*

R. Contractus considerari potest *in genere* et *in specie*. Quædam nempe conveniunt contractibus omnibus et sunt iisdem *communia*. Quædam autem sunt quorumdam tantummodo *propria* et *specialia (M)*.

Nota: duas animadversiones hic ponendas esse censemus, quasi duo prænonita pro iis omnibus, quæ de contractibus mox sumus dicturi:

1. Quod materia omnis quæ in Theologia Morali ad contractus refertur (sicut ea quæ veniet in Tractatu *de Restit.*) ita per se gravis est et scitu necessaria, ut si in ea Confessarii non sint bene versati, ipsos in multa offendicula incurrere oporteat. Quare videant tyrones ipsi quanto animorum conatu niti debeant in rebus his, ut bene omnia addiscant.

2. Quod facile evenire poterit, ut quæ principiis nostris inhærentes dicturi sumus, non omnium sensui satisfaciant; aliquibus enim quadam videbuntur sapere indulgentiam nimiam, aliquibus vero quædam videbuntur sapere nimiam austeritatem.

Quoniam vero sententias has nostras, ubi non facit Codicis Albertini (1) dispositio, integre et præcise in statu suo desumpsimus ex doctrina Theologica S. Alphonsi de Liguori, nostram idcirco defensionem adstruemus ipsiusmet verbis, qui ad rem sic scribit: «testor Deum, cujus honorem et animarum salutem mihi proposui, quod quidquid scripserim, non ab aliquo «impulsus, aut verbis aliquorum auctorum addictus, vel austeritati aut benignitati nimis adhærens ad hæc scribenda me induxi; sed in qualibet «quæstione, prævio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare «præcipue in iis quæ ad praxim magis faciunt.

«Et propterea non solum diligenti trutina perpendere elaboravi rationes «quas Doctores classici tradunt, sed etiam plures doctos recentiores consulere non neglexi... siquidem non tamquam ovis (ut verbis utar rigoristarum) semitam scriptorum cæco ductu sectatus sum; sed operam dedi, ut «veritatem assequerer, aut sententias quæ veritati magis accedunt amplexarer...

«Non prætermisi etiam rigidæ sententiæ auctores legere ac præcipue Mersenium, Contensonium, Habert, Natalem Alexandrum, Juvenium, Cabassutium, Tournely, Genetum, Petrocorensem, Concinam etc. paratus a sententiis meis desciscere, si de veritate me convicissent. Sed quomodo me

pere aliquid æquivalens et certum, ut in venditione; alter *aleatorius*, si quod datur vel promittitur, ab eventu accidentali pendeat, ut in ludis.

(1) In hac editione, ubi non facit juris hispani vel communis, dispositio. N. E.

«convincere poterant, dum videbam quod ipsi (ut plurimum) magis convi-«ciis quam vi rationum sententias suas suadere conantur? quomodo in om-«nibus adhærere potuissem iis, qui opiniones suas sæpius veriores et Evan-«gelio conformiores prædicant, nonnisi quia rigidiores? et frequenter insul-«tant in oppositas sententias tamquam falsas ac Evangelio adversas, non-«nisi quia libertati favent (1)?»

CAPUT PRIMUM

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Hic complectimur quæ contractibus omnibus sunt communia et æque propria. Jam vero in contractibus omnibus hæc considerare oportet:

1. *Personas*, quæ contrahunt; — 2, *res*, quæ in contractum deducuntur — 3, *consensum* contrahentium qui solemnitatibus sit vestitus, quæ lege præcipiuntur; — 4, *effectum* inde prosilientem, qui est obligatio.

Sine his quatuor nullus contractus proprie dictus esse vel concipi potest: sunt nempe tres quasi causæ, quæ ipsum contractum conflant; *efficiens*, id est *persona; materialis*, id est *res; formalis*, id est *consensus;* ex quo uti effectus sequitur *obligatio*.

ARTICULUS I — Personæ quæ conttahunt.

Q. *Quænam personæ contractum inire possunt?*

R. Omnis contractum inire potest, qui sufficiens animi judicium habet, neque a lege prohibetur: nam *ubi nulla lex obstat*, facultatibus naturalibus pro libito uti possumus (**) habens aliunde rerum suarum administrationem cum in contractibus agendis consistat præsertim administratio. Unde qui sunt incapaces administrationis ut amentes et furiosi vel ii quibus ex toto aufertur a jure bonorum administratio, ut sunt prodigi quibus constituuntur Curatores, inhabiles sunt ad contrahendum (2) (*).

(**) Jure Romano, cui convenit jus Hispaniæ, pariter inhabiles sunt ad contrahendum saltem in multis: 1°, minores; 2°, uxores; 3°, civiliter mortui, præter interdictos et prodigos. Pauca de singulis (*).

(**) I. *De minoribus:* Minores sunt qui 25 annos non adhuc adepti sunt. Hæc autem statuit jus Romanum: 1.° Filiusfamilias impuber contrahens de bonis castrensibus et quasi castrensibus non obligatur; secus de pubere de iisdem bonis contrahente nisi de immobilibus aut de mobilibus valde pretiosis agatur. Numquam autem de bonis profectitiis disponere potest.

2.° Pupillus seu impubes patre orbatus, auctoritate tutoris, et minor cum consensu curatoris valide contrahunt, nisi agatur de immobilibus aut mobilibus pretiosis, pro quibus decretum judicis requiritur (3).

(1) Opus Morale l. 3, n. 547.

(2) Billuart Theol. Cursus Tract. de Contract. art. 5.

(3) L. Si prædia ff. de rebus ear. l. 27, tit. 9. — L. prædium C. quando *decreto opus non est* l. 5, c. 2, et alibi.

3.° Pupillus sine consensu tutoris numquam valide contrahere potest, licet contractus sit ipsi utilis. Idem probabiliter dicendum de minore sine consensu curatoris contrahente; saltem contractus ab ipso initi ad nutum curatoris rescindibiles sunt (1); quod ita intelligas velim de civili valore, naturaliter enim et coram Deo pupillum puberem aut pubertati proximum et minorensem habentem curatorem contrahentes de aliis quam de immobilibus aut mobilibus pretiosis, etiam sine consensu tutoris vel curatoris, obligationem incurrere quamvis non firmam nec quoad omnes suos effectus, cum *satis communi sententia* sentit Billuart (2), eo quod pupillus pubertati proximus et a fortiori minorensis habeant consensum sufficientem (3) ex quo obligatio naturalis oritur, et expresse statutum sit in jure civili romano (4).

II. *De uxoribus.* De jure communi. 1.° Uxor non potest contrahere aut disponere de dote ejusque fructibus, nec de bonis familiæ, marito præsente et valente hæc bona administrare. Secus si maritus sit absens, amens vel fatuus.

2.° Uxor pro libito contrahere vel disponere potest de bonis paraphernalibus, etiam invito marito (5).

3.° Uxor separata a viro quoad bonorum communionem habet jus administrandi ea quæ ipsi cedunt, non tamen alienandi vivente marito (6) (*).

(**) III. *De civiliter mortuis:* Mortui civiliter sunt damnati ad mortem, ad triremes perpetuas vel ad deportationem. Hi sunt præcipue mortis civilis effectus: 1.° Amittere proprietatem bonorum, quæ ad hæredes transeunt, quin valeat testamentum si quod fecerint; 2°, non posse accipere hæreditatem aut donationes præter id, quod ad eorum sustentationem destinatur; 3°, non posse donare bona quæ acquisierint, sive inter vivos sive testamento, sed post mortem naturalem ad gubernium transeunt. — Hæc videntur generatim locum habere in foro conscientiæ. Attamen juxta communem interpretationem non prohibentur civiliter mortui ab accipiendis donationibus manualibus quibuslibet. — Inhabiles enim sunt ad ea dumtaxat quæ a lege determinantur, unde plerosque contractus valide ineunt, et agendi commercii non sunt incapaces. — *Ita jus Romanum* (7) (*).

ARTICULUS II — Res quæ in contractum deducuntur.

Q. 1. *Quid requiritur, ut res in contractum deducatur?*

R. Requiritur, ut res illa sit *possibilis*, *honesta*, ac *propria:*

1. *Possibilis*, id est in rerum natura, et in commercio humano, sed etiam usus rei, cum sit pretio æstimabilis, potest constituere objectum contractus.

(1) *V.* Gury Comp. Theol. Mor. Tract. de Contract. n. 732.

(2) Billuart Theol. curs. loc. nup. citat.

(3) § Pupillus 9 et § Sed quod 10. Inst. de inutil. stipulat. l. 3, tit. 20.

(4) L. Si pupillus ff. ad Legem falcidiam l. 35 tit. 2 sic se habet: *Si pupillus, cui sine tutore decem mutua data sunt, legatum a creditore meruerit sub hac conditione, si decem quæ acceperit hæc reddiderit, una numeratione et implet conditionem et liberatur a naturali obligatione.* Ergo obligatione naturali tenebatur.

(5) Gury Comp. Theol. Mor. n. 735. (6) L. 9, c. *De Jur. Dot.*

(7) Gury loc. cit. n. 736.

2. *Honesta*, ut nempe neque legibus neque bonis moribus adversetur; nam *quæ legibus aut bonis moribus adversantur, ea nec nos facere posse credendum est.*

3. *Propria*, quia illa quæ dominio nostro non subsunt, nullo modo possunt a nobis in obligationem deduci.

Q. 2. *An res incertæ possint in contractum vocari?*

R. Cum distinctione: *vel* res illæ incertæ sunt quoad speciem, si v. g. non constet utrum frumentum in contractum vocetur, an vinum? *Vel* incertæ sunt quoad propriam quantitatem, si v. g. non constet quot frumenti mensuræ contrahantur.

Si 1, non possunt in contractum vocari. — Si 2 poterunt in contractum vocari, dummodo aliquo modo quantitas illa determinari queat.

Q. 3. *An res futuræ constituant objectum contractus?*

R. *Affirmative*: res futuræ constituunt objectum contractus, ut si quis venderet uvas anni advenientis.

ARTICULUS III — Consensus contrahentium.

Q. 1. *Quinam consensus ad contractus valorem requiritur?*

R. Requiritur ad contractus valorem, ut consensus sit: 1, *internus, et verus*; 2, *liber, ac plene deliberatus*; 3, *exterius manifestatus*:

1. *Internus, et verus.* Requiritur nempe, ut contrahens veram habeat voluntatem explicitam, vel implicitam sese obligandi. *Non satis est, dantis esse nummos et fieri accipientis, ut obligatio nascatur*, verba sunt legis (1); *sed etiam hos animo dari et accipi, ut obligatio constituatur* (2). Et sane: ideo contrahens dicitur *obligari*, quia ipse est qui libere vult talem in se obligationem suscipere; ergo si talis in eo voluntas desit, contractus nullius est roboris (3).

(1) L. 3, ff. de oblig. et act.

(2) Nota: dixi *explicitam vel implicitam*: quia sufficit, ut quis velit aliquid, cui obligatio ex natura sua inhæreat. Sic v. g. qui judicis officium suspicit, censetur *implicite* velle se obligare ad justas edendas sententias; quia hæc obligatio officio illi inhæret.

(3) *Dig.* l. II, t. XIV *de pact.* l. I. § 3. Non est autem attendenda, notat Alasia, illorum paucorum doctrina, qui docent ad validitatem contractus sufficere, ut quis consentiat in verba externa, etsi interius nolit contrahere; contractus enim est conventio voluntatis, at conventio voluntatis sine ejus actu et assensu esse non potest: et certe consensus fictus non magis est consensus, quam homo pictus reapse sit homo. Neque inde sequitur omnes contractus dubios esse; nam libere contrahentes interius consentire solent, et hoc sufficit ad securitatem. Adde nemo credere tenetur ei qui affirmat se interius non consensisse. Adde: qui ficte consensit, tenetur partem deceptam indemnem facere, et etiam vere consentire, si opus.

Huic quæstioni alia videtur affinis, *an valeat contractus interno consensu initus, sed sine animo se obligandi?* Alii cum Lessio affirmant, qui enim vere vult contrahere, vult omnia consectaria ejus, ut est obligatio. Alii cum Croix dicunt valere prout prævalet vel non prævalet volitio contractus. Verum qui sic contrahit in probabiliori sententia ab omni obligatione immunis est, uti dicunt Sanchez, Salmanticenses, etc.; apposita enim conditio quæ contractus substantiæ adversatur, contractum ipsum facit invalidum, licet adsit intentio contrahendi.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 709 et seqq.

2. *Liber, ac plene deliberatus:* quia secus nemo censetur in se suscipere obligationem *ex genere suo* gravem.

3. *Exterius manifestatus;* talis nempe esse debet, ut consensus unius possit ab alio cognosci, et acceptari. Est enim actus humani commercii; atqui talis esse non potest, nisi *exterius manifestetur.*

Quid (dices) *si adducta sit causa mala, vel nulla sit contractui causa adsignata?* Si causa sit *falsa* vel *illicita* nulla est conventio, cum deficiat in substantiali. — Si vero *nulla* sit expressa, conventio sustinetur, semper enim adesse supponitur ipso jure.

Q. 2. *Quænam adversantur consensui in contractibus* (1)?

R. Præcipue consensui adversantur *error, dolus,* ac *metus.*

1. *Error* est æstimatio unius pro alio; *errare* enim ex Augustino *est unum pro alio putare* (2).

2. *Dolus* est astutia, seu calliditas; duplex distinguitur *dolus:* alius *bonus,* et alius *malus.*—Primus est *solertia quædam in agendo;* hoc sensu dixit Ulpianus licere contrahentibus in pretio emptionis et venditionis se *naturaliter circumvenire,* nempe intra limites justi pretii.— Secundus est *calliditas animi, fallacia, machinatio ad alterum fallendum vel decipiendum adhibita: calliditas* sita est *in tacendo, fallacia in mentiendo, machinatio in faciendo.*

3. *Metus* est trepidatio mentis ob malum imminens: duo igitur importat: et periculum mali et trepidationem mentis (3).

Q. 3. *An error, dolus malus ac metus contractum invalident?*

R. Ad 1: Error vel versatur circa contractus substantiam *vel* circa ejusdem accidentia; *vel* circa personam, quacum contrahitur.

Si 1, contractus invalidus est: quia error circa contractus substantiam impedit consensum, cum tollat ipsam substantiæ cognitionem.

Si 2, v. g. si emerim equum decennem putans esse quinquennem, valet in opinione *communi* et *probabiliori* contractus, sive *accidentia* illa dent causam contractui sive non; error enim circa accidentia non tollit consensum circa contractus substantiam (4).

Si 3, contractus est nullus, quando qualitas personæ fuit principalis contrahendi causa, tunc enim rei substantiam ingrederetur.

R. Ad 2: *Dolus malus* invalidat contractum, quando potest evidenter colligi ipsum totam illius causam fuisse, adeo ut una minime contraxisset, si pars altera dolum non fecisset; non enim tunc liber consensus haberetur. Dolus tamen non præsumitur, sed probandus est.

R. Ad 3: Quod ad *vim* sive *metum* pertinet, si ille sit *levis,* contractum non invalidat, neque eum *rescindibilem* facit; quia talis metus non impedit, quominus in contractum *vere* et *libere* consentiatur.

(1) *V.* Liguori. *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 714 *et seqq.*

(2) C. 6, caus. 22, q. 2.

(3) De metu vid. plura pag. 25.

(4) Nec refert quod eo remoto, contractus non fuisset initus; nam in contractibus non attenditur quod factum fuisset, sed quod factum fuit. Alioquin non sine maxima societatis perturbatione contractus admodum pauci subsisterent. Non tamen dubitandum, teneri deceptorem damna omnia compensare quæ ex deceptione sua orta sunt.

Si vero metus sit *gravis*, distinguendum est: vel metus ille *juste* fuit incussus; vel *injuste*. Si *juste*, contractus est validus, quia nulla intercedit injuria. Si *injuste*, sententia *communissima* et *probabilior* docet *ordinarie loquendo*, talem contractum esse quidem *validum*, sed *rescindibilem* ex parte illius, qui passus est metum.

Est quidem *validus;* quia non invalidatur neque *jure naturæ*, cum metus hic minime tollat *voluntarium simpliciter;* neque *jure positivo*, quia jus præcipit judicibus, ut tales contractus *rescindant:* quod supponit eos esse validos (1).

Est autem *rescindibilis* ex parte illius qui passus est metum, nempe *ratione injuriæ*, quæ metu illi irrogatur (2).

Diximus *ordinarie loquendo* talem contractum esse validum; quia excipiuntur sequentes contractus, qui celebrati ex metu gravi injuste incusso sunt prorsus invalidi:

1. Matrimonium; 2, contractus dotis, qui in hoc sequitur matrimonii naturam; 3, professio religiosa; 4, electio Prælati; 5, auctoritas tutoris extorta per metum; 6, traditio rerum ecclesiasticarum; 7, jurisdictio ecclesiastica et civilis per metum acquisita; 8, absolutio a censuris; 9, renuntiatio beneficiorum.

Quæ omnia, cum res gravissimæ sint plenissimam libertatem postulant.

Quid (dices) *de metu reverentiali in contractu?* Metus reverentialis, qui nempe concipitur erga personas reverentia dignas: qualis esse solet v. g. metus filii erga parentes, subditi erga Principem, uxoris erga maritum, Clerici erga Episcopum, contractum non invalidat (**) quia non videtur per se sufficiens causa rescindendi contractum, nisi simul includat metum gravem, puta diuturnæ indignationis, torvi aspectus, verborum etc. (3) (*).

Idem in *veriori* sententia dicendum est de *precibus* licet *assiduis;* cum voluntarium non ita infirment. Excipiunt nisi sint instantissimæ et sæpius inculcatæ saltem quoad forum internum, cum tunc videatur intercedere moralis quasi coactio (4).

(**) *Quid* (quæres) *si metus gravis fuerit quidem injuste incussus, sed non ad extorquendum consensum?*

R. *Controvertitur*, sed videtur sic distinguendum: 1° si metus ab altero contrahente sit incussus, non valet contractus vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tollere tenetur omnia incommoda quæ ex injuria proveniunt.—Reuter n. 127—Lug. etc.; 2° secus si metus proveniat a tertio,

(1) L. Si mulier ff. de eo quod metus.

(2) Qui tamen metum gravem passus est, potest in conscientia pro suo arbitrio etiam sine auctoritate judicis contractum rescindere: quod si alter renuat, potest occulte sibi compensare: ita communiter, et ratio est; qui metum injuste incussit, injuriam intulit, unde tenetur istum in priorem statum restituere, et alter jus habet id exigendi. Quod autem hic uti debeat opera judicis, est tantum modus a lege præstabilitus ad facilius jus suum consequendum, a quo quidem modo sæpe adesse potest causa excusans, v. g. impensæ, difficultas probandi in foro externo, etc. Quod porro valet etiam de metu reverentiæ, si ei adjiciantur verbera aut minæ, aut diuturna indignatio sive torvus aspectus, dura verba, etc. quæ vere mali gravis timorem immittant. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 717.

(3) Gury Comp. Theol. Mor. n. 746.

(4) *V.* S. Liguor. Op. Mor. n. 717. N. E.

quia nullus contrahentium injuriam intulit, tertius autem metum inferens non potest auferre obligationem consentiendo in rescissionem contractus qui cum ipso initus non fuit ; tenetur autem inducere ad rescissionem ut ab innocente injuriam avertat, si hic velit (*) (1).

ARTICULUS IV—Effectus e contractu prosiliens.

Q. 1. *Quinam sunt effectus e contractu prosilientes?*

R. Effectus e contractu valido prosiliens est obligatio, quæ in contractu *bilaterali* utrumque contrahentem afficit; in contractu autem *unilaterali* non afficit nisi alterutrum.

Hanc obligationem, prout est effectus e contractu prosiliens, definimus: *juris vinculum, quo ad aliquid adstringimur* vel *dandum* vel *faciendum* vel *omittendum*. Postulat æquitas, ut præstetur non solum quod in contractu expressum est, sed et omnia quæ naturalis ratio, consuetudo patens, ac certa lex cuique conventioni adscribunt.

Q. 2. *An obliget contractus initus sine debitis solemnitatibus?*

R. *Solemnitatum* nomine hic habentur conditiones quædam ex legum humanarum præscripto in contractu adhibendæ, v. g. ut fiat coram tot testibus, scriptura etc.

Aliæ sunt *accidentales* quæ pertinent tantum ad complementum ; quæque proinde omissæ actum non invalidant.

Aliæ *substantiales*, quæ censentur pertinere ad substantiam, cum nempe adjunctam habent clausulam *irritantem* si agatur de jure Ecclesiastico; vel etiam aliquando solum *prohibitivam*, si sermo sit de jure civili, ubi aliquando id irritum, quod prohibitum.

Utrum autem oriatur naturalis obligatio, si istæ omittantur solemnitates, triplex est Theologorum sententia.

Prima cum S. Antonino, Molina, Sa docet obligationem oriri ; quia lex humana quamvis neget actionem civilem, non tollit tamen obligationem naturalem, ad quam solus consensus sufficit.

Secunda cum Lessio, Lugo, Salmanticensibus docet nullam e contractu sic inito oriri obligationem ; quia leges contractus hujusmodi irritantes fundantur in præsumptione non solum doli, sed etiam periculi. Et ideo potest lex humana funditus tollere obligationem naturalem, quemadmodum Ecclesia nullum declarat et invalidum matrimonium contractum sine Parocho et sine testibus.

Tertia vero cum Cabassutio, Henriquez, Lopez, Sanchez aliisque docet, in his casibus semper esse præferendum possessorem, donec per judicis decretum ad restitutionem non condemnetur. Hæc ultima sententia est *probabilior* et *in praxi omnino tenenda ;* nam cum possessio jus certum tribuat

(1) Gury loc. cit. n. 747. — Consonat hæc doctrina cum jure hispano. V. *pro metu* ley 15, tit. 2° Part. 4, ley 56, tit. 5° Part. 5ª ley 28, tit. 11, Part. 5ª, *pro errore* leyes 20 y 21 tit. 9°, Part. 6ª; ley 21, tit. 5, Part. 5ª leyes 63, 64 etc. tit. 5, Part. 5ª : *pro dolo* leyes 12, 57, 63 y 64 tit. 5° Part. 5ª.

N. E.

possessori, nequit ipse expoliari nisi *certo* constet de jure alterius (1).

Ergo (dices) *Princeps non poterit quoad contractus obligare in conscientia, ac de bonis subditorum disponere?*

R. 1. Princeps seu Respublica habet quidem jus de bonis privatorum disponendi; sed hæc dispositio rationabilis sit oportet, id est non ad merum arbitrium, sed sola necessitate boni publici impellente, confecta, ac unicuique civi juxta proprias substantias proportionata (2). Princeps enim seu respublica non est domina bonorum, sed tutor, ut ita dicam, et vindex. Attamen quia non uno modo in eo jure exercendo utitur Princeps, ideo pro casibus particularibus jugis est dubitatio, num scilicet in talis facti specie agatur de validitate, an de licitate tantum.

Sic aliquando de uno in alium *directe* rerum dominium transfert, ut in usufructu legali et inventione.

Aliquando *obligationem solvit*, quam quis jure naturæ contraxisset, ut evenit plerumque in mutuo filiisfamilias dato.

Aliquando tribuit *jus repetendi* quod alteri solutum est; sic minores habent jus repetendi amissum in ludo.

Aliquando *prohibet* sed non irritat, uti ludos vetitos; sed aliquando *prohibet* et *irritat*, at post sententiam judicis; ut contractus metu ac dolo initos.

Aliquando nulla facta mentione judicis sententiæ et prohibet et irritat et impedit, ne quis rerum suarum dominium transferat *absolute* vel *relative*. Sic impedit *absolute* omnes a testando quæcumque bona habeant, si nondum 16 annum compleverint. Et si compleverint, eos impedit *relative*, ne scilicet ad hæreditatem certas personas vocent, puta filium adulterinum etc. His positis:

R. 2: Quando certo constat vel ex ipsa lege, vel ex communi doctorum sensu Principem revera ob publicum bonum voluisse transferre rerum dominium de uno in alium, nulla est difficultas. Sic hodie nemo dubitat de validitate præscriptionis, de legitimo jure parentum in usumfructum bonorum filiorumfamilias.

Item si lex tribuat jus irritationis, quin tamen irritet, patet tunc valere contractum quoadusque hic a judice scindatur. Sic si in venditione intervenerit gravis læsio, venditio valida est: quia lex dat quidem jus rescindendi contractum, sed non ipso facto eum scindit.

Idem est ordinarie, si verba legis sint tantum prohibitiva, non irritantia; nam multa facta tenent, quæ tamen fieri prohibentur.

(1) Possessio videlicet jus tribuit insistendi in re possessa, quousque non certo probetur, clausulam civilem irritantem bene obtinere etiam in conscientia: quod certo probari non potest, cum in diversa abeant doctores hac de re.

Quod autem teneamur obtemperare judici, si postea judicet ad normam legis civilis, ideo est quia ejus sententia fundatur in periculo generali fraudum; et etiam quia quisque tenetur parere judici præcipienti, semper ac ejus sententia non est evidenter injusta ob bonum commune pacis, ut litibus et jurgiis finis imponatur. — *V.* Liguori, *H. Apost. Tr.* x, *n.* 126; *et Op. Mor. l.* 3, *n.* 711, *et* 927.

(2) Hoc est dominium illud, quod vocant *eminens*, seu *altum*; quamquam ex Grotio proprie loquendo hoc non tam est *dominium*, quam *jurisdictio*, quia princeps bona, de quibus sic disponit, non sibi possidet. *V.* Card Soglia, *Instit. Juris Can. Laureti* 1844. *l.* 3, § 65.

Quod etiam valet, si lex fundata sit in præsumptione alicujus facti, quod non subsistat, nam præsumptio facti juxta omnes cedit veritati; et ideo lex non obtinet. Sic lex statuit judicialem depositionem semel factam, semper obtinere contra ipsum deponentem, nec revocari posse; si tamen illa depositio fundata fuerit in falsa alicujus facti suppositione, tunc lex ejus revocationem admittit; quia nempe præsumebatur factum quod non erat.

Sed quid (quæres) *si vel ob verba legis, vel ob alias causas de ipsius legis vi adhuc dubitetur?*

Eo in casu dicimus: 1, ex ipsa naturali æquitate resolvendam esse controversiam. Hoc sensu ordinem restitutionis a lege civili præstabilitum tuemur vel in ipso foro interno obligari.

2. Interrogandum esse communem Theologorum sensum: hac ratione defendimus legem deobligantem filiosfamilias a reddendo mutuo etiam in conscientia probabilius tenere.

3. Videndam esse quotidianam timoratorum praxim atque consuetudinem: sic dicimus dona *manualia* valide tribui, etiam non servatis a civili lege præscriptis solemnitatibus, quamvis generatim ipsa lex omnes donationes ita factas videatur prorsus irritare.

4. Si adhuc res non ita clara sit, tunc dicimus omnino potius jus esse jus possessoris: et hoc quidem rationi maxime consentaneum est. ut merito defendit *Bouvier* (1).

Ex quibus omnibus patet, nos non inter se pugnantia loqui, si non unam jugiter resolutionem occurrentibus casibus adsignamus.

Q. 3. *Quotuplex distinguitur obligatio in contractu?*

R. Triplex distinguitur obligatio in contractu: *mere naturalis*, quæ oritur a solo jure naturæ. *Mere civilis*, quæ actionem parit in foro externo ob aliquam præsumptionem, quæ cum non subsistat, non obligat conscientiam. *Mixta*, quæ obligat in utroque foro.

Iterum hæc obligatio multiplex distinguitur:

1. *Simplex*, si nuda sit, et nullo pacto nullave conditione adjecta: quæ proinde statim vim suam exerit.

2. *Ad diem*, quæ nempe, nonnisi certo tempore elapso debetur: hæc non obligationem ipsam, sed illius tantum executionem suspendit. Dies autem præsumitur appositus in favorem debitoris.

3. *Alternativa*, quando plures res obligatæ sunt, sed debitor liberatur alterutram solvendo. Electio est debitoris, nisi aliter conventum sit.—Hæc porro *simplex* evadit: 1, si una res ex promissis legitima non erat: 2, si ipsarum una perierit etiam culpa debitoris.

4. *Solidaria*, quando plures sunt qui debent, vel plures quibus una res debetur. Hoc jus habent *creditores*, quando titulus cuique tribuit jus solutionem poscendi totius crediti, ita ut solutio uni facta debitorem liberet. Hoc onus habent *debitores*, quoties ad unam ac eamdem rem ita devinciuntur, ut unusquisque cogi possit ad solutionem solidariam.—Ista tamen obligatio si a lege non obtineat, non præsumitur: unde est in pactum deducenda.

5. *Divisibilis*, vel *indivisibilis;* si nempe coalescat ex aliqua re, quæ

(1) *V.* supra de solemnit. in *testamentis.*

dum traditur, aut ex aliquo facto, quod dum executioni mandatur, dividi potest, vel non. Est v. g. si moriatur debitor, cui sint plures hæredes : si ipse unum tantum obligavit ad solvendum, obligatio *indivisibilis* est ; secus debitum erit *divisibile*.

6. *Sub clausula pœnali :* est cum quis ad firmandam obligationem se adstringit ad aliquid, si eam non servet. Invalida obligatione, est invalida pœna non vicissim. Pœna a judice temperatur.

7. *Conditionalis :* conditio est *accidens quoddam quod contractum suspendit, vel resolvit in incertum aut futurum eventum :* suspendit donec eveniat, resolvit casu quo contingat vel non contingat.

Conditio alia est *casualis*, quæ a casu pendet. Alia *potestativa*, quæ pendet ab eventu, qui esse potest in potestate alterutrius contrahentis. Alia *mixta*, quæ pendet tum a tertio tum ab una contrahentium parte. — Item alia *suspensiva*, quæ pendet ab aliquo futuro vel ignoto. Alia *resolutiva*, quæ solvit obligationem quoties verificatur.

Porro istæ conditiones *vel* sunt de re possibili, *vel* de impossibili. — Si 1, tenent ; quilibet enim potest se obligare modo quo vult. Imo effectus contractæ obligationis retrotrahitur ad diem quo fuit verificata conditio, licet verificatio adhuc occulta sit partibus (1). — Si 2, *generatim* contractus initi sub conditione *impossibili* tam *de facto*, v. g. si *cœlum manu tetigero ;* quam de *jure*, v. g. *si homicidium perpetravero*, nulli sunt et invalidi. Nam uti fert vulgare adagium : *de re impossibili et illicita nulla est obligatio.*

Diximus *generatim ;* nam jure positivo conditiones de *impossibili* habentur pro non adjectis : — 1, in ultimis voluntatibus, quia nemo præsumitur in morte nugari : — 2, in matrimoniis, ubi conditiones eorum naturæ adversentur. Hinc Gregorius IV præcepit *ut conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi* (2).

Q. 4. *Si pactum de re turpi initum pars una præstiterit, poteritne alteram obligare ad pretium persolvendum, et illud sibi retinere ?*

R. Quoad *meretrices* (3), *commune* et *certum* est eas posse sibi meretricii pretium petere et retinere, dicente S. Thoma : *cum quis dat meretrici propter fornicationem, mulier potest sibi retinere quod ei datum est ; sed si superflue aliquid per dolum aut fraudem extorsisset, tenetur eidem restituere* (4). Dat enim meretrix usum sui corporis, qui pretio æstimabilis est : unde *licet turpiter faciat, quod sit meretrix ; non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix* (5).

Agendo autem de aliis *maleficiis*, v. g. pro patrato homicidio duplex est sententia. — Prima *satis probabilis* cum Adriano, Concina, Continuatore

(1) Hoc tamen notandum est discrimen, nempe quod conditio *suspensiva* numquam supponitur, sed adstipulanda est ; non item *resolutiva*, quando pars altera deficit in suis obligationibus. Insuper res obligata sub conditione suspensiva stat periculo debitoris, qui se non obligavit ad eam tradendam, nisi casu quo conditio adimpleretur.

(2) C. ult. de cond.

(3) De *meretricio* quoad peccatum, diximus Tract. IV, disp. 2, cap. 3, art. 1, § 1.

(4) 2, 2. *q.* 30, *a.* 7 ; et *q.* 62, *a.* 5. (5) L. 4. de cond. ob turp. caus.

Tournely et aliis, negat esse obligationem solvendi pretium, quia peccatum non est vendibile; et si esset, non præstaret mala promissa servari. — Secunda vero *probabilior* et *communior* sententia cum Alasia, Antoine, Billuart, Bouvier, Cajetano, Covarruvia, Croix, Lessio, Lugo, Vasquez, Viva etc. docet teneri etiam in hoc casu promittentem ad solvendum, et recipientem e contrario non teneri ad restitutionem (1). Et sane: in quocumque contractu oneroso lex naturæ dictat, quod cum quis partem suam præstiterit, teneatur et alter implere suam, si licite potest (2).

Q. 5. *Quomodo sustinetur, ac probatur obligatio?*

R. Contracta obligatio probatur communiter

1. *Scriptura publica*, vel *privata* juxta diversitatem contractus. Ad scripturam privatam revocantur etiam libri negotiatorum ac tesseræ.

2. *Testium depositione*, quæ tamen non admittitur nisi in quibusdam contractibus juxta uniuscujusque Provinciæ statuta.

3. *Præsumptione*, quæ nihil aliud est, quam consectarium quoddam, quod lex ipsa vel judex deducit a facto notorio ad ignotum.

4. *Partis confessione:* quæ quidem *judicialis* est vel *extrajudicialis*, prout extra, vel in ipso judicio ipsa emittitur.

5. *Juramento:* juramentum *decisorium* jure deferri potest in qualibet specie controversiæ civilis.

Q. 6. *Quomodo contracta obligatio solvitur?*

R. Contracta obligatio solvitur

1. *Solutione* ipsius debiti, uti patet: ad hanc autem revocare solent *cessionem bonorum.*

2. *Novatione*, et evenit quando nova constituitur obligatio, veteri extincta. Esset v. g. si quod tu mihi debes ex empto, paciscamur ut illud ex tunc mutuum habeas.

3. *Remissione libere facta a creditore:* item *compensatione:* item *confusione*, nempe debiti et crediti in eamdem personam reunione.

4. *Rei debitæ interitu*, si nempe agatur de re certa et determinata: quæ tamen absque culpa debitoris interierit.

5. *Actione nullitatis*, vel *recissione.* Nulla declaratur obligatio, si defecerit in substantialibus. Rescinditur autem, si intervenerit læsio; *gravis* tamen (nisi de minoribus agatur), alioquin vix ullus contractus firmus esset. Unde licet in conscientia semper adsit obligatio corrigendi excessum, ne quis

(1) Alii tertiam addunt sententiam, quæ distinguit inter actionem, quæ abstrahendo a peccato vere pretio digna est, et inter eam quæ hanc abstractionem non patitur; cum peccatum sit ipsa actio substantialis, a qua nullimode potest separari: pretium tribuunt in primo casu, non in secundo. Nos id supponimus. Vid *Alasia,* de restit.

(2) Neque dicas, actionem peccaminosam nullo pretio dignam esse; nam nullo quidem pretio est digna *ut talis*, sed digna est, si consideretur *ut temporaliter* laboriosa, vel ignominiosa, vel periculosa præstanti illam: pretium enim et actio tunc secum una conveniunt saltem in genere *rei temporalis.*

Neque etiam addas, quod ex regula juris *in malis promissis fidem non expedit servari:* nam hoc verum est ante patrationem criminis, sed posito contractu atque ab altero præstita parte sua, tu teneris jure naturæ ponere tuam. *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 711, *et seqq.* et *H. Ap. Tract.* x. *n.* 123; *Tract.* XIII, n. 68.

ex alieno locupletetur: attamen si læsio non sit *gravis*, rescissio in judicio non admittitur (1).

Est insuper quoad læsionem notandum, quod si agatur *de minore* non habilitato, ei quoad omnes conventiones rescissio conceditur: nisi *vel* læsio sit casui fortuito adjudicanda; *vel* ipse factus major ratum habuerit contractum; *vel* agatur de illius delicto aut quasi-delicto; *vel* ipse sit negociator, trapexita aut artifex pro hisce contractibus; *vel* nisi sermo sit de conventionibus matrimonialibus, de immobilium alienatione aut hæreditatis divisione.

Si vero agatur *de majoribus*, hi non restituuntur in integrum causa læsionis, nisi in casibus expressis a jure civili.

6. *Conditione actum resolvente:* hæc cum verificatur, rem in pristinum statum remittit, perinde ac si nulla sit inita conventio.

7. Tollitur obligatio *præscriptione* (2), ut omnibus notum est (3).

Scholium. — *De* conventionum *interpretatione.*

Q. *Quomodo sunt interpretandæ conventiones?*

R. Conventiones sic interpretandæ sunt, ut potius sit attendenda communis contrahentium voluntas, quam verba (4). Quod si sensum habent ambiguum, interpretari convenit ea ratione, quæ usuvenit in loco, ubi contractus initus est. Unde clausulæ, quæ erant usu exprimendæ, tamquan expressæ habentur, etsi expressæ non sint. In dubio autem conventio accipitur in favorem illius, qui obligationem assumit; quisque enim censetur se minus, quam potest, obligare.

CAPUT SECUNDUM

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

Contractus alii sunt *onerosi*, nempe 1 emptio-venditio, et ibi erit de permutatione; 2, locatio et conductio; 3, emphyteusis, census vitalitius, pignus et hypotheca; 4, cambium et transactio; 5, societas.

Alii sunt *gratuiti*, nempe 1 mutuum, ubi erit de usura; 2, donatio, ubi erit de dote et promissione; 3, depositum, sequestrum, fidejussio, commodatum, precarium et mandatum.

Alii denique sunt *aleatorii*, nempe assecuratio, sponsio et ludus.

(1) Erit gravis læsio sive dimidium justi pretii excedat, et tunc dicitur *enormis*; sive excedat duas tertias partes aut easdem æquet tantummodo et tunc dicitur *enormissima*.

(2) De *cessione bonorum*, de *remissione*, ac *compensatione* erit Tract. *De Restit.* De *præscriptione* autem jam supra actum est: cætera patent.

(3) En España pueden añadirse como otras tantas causas para la estincion de las obligaciones, el *juramento decisorio y el mutuo disenso* como se supone. — Striche elementos del derecho patrío tit. XXXVII. N. E.

(4) *V.* Cod. Comm. hisp. art. 247, 248 et 249. N. E.

ARTICULUS I — De emptione et venditione (1).

Q. *Quænam hujus contractus origo, et quomodo definitur?*

R. Res primum inter homines permutabantur; sed magna, quæ passim occurrebat difficultas permutationis, in causa fuit cur nummus inventus fuerit, qui res omnes repræsentaret (2): inde orta est *emptio-venditio*, quæ solet communiter definiri: *contractus bonæ fidei, quo merx determinata datur, vel danda convenitur pro pretio determinato.*

Ex quibus deducitur concurrere ad contractum hunc: *consensum, mercem determinatam, pretium* item *determinatum.*

Nonne (dices) *requiritur etiam traditio rei ex parte venditoris, et traditio pretii ex parte emptoris?* (**) *Ex jure Romano:* Venditio mobilium uti mox videbimus perficitur solo partium consensu quoad substantiam. Unde statim jus ad rem emptori datur. Dominium autem rei in emptorem non transit nisi per ipsam traditionem; venditio autem immobilium non perficitur nisi per instrumentum legitime seu cum debitis formis confectum.—S. Liguor. Op. Mor. n. 794 et 795 (*).

§ I—*De consensu.*

Q. 1. *An consensus in venditione sit de necessitate?*

R. Cum tota vis obligationis in contractu a voluntate proficiscatur, patet necessitas consensus ad venditionis valorem. Unde si quando quis ad rem suam alienandam cogitur causa publicæ utilitatis, adhuc supponitur consensus, rationabilis videlicet; nam quisque tenetur pro viribus publico bono concurrere, uti etiam præscribit lex.

Q. 2. *An consensus satis sit in venditione ad dominium transferendum?*

R. Jure Romano contractus emptionis et venditionis solo consensu perficitur; sed dominium rei in contractum deductæ non transit ad emptorem, nisi facta traditione, et pretio ab emptore soluto vel oblato; aut saltem præstito pignore, aut data fidejussione vel fide de illo.

Quorum (dices) *expensis erunt scriptura, et cæteri actus qui ipsam sequuntur?*

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 793 *et seqq.*: et *H. Apost. Tr.* x. *nn.* 165 *et seqq.*

(2) Jam a sæculo circa nummos quæstio est inter Jurisconsultos et Œconomistas. *Los primeros*, escribe Paguini, *no conocen otro valor en las monedas que el arbitrario que les ha puesto nominalmente la autoridad pública sin atender á su sustancia y valor intrinseco. — Saggio sul giusto prezzo delle cose p.* 2. Hinc Theodosius, Cod. l. 9. t. 22 in lege. *Quicumque ait, pecunias nulli emere omnino fas erit, nec vetitas contrahere; quia in usu publico constitutas pretium oportet esse, non mercem.*

Œconomistæ moderni e contrario, si paucos cum Jenuensi excipias, docent «*que el metal reducido á moneda es un verdadero cuerpo y mercadería efectiva y no un simple representante, equivalente ó subrogado de las cosas fungibles; y que por lo mismo no representa un mero ente imaginario sino una verdadera y real compensacion del valor de las cosas útiles y necesarias á la vida humana.* Ita Carli, Delle monete.

Hæc quæstio eo tendit, utrum nempe sit habenda etiam ratio valoris intrinseci pecuniæ, an vero tantum illius quod repræsentat.

Nisi aliter conventum sit, venditionis expensæ pertinent ad emptorem. Sane ipsius interesse debet habere documenta suæ acquisitionis.

Quid (addes) *si non agatur nisi de promissione venditionis, non vero de venditione ipsa?*

(**) R. Quando data sit arrha, licet danti resilire a contractu cum jactura arrhæ ex consuetudine, quæ regulariter talis est. Excipitur nisi arrha data sit pro majori securitate contractus jam initi, si autem dubitetur an data fuerit pro majori contractus securitate, videtur etiam danti licere ipsum resilire in iis contractibus ubi regulariter talis est consuetudo; quisque enim præsumitur velle contrahere juxta consuetudinem, qua regulariter fiunt contractus (1). Si autem contractum resiliat qui arrhas accepit duplum restituere debet (2). Quod si autem arrhæ apponantur ipsimet venditioni, non faciunt eam conditionalem, sed argumentum sunt venditionis contractæ; pro parte enim pretii computantur, vel in securitatem solutionis dantur; unde nullus ex contrahentibus altero invito resilire potest (*).

Q. 3. *Quinam possunt inire contractum emptionis-venditionis?*

R. Possunt ii omnes inire contractum emptionis-venditionis qui non vetantur a lege. Vetantur autem a lege:

1. *Conjuges* inter se, paucis casibus exceptis;—2, *tutores, curatores, ascendens emancipator* quoad bona minoris emancipati;—3, *administratores communitatum, officiales publici, magistratus, judices, janitores, notarii, advocati,* et *procuratores* cum illis, quibuscum actionem vel relationem habent sub pœna nullitatis (3).

§ II—*De merce.*

Q. 1. *Quænam sunt obligationes venditoris?*

R. Duæ sunt præcipuæ venditoris obligationes:

1.ª Est rem tradendi tempore ac loco convento, et in eo statu, quo res se habuit in ipsa venditione unacum omnibus suis accessionibus; nam statim emptoris facta fuit.

2.ª Est emptorem indemnem servandi *tum* ab evictione (4), si nempe a

(1) S. Liguor. Op. Mor. de contract. n. 794.

(2) Gury comp. Theol. Mor. n. 838. — *V.* leyes 6 y 7, tit. 5, Part. 5.

(3) En España segun D. J. y B. en el comentario académico y forense de Arnoldo Vinnio etc. traducido al castellano adicionado con las variantes del derecho español etc. es regla general *que pueden celebrar el contrato de compra y venta todos los que pueden consentir y que tienen la libre administracion de sus cosas. A semejanza de los Romanos, se prohibe á todos los que administran bienes agenos el comprar cosa alguna de sus administrados*, l. 4, tit. 5. P. 5, l. 1, tit. 12, lib. 10. Nov. Rec. *A los corregidores, gobernadores y oficiales de los mismos, se les prohibe comprar bienes raices en los territorios de su jurisdiccion*, l, 5, tit. 5, p. 5, l. 3, tit. 11, lib. 7. Nov. Rec.

Tampoco pueden contraher la compra y venta los estudiantes sin consentimiento del que los sostiene en su carrera, como tampoco los subastadores, ni por sí, ni por interpuesta persona en los bienes que subastan, ni tampoco los ropavejeros en cosa alguna en las almonedas; l. 4, tit. 6, lib. 9 y l. 4, tit. 12, lib. 10. Nov. Rec. Puede verse sobre el particular la ilustracion del derecho real de España por el señor Sala lib. 2, tit 10. n. 8. y Escriche elementos del derecho patrio tit. XIX.

(4) Evictio est *deturbatio juridica emptoris a possessione rei quam emit:* v. g, Titius vendit vineam Cajo: Sempronius probat vineam esse suam; et ideo judex decernit illam esse Sempronio reddendam, cum res clamet ad dominum.

tertio res ipsa vendita vindicetur; *tum* a servitutibus, si iisdem deberet subjici, *tum* a vitiis occultis, si inde illius valor notabiliter minuatur: id enim vel ipsa ratio postulat, ut æqualitas servetur.

Q. 2. *Quænam res cadunt sub emptione et venditione?*

R. Cadere possunt sub emptione et venditione res omnes, quæ sunt in humano commercio; cum propterea æstimentur. Intellige tamen si id leges peculiares minime vetent. Sic vetatur.

1. Emptio-venditio *rei alienæ:* quod si emptor ignoraverit rem emptam esse alienam, potest repetere a venditore non solum pretium solutum, sed etiam damnorum compensationem, atque usuras.

2. Emptio-venditio *jurium sucessionis* alicujus personæ adhuc viventis, etiamsi ista consentiat.

3. Vetatur emptio-venditio rei quæ *jam perierit:* si pars tantum perierit, in arbitrium erit emptoris vel resilire a contractu vel sibi expostulare partem superstitem, æstimato ejusdem pretio.

4. Emptio-venditio earum rerum, quæ *noxiæ* esse possunt. Hinc *illicita est per se loquendo* venditio rei, qua emptor prævidetur *certe abusurus;* nam lex charitatis est, ut nemini occasio præbeatur peccandi. Et hoc maxime si res ex sui natura ac forma ad malum usum sit determinata, uti idolum (1).

Diximus 1, *illicita est:* valide enim vendi potest; cum etiam res nociva ratione substantiæ sit pretio æstimabilis; 2, *per se loquendo:* justa enim extante causa, etiam licite venditur; nam ex una parte hæc traditio est tantum occasio, ex altera cooperatio materialis non est prohibita, si gravis ac legitima causa sit;—3, *certo abusurus;* in dubio enim nemo præsumitur velle rebus male uti, alioquin nulla ferme res vendi posset, cum nulla sit, qua homo non possit abuti.

Notandum hic *Ecclesiæ bonorum*, quæ tempore publicæ perturbationis invalide alienata sunt, utpote sine Pontificis consensu (2), Pium VII Bulla *Ubi primum* anno 1817, venditionem confirmasse etiam pro foro interno ab bonum pacis ac fidelium tranquillitatem: modo tamen id contigerit juxta leges tunc vigentes.

Quod vero pertinet ad *onera pia* ipsis bonis adnexa, utrum teneantur acquisitores ad ea, S. Pœnitentiaria 20 martii anno 1818 de expressa Pontificis auctoritate Episcopo Bouvier respondit, dumtaxat *hortandos esse* (3).

(1) S. Thom. 2, 2, q. 169, a. 2.

(2) *V. La restituzione dei beni Ecclesiastici necessaria* ecc. Roma 1824.

(3) Hic operæ pretium putamus afferre declarationem nuperrime datam a S. Pœnitentiaria, uti videre est in lib. *Amico Cattol. Mil.* Vol. 10 pag. 360:

« N. N. Confessarius Diœcesis Mediolanensis, videns viros pios æque ac doctos in diversam abire sententiam circa licitam retentionem bonorum ecclesiasticorum, quæ sub fine præteriti sæculi ac sub initio præsentis a Gubernio laico usurpata fuerunt, ac postmodum alienata (sunt enim qui docent, exceptis iis bonis quæ a Gubernio laico post Concordatum italicum occupata fuere, cætera posse tuta conscientia retineri; et sunt qui varias afferunt distinctiones: adeo ut alii omnem hujusmodi acquisitionem illegitimam, nec adhuc in nullo Concordato sancitam tradant): humiliter quærit, utrum possint tuta conscientia retineri

1.° Bona Ecclesiastica; quæ a Gubernio laico in Longobardia usurpata fuere et alienata ante primam Gallorum invasionem factam anno 1796.

Q. 3. *An vita hominis possit constituere objectum emptionis?*

R. Homo non potest esse venalis hoc sensu, quasi nempe transferre possit in alium jus suæ vitæ ac necis; hoc enim jus est solius Dei. Poterit tamen vendere usum suæ vitæ ac membrorum, cum usus vitæ et membrorum bene cadat sub alterius dominio.

Hinc si res in se ipsa spectetur, et debitis intervenientibus conditionibus, commercium Nigrorum etsi lugendum, non tamen jure naturæ primario illicitum dicunt. Conditiones sunt, ait Bouvier: 1, ut justo titulo nigritæ libertate sua priventur; 2, ut humano modo tractentur; 3, ut in contractu non sit fraus.—Quæ tamen conditiones cum fere numquam reperiantur, ideo merito in praxi uti illicitum et detestabile commercium illud habetur. Atque ideo merito Pontifices complures illud expresse damnarunt. Præstant inter eos Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII, et nostra etiam ætate gloriosæ memoriæ Pontifex Gregorius XVI, qui Apostolicis Litteris 3 dec. anno 1839 hoc commercium aperte reprobavit, illud declarans *Christiano nomine prorsus indignum;* et simul districte prohibuit, *ne quis Ecclesiasticus aut laicus illud... veluti licitum sub quovis obtutu aut quæsito colore tueri, aut aliter publice vel privatim docere præsumat* (1).

Q. 4. *An merx subjaci debeat ponderi, numero, et mensuræ?*

R. Contractus vel fit de merce in corpore, vulgo *in massa,* v. g. si vendatur totum frumentum in fundo existens; *vel* non fit in corpore.

Si 1, contractus valet etiam ante pondus, numerum atque mensuram. Si 2, contractus non absolvitur, nisi absolutis pondere, numero et mensura. Excipitur merx illa, cujus ante emptionem solet fieri, et haberi aliqua degustatio, vulgo *gustadura ó catadura,* uti v. g. vinum et oleum, (**) vim non

2.° Bona ecclesiastica, quæ ante dictami nvasionem occupata quidem, sed nondum alienata, in potestatem Gubernii Gallici devenerunt, ac deinde alienata ante vel post Concordatum italicum.

3.° Bona ecclesiastica quæ a Gubernio gallico ante italicum Concordatum anni 1803 usurpata fuerunt, ac deinceps ante vel post ipsum Concordatum alienata.

4.° Demum bona ecclesiastica post ipsum italicum Concordatum de novo usurpata.

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, Oratori respondet, alienationes bonorum Ecclesiasticorum in ditione vulgo *Regno italico* a Gallico Gubernio factas, Apostolica postmodum Auctoritate sanatas fuisse; ac propterea ipsa Sacra Pœnitentiaria declarat licere iis, qui bona eadem acquisiverint (modo illorum alienatio fuerit omnino consentanea legibus, quæ obtinebant quo tempore alienatio ipsa perfecta est) tamquam propria et in suum dominium ac potestatem traslata habere, deque iis libere disponere. Verum Sacra eadem Pœnitentiaria ipsos hujusmodi bonorum possessores ad se recurrentes hortari ac vehementer obsecrare solet, ut pro ea pietate ac religione qua catholicum quemque flagere decet, pia onera, si quæ bonis illis inhærebant, adimplere non negligant. — In reliquis autem recurrendum est in casibus particularibus.

Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, die 7 julii 1845.»

(1) Quod ipsa *civilis lex* prohibet: hac de re inita est conventio 20 dec. 1841 inter Austriam, Galliam, Angliam, Borussiam et Russiam. — Ita et lege mens. aug. 1853 apud nos. — *V. Cattolico* di Lugano, *Giornale*, vol. XVII. — Biot, *Sull' abolizione della schiavitù.* — Audisio, *Jur. nat. et gent.* l. II, t. XVI. — Roberti, *Lettera sopra il trattamento dei Negri.* — *Annali Relig.* vol. I. — Balmes, *Il protestantismo*, ecc. t. I, cap. 16. — *Civiltà Catt.* ser. 2ª, t. II, Huc mire faciunt duo recentiora Opera, quibus Nigri ac infideles ad hominis libertatem et animæ salutem redimuntur: 1 *Pia Opera della S. Infanzia pel riscatto dei bambini nella China e negli altri paesi infedeli* sub Episcoporum protectione erecta: 2 *Pia Opera del riscatto delle fanciulle more*, studiosa charitate sac. Olivieri genuensis.

habebit contractus donec emptor mercem degustaverit et adprobaverit, ubi lex vel consuetudo ita se habeat (*).

Q. 5. *Quid si res duobus in solidum sit vendita?*

R. Si res vendita nondum tradita est, ei tradi debet qui prius emit: et alteri remanet actio contra venditorem ratione *injuriæ* vel *damni; qui enim prior est tempore, potior est jure.*

(**) Si quid tamen vendatur aut tradatur Ecclesiæ, vel aliis locis piis, adquiritur dominium ante traditionem (1) (*).

(**) Si autem res sit vendita uni, et postea tradatur secundo emptori, res istius est. Excipe 1, nisi hic secundus emptor sit conscius prioris venditionis; et hoc etiamsi hic secundus emptor sit persona privata, tunc enim iste tenetur rem tradere primo emptori: sed non ante sententiam, nisi forte ipse induxerit ad rem ei secundo vendendam. Excipe 2, si primus emptor sit privilegiatus nempe locus pius aut Universitas etc. Excipe 3, si res tradita sit secundo titulo gratioso, nam hic debet rem sibi traditam restituere emptori qui jus habet ad rem. Hæc tamen restitutio non debetur, nisi alius emptor petat intra annum (2) (*).

Q 6. *Quid si venditor infimo pretio vendat rem suam, verum ejusdem valorem ignorans, licetne eam emere?*

R. Licet utique eamdem emere, quia contractus iste est vera venditio; nam ex *una* parte emptor juste emit solvendo infimum pretium, quod adhuc justum est: ex *alia* non videmus in eo obligationem monendi venditorem de ignorato valore, cum nullo modo eum *positive* decipiat aut cogat ad vendendum; et quod venditor rei suæ valorem ignoret, *per accidens* est.

Q. 7. *Quid de vitio, quod contingit in merce?*

R. Vitium in merce vel est circa *substantiam*, ut si vendatur stamnum pro argento: vel circa *quantitatem*, ut si dentur quinque pro octo: vel circa *qualitatem*, ut si vendatur vinum aqua commixtum pro vino puro.

Si 1, venditio nulla est, cum tota tunc deficiat illius materia. Si 2 et 3, valida est, modo *et* tale vitium non impediat, quominus adhuc res emptori sit conveniens (3); *et* de pretio subtrahatur quantum oportet: ita Angelicus (4). Ac merito; secus vix ulla negotiatio subsisteret (5).

Nonne (dices) *tenetur venditor rei vitium aperire?*

(1) S. Liguor. Op. Mor. n. 827.

(2) S. Liguor. ibidem. — Pro nostra Hispania si res tradita jam est en verba Escriche ; *Elementos del derecho patrio tit.* 19. *Pertenece al primero que pagó el precio si se dió á ambos la posesion; pero si solo el uno hubiese tomado la posesion, adquiere el dominio, con tal que hubiese pagado el precio aunque sea el comprador posterior.* (Leyes 50 y 51 tit. 5, p. 5). N. E.

(3) « Hinc patet (ait *Bouvier*) eos ad restitutionem teneri, qui guttam hydrargyri in aures equi infundunt, ut generosus appareat. Qui in sacci summitate melius triticum, in dolii extremitate majores pisces reponunt, ut sic emptores decipiant. Qui angulum et tenebras quærunt, ne mercium suarum detegatur vitium. Qui lanam aut avenam aspergunt aqua, ut majoris sit ponderis. Qui pannum adustum pro bono, domum ruinosam pro firma vendunt, etc. »

(4) 2, 2, q. 77, a. 2.

(5) « Hinc qui vinum (iterum *Bouvier*) minus exquisitum eis præbent, qui vinum magis exquisitum vellent, contra justitiam non peccant, si illis non noceat, nec inutile sit ad finem propter quem illud quærunt, modo pretium sufficienter imminuat; secus si vinum istud ad medicinam peteretur vel ut diu conservaretur.

R. 1: Si vitium sit circa *substantiam*. utique tenetur venditor illud aperire, cum tunc afficiat ipsam venditionis naturam.—Item est, si vitium sit circa *quantitatem;* esset enim damnosa deceptio. Si tamen ob injustam taxam vel injustum monopolium quis non possit consequi justum pretium dando totam quantitatem; tunc non est improbabile, uti dicunt Lugo, Lessius, Palaus, Salas, Salmanticenses et Sporer, vendentem posse uti mensura tantum manca, quantum ad pretium justum, infimum tamen, perveniat; ratio est, quia tunc iste injustam vexationem juste redimit (1).

R. 2: Si vero vitium sit circa *qualitatem*, distinguendum est: *vel* vitium illud patens est et manifestum; *vel* occultum et latens.

Si 1, venditor non tenetur vitium aperire ex *communi* sententia: tunc enim emptor illud sibi imputet: neque venditor tenetur manifestare quod omnibus manifestum est. Excipe in foro saltem interno:—1, si venditori constet de emptoris ignorantia, si v. g. esset puer, vel fœmina rerum prorsus ignara; tunc enim tenetur in conscientia vitium aperire, vel damnum compensare;—2, si qualitas transierit in substantiam, uti si emptor *expresse* declaret, se velle rem *talis* qualitatis, et *non talis:* vinum v. g. vetus, non recens.

Si 2, tenetur profecto venditor vitium aperire casu, quo illud ita noxium emptori futurum esset, ut usus rei non amplius sit ei conveniens; alioquin illum deciperet, et injustitiam patraret.

At si vitium non ita noxium futurum est, tunc si rogetur ab emptore de illo vitio occulto in specie, v. g. de ætate equi vendendi, tenetur utique responsum dare pro veritate rei; *tum* quia mendacium semper est illicitum: *tum* quia emptor jus habet, ut sibi de quæsita rei qualitate vere et recte respondeatur. Verum si non rogetur ab emptore, non tenetur vitium illud aperire; alioquin fere nulli fierent contractus. Oportet tamen, ut venditor tantum *subtrahat quantum oportet de pretio*, uti loquitur Angelicus.

Quid vero (dices) *si venditor protestetur, se nolle rationem dare de quocumque rei suæ defectu?*

Videtur tunc ad nihil teneri venditorem: quia per hujusmodi protestationem emptori factam videtur omnem a se labem injustitiæ repellere; et emptor satis apparet admonitus, ut sibi consulat. Hinc merito Tamburini (2) approbat consuetudinem, quæ alicubi viget præsertim in nundinis magnis, ut

«Pariter qui vino aquam miscent, peccant contra bonam fidem et adversus societatem, quæ tales admixtiones detestatur: peccant etiam contra legem civilem, quæ hujusmodi falsificatores pœnis plectendos decernit.... Peccant insuper contra justitiam et ad restitutionem tenentur, si vinum aqua sic admixtum emptori noceat, vel notabiliter illi minus sit utile, aut quamvis non minus utile, si pretium non minuant; non licet enim aquam pro vino vendere. Denique peccant contra charitatem et etiam contra justitiam, si efficiunt ut emptor nimio pretio gravatus alios gravet, et deceptus alios decipiat.

«Fieri potest, ut res vitiata minoris sit valoris respectu quorumdam hominum, non vero respectu aliorum: tunc his secundum totum valorem vendi potest, sine revelatione vitii. Sic bos, qui propter aliquem defectum ad arandum est inhabilis, vendi potest sine revelatione vitii et absque imminutione pretii, lanio aut mercatori, qui ad lanium eum præparabit.»

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap. Tr.* x, *n.* 186.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *n.* 823.

ita vendantur animalia, etiamsi vitia sint occultissima: ad tollendas enim lites atque ad bonum commune promovendum hoc satis cohonestatur a consuetudine, dummodo (quod caute præ oculis habendum) res ultra pretium justum saltem supremum minime vendatur, habita ratione illius vitii occulti.

Q. 8. *Cuinam perit res vendita ante illius traditionem, vel ante habitam fidem de pretio?*

R. Cum distinctione: res vendita, sed non tradita aut non habita fide de pretio, vel est indeterminata saltem quoad mensuram, ut siquis emerit decem modios tritici ex granario, tres oves ex grege; *vel* est determinata, ut siquis emerit hanc domum, hoc dolium vini.

Si 1, res perit venditori; nam in his rebus venditio perfecta non habetur, nisi re adnumerata, admensa et appensa.

Si 2, perit emptori, quia res in individuo determinata et ad corpus vendita illico perficitur: unde perit domino suo (est tamen venditoris probare casum fortuitum). Excipe 1, si aliter conventum sit; nam *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur;* 2, si venditor sit in mora culpabili; nam *mora sua cuilibet est nociva.*

Poteritne (quæres) *venditor mercem retinere, donec sibi fuerit persolutum pretium?* Potest si non concesserit moram ad solvendum; nam sic tuetur suam indemnitatem. Imo licet moram concesserit, ex civili lege adhuc potest illam retinere, si emptor evaserit obæratus aut decoctus, ita ut pretium periclitetur, nisi cautio tribuatur.

Q. 9. *Ad quemnam pertinent fructus rei venditæ ante illius traditionem, vel ante habitam fidem de pretio?*

R. Sententia *communis* et *verior* docet fructus rei venditæ ante habitam fidem de pretio vel ante illius traditionem spectare ad emptorem; tum quia cui debetur res, debentur etiam fructus rei tamquam accessorii; tum quia æquum est, ut ad emptorem spectet commodum fructuum, ad quem spectat rei periculum. Neque dicas iniquum videri, quod emptor recipiat fructus et venditor nequeat pretio frui, nam satis iste compensatur per translationem periculi rei in ipsum emptorem.

Triplex tamen casus excluditur, et est:

1. Quando ex mora solvendi venditor patiatur aliquod damnum; etenim certe emptor tenetur utrumque compensare.

2. Quando venditor non intendat ratam habere venditionem ipsam, nisi postquam pretium solutum revera sit; tunc enim tam periculum rei quam commodum fructuum ad ipsum venditorem pertinent.

3. Quando aliter conventum sit; quia *commune est* et *probabilius*, quod venditor juste potest dominium directum transferre in emptorem, et reservare sibi dominium utile, ut fructus percipere valeat quoadusque pretium persolvatur, ut docent Bonacina, Filliucius, Molina, Sanchez aliique; nam tunc non exigit fructus ratione dilatæ solutionis, sed ratione ipsius venditionis hoc pacto initæ. Hoc tamen in casu si prædium pereat, vel fiat deterius, non posset venditor exigere id, quod ratione fructuum eidem emptor promiserit.

Q. 10. *Cujus est res empta pecunia aliena?*

R. Res empta pecunia aliena pertinet ad emptorem, modo illam emerit nomine proprio. Sic enim in *jure communi* expresse cautum est: *si ex ea pecunia quam deposueras, is apud quem collata fuerat, sibi possessiones comparaverit, ipsique traditæ sunt... ab eo invito in te transferre injuriosum est* (1). —Excipe tamen eadem lege, si pecunia sit *vel* Ecclesiæ, *vel* minoris, *vel* etiam militis, quia tunc ex privilegio res acquiritur illis.

§ III—*De pretio.*

Tres sunt præcipuæ emptoris obligationes in pretio solvendo:—1ª est ut pretium solvat eo loco ac tempore, quo res est ipsi tradenda, nisi aliud pactum sit; vel nisi a possessione rei molestari timeat et venditor cautionem non præstiterit;—2ª ut solvat pretii usuras, si hæc fuerit conventio, vel si res vendita et tradita fructus producat, vel si pretii solutio jam indicta sit;—3ª ut solvat etiam omnes venditionis expensas, nisi aliter conventum sit (2).

Q. 1. *Quid est pretium justum et quotuplex?*

R. Pretium justum dicitur quod rei venalis valorem adæquat: est aliud legitimum vel legale, quod taxatur a lege vel a Magistratu: aliud vulgare seu naturale, quod spectatis circumstantiis, peritorum judicio determinatur. *Legitimum* situm est in indivisibili, ita ut non liceat plus accipere, quam per legem fuerit statutum et restitutionis urgeat obligatio, si quid ultra pretium illud exigatur: talis est venditio salis (3). *Vulgare* vero patitur latitudinem, cum communiter in unum peritorum judicium convenire non soleat. Triplex idcirco distinguitur: *summum*, supra quod a prudentibus æstimari non solet; *infimum*, infra quod intelligentes non solent judicare; *medium* stat inter summum et infimum. Hæc autem regula communiter adsignari solet in determinatione pretii vulgaris: ut res vilior minorem, pretiosior vero majorem habeat latitudinem. Unde vinum v. g. quod valet 5, potest vendi 6, vel 4: res autem pretiosa, quæ valet 100, potest vendi 95 vel 105. Imo si res rarius soleat comparari, admittit latitudinem maximam: v. g. domus, quæ elapso anno vendita fuit 1500, hoc anno vendi potest 2500 (4).

Est autem contra justitiam rem vendere supra pretium legitimum, vel vulgare summum, nisi speciales aliquæ interveniant circumstantiæ id honestantes. Ratio est, quia si pretium excedat valorem rei, vel e converso si res excedat pretium a lege aut a prudentibus hic et nunc præfixum, tollitur profecto justitiæ æqualitas. Hinc Apostolus: *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus* (5). Hinc quamvis in foro externo non invalidetur venditio, nisi deceptio

(1) *Cod. de rei. vindic. l. si eo.*

(2) *V.* Pavone, *Spicilegio*, §§ 1 ecc. ubi plurima ad praxim resolvit.

(3) Aliquando tamen licet legale pretium excedere: 1 si a majore parte non servetur, Principe sciente et tacente; 2 si mutatis circumstantiis, taxa evadat injusta; 3 si merces sint notabiliter pretiosiores solito, vel deteriores. *Gury.*

(4) Ubi notandum, pretium non tam æstimari secundum rei dignitatem, quam secundum illius usum in commercio; alioquin musca, quæ est animal sensibile, majoris esset pretii, quam una gemma, quæ est inanimata.

(5) I Thess. 4, v. 6.

sit ultra dimidium justi pretii; in foro tamen interno etiam deceptio infra dimidium obligat ad restitutionem; injustitia enim tam in parvis quam in magnis locum habet.

Sed quid (dices) *si venditio supra pretium legitimum vel vulgare bona fide contigerit; vel si utrique contrahentes valorem rei prorsus ingnorantes, ideo sese mutuo commiserint sorti in contrahendo?*—In primo casu, id est si hoc contigerit bona fide, decipiens tenetur id saltem restituere, in quo factus est ditior, id est in quo suis ideo pepercit, ne ditescat de alienis. In secundo autem casu, nempe si mutuo consenserint contrahentes, expresse se sorti committentes, utpote de vero valore dubitantes, valet contractus, etsi postea detegatur deceptio; quia censetur uterque sibi invicem voluisse excessum concedere. Item si venditor infimo pretio vendat rem suam, verum ejusdem valorem ignorans, licet eamdem emere; quia contractus iste est vera venditio: nam ex una parte emptor juste emit solvendo infimum pretium, quod adhuc justum est; ex alia autem non videmus in eo obligationem monendi venditorem de ignorato valore, cum nullo modo eum positive decipiat, aut cogat ad vendendum.

Quid vero si res nullum habeant pretium determinatum in humano commercio, uti gemmæ quædam, aves indicæ, veteres picturæ, staluæ, libri rari et similia? vendine tanti poterunt quanti quis sibi voluerit? Idem quæritur de cantu, saltatione et abusu mulieris.—Omnes istæ res extraordinariæ, quæ non sunt necessariæ ad communem convictum, possunt vendi quanti plurimi, uti docent Diana, Serra, Sotus, etc.; quia cum non sint taxatæ, illud pretium putatur justum, quod convenitur inter partes: hoc recte vocant probabile Salmanticenses. Verum nos probabilius negandum putamus cum Bouvier, Gury, Continuatore Tournely, Lessio, Lugo aliisque; quia tametsi pretium talium rerum magnam recipiat latitudinem, æquum semper est, ut habeat quamdam taxam arbitrio prudentum; cuilibet enim rei sua est æstimatio (1).

Q. 2. *Quandonam licite potest pretium ordinarium seu vulgare augeri, et quandonam minui sine læsione justitiæ?*

R. Ad 1: Pretium vulgare augeri potest, seu venditor potest quid amplius exigere:—1 ratione damni emergentis vel lucri cessantis, quod ideo ipsi evenit (modo tamen emptor admoneatur, ut possit si velit, rem illam sibi diversimode comparare); nulla enim ratione tenetur incommodum illud in re sua

(1) Attamen in his sicut et in aliis venditionibus, quando ex utraque parte bona existat fides, communiter pœnitentes non sunt inquietandi, nisi ex fundato indicio appareat veram extitisse injustitiam. Sic quotidie veteres libri in se optimi vili pretio venduntur, qui si novi, licet non meliores, quadruplo pluris venderentur; at nemo suspicatur aliquam ibi esse injustitiam, quia sic inter homines receptum est. Qui autem res minoris pretii in se asportant in regiones ubi maximi æstimantur, v. g. cultellos vel specula ad Indos, eos pretio ibi recepto vendere possunt: quia pretium hujusmodi objectorum communi hominum ibi commorantium æstimatione determinatur; hoc vero pretium excedere injustum esset. Qui inter res communes invenit rem, quam scientia privata novit pretiosam, v. g. herbam medicinalem inter herbas communes, illam cum cæteris vili pretio emere potest, si sit in loco ubi valor iste a nemine æstimatur: et etiam probabilius, licet in eodem loco plures rei valorem æstimare valeant, quia ex usu et destinatione res illa censetur amisisse pretium et honorem: sic in praxi apprehendunt omnes. Ita multi Theologi, Billuart, Dens, Vernier, etc. contra Collet.

venditor sustinere. Aliunde alter acceptando contractum, satis consentit et valet, etsi res sit a Principe taxata; nam taxa respicit rem tantum secundum se;—2 ratione singularis bonitatis aut raritatis mercium; quæ quidem etsi probabilius vendi nequeant quanti plurimi, utique tamen aliquo pretio majori; cum raritas ac bonitas peculiaris augeant communem æstimationem (1);—3 ratione specialis molestiæ obventuræ ipsi venditori ob peculiarem affectum erga rem suam, ut tradunt communiter ac verius; quia privatio rei, erga quam dominus est specialiter affectus, v. g. si eam accepisset a Principe vel a majoribus suis, prætio æstimabilis est (2). Diximus *ipsi venditori;* si enim iste affectus sit tantum in emptore, rem illam ideo carioris vendere non licet, ut docent communiter cum Angelico: nemo videlicet vendere potest quod suum non est; atqui in hypothesi affectio illa peculiaris est in emptore, non in venditore: ergo iste non potest eam carioris vendere (3);—4 ratione penuriæ seu caritatis mercium et pluralitatis emptorum, quia merces eo in casu, pluris solent communiter æstimari;—5 ratione modi, quo merces venduntur, si tamen pretium non sit taxatum. Sic qui res minutim et in parva quantitate vendunt, hoc ipso possunt aliquando carioris vendere; quia majores debent labores, curas atque expensas effundere ad merces eas conservandas. Hoc modo excusant caupones et stabularios, qui fœnum, avenam, paleas carioris vendunt, quam alii;—6 ratione temporis, quo pretium tradendum est: sic certum est rem posse carioris vendi, si pretium tradendum sit tempore, quo res ipsa pluris est valitura, modo a venditore ad illud usque tempus servanda fuisset: alioquin damnum emergeret venditori;—7 ratione periculi in pretio exigendo. Hoc licet non omnes admittant, satis tamen communiter, ac probabilius defendunt alii (4); nam tali periculo se exponere, si revera adest, est pretio æstimabile: sane quod periculo expositum est minoris æstimatur a prudentibus. Cum porro tale onus, scilicet mercem suam periculo exponendi et ita ejus valorem minuendi, in se suscipiat venditor, jus habet, ut aliquid de pretio sibi augeatur.

R. Ad 2: Pretium vulgare potest minui, seu emptor potest quid minoris tuta conscientia solvere: 1 ratione copiæ mercium et paucitatis emptorum; quia merces eo minoris æstimantur, quo communiores et a paucioribus appetuntur; 2 ratione modi, quo res venditur: sic emptor potest minoris emere, eo quod multa simul emat (vulgo *al por mayor*), quia tunc venditorem liberat a multis curis, et expeditum reddit ad nova sibi comparanda; 3 ratione temporis, quo res tradenda est: sit poterit vilioris emi, si tradenda sit tempore, quo minoris valebit; nam tunc tantum res incipit esse utilis emptori.

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. x, n. 174; et *Opus Mor.* l. III, nn. 808 etc.

(2) Neque dicas, affectum hujusmodi non ferre emptori peculiare commodum; si hoc valeret, neque ob damnum emergens et lucrum cessans posset res pluris vendi; nihil enim utilitatis emptori venit ex venditoris damno emergenti et lucro cessante.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 806.

(3) 2, 2, q. 77, a. 1. — Sunt tamen plures moderni, qui etiam hoc secundum licere affirmant ex eo quod venditor emptori illud commodum procuret, et consequenter justum sit, ut idem cum ipso dividat pretium rei adaugendo. Ita nunc in praxi admitti tradit card. Gousset n. 480, ubi exposita priori sententia olim communissima, posteriorem amplectitur.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 765 et 810.

Q. 3. *An liceat minoris emere merces ultroneas?*

R. In communi et veriori sententia licet minoris emere merces, quas ultro quisquam offert, emptorem quæritando et quasi compellendo ad eas emendas; quia cum merces sic offeruntur, ut plurimum adest parvus emptorum numerus, ut merito docent Concina et Roncaglia cum aliis: hinc ex D. Hieronymo tritum proverbium est: *ultroneas putere merces* (1). Probabilius autem Cajetanus, Filliucius, Mazzota et Sporer censent rem istam vilescere pro tertia parte.

Sed quid (dices) *si merces fiant ultroneæ ob solam paupertatem vendentis?* —Busembaum, Vasquez et alii tradunt, illas adhuc minoris emi licite posse; quia (inquiunt) res ultronea de se, et natura sua pretio decrescit in communi hominum æstimatione; inopia autem vendentis non potest efficere, ut pretium immutetur. Verum Salmanticenses et Tournely cum aliis id negant; quia charitati et justitiæ adversari videtur rem vilioris emere a paupere, qui vendit necessitate coactus, nisi ematur in solam gratiam venditoris ipsius, ita ut alias non emeretur. Hæc sententia est æquior, et omnino suadenda; sed prima non videtur carere probabilitate, si spectetur ratio, ac de rebus agatur quæ non ita facile venduntur.

Q. 4. *Quid dicendum de illis, qui mendaciis atque perjuriis alios inducunt ad merces carioris emendas?*

R. Qui mendaciis et perjuriis pretium exaggerant, ut emptores inducant ad merces carioris emendas, peccant non solum peccato mendacii et perjurii, sed et peccato injustitiæ; quilibet nempe jus habet, ne fraude inducatur ad carioris emendum (2). Quod multo magis dicendum, si despiciant aliorum mercatorum merces, ut suas attollant; tunc enim tenentur de damno erga mercatores illos. Attamen hic notandum est:—1 regulariter fidem non haberi venditorum mendaciis ac perjuriis; cum hæc communiter habeantur ut quædam tantum stratagemata ad emptores facilius alliciendos. Unde nisi certo constet, emptorem mendaciis venditoris revera credidisse, et ideo majoris emisse, et alios mercatores deseruisse, venditor qui illis utitur, peccat quidem saltem venialiter mentiendo et graviter perjurando; sed non tenetur ideo restituere;—2 esse contra justitiam pacisci cum emptore de pretio infimo, ac postea pretium summum recipere occulte minuendo pondus, vel mensuram: quia esto quod illud non excedat latitudinem justi; at celebrato contractu, pondus, mensura ac pretium ita remanent determinata, ut nullam amplius patiantur variationem. Pactum enim ita finitum fuit acceptatumque, ut commune ac certum est cum Croix, Laymano, Lugo, Medina, Navarro, Soto, Sporer, etc. (3).

Q. 5. *An pretio currenti vendi possint merces, quas ex notitia peculiari dominus certo scit mox valituras esse multo minoris?*

R. Affirmant communiter Antoine, Billuart, Collet, Lessius, Sylvius cum D. Thoma, qui habet: *venditor, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est non exponat* (4). Ratio est, quod non est inspiciendus valor mercis futurus; sed præ-

(1) In quæst. hebraic. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 805.
(3) *V.* P. Pavone, *Spicilegio canonico, morale*, ecc. §§ 6 et seqq. (4) 2, 2, q. 77, a. 3.

sens, qui non pendet a notitia particulari, bene vero ab hominum æstimatione communi.—Eadem de causa fas erit cuilibet emere merces pretio currenti, etiamsi certo sciat contra omnem dominorum expectationem brevi pretium augendum fore, uti patet exemplo Josephi in Ægipto (1). Imo in justitiæ rigore potest etiam quis in emendo adhibere illas pecuniæ species, quas privatim scit brevi esse prohibendas, modo absint (quod semper intelligendum) mendacia, vis et fraudes.

Neque ideo saltem contra charitatem peccabitur; nam quilibet consulere potest rebus suis, etsi per accidens alteri damnum obveniat. Excipe:—1 si ideo emptor reduceretur ad gravem necessitatem; sicuti enim charitas præcipit, ut subveniamus graviter indigenti, sic vetat ne in paupertatem per nos redigatur, ut nobis divitias comparemus;—2 si venditor posset mercem vendere pluribus et vendat uni: vel cum posset vendere alicui, qui statim iterum venderet rem consumpturis, venderet alteri rem servaturo usque ad tempus diminutionis pretii. An autem in his quoque casibus peccatum contra charitatem sit semper grave, merito dubitatur; quia charitas non vetat, ne quis consulat sibi utendo jure suo, etsi alteri damnum inde per accidens obveniat.

§ IV—*De quibusdam venditionis speciebus.*

Venditionis species expendemus in praxi maxime occurrentes. Et sunt 1, venditio *ad creditum;* 2, venditio *per proxenetas*; 3, venditio *cum pacto;* 4, venditio *sub hasta;* 5, *monopolium.*

Q. 1. *An liceat merces carioris vendere ad creditum, quam numerata pecunia?*

R. Non licet merces carioris vendere præcise ob dilatam solutionem; esset enim pluris facere pecuniam numeratam numeranda, quod damnavit Innocentius XI; et veri mutui rationem haberet (2).

Sed quæstio est, an id licitum sit titulo communis æstimationis, sive spectata consuetudine.—Alii negant cum Garcia, Medina et Navarro, quia hoc semper est mutuum virtuale; ideo ejus vi aliquid exigere usura est.—Alii *probabiliter* affirmant cum Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Soto, Palao et Victoria; quia communis hominum æstimatio auget pretium illud, cum tunc plures soleant emptores concurrere; ac communis æstimatio ipsa est quæ taxat pretium.

Eadem de causa dicunt licere rem *minoris emere,* numerata pecunia, non quia anticipatur solutio, sed ex communi existimatione; nam tunc pauci sunt emptores, multi venditores. Et ita apud mercatores nunc passim obtinere contendunt (3).

Quid (quæres) *est sentiendum de crediti ipsius venditione?* Credita vel chi-

(1) Gen. 41.

(2) Ita Angelicus, 2, 2, q, 78, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 811.

(3) Quidquid sit, concludamus cum *Bouvier:* « mercatores sic agentes inquietandos non esse arbitror propter rationes superius expositas, et quia in dubio prudentia non sinit conscientias sic turbari. »

rographa, quæ dicuntur etiam *jura incorporea*, vendi possunt, quamvis non adsit consensus debitoris ; nam quilibet potest pacisci de eo, quod suum est.

Quanti vero credita emi possint, fatentur omnes *credita incerta* et *periculosa* emi posse minoris, habita ratione periculi, laboris et difficultatis, quæ in solutione eorum exigenda haberi solent ; quia credita hæc in communi æstimatione valent revera minoris (1).

Sed non ita res est, quando agitur de *creditis liquidis*, ut vocant, *certis et tutis*.—Alii volunt cum Anacleto, Azorio, Bellarmino, Bernardino Senensi, Cajetano, Navarro, Sanchez et Tournely *probabiliter* etiam hæc emi posse pretio minori, quam infimo ; quia non emitur pecunia, sed emitur actio ad illam. Ideo justum censetur pretium, quod communiter negotiatores pro talibus chirographis persolvere solent.—Alii ex adverso negant cum S. Thoma, Croix, Layman, Lessio, Sylvio, Sporer et Viva ; quia actio ad creditum certum, liquidum et tutum, quin adsit periculum, vel difficultas occurrat in eo exigendo, tanti valet quanti valet ipsa pecunia debita.

Hæc secunda sententia est quidem *suadenda* uti *communior* et *tutior ;* sed prima tam ob auctoritatem Doctorum illam propugnantium, quam ob rationem cui innititur, non *videtur rejicienda* ut *improbabilis*. Sane *in praxi* credita hujusmodi semper revera æstimantur minoris, quam ipsa pecunia numerata ; quia vix umquam libera sunt a periculo exactionis et sumptibus, vel saltem a molestiis atque incommodis non paucis (2).

Q. 2. *An ille, cui traditur res vendenda pretio designato, possit sibi retinere excessum, quem forte traxerit?*

R. Cum distinctione : *vel* res vendenda tradita est a domino suo famulo ; *vel* proxenetæ, qui a republica deputatur ad aliorum negotia gerenda, stipendio ipsi a partibus tribuendo.

Si 1, certum est eumdem minime posse excessum illum sibimet retinere, quia famulus jam tenetur domini sui negotia utiliter agere, et bonum procurare.—Si 2, sententia iterum negans vera nobis apparet, et *in praxi omnino tenenda ;* nam assignatio pretii facta a domino communiter intelligitur, ne *infra* pretium illud venditio sequatur, non autem ne *supra:* ideoque excessus pertinet semper ad dominum.

Excipe : 1, cum res per propriam ejusdem industriam non debitam melioris conditionis evaserit, et ob id pluris vendi queat.

2. Cum expressum vel tacitum pactum cum domino intercesserit : hoc præsumitur, quando dominus nullum venditori stipendium adsignaverit pro ejus labore.

3. Cum adhibita communi diligentia, et pretio majori non invento, rem sibimet emat et postea vendat pluris; quia tunc venderet rem propriam, non alienam. Caveatur tamen fraus atque illusio.

Quid vero (dices) *de sartoribus, qui pannum pro aliis emunt?*

R. Si sartor fideliter negotium domini gerat minoris mercem emendo, et

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 829.

(2) « Dico tamen (ait S. Alphonsus, *Homo Ap. Tr.* x, *n.* 170) excipienda esse chirographa quæ vulgo nuncupantur *fides crediti*, pro quibus nullum morale periculum adest : modo ob distantiam, incommodo aut periculo sibi non esset exactio propter eum, qui ad exigendum mittendus est.»

ex alia parte mercator aliquid ei donaverit vere *gratis,* quia officinam suam frequentat, vel ut eum alliciat ad ipsam frequentandam, *licite* potest sibi retinere donatum; nam tunc diminutio pretii vere fieret in ejus gratia. Ita Filliucius, Tournely, et alii (1).

Sed caute hic procedendum, ne justitia lædatur; nam mercatores potius simulant se sartoribus quidquam donare, cum tamen si dominus ipse officinam adiret, pro eodem pretio rem obtineret (2).

Q. 3. *An liceat rem vendere cum pacto, ut emptor teneatur iterum venditori eam cedere si hic eam repetat* (3)?

R. Venditio cum pacto redimendi ea est, qua venditor facultatem sibi reservat rem suam repetendi sub conditione, quod pretium ejus restituat, sumptus solvat, aliaque damna resarciat. Hæc jure naturæ licita est, si ratio habeatur gravaminis quod imponitur, cum tunc servetur æqualitas. Imo in ipsa veteri lege hæc præcipiebatur (4).

Q. 4. *Quid est contractus moatra, et an licitus?*

R. Contractus *moatra* (sic dictus ab hyspanis, ab italis autem *stocco*, a pedemontanis *carrozino*) ille est, quo quis mercem a te emit majori pretio ad creditum cum pacto explicito vel implicito, ut tibi eamdem retrovendat pretio minori, et numerata pecunia. V. g. Titius emit a Sempronio tot frumenti mensuras pro centum nummis credito conventis, addito tamen pacto, ut illico eas sibi revendat pro nonaginta nummis actu numeratis.

Talem contractum dicimus esse prorsus illicitum, quia usuram palliatam includit; venditor enim dat 90, ut statim recipiat 100, sicque imponitur emptori onus vendendi vili pretio absque ulla compensatione. Hinc Innocentius XI damnavit hanc n. 40 propositionem: *contractus* moatra *licitus est etiam respectu ejusdem personæ et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri* (5).

Si tamen res sine prævio pacto retrovendatur etiam minoris et eidem venditori, modo absit omnis usurarius animus, contractus *de se* licitus erit; quia nulla esset conventio, quæ læderet æquitatem (6).

Q. 5. *An liceat merces sub hasta quolibet pretio vendere et emere?*

R. Venditio sub hasta (vulgo *subasta*) est quæ fit voce præconis, et in qua uniuscujusque licitatio sub datis regulis admititur, ac ultimo licitanti res adscribitur.

Hæc venditio licita est, *si absit fraus;* nam tam ementes, quam vendentes in pari conditione constituuntur lucri et damni. — Res autem, quæ sic exponuntur, possunt quanti carius vendi et quanti vilius emi (7); quia tunc potestas publica vel communis æstimatio approbat pro justo pretium illud, quod publice emptorum concursu probatur (8).

(1) *V.* Liguori, *Opus Morale l.* 3, *n.* 826. (2) *V.* Liguori, *Homo Ap. Tr. ult. n.* 34.
(3) *V.* Liguori, *Opus Morale l.* 3, *n.* 812. (4) Lev. 25.
(5) « Las leyes 5.ª tit. 22. lib. 12, y 3.ª tit. 8°, de la Nov. Recop. castigan á los mercaderes que hicieren tales contratos, directa ó indirectamente, por sí ó por otras personas, á la pérdida de sus oficios y del dinero prestado, imponiéndoles además la multa de cincuenta mil maravedis, con aplicacion al fisco, juez, y denunciador. » N. E.
(6) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *n.* 813. (7) L. 2, C. de rest. vend.
(8) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 808.

Diximus *si absit fraus*, quæ esse potest tam ex parte venditoris, si immittat fictos licitantes, quam ex parte emptoris, si alios dolo impediat a licitatione; læderetur enim libertas. Quod valet etiam de proxenetis, si ex industria mercem exponant, cum pauci sunt emptores, ut sic amicis faveant.

Verum inspecto modo, quo licitationes fieri solent, non tam facile est damnandus venditor, qui per se vel per alios licitaretur ; *tum* quia emptores jam de hoc suspicantur, ideoque possunt sibi providere, *tum* quia adhuc libertas remanet licitandi.

Sicut neque illico damnandus est emptor, qui alios rogat ne licitentur; sic enim non aufertur libertas.

Imo non immerito (ait *Bouvier*) aliqui docent, neque peccare duos vel plures amicos, qui secum una conveniunt, ut unus eorum tantum licitetur, modo cum aliis tale quoque non ineant pactum. Tunc enim hæc habenda esset uti quædam commercii societas, cujus membra utique contra se non licitantur.

Q. 6. *Quid est monopolium, et an liceat* (1)?

R. Ad 1: Monopolium idem est ac *venditio unius;* ducitur enim a græca voce *monopola,* quæ indicat *venditorem unicum.* Duplex autem distinguitur monopolium:

Aliud *publicum*, quod privilegium est a Principe concessum uni vel pluribus, ut soli quasdam merces vendere possint.

Aliud *privatum*, quod privata auctoritate inducitur, quodque ordinarie *monopolii* nomine solet intelligi, et definitur: *machinatio, qua unus vel plures ex industria efficiunt, ut soli quasdam merces vendant vel emant, statuto ab iisdem pretio.*

R. Ad 2: Monopolium *publicum* jure admittitur: cum illud sit a legitima auctoritate ad commercii prosperitatem, ad industriæ incrementum, atque in laboris præmium constitutum.

Ad *privatum* vero quod spectat, illud tribus præcipue modis contingere potest: *vel* mercator impedit quominus aliæ merces advehantur, ut solus ipse suas vendat supra pretium: *vel* emit merces omnes, ut deinde solus revendat; *vel* cum aliis conspirat, ut nemo ipsorum vendat merces minoris.

Si 1, certe monopolium est, et contra justitiam; cum sit contra libertatem commercii, in reipublicæ damnum, atque extraneorum.

Si 2, *communis* et *vera* sententia tenet pariter esse contra justitiam: nam talis emptor in causa est, cur pretium injuste augeatur: quare tenetur cæteris emptoribus, ac reipublicæ restituere juxta prudentum judicium. Excipe: 1, nisi res emerit, quæ non sint ad sustentationem necessariæ, uti gemmæ; nullus enim tunc damnificatur. Excipe 2, *probabiliter*, si non venderet, nisi pretio summo; nam adhuc justum est (2).

Si 3, peccant contra justitiam omnes conspirantes ad vendendum ultra pretium summum (idem est, si conspirarent cum aliis, ut nemo ipsorum

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 814, *et seqq.*—Item *Homo Ap. Tractat.* x, *nn.* 183, *et seqq.*—Pavone, *Spicilegio etc.* §§ 16, *et seqq.*

(2) Verum utrum saltem tunc contra charitatem peccet, *alii* affirmant, cum charitas obliget ad præcavendum proximi damnum; negant *alii*, cum ipse prosequatur jus suum.

merces emat nisi infra pretium infimum); quia privatim commutarent communem ac legitimam pretii taxationem (1).

An (quæres) *peccet contra justitiam et charitatem mercator, qui tempore messis aut vindemiæ omne triticum aut vinum regionis pretio vili tunc currenti emit, ut postea carius vendat?* — Communis et vera sententia tenet hoc utique esse contra justitiam et charitatem; nam talis emptor in causa est, cur pretium injuste augeatur; cum non sit privati illud mutare: quare tenetur cæteris emptoribus ac Reipublicæ restituere. Excipe: 1 nisi res emerit, quæ non sint ad sustentationem necessariæ, uti gemmæ pretiosæ, equi generosi, ornatus mulierum, etc.; nullus enim tunc damnificatur; 2 nisi emerit triticum, vinum, etc. ut postea vendat Reipublicæ justo pretio, quo venderent alii ea de longe adsportantes; vel ut vendat civibus moderato lucro, postquam ipsi jam emerint sibi necessaria et convenientia, ut fecit Joseph in Ægypto, qui tempore fertilitatis emit triticum, ut illud venderet cum lucro tempore caritatis, providendo etiam publico bono, ac communi Regni necessitati.

Mercatores (addes) *qui conspirant, ne merces suas vendant nisi summo, licet justo pretio, peccantne contra justitiam et charitatem?* — Quoad justitiam duplex est sententia: alii cum Continuatore Tournely, Laymano, Roncaglia, etc. probabiliter affirmant illos contra justitiam delinquere; quia per medium iniquum alios pretio supremo emere cogunt. Verum alii forte probabilius cum Billuart, Lessio, Lugo, Sylvio, Viva, etc. negant, si mercatores non conspirent vi vel mendaciis; nam tunc nulla est vera injuria: neque enim ipsi cogunt emptores, sed a propria necessitate coguntur ad emendum pretio summo: aliunde pretium summum adhuc justum est. — Non est tamen dubitandum, quod ipsi peccent contra charitatem; hæc enim, etiamsi non te obliget ad vendendum infra pretium summum, utique videtur obligare ad non dissuadendum aliis, ut non vendant pretio mitiori. (2).

Sed (dices) *facto semel monopolio ab aliquibus mercatoribus pretio injusto vendendi, licetne aliis merces eodem pretio vendere?* — Aliqui affirmant, quia tunc pretium illud jam commune est et currens: et est per accidens quod de injustitia natum sit. Sed sententia, quæ omnino nobis melior videtur, negat; nam pretium illud sic adauctum semper et per se injustum est, ideoque ad justitiam reducendum.

(1) « La ley 2.ª tit. 7.º part. 5.ª castiga fuertemente el monopolio de que se ha hablado arriba, y otras especies semejantes, como por ejemplo cuando los artifices ó artesanos se convienen en no enseñar á nadie su arte ú oficio sino á los suyos ó á determinadas personas, ó fijan por su enseñanza un precio sumamente escesivo; cuando los vecinos y dueños de las casas se convienen para subir el precio de los alquileres y arreglarse todos á esta subida; cuando la mayor parte de los postores en alguna almoneda ó subasta pública se convienen sacando uno solo el remate para dar parte á los demás confederados etc. N. E.

(2) Hic ad rem maxime faciunt, neque satis divitibus ac mercatoribus hæc verba Proverbiorum c. 11, repetuntur: *alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur; et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium.*

§ V — *De rescissione venditionis.*

Q. *Quomodo solvitur emptio-venditio?*

R. Emptio-venditio ex lege generatim iis solvitur modis, quibus cæteræ conventiones. Speciatim vero emptio-venditio solvitur, *vel* mutuo contrahentium consensu, *vel* ipso jure, *vel* sententia judicis.

1. *Mutuo consensu:* sive nempe contrahentes de novo conveniant, sive antea de rescissione pactum posuerint (1); *per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur.*

2. *Ipso jure*: quod tunc locum habet (et quidem in utilitatem solius venditoris, ac circa res venales, vulgo *mercancías*, aliasque res mobiles), quando emptor tempore præfinito non se obtulerit ad rem recipiendam; vel si obtulit se, non tamen pretium solvit quod debet.

3. *Judicis sententia:* quam quidem, justa interveniente causa, tum venditor, tum emptor invocare utiliter potest.

Ac primo venditor *læsionis* causa (licet huic beneficio renuntiaverit) rescissionem petere potest in judicio: —1, si agatur de immobilibus quoad majores (quoad minores etiam de mobilibus): neque res illæ venditæ sint hasta publica, judicis auctoritate; — 2, si læsio sit ultra dimidium; — 3, si intra quinquennium scissionem petat. Emptor tamen poterit rem sic emptam sibi retinere, soluto pretio justo.

Secundo emptor poterit rescissionem contractus urgere: — 1, si venditor mercem non tradat tempore debito; — 2, si immobile excedat vigesimam partem quantitatis in contractum deductæ, si tamen intra annum rescissio petatur; — 3, in casu *evictionis*, licet una tantum rei pars evicta sit; — 4, si agatur de fundo servitutibus onusto, quæ declaratæ non fuerint, neque sint apparentes; — 5, si res vitiosa sit, modo tamen vitium non sit parvi momenti, neque de re agatur judicialiter vendita: ac modo *actio redhibitoria* (2) fuerit proposita intra dies 40 a traditione, si sermo sit de animalibus; vel intra quatuor menses, si de rebus mobilibus agatur.

Scholium — *De permutatione.*

Q. *Quid est permutatio?*

R. Permutatio est *contractus, quo partes contrahentes rem aliquam sibi vicissim dant ad aliam habendam.*

(**) Hæc communiter iisdem legibus regitur, quibus venditio, cum considerari possit ut dupla venditio in qua unaquæque res est simul res vendita et pretium alterius; et unusquisque contrahentium pariter est simul emptor et venditor (3). Insuper pro nostra Hispania fieri possunt animadversiones sequentes:

1. *El contrayente que no quisiese cumplir el convenio, antiguamente solo es-*

(1) *V.* dicta supra § 4, q. 3.

(2) Actio *redhibitoria* est jus petendi in judicio rescissionem.

(3) Proemio y ley 1, tit. 6, p. 6, 3.

taba obligado á pagar al otro los perjuicios que por esta razon se le siguieren; pero ahora puede ser apremiado al cumplimiento del contrato, como en la venta (1).

2. *El contrayente que cumplió por su parte puede apremiar al otro á que cumpla por la suya, ó pedirle los perjuicios que jurare con la tasa del juez* (2).

3. *Como se ha dicho al principio pueden aplicársele todas las demás reglas prescritas para la venta* (3) (*).

ARTICULUS II — De locatione et conductione (4).

Q. 1. *Quid de contractu locationis-conductionis?*

R. Locatio-conductio est *contractus, quo quis, constituto pretio, se obligat vel ad concedendum alteri ad certum tempus alicujus rei usum, vel ad aliquam operam illiberalem pro ipso præstandam, pacta mercede.* Diximus *illiberalem:* opera enim liberalia artis scientiæque a mercedis ac locationis nomine abhorrent, et pro iis, quod tribuitur, *stipendii* et *honorarii* nomine appellari amat. Qui rem vel operam confert dicitur *locator;* qui ea fruitur, *conductor.*

Substantialia locationis consistunt in re usu non consumptibili, ac in mercede. — (**) Locatio fieri potest scripto aut verbo secundum substantiam rerum locatarum (*).

Ex allata definitione patet, duplicem esse locationis speciem: unam *rerum*, alteram *operum*. Item duæ hæ species in alias distinguuntur.

Quoad res enim si locatur domus, dicitur *alquilar;* et qui eam conducit, appellatur *inquilino.* Si locatur ager ruralis, ut alter eo fruatur, dicitur *dar en arriendo;* et qui eum conducit, *colono.* Si ager locatur, ut cum domino dividantur fructus, dicitur *dar en parceria;* et qui conducit, *parcero.*

Quoad operas vero si quis se obligat ad alicui famulandum, vel ad res aut personas transferendas, dicitur *prestacion ó contribucion de trabajo.* Si quis operas aliquas perficiendas suscipiat, dicitur *tomar á destajo.* Tandem si quis pecudes custodiendas suscipiat dicitur *pastor etc.*

Q. 2. *Quænam sunt obligationes locatoris in genere?*

R. Obligationes locatoris in genere sola vi contractus, alia nempe conventione seclusa, sunt sequentes:

1. Rem tradere aperiendo vitium, si quod sit rei locatæ, v. g. domus sit ruinosa.

2. Solvere expensas extraordinarias ad rei locatæ conservationem necessarias, v. g. servare tectum domus locatæ, publica tributa persolvere; nisi aliter sit consuetudo.

3. Rei locatæ formam non immutare absque consensu locatarii, quod si, urgente causa, reparari contingat, conductor id pati debet, quin pretium conductionis imminuatur.

(1) Ley 3, tit. 6, p. 5, y ley 1, tit. 1, lib. 10 Nov. Rec.

(2) Ley 3, tit. 6, p. 5, y ley 1, tit. 1, lib. 10 Noc. Rec.

(3) Ley 4, tit. 6, p. 5. — v. Escriche elementos del derecho patrio tit. xxi. V. Ley. 1, 2 y 4, tit. 6, part. 5.

(4) *V.* Liguor Opus Mor. l. 3, nn. 857, et seqq.

4. Conductorem tueri, ut re pacifice fruatur.

Q. 3. *Quodnam tempus pro locatione determinatum est?*

R. Si agitur de locatione *operum, communiter* statutum est a lege civili ut nemo possit se obligare nisi ad tempus aut ad determinatum opus.

(**) Si vero agatur de locatione rerum, communiter docent Auctores debere esse minus decennio. Attamen Sylvester v.° *Locatio* q. 4 resolvit posse esse ad tempus et in perpetuum, et L. 1. ff. *si ager vectigalis*, aperte traditur locationem posse esse perpetuam; sed quando est decennalis, aut ultra, vix differt ab Emphyteusi. Bona Regularium juxta Clementinam *De rebus Ecclesiæ* l. 3, tit. 5, non possunt locari nisi ad modicum tempus, quod juris Interpretes intelligunt minus decennio. Juxta vero Bullam *Ambitiosæ* Pauli II nulla bona Ecclesiastica neque licite neque valide locari possunt, inconsulto Sum. Pontifice, nisi ad triennium. Non sunt tamen damnandi, qui locant ad novennium retenta facultate resiliendi a contractu quolibet triennio, tunc enim non est absolute locatio nisi ad triennium (1) (*).

Sed (quæres) *an successor possit ante completum terminum conductorem expellere?*

Vel agitur de successore *universali*, uti est v. g. hæres universalis, vel agitur de *particulari*, uti est v. g. legatarius aut emptor.

Si 1, non potest successor ille conductorem expellere; quia quisque censetur stipulasse pro se et suis. —Si 2, jure potest diversa ratione, nisi locatio per scripturam facta sit. Conductor autem habet in eo casu actionem *pro interesse* contra locatorem aut ejus hæredes. Insuper moneri debet tempore a consuetudine determinato.

Notandum tamen *minores, beneficiatos*, et *uxores* haberi tamquam successores *universales:* ideoque *primos* stare debere locationibus sui curatoris, *alios* sui prædecessoris, et *postremas* sui mariti.

(**) Ita tamen quod si *minor* aut *beneficiatus* etc. sit enormiter læsus, potest petere restitutionem in integrum ut patet ex alibi dictis (2). Idem dicendum de Ecclesia, *Xenodochio,* Collegio, Communitate, de rebus ad Ecclesiam seu Communitatem pertinentibus a suis legitimis administratoribus locatis, quia quilibet tenetur ratum habere quod a suo legitimo administratore factum est: ipsis autem pariter competit jus petendi restitutionem in integrum (*).

Q. 4. *Quænam sunt obligationes conductoris?*

R. Obligationes conductoris sunt sequentes generatim:

1. Ne utatur re locata, nisi ad usum in contractu expressum, atque ut bonus paterfamilias; neque eam deserat ante elapsum terminum.

2. Ut solvat statutam pensionem statutis temporis periodis. Poterit tamen pretium imminuere, *si* res ex parte destruatur, *si* molestias circa rem ipsam patiatur. Item *si* medietas saltem fructuum fundi rustici casu perierit, modo tamen locatio non sit ad plures annos; quia tunc compensatio fit in præcedentibus vel subsequentibus (3).

3. Ut faciat expensas ordinarias ac parvas, ut sic rem eo statu, quo rece-

(1) Billuart Theol. cursus de contract. dissert. 6. (2) Billuart ibidem.
(3) Gury Comp. Theol. Mor. n. 864.

pit, restituat: poterit autem conductor rem sublocare, nisi expresse id ipsi prohibitum sit.

Hæc quoad locationes *rerum*; quoad *operum* vero locationem, conductor eas exequi debet modo ac tempore præfinito.

(**) Insuper de locatione hæc inter alia quamplurima notanda sunt:

1. Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad hæredes transit.

2. Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat, juxta locorum consuetudinem et rei locatæ naturam.

3. Si locator rem locatam vendiderit non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus (1) (*).

(**) 4. Locator potest ante tempus præfinitum conductorem privare re conducta in his casibus:

1. Si pensionem non solvat; expectare tamen debet biennium si ultra biennium res sit conducta.

2. Si casus improvisus accidat, ob quem domus v. g. ipsi domino sit necessaria.

3. Si rem locatam reficere necesse sit, nec possit fieri altero inhabitante.

4. Si conductor in re conducta male versetur, v. g. destruat, vel abutatur etc. (2) (*).

Q. 5. *An qui locavit operam suam alicui pro itinere aliquo suscipiendo, possit mercedem integram accipere etiam a secundo, si etiam a secundo mittatur?*

R. Non est difficultas, ait Concina, quoad aurigas, qui etiam a secundo integram mercedem accipere possunt ob receptam consuetudinem.

De nuntiis vero qui a duobus mittuntur, opinatur æquum esse, ut ipsi dimidiam tantum mercedem exigant a secundo conductore; quod videtur *satis probabile*. Cæterum adhuc *satis probabile* est (uti docet Lessius cum *communi*) ipsis quoque licere integram mercedem a duobus accipere; nam semper verum est, quod opus suum præstant duobus, ac quod se obligant ex justitia erga duos. Sicut ergo si deficerent, duobus obligarentur restituere; ita æquitas postulat, ut si non deficiant, a duobus accipiant (3).

Q. 6. *Quandonam locatio-conductio solvitur?*

R. Locatio-conductio rerum solvitur:

1. Si res totaliter perit: perit autem locatori, cum ipse dominus sit, modo conductor non sit in culpa.

2. Elapso tempore præfinito; si vero contractus scriptura sit initus, nec elapso tempore conductor rejiciatur, habetur repetita locatio, sed usque ad tempus quo perduraret, si absque scriptura fuisset inita.

(1) S. Liguor. Op. Mor. lib. 3. n. 858.—Quod consentaneum est juri hispano (Leg. 6, tit. 8, p. 5). N. E.

(2) *V.* S. Liguor. Op. Mor. lib. 3 n. 860. — Gury Comp. Theol. Mor. n. 868. N. E.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3. *n.* 862. — Non tamen ipsi per se possent integram mercedem exigere et a mittente et ab eo ad quem ipsi mittuntur, ut patet.

3. Partium *tum instantia*, si nempe compars in suis deficiat obligationibus, aut res fiat inutilis; *tum voluntate*, nam *unumquodque eodem modo dissolvitur, quo colligatum fuit* (1) *(N)*.

ARTICULUS III — De censu, emphyteusi, vitalitio, pignore et hypotheca.

Q. 1. *Quid est census et quotuplex* (2)?

R. Ad 1: *Census* sic dicitur a *censeo*, quia cives eorumque bona recensebantur seu describebantur, ut data proportione tributa solverent. Hinc census *modo* sumitur pro annua pensione solvenda; *modo* pro jure eam exigendi; *modo* pro contractu, quo tale jus acquiritur. Et hoc sensu hic a nobis acceptus definitur: *contractus, quo quis obtinet jus pensionem annuam percipiendi ex re vel persona aliena frugifera.*

Dicitur: 1, *quo quis obtinet jus:* unde census non consistit in pensione, quæ solvitur; sed in jure eam percipiendi. Hæc autem pensio potest esse tam pecuniaria, quam fructuaria.

2. *Ex re vel persona*, quia hoc jus non tantum fundari potest in re alterius, v. g. domo; sed etiam in persona, si hæc fructifera sit, id est si aliquid lucrari valeat ex officio, labore etc.: ita ut in his, quæ ipse lucratur, aliqua pensio annuatim percipi possit. Qui jus illud emit, dicitur *censualista, emptor* vel *creditor:* qui vero pensionem solvit, dicitur *censuarius, venditor,* vel *debitor*. Ipsa autem pensio dicitur *canon*, vel *reditus;* quia quotannis redit et reditur.

R. Ad 2: Census in genere spectatus alius est *reservativus*, alius vero *consignativus*, seu *constitutivus.*

Primus est contractus, quo censualista plenum rei suæ dominium censuario cedit, reservata sibi ex ea re annua pensione, quæ quidem dicitur *renta en bienes raices.* Nullum est dubium de illius honestate; nihil enim impedit, quominus quis rei suæ proprietatem cedat, reservato jure ad partem fructuum. Et hoc legitur fecisse Joseph (3).

Secundus est contractus, quo censualista jus emit ad annuam illam pensionem, mediante solutione pecuniæ. Dicitur *consignativus*, quia censuarius hoc jus consignat censualistæ (et appellatur *simple renta).* — Qui triplex distinguitur: 1, *realis, personalis*, et *mixtus;* 2, *redimibilis,* et *irredimibilis;* 3, *temporarius*, ac *perpetuus.*

1. Census *realis* est qui in re frugifera constituitur; *personalis* est quo pensio percipitur ex industria alienæ personæ; *mixtus* qui constat de utroque. — *Realis* immediate afficit rem, ideoque perit, re pereunte; sicuti re ad alium transeunte, transit et census. — *Personalis* immediate et unice

(1) En España igualmente se acaba este contrato;—por la conclusion del término, bien que se entiende renovado si no se avisa á su tiempo; — por cesar el derecho del dueño, quien en tal caso deberá dar la correspondiente indemnizacion; — por muerte del arrendador que no fuese mas que mero usufructuario. Leyes 18 y 19, tit. 8. P. 5; leyes 3 y 4 con su nota, tit. 10, lib. 10, N. R. N. E.

(2) V. S. Liguor. Op. Mor. l. 2, nn. 839, et seqq.

(3) Gen. 47.

afficit personam: unde ipsa pereunte, census perit. — *Mixtus* simul afficit rem et personam; nempe ille est, qui in personam censuarii et in ejus bona simul constituitur, ita ut re pereunte, persona maneat obligata, et creditor jus suum integrum servet. Et sic ordinarie creantur census.

2. Census *redimibilis* est qui redimi potest arbitrio censualistæ, vel censuarii, vel utriusque. — E contrario *irredimibilis* est qui a neutra parte extingui potest.

3. Census *temporarius* est qui durat ad tempus, *vel* certum v. g. ad 10 annos; *vel* incertum v. g. ad vitam alicujus, et tunc dicitur *vitalitius*.—Census vero *perpetuus* est qui ex se semper durat, nisi redimatur.

Q. 2. *An census realis liceat?*

R. Utique licitus est census realis, modo tamen conditiones præscriptæ non desint. Constat ex Martini V et Callixti III Extravag. de *empt. et vendit.* Ex Bulla S. Pii V *Cum onus* (1). Ex ipsa ratione; nam quilibet, cunctis fatentibus, vendere potest jus ad partem fructuum rei suæ; ergo *a pari* etiam jus ad fructuum eorumdem valorem. Nec refert, quod tractu temporis pensiones percipiendæ excedant pretium solutum; id etiam in venditione rei frugiferæ contingit, neque tamen eam illicitam dicunt.

Q. 3. *An census personalis liceat?*

R. Certum est censum personalem lege ecclesiastica vetitum esse post Bullam *Cum onus* S. Pii V (2). Id statutum est ob periculum usuræ: esset v. g. si quis daret pecuniam præsentem per partes recipiendam, adjecta personæ industria tamquam hypotheca.

Utrum autem etiam lege naturali dicendus sit prohibitus, alii cum Concina et Lugo affirmant, quia persona liberi hominis est invendibilis: sed multi graves auctores cum Abelly, Habert, Bouvier, Continuatore Tournely, Merbesio, Lessio, Soto etc. *probabilius* ac *communius* negant; quia sicuti, inspecto jure naturæ, potest quilibet locare operas suas, ita et vendere: atqui in censu personali proprie venditur non quidem persona, sed

(1) Ex *Bulla Piana* hæ sunt conditiones: — 1, ut res in qua constituitur census sit immobilis, frugifera et certis finibus nominatim designata; — 2, ut fiat in numerata pecunia, et quidem publico instrumento: — 3, ut non solvatur anticipate; — 4, ut nulla conventio fiat obligans ad casus fortuitos; — 5, ut nullum sit pactum auferens vel restringens facultatem alienandi rem censui suppositam; quæ si sit vendenda, dominus census est præferendus, et per mensem expectandum. an velit uti optione. Item nulla pacta omnia adversus morosum census debitorem: item pacta novi census: item pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare ad quem non pertinent; — 6, ut re pereunte et census pereat, vel pro rata, prout res perit; — 7, ut quando traditione pretii reditus extinguendus est, per bimestre ante id ei denuntietur, cui pretium dandum est; et post denuntiationem (infra annum tamen) etiam ab invito pretium repeti possit; extra hunc casum pacta repetendi census etiam ab invito prohibentur; — 8, denique ut pretium semel constitutum neque minuatur neque augeatur.

Quæ omnia tum ad inducendam contractus æqualitatem, tum ab avertendam usuræ suspicionem constituta sunt: ubi notandum:

1. Quod si pacta in censu repugnant illius substantiæ, census nullus evadit; nisi clausula sit, contractum intelligi semper constitutum ad formam *Bullæ Pianæ* (tunc pacta habentur uti non apposita, si non sint executioni mandata).

2. Quod hæc *Bulla* quoad omnia apud omnes non viget; alibi enim ea abiit in desuetudinem, alibi recepta non fuit. — *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3. *nn.* 843, *etc.*

(2) Hanc Bullam ex nostris illustravit *Borellus.*

personæ industria. Accedit, uti narrat Benedictus XIV, Pium V Hispanis indulsisse, supplicante Philippo II, ne ad Bullæ observantiam adigerentur: quod quidem factum non fuisset, si iste census esset jure naturæ prohibitus (1).

Q. 4. *Quid de emphyteusi* (2)?

R. Emphyteusis, si ad tramites juris communis consideretur, definitur: *contractus bonæ fidei, quo res immobilis in perpetuum, vel ad longum tempus possidenda et fruenda traditur sub onere eam meliorem efficiendi, et domino annuum canonem præstandi.* Emphyteusis græca vox est, quæ sonat *inserere;* quia nempe hoc erat in ea præcipuum, quod fundo erat aliquid inserendum, et sic meliorandum; quamquam postea et sine eo pacto tribueretur.

Hæc *vel* ecclesiastica est, *vel* civilis: prout constituitur super bona *vel* ecclesiastica *vel* civilia. — Annuus canon præstandus nuncupatur a latinis *libellus*, et inde natum est, ut itali ex hujus verbi corruptione illum dixerint *livello* (3).

Emphyteusis non prohibetur de uno in alium per contractum transferri; sed eo in casu a novo emptore aliquid pretii solvendum est domino directo, nempe quinquagesima seu duo in centum, et solutum pretium *laudemium emphyteuticum* dicitur, quasi nempe sit *laudatio* illius translationis (4) *(O)*.

Q. 5. *Quid de vitalitio?*

R. *Contractus vitalitius* est quædam species census, qua quis pro certa pecuniæ summa, vel etiam pro re tam mobili, quam immobili pretio æstimabili et censuario tradita, ab eodem sibi jus emit pensionem annuam recipiendi ex ipsa pecunia vel re usque ad finem vitæ propriæ, aut alterius in contractu indicati.

Cum adsit periculum tum in *censitore* accipiendi plus vel minus, quam traditum ab eo est; tum in *censuario* solvendi plus vel minus, quam fuerit acceptum: idcirco auctores contractum vitalitium potius considerant pro contractu sortis, quam pro vero et proprie dicto contractu emptionis et venditionis: et hoc ipso quod puro eventu fortuito innitatur, ab omnibus uti licitus existimatur.

Neque ideo periculum inest intentandæ mortis censitoris; nam hoc non ex

(1) *De Syn Diœc.* l. 20, c. 5.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *n.* 865.

(3 «Si finita emphytheusi temporali, dominus directus anni sequentis canonem acceperit, ex hoc solo quasi tacito consensu repetita censeri non debet in dubio emphytheusis». Ita *Voet.*

(4) En España puede la enfiteusis constituirse para tiempo cierto, á tenor de la *l.* 3, *tit.* 14. *p.* 5, pero en cambio no puede constituirse la escritura, la que es una condicion esencial para este contrato por la *l.* 28, *tit.* 8, *p.* 5, en donde se dice: *E por escrito. cade otra guisa non valdria.* Además, por la misma ley se concede el término de diez dias á contar desde aquel en que venció la pension última, para purgar la tardanza verificando el pago de las dos ó tres pensiones vencidas. Finalmente, no solo por la extincion total de la cosa se acaba la enfiteusis, sino cuando solo queda de ella la octava parte, *d. l.* 28. Se estingue igualmente por la consolidacion, esto es, por la reunion de los dominios directo y útil en una misma persona; por la prescripcion, por la reduccion etc. Adviértase tambien, que no puede el dueño útil empeñar la cosa á una persona mas poderosa, so pena de perder su derecho. N. E.

contractu ipso oritur, sed ex hominis malitia: sicuti nonnumquam vel ipse filius mortem peroptat patris ad hæreditatem consequendam. Hunc contractum S. Thomas (1), jus canonicum (2), et civile admittunt tam titulo oneroso, quam gratuito v. g. donationis et testamenti, modo formis præscriptis celebretur.

Q. 6. *Quomodo pretium vitalitii est constituendum?*

R. Ad constituendum vitalitii pretium voluere Theologi habendam esse rationem ætatis et sanitatis in censitore ipso: et sic in diversas abiere sententias, contendentes aliqui exigi posse 10 pro 100, aliqui 12, alii 14, alii etiam 16 (3).

Q. 7. *Quid de pignore dicendum occurrit* (4)?

R. 1: Pignus (quod juxta aliquos dicitur a *pugno*, quia res pignori data manu traditur) generatim acceptum definitur: *contractus bonæ fidei, quo a debitore vel alio illius nomine res aliqua traditur creditori in securitatem crediti sui.*

Si traditur res *mobilis*, habetur *pignus* simpliciter. — Si vero *immobilis*, tunc pignus est *improprium*, et a juristis appellari solet *antichresis:* a græco *anti* contra, et *chresis* usus.

R. 2: In pignore *simplici* duo sunt jura creditoris:

1ᵐ Est retinendi usque ad totius crediti extinctionem rem pignori datam. Imo a judice potest postulare, ut sub hasta vendatur pignus, si quod sibi debitum est, non solvatur; privata tamen auctoritate, quocumque pacto non obstante, de illo disponere prohibetur.

2ᵐ Est exigendi solutionem sui crediti cum privilegio et prælatione propria relate ad cæteros creditores, si qui extent.

Tenetur vero creditor: — 1, rem pignori sibi traditam bene custodire uti bonus paterfamilias; — 2, usuras a re ipsa perceptas compensare debitori: — 3, denique rem debitori restituere ubi debitum fuerit extinctum. Debitor autem compensare debet expensas, si quæ forte peractæ sint pro pignoris conservatione (5).

(1) Opusc. de usuris 73, p. 1, c. 9. (2) Arg. Clem. c. 1, de reb. Eccl. *non alien.*

(3) En España censo vitalicio es un censo consignativo ó reservativo que se constituye solo durante la vida de una ó mas personas.

El capital en el primer caso debe ser entregado en dinero efectivo, incurriendo el Escribano contraventor en la pena de privacion de oficio y 50,000 maravedises, siendo además nula la convencion. Si el censo se contituye por la vida de uno, no puede esceder del uno por diez y por doce si fuere por dos, *l.* 13. *tit.* 15, *lib.* 10. *Nov Rec.* A la seguridad de este censo pueden gravarse hipotecariamente las fincas fructiferas del censuario ó de otro. El que tuviere herederos forzosos no podrá poner censo vitalicio en todos sus bienes sin su consentimiento. N. E.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *n.* 913. — Pignus differt a *deposito* in quo sola custodia; a *mutuo* in quo dominium; a *commodato* in quo usus rei transfertur. Pignus in securitatem traditur tantum. — Possunt rem pignori tradere qui liberam habent bonorum suorum administrationem. Pignori autem generatim subjiciuntur quæ possunt emi et vendi; hic non possunt pignorari res sacræ nisi urgente causa gravissima.

(5) En España cuando al constituirse la prenda se señaló dia para pagar, pactándose que si no se pagare, pueda en llegando el dia convenido venderse la prenda, no basta que llegue el dia para que pueda verificarse esta venta, sino que en este caso es necessario tadavía un requirimiento que se debe hacer al deudor si estuviere presente en el lugar de la venta, ó á sus domésticos si estuviese ausente. Mas si el requirimiento no puede hacerse por alguna causa, podrá el

R. 3: In pignore *improprie dicto*, sive in *antichresi*, creditor acquirit non quidem jus proprietatis; sed jus percipiendi fructus ex immobili sibi tradito, eos computando primo in solutionem *interesse* si debetur, inde *sortis*.

Hinc creditor tenetur: 1, bonum illud conservare et custodire diligenter uti suum; — 2, solvere tributa annua eidem inhærentia, nisi secus convenerint. Item alias utiles et necessarias expensas, sed cum jure compensationis ex fructibus rei; — 3, ipsum restituere domino, extincto debito (1).

Q. 8. *Quid est hypotheca?*

R. Hypotheca (sic dicta a græca voce, quæ idem sonat ac res *supposita;* quia per eam res aliqua speciali obligationi supponitur vel subjicitur) definitur: *jus creditoris in rem immobilem debitoris constitutum ad securitatem ejus, quod sibi debetur.* Differt a pignori in eo, quod pignus traditur, hypotheca vero nuda conventione firmatur.

Hypotheca alia *legalis* est, quæ ab ipsa lege inducitur in favorem communitatum, uxoris, filii et minoris super bona administratorum, mariti, patris et tutoris.

Alia *judicialis*, quæ nempe procedit a tribunalis sententia, vel ab actibus judicialibus in illius gratiam, qui sententiam obtinuit contra eum, qui causa cessit.

Alia *conventionalis*, quæ pendet a mutua contrahentium voluntate circa bona immobilia, et præsentia. Hæc maxime, ut vim habeat suam, actu publico debet exarari, et in officio ad id delegato inscribi cum documentis opportunis (2).

acreedor vender la prenda, pero deberá hacerlo en pública almoneda. *L.* 41, *tit.* 13, *p.* 5. Empero si no ha mediado pacto de vender la prenda, no podrá la venta hacerse hasta que pasen doce dias, cuando la prenda consiste en una cosa mueble ó treinta si fuere inmueble, cuyos términos se deben contar desde el dia en que se hizo el requirimiento. Finalmente, si al contraer la prenda han pactado los contrayentes que nunca pueda venderla el acreedor, podrá no obstante esto ser vendida sin que se haga caso de semejante pacto, aunque solo pasados dos años despues de tres requirimientos, *d. l.* 41, y tanto en este caso como en el anterior la venta debe hacerse en pública almoneda. — Véase el Comentario de Arnoldo Vinnio etc. *lib.* 2, *tit.* 8. N. E.

(1) *V.* Liguor. *Op. Mor. n.* 916. N. E.

(2) En España el derecho de hipoteca se estingue:

1° Por la estincion de la obligacion que garantiza, *ley.* 38, *tit.* 13, *P.* 5. Si solo se estinguiere en parte la obligacion, subsiste la hipoteca porque es indivisible.

2° Cuando la cosa sufre un cambio tal que no es posible que vuelva á su estado primitivo.

3° Por la remision espresa ó tacita, entendiéndose por tacita la que se deduce de los hechos como si el acreedor restituye al deudor la prenda, por cuyo acto se entenderá esta remitida aunque no terminada la deuda, *ley* 40 *del mismo título y Partida.*

4° Por prescripcion, si alguno poseyese por el tiempo de *treinta* años con buena fe y como libre la cosa dada en prenda, *ley* 5, *tit.* 8, *lib.* 11, *Nov. Rec.*

5° Por concluir el tiempo por el que se constituyó la hipoteca.

6° Cuando aquel á cuyo favor está constituido, adquiriere el dominio de la cosa hipotecada, porque lo que es propio de uno no le puede servir de garantía para la deuda de otro.

7° Cuando se estingue el derecho que tiene el que constituye la hipoteca en la cosa hipotecada: así sucede, por ejemplo cuando siendo revocable el dominio pasa á otra persona, la que no es responsable de lo que hizo aquel de quien no hubo la cosa.

La razon principal del establecimiento de los registros de hipotecas, es impedir los fraudes que la mala fe puede sugerir á los deudores, dando en garantía bienes agenos ó ya hipotecados anteriormente. Están establecidos en las cabezas de partido, y en ellos debe tomarse razon de todas

ARTICULUS IV — De cambio et transactione.

Q. 1. *Quid est cambium, et quotuplex?*

R. Ad 1: *Cambii* nomine venit *contractus, quo fit permutatio pecuniæ pro pecunia cum aliquo lucro supra sortem.* — Ille a quo petitur cambium, vocatur *campsor*, *bancharius*, *nummularius*, *trapezita*, *publicanus*. Ille vero qui petit *campsarius* dicitur.

R. Ad 2: Cambium aliud est *siccum*, aliud *reale*.

Siccum, sic dictum, quia succo et humore privatur, illud est quo pecunia reapse non commutatur, sed fingitur commutari; et ideo etiam *fictum* dicitur, uti v. g. cum hic datur pecunia tamquam in loco alio recipienda, quæ hoc ipso in loco recipitur.

Reale autem seu *verum* est illud, in quo *vere* et *realiter* pecunia pro pecunia commutatur.—Quod si commutatur pecunia præsens pro præsenti habetur *cambium minutum*. Si vero commutatur pecunia præsens pro distanti, habetur *cambium locale:* quod quidem hodie maxime fit per litteras, sic dictas *cambiales*.

Q. 2. *An cambium sit licitum?*

R. Cambium *siccum* est prorsus prohibitum a Pio V anno 1571 Bulla *In eum*, ubi illud expresse declaravit uti *usurarium*. Ac revera ad usuram palliandam hic contractus fuit excogitatus ab insatiabili avaritia. Sane permutatio pecuniæ in ipso non fit, sed fingitur; ideoque resolvitur reapse in verum mutuum cum lucro.

Cambium vero *minutum*, seu *locale* omnibus de jure naturæ licitum est; quia in eo adest justus titulus aliquid lucrandi, nempe labor *campsoris* in numeranda pecunia, diligentia in nummis cujuscumque generis conquirendis, expensæ in famulos, pericula *tum* furum *tum* cessionis debitorum *tum* imminutionis monetæ etc. In cambio tamen per litteras campsor debet minus exigere, quam si realiter pecuniam transtulisset; quia minus est oneris et periculi (1).

las escrituras de enagenacion, gravámen ó hipoteca que afecta á bienes raices, y á los oficios ó derechos perpetuos que son susceptibles de iguales imposiciones, y del mismo modo de la libertad de las cargas que tenian. Los escribanos deben advertir en las esc ituras, que si no están registradas no sirven de prueba para el efecto de perseguir las hipotecas y acreditar el gravámen de las fincas. — Pueden consultarse las leyes 1, 2 *y* 3, *tit.* 16, *lib.* 10 *de la Nov. Rec.* la instruccion de 29 *de julio de* 1830: la real órden de 24 *de octubre de* 1836; y por último, el real decreto de 23 *de mayo de* 1845, que señala el término en que deben registrarse las escrituras. los derechos que deben pagarse, y las penas en que incurren los que no registran: entre estas se halla la de nulidad que se subsana pagando los derecbos y las penas pecuniarias. N. E.

(1) Ad *litteras cambiales* quod attinet, cum hic contractus late pateat ac mirifice commercii prosperitati et securitati inserviat, fusius de eo pertractat Codex Commercii:

«*La letra de cambio es la cesion ó traspaso de una suma de dinero, que el que libra la letra hace á aquel en favor del cual la libra ó bien á la órden de este, para ser pagado por el corresponsal del librador en un punto distinto de aquel en que fué librada. Esta cesion ó traspaso se hace mediante el valor que aquel á quien está consignada la letra paga al librador, en dinero, mercancías, ú otros efectos....*

Llámase *Tomador* aquel en beneficio del cual se libra la letra de cambio, que debe pagársele á él mismo ó á su órden. *Librador*, el que crea ó hace la letra, mandando á una tercera persona,

Diximus *licitum esse omnibus de jure naturæ;* nam jure positivo ecclesiastico id vetitum est Clericis; ipsis enim officium campsoris seu cambium activum exercere sive per se sive per alios prohibetur a Clemente XIII sub pœnis contra negotiatores statutis (1).

Q. 3. *An accipiens pecuniam adulterinam possit eam expendere* (2)?

R. *Negative;* accipiens pecuniam adulterinam non potest eam expendere, si intrinsecus sit falsa, ut si des stamnum pro argento; non enim justum pretium solveres. Neque obstat, quod tibi fuerit tradita; non enim quia tu ab aliis deceptus fuisti, tibi licet decipere alios.

Si vero pecunia falsa sit quoad formam tantum extrinsecam accidentalem, etsi non sit contra justitiam commutativam per se loquendo eam expendere, cavendum tamen ne sic proximus gravi damno exponatur, cum ex lege civili quæcumque monetæ falsificatio, detractio vel alteratio sit sub maximis pœnis vetita.

Q. 4. *Quid est transactio, quotuplex, et quid de ea?*

R. Ad 1: Transactio est *contractus, quo partes contrahentes finem imponunt liti alicui, quæ vel jam intra ipsas nata sit, vel quæ prævideatur nascitura.* Ex quibus patet ad transactionem requiri:

1. Ut per ipsam terminum habeat lis actu existens vel futura.

2. Ut lis ipsa vel ejus objectum exhibeat aliquod dubium de exitu, quamquam creditor ad finiendam litem, adhuc si non sit dubium, transigere possit, cum sit rei suæ dominus.

3. Ut mutuus partium consensus intercedat.

4. Ut adnexam habeat certam legem et conditionem, vi cujus contrahentes neque amittant neque consequantur omne id, quod in lite petebant; sed ex parte amittant, ex parte consequantur. Si enim ita non esset, ipsius litis derelictio esset transactio, quod nemo dicet.

R. Ad 2: Transactio quadruplex est, *generalis*, *particularis*, *judicialis*, et *extrajudicialis*. — *Generalis* terminat una simul lites omnes, quæ inter partes existunt, vel existere possunt. *Particularis* non terminat nisi aliquam specialem litem. *Judicialis* fit mediante auctoritate judicis. *Extrajudicialis* e contrario.

R. Ad 3: Nemo potest valide transigere, nisi habeat facultatem disponendi de rebus, quæ sub transactione cadunt. Unde tutores transigere nequeunt super bonis minorum, nisi interveniant formulæ ab ipso jure præscriptæ.

At quando transactio permittitur, illius magna vis est; nam, ea semel admissa, nequit amplius impugnari neque causa læsionis neque ignorantia juris. Et si error contigerit in calculo, error corrigitur, sed transactio sub-

domiciliada en otra ciudad ó pais, que satisfaga su importe. *Aceptante*, aquel al cual es endosada y que se encarga de pagarla. *Portador* ó *Posesor*, aquel á quien ha sido cedida la letra. *Endosante* el posesor que la cedió ó endosó á su vez á un tercero, que se llama igualmente endosador. » — V. Bronzini, *Studii Elementari* di diritto Commerciale applicati al Cod. di Commercio, Torino 1843. — Pro nostra Hispania V. Cod. Comm. Tit. IX, art. 426. et seqq.

(1) *V. Tract.* III, *disp.* I, *cap.* 2, *art.* 1, § 2, *n.* 1.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 855.

sistit. Rescinditur tamen, si error sit *vel* in persona, *vel* in objecto controverso, *vel* si intervenerit dolus aut vis.

ARTICULUS V — De contractu societatis (1).

Q. 1. *Quid est, ac quotuplex societatis contractus?*

R. Societas est *contractus bonæ fidei, quo duo vel plures aliquid conferunt ad commune lucrum.* Duplex distinguitur societas: alia *universalis*, alia vero *particularis.*

Illa respicit omnia bona præsentia, vel omnia lucra inde provenientia. Si lucra pereunt, sociis pereunt, si vero pereunt bona, pereunt eorum proprietario (2).

Ista respicit tantum res determinatas, aut earum usum vel fructus. Huc pertinet etiam societas, qua plures conveniunt de certo opere perficiendo, aut de exercitio alicujus artis vel professionis.

Societas particularis subdividitur in *civilem* et *commercialem*, prout nempe respicit actus privatorum civiles, vel actus commercii.

Q. 2. *Quomodo contrahi potest societas?*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 904, *et seqq.*

(2) En España, en la sociedad universal no solo se comunican desde luego é *ipso jure* los bienes que serán de los socios al tiempo del contrato, sino tambien todas las ganancias provenientes de los mismos y cualesquiera otros bienes que los mismos posteriormente adquirieren, *l.* 16, *tit.* 10, *p.* 5. En la sociedad general, empero, en la que solo se comunican las ganancias, no se hacen comunes *ipso jure* los bienes que despues adquieren los socios, sino que para esto debe entablarse el juicio de sociedad, *l.* 12, *tit.* 10, *p.* 5; de suerte que hasta debe hacerse comun la herencia que ha sido deferida á uno de los socios, pues que tambien viene comprendida en el nombre general de *ganancias.*

Entre nosotros está introducida por la ley una sociedad legal entre los cónyuges, la que se constituye por medio del matrimonio. Son objeto de ella: — 1°, todos los bienes que por título oneroso adquiera cualquiera de los cónyuges, *l.* 1, *tit.* 3, *lib.* 3. *F. R.* — 2° Las mejoras hechas en ellos durante el matrimonio. — 3° Lo que el marido gana ejerciendo el oficio ó profesion que tenga. *l.* 5, *tit.* 4, *lib.* 10, *N. R.* — 4° Los frutos y rentas de los bienes que hubieren los cónyuges llevado al matrimonio, *d. l.* 5 *y l.* 3, *tit.* 3, *lib.* 3, F. R.

No entran en dicha sociedad: — 1° Las donaciones reales hechas á uno de los dos, *d. l.* 5, *y l.* 1 *y* 2, *tit.* 3, *lib.* 3, *F. R.* — 2° Lo adquirido por herencia de uno de los dos. — 3° Lo que se justificare haber llevado al matrimonio, *d. l.* 3. — 4° Las permutas de las heredades pertenecientes á uno solo. — 5° Lo comprado con dinero dotal mediante beneplácito de la mujer. — 6° El derecho personal que tuviere á su favor cualquiera de los cónyuges.

Son cargas de esta sociedad: 1° Las deudas contraidas durante el matrimonio. 2° El gravámen de censo á que se hayan sujetado los bienes de alguno de ellos. 3° Las dotes que hayan prometido ambos ó el marido solo durante el matrimonio, *l.* 53 *de Toro.*

El marido tiene la administracion de los bienes gananciales y la facultad de disponer de ellos, con tal que no lo haga en fraude de la mujer, *l.* 5, *tit.* 4, *lib.* 10. *Nov. Rec.*

Esta sociedad se disuelve durante el matrimonio: 1° Por renuncia de la mujer hecha en este tiempo. 2° Por el secuestro de los bienes de uno de los cónyuges. Por disolucion del matrimonio se extingue 1° Por la muerte de uno de los cónyuges. 2° Por divorcio. Los bienes gananciales son de la libre disposicion de los cónyuges, sin que estén obligados á reservarlos para los hijos del primer matrimonio, con tal que no les perjudiquen en su porcion legal, *l.* 14 *de Toro.*

La mujer pierde su parte de gananciales: — 1° Por cometer adulterio, *l.* 15. *tit.* 17, *p.* 4. — 2° Por huir de la compañía del marido contra la voluntad de este, ó por no querer cohabitar con él, *l.* 5, *tit.* 5, *lib.* 4, *F. R.* — 3° Por vivir lujuriosamente, *l.* 5, *tit.* 4, *lib.* 10, *Nov. Rec.*

R. Contrahi potest societas pure vel conditionate, quibuscumque pactis et conventionibus, modo æquitati ac legibus non pugnent; contractus enim est qui partium consensione perficitur.

Q. 3. *An contractus societatis sit licitus?*

R. Contractus societatis est utique licitus, quando requisitis conditionibus fulciatur; quia nihil tunc deest ex iis, quæ in jure præcipiuntur ad constituendum contractum proprie dictum atque legitimum. Adde nulla lege prohiberi, apud omnes esse in usu, ac valde ad commercium conferre. — Conditiones autem requisitæ sunt:

1. Ut societas fiat in negotiatione honesta; nam *delictorum turpis atque fœda communio est* (1).

2. Ut damnum sortis spectet dumtaxat ad dominum; quia caute distinguendus est contractus societatis a mutuo. In mutuo sors data alienatur et ejus dominium transfertur in mutuatarium, cujus proinde fit proprium periculum et commodum, damnum et lucrum. Sed in contractu *societatis* qui sortem confert, eam non alienat a se.

3. Ut servetur æqualitas lucrum dividendo juxta quæ quisque contulit sive de pecunia, sive de labore. Quum enim socii in jure habeantur uti fratres, eidem repugnat quælibet nimia inæqualitas, ut si quis vellet percipere de lucris, et nulli subjici damno: hæc esset illa societas, quam *leoninam* (2) appellant, merito reprobatam. Ideo necesse est, ut socius uterque subeat onus damnorum et expensarum. Nomine *damnorum* intelliguntur quæ solo societatis intuitu sociis obveniunt, si alteruter v. g. ob comparandas, vel custodiendas societatis merces a latronibus diripiatur. Nomine vero *expensarum* veniunt sumptus itinerum, solutiones vectigalium etc.

Sed (quæres) *quid si unus pecuniam conferat, alter vero laborem?* In fine societatis ante omnia restituendum est domino suo illud pecuniæ *capitale*, quia non fuit inter socios commune quoad dominium et proprietatem; sed dumtaxat quoad usum seu commoditatem. Quare sicuti pecunia illa, si periisset, periisset domino suo; ita et si superest, superest domino suo. *Si finita societate*, ait Sixtus V Extrav. *Detestabilis, ipsum capitale existat, ei qui illud in societate contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter contrahentes legitime conventum sit.*

Q. 4. *Quomodo dividendum lucrum comparatum in societate?*

R. Lucrum in societate dividendum est *pro rata*, habita nempe ratione *in-*

En Cataluña tambien conocemos la sociedad legal entre los cónyuges, aunque no se constituye á no mediar pacto expreso, á no ser en el campo de Tarragona, en donde es costumbre y debe entenderse como un derecho comun. En Castilla siempre se entiende la mujer asociada á la mitad de las ganancias; pero no sucede así en Cataluña, en donde si el marido tuviese padres ó abuelos paternos é interviniesen los mismos en las cartas dotales, se pacta regularmente que las mejoras se reparten por iguales partes entre los dichos ascendientes y el marido y la mujer; es decir que todas las compras y mejoras hechas durante el matrimonio se reparten igualmente entre aquellos de dichas personas que intervinieron en las cartas dotales y viven en el dia en que se hacen las mejoras. N. E.

(1) L. 35, Cod. t. *delic.*

(2) Sic dicitur ab apologo leonis, qui pactum inierat cum cæteris feris, ut ipse participaret prædis omnibus; non tamen labori et periculis.

dustriæ ex una parte, et *commoditatis* per pecuniam habitæ ex altera: idque juxta communem existimationem lucri, quod communiter fieri solet de pecunia negotiationi applicata; secus non servaretur æqualitas. — Observandum vero injustum esse illud pactum, vi cujus empta merce, ante omnia (ipsa durante societate) restituatur domino capitale, ac deinde quod superest æqualiter dividatur; quia ponenti pecuniam minuitur periculum sui capitalis, dum ab initio illud salvat ab omni periculo: mercator vero, si postea pereat merx, subjacet sine compensatione periculo capitalis ac lucri.

Quid (dices) *de pacto, quod, sorte pereunte, commune sit damnum inter socios?*

Si pactum illud importat etiam communionem sortis, si v. g. dicatur, ut sicut damnum ita et sors ipsa communis sit, licitum est hoc pactum. Quia sicut ponens operam habet commodum, ut consequatur mediam sortis partem, quamvis ille *de jure* tota spectaret ad dominum; ita æquum pariter est, ut sorte pereunte, ipse subeat partem damni, quamvis damnum sortis *de jure* ad illum non pertineret.

Si vero pactum illud excludit sortis communionem, ut si dicatur: v. g. commune sit quidem damnum, sed domino suo sorte semper salva, tale pactum evidenter illicitum est et injustum; cum nulla hic detur justa compensatio, ac proinde auferatur æqualitas.

Q. 5. *Quot modis finitur societas?*

R. Hisce modis finitur contractus societatis:

1. Finito tempore ad negotiandum constituto, aut finita negotiatione. Item mutuo sociorum consensu, cum mutuo consensu fuerit firmata societas.

2. Morte alterius socii *naturali*. Cum in societate eligatur personalis industria mercatoris, neque præsciri possit quanta futura sit industria hæredum ipsius, clare patet societatem ad hæredes minime transire, nisi aliter conventum sit.

3. Per mortem etiam civilem, cum hæc naturali æquiparetur quoad conventiones, uti per solemnem religionis professionem vel exilium. Item per interdictum vel decoctionem.

4. Si socius *vel* egestate, *vel* infirmitate laborans, *vel* in carcerem conjectus non amplius possit pecuniam aut laborem promissum præstare; *vel* si pereat pecunia collata. Item est, si res ita mutatæ sint, ut societas non amplius esse possit idonea: sed hoc in casu requiritur judicis auctoritas; sicut si unus socius velit intempestive renuntiare (1).

Q. 6. *Quid est contractus trinus, et quid de eo* (2)?

(1) En España el socio que hace la renuncia intempestiva, está obligado á indemnizar á los demás de todos los perjuicios que se les siguieren; á no ser que tuviere justa causa para renunciar, como si alguno de los socios falta á sus empeños, ó se ausenta en comision Real *ó es tan bravo que no se le puede sufrir*. Leyes 11 y 14, tit. 10, p. 5.

Si el socio renunciase fraudulentamente, esto es, cuando renuncia por apropiarse á sí solo la utilidad que se habian propuesto sacar todos en comun, tiene la pena de hacerse partícipe de las pérdidas y no de las ganancias, que los demás socios tuvieren en lo sucesivo, y la de darles la parte respectiva de las ganancias que él hiciere. *Ley* 12. *tit.* 10, *p.* 5. N. E.

(2) *V.* Liguor. *Op. Mor. lib.* 3, *nn.* 908 *et seqq.*

R. Ad 1 : *Contractus trinus est ille, in quo simul concurrunt contractus societatis, assecuratio sortis, et emptio lucri.* Sic v. g. Lucius confert mille aureos in societate cum Titio; en primus contractus *societatis.* Cum vero ex ea speret quindecim pro singulis 100, veritus ne negotiando sua pecunia pereat quinque ex eis cedit Titio, ut sortem sibi assecuret; en secundus contractus *assecurationis.* Verum sciens melius esse modicum certum, quam majus incertum, quinque alios sic speratos cedit Titio ipsi, ut quinque certa, quidquid eveniat, sibi solvat; en tertius contractus nempe *emptio lucri.* Unde hic duo Lucio certa sunt, *sors collata* et *lucrum pactum.*

R. Ad 2 : Contractum trinum *alii* cum Habert, Bouvier, Concina, Continuatore Tournely, Merbesio etc. negant esse licitum; nam per tales contractus societati adjunctos, societas ipsa destruitur, cum de hujus natura sit ut damnum et lucrum stet ex utraque parte. Unde solum remanet lucrum fœneratitium; amovere enim omne periculum sortis, mutuum est; ex mutuo autem lucrum pacisci, usura est. Quare merito hic contractus a Sixto V damnatus fuit Bulla *Detestabilis.*

Alii vero cum Lugo, Lessio, Layman, Navarro, Roncaglia, Salmanticensibus, Sylvio, Sporer etc. affirmant contractum trinum licitum esse; nam si tres hi contractus disjunctim valent, etiam conjunctim valere debent. Neque enim in contractibus per se attenditur diversitas personæ; sed æqualitas rei ad rem : hæc bene adest cum pro majori periculo et major tribuatur spes lucri. Neque destruitur societas, cum in ea socius debeat impendere pecuniam, ac alter sentiat incommodum minoris lucri. Neque obstat Bulla; *vel* enim recepta non fuit, *vel* contrario usu est abrogata, *vel* dicendum per eam solos usurarios contractus fuisse reprobatos; ut ajunt Pontificem respondisse, quod quidem confirmavit Romana Rota.

Hæc secunda sententia, quam plures tuentur Universitates, licet *communior* sit ac *satis probabilis;* est tamen valde periculosa in praxi. Et Benedictus XIV ait, eam *minus congruere Sixtinæ Constitutioni* (1).

ARTICULUS VI—De mutuo et usura.

Q. 1. *Quid est mutuum?*

R. Mutui nomen juxta veteres jurisconsultos significat *aliquid ex meo tuum fieri* (2): et juxta nominis usum mutuum aliquando sumitur pro ipsa re mutuo donata: aliquando et sæpius pro contractu, quo ea res alteri datur. Et hoc sane sensu mutuum solet definiri : *contractus, quo rei primo usu consumptibilis per traditionem dominium in alterum transfertur, cum obligatione tantumdem reddendi in eadem specie et bonitate post aliquod temporis spatium.*

Dicitur: i *contractus, quo rei primo usu consumptibilis :* quæ res est illud omne, quod illico usu destruitur vel reipsa seu physice, vel commutatione

(1) *De Syn. Diœc.* l. 7, c. 1.

(2) L. II *ff. de rebus creditis.* In sensu proprio et genuino mutuum retributionem quamdam et reciprocationem significat, qua dato par redditur : hoc sensu Tullius ait, quod in amicitia mutuum adest. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 754.

seu moraliter sivé civiliter. *Physice* destruitur quod natura sua consummatur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, oleum, vinum, sal, butyrum, fructus, etc.; *moraliter* vero destruitur pecunia mutuo data, quæ licet usu non pereat in se, ei tamen perit qui illam alteri tradit. Unde patet in rebus, quæ usu non consumuntur proprie mutuum obtineri non posse, sed commodatum aut locationem haberi;—2 *per traditionem*, ut indicetur hunc esse contractum realem qui sola rei traditione fit;—3 *dominium in alterum transfertur;* qui enim rem mutuo accipit, ea uti potest, alioquin merum esset depositum: at concipi non potest quomodo illa uti queat, si ejus dominium non habeat; cum illa sit usu consumptibilis, et nemo possit ad libitum consumere quod suum non est (1). Ex quo etiam patet omne rei mutuatæ periculum devolvi ad eum qui accipit;—4 *cum obligatione tantumdem reddendi*, et quidem *in eadem specie*, v. g. pecuniam pro pecunia. Hoc patet per se; si enim res traderetur absque ulla obligatione eamdem restituendi, esset donatio. Si autem res non similis esset reddenda v. g. vinum pro frumento, esset permutatio vel venditio. Si vero identica, seu eadem physice et in individuo esset reddenda, v. g. idem equus qui traditus fuit, esset commodatum vel locatum, non vero mutuum;—5 *et in eadem bonitate:* quia qui mutuum dat, servari debet indemnis; atqui talis non servaretur si res similis in eadem bonitate non redderetur: uti v. g. si vinum commune redderetur et ordinarium pro generoso et optimo;—6 tandem *post aliquod temporis spatium:* quibus verbis mutuum distinguitur et a cambio, in quo aurum v. g. pro argento statim datur: et a precario, quo res ad mentem concedentis tribuitur, sed reddi debet statim ac a domino expostulatur. Ex his colligitur mutuum esse contractum *realem*, quia sola traditione rei perficitur; *non solemnem*, quia a lege nulli speciali formæ subjicitur; *unilateralem*, quia nulla directa obligatio urget mutuantem; *gratuitum*, quia per se censetur dumtaxat in mutuatarii gratiam initus.

Qui mutuum dat, dicitur *mutuans* vel *mutuator*. Qui vero illud accipit, appellatur *mutuatarius*. Res autem, quæ mutua datur et capitale constituit, *sortis* nomine solet in Scholis appellari (2) *(P)*.

Q. 2. *Quinam mutuum dare, et accipere possunt?*

R. Ad 1: Mutuum dare possunt omnes, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, neque lege prohibentur. Sic civili lege prohibentur interdicti, minores sine auctoritate tutoris, uxores sine viri consensu, filiifamilias si de re patris agatur, præsides Provinciarum et socii si de re communi sit sermo.

R. Ad 2: Mutuum recipere possunt omnes, qui possunt ex contractu obligari, si ex civili jure excipiantur filiifamilias, etsi majores, quibus Senatus-Consultum Macedonianum (3) dare vetat pecuniam mutuam: et si fuerit iisdem data, repeti non potest neque post emancipationem, licet filius habuerit

(1) Res usu consumptibilis dicitur etiam res *fungibilis*, ideo quia potest fungi vice alterius: sic vinum quod consumitur, potest ab alio vino substitui.

(2) A veteribus latinis hoc vocabulum desumptum est; nam Terentius ut indicaret se timere ne amitteret bona sua *capitalia*, sic ait: *de* sorte *nunc venio in dubium*.

(3) A quodam Macedone, qui malis artibus pecuniam mutuam tradebat filiisfamilias.

fidejussorem. Attamen in eodem jure plures notantur casus, in quibus vel filiusfamilias ex mutuo accepto obligatur ; nempe: 1 si filius possideat bona propria, quorum vel administratio, vel usufructus sit penes ipsum ; 2 si separatim vivat a patre propria bona administrans; 3 si mutuum detur filio longe a paterna domo, sed in necessariis, vel si fuerit datum in utilitatem ipsius patris, aut de illius consensu: casus nempe esset, si ipse pater filium præposuerit negotiationi (1). Quæ civilis juris dispositiones satis probabilius obtinent etiam in conscientia ; cum latæ sint causa publici boni familiarum, ne scilicet filii hæreditatem dilapident ante ejus consecutionem et cupiditati dediti tristem exitum sentiant, ut non raro lugendum est (2).

Q. 3. *An aliquando adsit præceptum dandi mutuum?*

R. 1: Quadruplex personarum classis hic venit distinguenda. *Prima* divitum est, eorum nempe, qui mutuum postulant ad suas augendas opes. *Secunda* item est divitum, qui hic et nunc mutuo indigent, v. g. ad litem magni momenti definiendam, vel ad grave damnum e bonis propriis declinandum. *Tertia* vero pauperum, qui tamen fundatam spem habent fore, ut sibi bona obveniant, v. g. ex hæreditate vel industria. *Quarta* denique item pauperum, sed quorum talis conditio sit, ut rationabiliter judicare non liceat, eos umquam habituros esse, unde solvere queant. His positis:

R. 2: Numquam erit præceptum dandi mutuum personis primæ et quartæ classis. Non quidem primæ; quia nulla laborant necessitate: non quartæ; quia durum nimis esset, ne dicamus ridiculum iisdem mutuum dare sub onere restituendi; cum bona quibus restituant neque habeant, neque umquam præsumi valeant habituri: undi ipsis per eleemosynam subveniendum est.—At stricta adest charitatis obligatio mutuum ex superfluis suppeditandi personis secundæ classis; nam quilibet ex charitate tenetur alteri facere quod sibi fieri rationabiliter ipse vult: atqui rationabiliter vellet quilibet, ut alter sibi de superfluis mutuo subveniret, si in divitum conditione esset constitutus.—Strictissima vero est hæc obligatio, si agatur de personis tertiæ classis, adest enim strictissima obligatio pauperibus indigentibus subveniendi vel per mutuum vel eleemosynam: atqui eleemosynam elargiri non oportet iis qui bona præsumuntur aliquando consecuturi ; ergo restat, ut subveniatur illis per mutuum.

Quæ sunt (quæres) *obligationes mutuantis ac mutuatarii?*—Mutuans tenetur: 1 de damnis, si quæ obvenerint, casu quo scienter rem vitiosam tradiderit ; 2 non repetere mutuum ante tempus præfinitum: et si nullum sit

(1) Toda vez que el senado-consulto Macedoniano de los Romanos está admitido en nuestro derecho *ley* 2, *tit.* 1, *Part.* 5, debemos hablar expresamente de él.— Consultando al interés de los padres y de los hijos y al fortalecimiento de las virtudes domésticas, declara insubsistentes las obligaciones de mutuo contraidas por los hijos de familia, y á estos y á sus padres y fiadores libres de su cumplimiento. La ley sin embargo exceptua igualmente entre nosotros varios casos: 1°, si el hijo dijese que no tenia padre como en pena de su engaño: 2°, si tenia oficio público, era menestral, mercader ó soldado porque en estos casos ó era considerado como padre de familia ó capaz de contraer: 3° si empleó en beneficio del padre lo recibido: 4°, si el hijo mayor de veinte y cinco años y fuera de la patria potestad hubiere satisfecho lo que recibió etc. etc. *Leyes* 4, 5. *y* 6, *tit.* 1, *P.* 5. N. E.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 757.

tempus hujusmodi, judicis erit ratione adjunctorum illud definire.—Mutuatarius vero regulariter loquendo tenetur: 1 res mutuatas restituere eo tempore ac loco, quo fuit conventum; et in eadem quantitate ac qualitate. Quod si haud possit, attendi debet æstimatio rerum ipsarum; 2 solvere rerum usuras a judiciali petitione, si non restituat tempore statuto. Imo si sit in mora culpabili, tenetur etiam de damnis, quorum est causa (1).

Q. 4. *Quid est usura, et quomodo dividitur?*

R. Ad 1: *Usuræ* nomen ab usu deductum est, et significat usum quemcumque rei sive bonus sit sive malus: mos tamen invaluit, ut in malam partem assumatur (2). Usura autem communiter definitur: *lucrum ex mutuo proveniens immediate, seu præcise vi ejusdem mutui.* Dicitur 1 *lucrum*, quo nomine intelligitur non solum pecunia, sed res quælibet pecunia æstimabilis, vel onus quodcumque mutuatario impositum, ad quod alioquin non teneretur. Ex quo deducitur quidquid non est pretio æstimabile, vel quod jam aliunde debitum est ex justitia, non posse objectum usuræ constituere; quia non est lucrum. Hoc lucrum ex mutuo proveniens appellatur etiam *auctarium* (vocabulum a Plauto adhibitum ad significandam utilitatem *alicui rei quasi superadditam):* sed vulgari vocabulo nuncupatur *interesse;* 2 *ex mutuo proveniens;* quia ex communi hominum sensu in solo mutuo usura proprie habet sedem: et si in aliis contractibus aliqua contingat injustitia, non appellatur *usura,* nisi ibi revera existat mutuum saltem implicitum; 3 *immediate seu præcise vi ipsius mutui;* quia non est usura aliquid percipere solum occasione mutui, ob titulum honestum.

R. Ad 2: Usura alia est *explicita*, si nempe expressa fiat conventio de illa solvenda. Alia *implicita,* et locum habet cum mutuans nullam quidem init conventionem de lucro; sed sufficienter declarat aliquo suo actu, se illud expectare: veluti si dicat, se indigere ut sua pecunia aliquid sibi producat. Alia *palliata* quæ intervenit, quando in alio contractu implicite continetur, ut evenit in cambio sicco, atque in contractu mohatra. Iterum alia est *realis,* et est quando ex aliquo pacto sive explicito sive implicito ea percipitur. Alia *pure mentalis,* quando nempe in solo animo intenditur vel speratur, sine ulla vera usuræ datione. Alia *mentalis*, et est quando usura revera percipitur, nullo tamen præcedente sive implicito sive explicito pacto.

Q. 5. *An usura proprie dicta, id est lucrum ex mutuo immediate proveniens vi ipsius mutui prohibeatur?*

R. Id negant Judæi putantes, sibi a Deo omnem usuram erga extraneos licitam esse (3). Id negant quoque Pseudo-Reformati, Calvino duce, ac præsertim Molinæus et Salmasius affirmantes usuram non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; secus licitam esse uti pretium locatæ pecuniæ, etsi ratione ipsius mutui exigatur: quam sententiam fortiter tenuerunt Jansenistæ in Bataviam profugi. Nonnulli autem Catholici duplex mu-

(1) Quid autem si res crescant vel decrescant? *Vid.* infra.

(2) Hæc dicitur etiam *fœnus* a græca voce, quæ fœtum significat, eo quod pecunia licet de se sterilis, fœtum tamen seu fructum pariat. Ab Hebræis autem appellatur *nascebech*, id est morsus; et *tharbith*, id est incrementum, seu superabundantia. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 758.

(3) Deut. 23.

tui genus distinguentes, alterum *consumptionis*, quo pecunia ad consumptionem datur maxime pauperibus, alterum *incrementi* seu *commercii*, quo res traditur ad negotiandum, in illo lucrum reprobant, in hoc permittunt: in hoc tamen Catholici ab hæreticis semper discrepant, quod isti præcise ratione mutui auctarium exigant; illi autem nonnisi aliqua ratione ipsi mutuo extrinseca.—His præmissis dicimus cum Benedictio XIV (1): *omne lucrum ex mutuo, præcise ratione mutui, ut loquuntur Theologi (hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto) usurarium atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico illicitum esse, perpetua fuit et est catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensione firmata.*

1. *Jure naturali;* jus enim naturale, id est ipsa hominis ratio clamat esse prorsus contra justitiam commutativam in illis contractibus, in quibus ex propria eorum essentia servanda est æqualitas, plus exigere aut accipere (vi eorumdem contractuum et secluso alio titulo), quam valeat res ipsa quæ datur; atqui exigere vel accipere aliquid supra sortem in mutuo ratione ipsius mutui est exigere vel accipere plus quam valeat res data. Vel ipsi gentiles solo naturali lumine usuræ iniquitatem abominati sunt, uti Plato, Cicero, Seneca aliique. Hoc argumentum sic ferme prosequitur Angelicus: *licet in re, quæ usu non consumitur, v. g. in fundo, in equo et similibus usus a re ipsa distingui possit; in re tamen consumptibili, v. g. in vino, in tritico, in pecunia, nullus nec adest nec adesse potest usus ejusdem rei a dominio diversus; cum usus rei sit ipsa rei consumptio: et ideo in mutuo dominium rei ex natura sua transfertur in mutuatarium. Ergo si quid exigeretur pro usu rei consumptibilis, exigeretur profecto pro re quæ non extat, ideoque exigeretur injuste* (2).

2. *Jure divino* tam in veteri, quam in novo fœdere.—In veteri Realis Psaltes habet: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?..... qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit* (3). Sic etiam Ezechiel inquiebat: *si genuerit filium latronem effundentem sanguinem... ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet; cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur: sanguis ejus in ipso erit* (4). In fœdere autem novo habemus illud Christi: *mutuum date, nihil inde sperantes* (5): quibus verbis expresse usuram prohiberi *concors fuit Conciliorum, Patrum, summorumque Pontificum sententia,* uti ait laudatus Benedictus XIV.

3. *Jure ecclesiastico*, uti constat ex integro titulo *de usuris* in Corpore Canonici juris, ubi Alexander III (1180), Urbanus III (1186), Innocentius III (1213) aliique Pontifices usuras gravissime damnant, ac usurarios gravissimis pœnis mulctant: nempe usurarius, si publicus sit ac notorius, arcetur a Communione altaris, absolutione pro foro pœnitentiæ privatur, infamis habetur, ac si impœnitens moriatur quin satisfecerit, sepultura ecclesiastica privatur (6). Adde Encyclicam Benedicti XIV *Vix pervenit* (die 26 junii anno 1749), quæ quidem tota in eo est, ut usuram proprie dictam diris per-

(1) *De Syn. Diœc.* l. X, c. 4. — *V.* Alasia, Billuart, etc.
(2) 2, 2, q. 78, a. 1. (3) Ps. 14. (4) Cap. 18. (5) Luc. 6.
(6) Cap. *Quia in omnibus de usuris;* et Cap. *Quamquam* in 6.

petuo devoveat. Adde Concilia, uti Eliberitanum (305), Nicænum generale I (325), Carthaginiense I (348), Agathense (506), Lateranense generale V sub Leone X (1517), tandem Viennense generale sub Clemente V (1311), ubi aperte declaratur *veluti hæretícum esse puniendum* qui præsumit contrarium docere. Unde Bossuet non dubitat affirmare, hoc esse de fide (1): idque hodie maxime post Benedictinam Encyclicam.—Adde Ss. Patres: Ambrosius ait: *quodcumque sorti accedit, usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est* (2). Et Augustinus: *si plus quam dedisti*, (inquit) *expectes accipere, fœnerator es, et in hoc improbandus, non laudandus* (3).

4. *Unanimi Theologorum consensu:* de quo certe dubitari non potest; cum vel ipsi adversarii fateantur, a S. Thoma ad nos usque omnes scholas id semper constanter docuisse.

Quid vero (dices) *si usuræ jam acceptæ sint, atque illæ jam fructum produxerint?*—Cum fructus, qui ex mutuata pecunia proveniunt, producantur a re vel potius occasione rei usu consumptibilis, per se loquendo non debent restitui; quia cum ea res fructus ex se non producat, fructus illi sunt industriæ, non rei: unde ei debentur qui industriæ egit. Hinc patet diversitas a re, quæ non consumitur usu; tunc enim cum usura sit a re quæ usum fructum importat, ut domus vel ager, qui illam accepit, *non solum teneretur restituere domum vel agrum: sed etiam fructus inde perceptos; quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, et ideo ei debentur.* Ita Angelicus (4). Est autem semper restitutio facienda, etiamsi usurarius non percipiat fructus, si eos ex sua re percepisset dominus; iste enim omnino indemnis servandus est. Imo tenetur eos etiam restituere, quos dominus non percepisset, si ipse percepit: quia *res cum suis fructibus clamat semper ad dominum.*

Q. 6. *Quid de iis, qui sunt causa, ut usuræ solvantur?*

R. Isti non solum peccant; sed tenentur etiam ad restitutionem, casu quo usurarius, qui primo loco tenetur, non restituat; cum efficaciter influant in alterius damnum. Hinc tenentur:—1 consulentes, nisi id egerint in gratiam mutuatarii; consentienti enim nulla fit injuria;—2 judices, advocati, notarii, omnesque potestates, quæ vel non excludendo a proprio territorio usurarios, vel aliter in causa sunt, ut solvantur usuræ; imo si sint publici officiales, qui sunt causa ut usuræ solvantur, ipso facto excommunicatur (5): excipe nisi ad majora mala vitanda usurarios permittere expediret. Et ideo civiles ac moderni legislatores in habituatos usurarios tantummodo animadvertere solent, illius Baconis rationem quasi habentes: «si usura penitus extirpari nequit, saltem illius dentes limandi sunt, ut sic minus mordeant (6).»

Sed quid (dices) *de hæredibus usurarii, qui usuras non restituerit?* Tenentur hæredes usuras restituere secundum vires hæreditatis, si usurarius ipse non restituat; cum collective sumpti in bonis defunctum repræsentent.

(1) *Traité de l' usure*, prop. 5. (2) Liber Tob. c. 14. (3) In Ps. 36.

(4) 2, 2. q. 78, a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 757, 763, 773, 783 et seqq.

(5) Clement. *Ex gravi*, de usuris.

(6) *V. Civiltà Cattolica*, ser. 3. vol. 1: gli economisti, e la legge piemontese sopra l' usura; et vol. v: la proprietà considerata ne' suoi principii generali, ecc.

Utrum autem teneantur in solidum ita ut sic uno deficiente, alter totum debitum solvere debeat, disputant (1). Affirmant plures canonistæ cum Sylvio; verum satis probabiliter negant Habert, Billuart, Cajetanus, Collet, Lessius, etc. Imo Bouvier ait, quod hæc sententia sibi certa videtur; nam obligatio debita solvendi afficit immediate personam, mediate bona debitoris: unde in omni casu singuli hæredes non contrahunt obligationem, nisi quatenus simul sumpti personam defuncti repræsentant: sed *partialiter* tantum in ejus bona singulis succedunt; ergo pro parte sua tantum singuli tenentur. Excipe casum, quo res ipsa usuraria penes unum extaret: tunc hæres, qui eam habet, integram reddere debet, quia res quælibet clamat ad dominum; habet tamen regressum, seu jus æquam exigendi compensationem e suis cohæredibus, ne solus onera hæreditatis sustineat.

Quid vero (quæres) *dicendum de famulis, qui dominis usurariis cooperantur*?—Si agitur de famulis non principalibus, qui nempe tantummodo scribunt, pecunias enumerant, pignora deferunt et similia operantur, isti neque peccant, neque tenentur ad restitutionem; quia ipsorum opera non censetur directa in damnum cooperatio.—Si vero sermo sit de famulis principalibus, qui nempe usuras exigunt, distinguendum est: *vel* isti cooperantur in re debitoribus ingrata, v. g. eos cogendo ad solutionem et apodixes subscribendo: *vel* cooperantur in re iisdem non ingrata, v. g. hortando simpliciter ad solutionem, vel usuras exigendo sine ulla coactione. Si 1, in *sententia probabiliori* famuli et peccant et tenentur ad restitutionem in defectu dominorum, cum vere sint causæ injustæ in damnum alterius *proxime* cooperantes. Si 2, famuli non videntur peccare; quia in hoc casu eorum cooperationi debitores non censentur inviti. Verum non excusarem usuras exigentem a peccato cooperationis ratione solius famulatus; sed gravior videtur requiri causa ad præbendum etiam solum physicum concursum volenti peccare: saltem requiritur metus gravis damni (2).

Q. 7. *Quid si usura sit pure mentalis, vel mentalis*?

R. Si usura sit *pure mentalis* nihil restituendum est, cum nihil sit receptum; sed sufficit se pœnitere ob malam animi voluntatem. Si vero usura sit *mentalis*, tunc ita quæstio resolvitur:—1 si usura mentalis se habet ex parte utriusque, nempe tam mutuantis quam mutuatarii, ita ut et mutuans lucrum accipiat tamquam pretium mutui et mutuatarius ut tale etiam persolvat, certe lucrum restituendum est, cum non adsit titulus legitimus retinendi, ut supponimus;—2 si usura mentalis est ex parte solius mutuatarii,

(1) *Sit casus.* Joannes et Paulus habent ex hæreditate patris quisque 10^m. florenos. Pater moriens debebat 2^m. florenos sive ex delicto, puta usuris, sive ex contractu (non enim putamus inter hæc debita faciendam esse distinctionem quoad præsentem casum, ut quidam faciunt). Constat apud omnes, quod quisque debeat restituere seu solvere mille florenos. Sed Joannes non vult aut non potest suum mille restituere, forte quia jam expendit suam hæreditatem; teneturne Paulus totum, hoc est 2^m., restituere? Et quidem si bona hæreditatis forent pro istis 2^m. hypothecata, iterum extra dubium foret, uno deficiente, alterum teneri ad totum; quia hypotheca non dividitur, sed est in qualibet parte boni hypothecati: consequenter confert creditori facultatem jus suum totum prosequendi ubicumque potest. Restat ergo solum difficultas de bonis hæreditatis non hypothecatis, sed obligatis tantummodo personaliter. Ita *Billuart*. Idem dicendum est de hæredibus furis, cum par sit ratio. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 788.

quatenus iste dat lucrum ut pretium, et mutuator accipit bona fide ut gratis datum, tunc non tenetur restituere ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, cum noverit mutuatarium non gratis præstitisse;—3 si usura mentalis est ex parte solius mutuantis, quatenus mutuatarius dederit gratis et mutuans receperit uti pretium, tunc cum noverit ipsum liberaliter donasse, datum retinere potest (1); sed interim est culpandus ob malam conscientiam, quam habet.

Sed quid (dices) *in dubio, an mutuatarius dederit gratis, necnon?* Poterit mutuans datum sibi retinere, si bona fide acceperit et dubium postea supervenerit; quia melior est conditio possidentis. Secus vero si acceperit cum ipso dubio; quia hoc modo nequibat inchoare possessionem rei alienæ, maxime cum in dubio mutuatarius regulariter præsumi debeat dedisse coacte, non gratis. Difficiliter sane homines solent sua gratis elargiri, nisi præsumptionem contrariam circumstantiæ personæ, loci aut temporis oriri faciant. Cæterum in foro externo qui usuras persolvit non conventas, nequit amplius easdem sibi repetere.

Q. 8. *Quid de Montibus Pietatis, ut vocant?*

R. Montes Pietatis definiri possunt: *cumulus pecuniarum ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, ex illis mutuo accipere possint ad tempus, quæ sibi sunt necessaria:* et ideo *pietatis* dici solent, cum pium sit pauperum necessitati providere. Aliquando, consentiente tamen S. Sede, aliquod auctarium exigitur: sed non vi mutui ad ditescendum, bene vero ratione expensarum ad alendos ministros aliaque onera sustinenda; et ideo si Mons sit valde dives, nihil est percipiendum (2). — Hosce Montes Perusiæ primum erectos, opera Franciscani *Barnabæ*, approbavit Lateranense V sub Leone X (1517); et Tridentinum eos Episcoporum curæ ac visitationi commisit (3). Dicunt aliqui pauperibus tantum ex illis mutuum dari posse, cum ideo tantum sint constituti; sunt tamen qui hanc ponunt exceptionem, nisi Mons adeo abundans sit, ut sine pauperum damno cæteris etiam satisfieri possit. Notandum autem: si mutuum non restituatur suo tempore, pignus sub hasta vendatur, ac retento pretio, quod Monti debetur, reliquum restituatur domino pignoris, vel pauperibus (si ille inveniri non possit), vel cedat eidem etiam Monti, si pauper sit.

§ unicus — *Tituli, vi quorum licet aliquid supra sortem exigere.*

Q. 1. *Quid est titulus, vi cujus aliquid exigi potest in mutuo?*

R. *Tituli* nomine hic intelligitur ratio, cujus intuitu aliquid in mutuo exigitur. Titulus vel est mutuo *intrinsecus*, qui ipsi ita inhæret et ejus substantiam sic ingreditur, ut nequeat separari: esset v. g. aliqua temporis determinatio in eo restituendo. Vel est eidem *extrinsecus*, qui non semper et

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 761.

(2) S. C. penes Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. X, c. 5; it. vid. *Notificatio* LXIX. —Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 765.

(3) Sess. 22, c. 8 de R. — *V.* Audin, *Storia di Leone X,* vol. II: i Monti di Pietà.

necessario illud comitatur: ut est damnum, quod inde mutuanti evenit.

Ob titulum intrinsecum nihil profecto exigi potest; secus vi mutui exigeretur, ideoque contra præceptum Domini, cum mutuum natura sua omnino gratuitum sit. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 41 propositio: *cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario accipere, et eo titulo ab usura excusari;* hoc enim est prorsus et ex se mutuo intrinsecum. — Ob titulum vero extrinsecum, si legitimus sit, bene poterit aliquid repeti: quia tunc nulla habetur mutui ratio. Qui titulus quadruplex distinguitur: 1 *damnum emergens*, 2 *lucrum cessans*, 3 *pœna conventionalis*, 4 *periculum sortis*. Quoad *legem civilem*, an etiam ea legitimus sit titulus, disputatur.

Q. 2. *An liceat mutuanti exigere quod sibi interest ob titulum damni emergentis, ut vocant, et lucri cessantis?*

R. *Aliquis*, ait Angelicus, *damnificatur dupliciter: uno modo, quia aufertur ei quod actu habebat* (et dicitur damnum emergens)...; *alio modo si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi* (et dicitur lucrum cessans) (1). Quo posito dicimus: tam ob damnum emergens, quam ob lucrum cessans licet mutuanti quod sibi interest causa mutui exigere a mutuatario, si conditiones debitæ intersint; *hoc enim*, ait idem Doctor, *non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare* (2). Et sane: non patitur æquitas, ut quis lucrum amittat vel damnum sentiat ex beneficii collatione; *ne igitur dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse* (3), mutuator tuta conscientia exigere potest totum quod sibi interest. Adde id expresse probari Bulla Benedictina.

Diximus tamen *si conditiones debitæ intersint*, quæ sunt: —1 ut interesse ab initio in pactum deducatur, præmonito etiam mutuatario de titulo damni emergentis et lucri cessantis, vel de alio titulo qui extet, pro quo aliquid ultra sortem exigere vult; nam post contractum mutuans nequit amplius exigere, etiamsi damni emergentis et lucri cessantis fuerit immemor. Ad contractum enim non sufficit voluntas interpretativa, sive conditionalis; sed requiritur actualis vel virtualis, aut saltem aliquando habita et non retractata: *debebat enim ille qui pecuniam mutuavit*, ait Angelicus, *sibi cavisse, ne detrimentum incurreret; nec ille, qui mutuo accepit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis* (4); — 2 ut illico non exigatur; secus non totum realiter tribueretur: sic si mutues 100, et statim pro lucro cessante accipias 5, tunc revera non mutuas 100; sed 95. Unde eo in casu privares mutuatarium commoditate partis mutui; — 3 ut non plus exigat mutuans, quam sit damnum quod patitur, aut lucrum quod sperat ex alio contractu licito juxta æstimationem spei et periculi, ac deductis expensis; id enim tota est ratio exactionis; —4 ut mutuum vera sit causa damni emergentis, aut lucri cessantis; nam si mutuans vel aliam habeat pecuniam, quam ad negotiandum substituat; vel si lucrum quod amittit ob mutuum ex

(1) 2, 2. q. 62, a. 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 766 et seqq.
(2) 2, 2, q. 78, a. 2, ad 1.
(3) *Decr.* Greg. l. III, t. XXII, c. 2.
(4) *De malo*, q. 13, art. 4 *de avaritia* ad 14.

mercatura faciendum, potest et vult alia via vel arte sibimet comparare, tunc nequit quidquam exigere (1).

Potestne (quæres) *mutuator aliquid exigere etiam cum absque ullo incommodo valet pecuniam aliam negotiationi substituere?* — Affirmant probabiliter Layman, Lessius, Lugo et alii; quia vere tunc mutuatio est causa, ut mutuanti cesset lucrum ex pecunia illa speratum. Nec tenetur in gratiam mutuatarii pecuniam negotiationi haud destinatam negotiationi exponere. Hoc tamen non videtur admittendum, nisi mutuator vere animum habeat pecuniam reservatam negotiationi minime substituendi per aliam, quam possidet.

Quid vero (inquies) *si damnum emergens, et lucrum cessans sint incerta, vel tantummodo probabiliter adfutura?* — Commune est cum Navarro, Salmanticensibus, Sylvio aliisque, adhuc aliquid exigi posse supra sortem; habita tamen et caute servata proportione inter timorem damni vel spem lucri; et auctarium quod in hypothesi acciperetur. Ratio est, quia debita æqualitas jam inde servatur; nam sicut damno non eveniente, lucraretur mutuator, ita contra eo eveniente, lucraretur mutuatarius (2).—Ob eamdem rationem probabile videtur mutuatorem, qui non jam certo, sed probabiliter tantum erat pecuniam mutuo datam destinaturus ad negotiationem, posse aliquid exigere pro rata illius probabilitatis. Neque dicas posse igitur exigi etiam ob possibilitatem applicandi pecuniam illam ad negotiationem; nam possibilitas differt a probabilitate: illa non aliud est, quam mera potentia passiva, sive non repugnantia applicationis, seu quid negativum; hæc est fundamentum alicujus spei, quæ si actu existit, est pretio æstimabilis.

Q. 3. *An liceat in mutuo pacisci de pœna solvenda a mutuatario, si sortem non reddat tempore definito?*

R. Licet utique hanc pœnam solvendam pacisci ex communi sententia, quam defendunt Cabassutius, Lessius, Tournely et alii; nam ea apponitur, ut contractus firmitati consulatur, et impediatur negligentia mutuatarii. Observandum tamen pactum hoc non esse licitum, nisi:—1 mora debitoris notabilis et culpabilis sit: notabilis, nam aliqua mora est mutuo intrinseca; culpabilis, nam qui non peccavit, non est puniendus;—2 absit animus lucrandi per illam pœnam: qui animus adesse præsumitur, si debitor oneretur obligatione restituendi sortem eo tempore, quo certo scitur, eum solvere non posse;—3 pœna sit moderata et culpæ proportionata, alioquin injusta esset: probabilius autem ante sententiam debita est; nam magis habet rationem pacti quam pœnæ, licet et pœna sit, ut ait Tournely.

Sed mutuanti (quæres) *licetne aliquid supra sortem exigere, si obliget se ad sortem brevi non repetendam?*—Communiter negant, si conditio sit non sta-

(1) Excipe nisi esset major molestia habenda in tentanda diversa via; vel nisi pecuniam illam reservaturus esset in usum familiæ. Tunc posset aliquid exigere pro rata; quia nemo tenetur causa mutui alicui traditi negligere providentiam sui aut suorum.

(2) Nec refert, quod damnum prævisum non accidat; etenim pactum de auctario non fit pro damno, sed pro periculo ejusdem, quod actu supponitur, et est pretio æstimabile. Res explicabitur exemplo piscatoris, qui vendit jactum retis: iste non vendit quidem pisces, qui forte nulli capientur; sed vendit spem eorum probabilem, quæ actu existit, et est pretio æstimabilis.

tim repetendi; quia hoc est intrinsece inhærens mutuo: idque videtur declarasse Alexander VII damnando hanc sub n. 42 propositionem: *licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus* (1).

Quid (addes) *de pacto, ut restituatur res mutuata in eadem specie et qualitate: si res augenda sit, vel minuenda tempore restitutionis?*—Vel dubium est, utrum res tempore restitutionis augenda sit, an minuenda: vel certe prævidetur eo tempore pluris esse valitura. Si 1, licitum erit pactum, quia in tali dubio æqualis est contrahentium conditio, ac induit naturam sortis. Si 2, dicimus mutuatorem pacisci non posse, ut restitutio fiat in eadem quantitate, tempore quo pluris est valitura; tunc enim non servaretur æqualitas. Quod si prudenter prævideatur tempore restitutionis valitura minoris, poterit mutuator pacisci de majori mensura sibi restituenda, quanta sufficiat ad seipsum servandum indemnem, nisi decrevisset illam servare usque ad tempus, quo prævidet minoris valituram, quod supponi vix potest.

Juverit autem hic referre quæ a lege civili sancita sunt circa mutui restitutionem, maxime pro casu quo nullum fuerit initum pactum inter contrahentes: quæ quidem communiter admittunt etiam in conscientia, cum æquitati sint consona, et statuta sint ad publicum bonum. Vel igitur mutuo datæ sunt virgæ metallicæ aut aliæ res fungibiles a pecunia distinctæ, ut vinum, triticum; vel ipsa pecunia. Si 1, sive res pretio crescant sive decrescant, non est restituendum, nisi tantumdem ejusdem quantitatis et qualitatis; nam in his rebus plus entitas physica attenditur, quam valor earum extrinsecus: unde reddi debet una libra butyri pro una libra butyri, nulla habita ratione, quod pretium variatum sit, si tamen adhuc res sit in commercio. Quod si rem in natura non habeat mutuatarius, tenetur solvere illius valorem, habita ratione temporis et loci, ubi juxta conventionem restituenda erat res mutuata: et si conventio nulla sit inita, solutio fit juxta valorem, qui obtinebat eo in loco ac eo tempore, quo res fuit mutuo data. Si 2, tunc satis est, ut idem valor extrinsecus detur, etsi moneta quæ tradita fuit, interim creverit, vel decreverit; nam ubi de pecunia numerata agitur, magis valor extrinsecus attenditur, quam entitas physica; et revera objectum contractus non est ipsa aurea moneta ut talis, sed ejus valor: hinc illud, *in pecunia non corpora quis cogitat, sed quantitatem.* Excipitur tamen casus, quo sint mutuo dati nummi aurei vel argentei, et conventum sit de aliis in eadem specie et quantitate reddendis: tunc conventio servanda est; quod si haberi nequeant

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 767, 774 et seqq. Id tamen non impedit, quominus non videatur sua aliqua probabilitate donari etiam sententia Sporer, Medinæ et Henriquez, qui docent licere aliquid supra sortem exigere pro obligatione suscepta de non repetenda sorte, nisi post *multum temporis,* v. g. post tres vel quatuor annos. Ajunt enim; etsi in mutuo sit jam per se obligatio illa expectandi restitutionem sortis per aliquod temporis spatium, non est tamen obligatio eam expectandi per *multum tempus.* Addunt: cum mutuans suscepit in se obligationem expectandi sortis restitutionem per tempus extraordinarium, et idcirco aliquid accipit supra sortem, non accipit ratione commoditatis, qua privatur; sed ratione oneris peculiaris et extra ordinem, quod est pretio æstimabile. Propositio autem damnata ab Alexandro VII per verba generalia, quibus concipitur, complectitur expectationem temporis cujuscumque, etiam illam, quæ mutuo intrinseca est, unde potest explicari; non enim dicit *usque ad longum tempus;* sed *usque ad certum tempus.*

vel sint extra usum, vel intrinsecus eorum valor fuerit immutatus, tunc tantumdem erit dandum juxta bonitatem insitam nummis, quo tempore fuerunt dati.

Quid (dices) *de pactis generatim in mutuo appositis?*—Tunc pactum in mutuo est usurarium, cum est pretio æstimabile; nam tunc onus et gravamen importat. Hinc usurarius est qui mutuat alteri, ut sibi patrocinetur, ut suum agrum emat, domum locet; quia mutuatario onus imponitur, quod a natura mutui non est, et quod ipse aliunde, uti supponitur, non debet præstare. Non est vero usurarius qui exigit rem jam debitam ex justitia, nempe ut desistat a privata vindicta, ab injusta vexatione, etc.; nihil enim novi oneris imponit. Item si exigat quod pecunia non appretiatur, uti est benevolentia, amicitia: modo tamen id in pactum non deducatur; secus jam esset debitum et onerosum. Hinc sub n. 42 damnata est ab Innocentio XI hæc propositio: *usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur... ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum:* ubi notandum est cum Viva, quod damnatio cadit in verba *et gratitudine debitum;* neque enim mutuatarius obligandus est ad satisfaciendum bonis suis obligationi gratitudinis, cum possit aliis modis; ideoque onus imponitur. Non vero quasi prohibitum sit benevolentiam expectare; etenim ex quolibet beneficio ea jam sua natura sequitur: ita ferme Angelicus (1).

Q. 4. *An liceat in mutuo aliquid supra sortem exigere ratione periculi illam amittendi?*

R. Quamvis hic titulus a nonnullis rejiciatur, communiter tamen admittitur cum Antoine, Billuart, Lessio, Lugo, Silvio et aliis innumeris. Et merito; nam, uti docet Angelicus, suscipere tale periculum est pretio æstimabile (2). Id confirmat S. Congregatio de Propaganda Fide, approbante Innocentio X, 12 sept. 1645. Item S. Pœnitentiaria respondit anno 1815, prout Bouvier ipse refert. Idem habet Lateranense V, ubi pro usura damnatur quodcumque lucrum ex re infrugifera perceptum, secluso tamen titulo laboris aut sumptus aut periculi. Verum aliquæ requiruntur conditiones: — 1 ut periculum sit verum et extraordinarium (3) amittendi sortem, vel eam non recuperandi sine magnis expensis atque laboribus: uti si mutuum detur homini dubiæ fidei; alioquin nulla esset illius æstimatio; — 2 ut mutuans non teneatur mutuum alteri concedere ex præcepto charitatis ad præsentem ejus inopiam sublevandam, quia in hoc casu periculum esset mutuo intrinsecum; — 3 ut mutuator non recuset sortis assecurationem, si sibi offeratur, v. g. per pignus vel per fidejussionem; et non cogat mutuatarium ad tale periculum transigendum, hoc enim in casu periculum non esset reale, sed fictum (4).

(1) 2, 2, q. 78, a. 2. (2) Opusc. 73, c. 6.

(3) Duplex enim potest esse periculum: *ordinarium*, seu generale ac omni mutuo essentiale et intrinsecum, v. g. periculum ne incendio cuncta bona mutuatari pereant, ita ut postea sortem reddere nequeat: *extraordinarium*, extrinsecum seu quod non essentialiter in omni mutuo reperitur. Primum non potest attendi; utique secundum.

(4) Quo sensu explicatur cap. *Naviganti* (Decr. Greg. l. VI, t. XIX *de usuris*, c. 19), quod quidem adversarii opponunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 765.

Q. 5. *An lex civilis sit justus titulus exigendi supra sortem?*

R. 1: Certum est legem civilem concedere mutuanti, ut ex mutuo aliquod auctarium percipiat, juxta taxam tamen ab ipsa lege definitam, quæ generatim est sex pro quolibet centenario in negotiatione; quinque tantum in aliis civilibus contractibus (1). At etiam civili lege prohibitæ sunt *usuræ usurarum:* nempe usuræ debitæ, si non solvantur, non ideo ex se induunt naturam sortis, ut istæ usuræ et alias usuras producant. Neque suffragatur pactum, si quod initum sit; hoc enim lucrum communiter uti turpe habetur, cum in jure repugnet dari accessionem accessionis. Excipiunt tamen (etiam in conscientia ob rei ipsius æquitatem): 1 si usuræ revera naturam sortis sumant: ut est si priori aliud debitum substituatur specie diversum, vel si persona debitoris aut creditoris mutetur; 2 si agatur de pensionibus (vulgo *rentas vencidas)* quæ sint debitæ a conductoribus, inquilinis; vel de fructibus *(hechos naturales)* debitis causa census aut vitalitii: usuras enim producunt a die judicialis postulationis aut factæ conventionis; tunc enim non considerantur ut quid accessorii, sed censentur induere naturam debiti principalis. Idem dicendum est, si agatur de aliquo tertio, qui alicui creditori debitoris ipsius nomine, usuras aut debitos fructus pependerit.

R. 2: An legis civilis dispositio auctarium legale statuentis exhibeat etiam in conscientia titulum justum exigendi aliquid in mutuo supra sortem, magna est in re morali controversia, et nulla forsan magis hinc inde agitata. Bene multi cum D. Thoma, Bossuet, Gerdil, Lugo, Lessio, etc. negant; quia lex humana nihil potest contra legem Dei: at lex divina absolute vetat aliquid de mutuo exigere vi mutui. Unde Ss. Patres humanas leges hac de re semper improbarunt, uti Augustinus, Chrysostomus, etc. — Affirmant vero Croix, Gobat, Ledesma, Pichler cum pluribus modernis, etsi non omnes in afferendis rationibus concordent. Alii nempe dicunt, quod Princeps potest dominium auctarii in mutuantem transferre; eo modo quo legitime,

(1) En España el artículo 398 del código de comercio autoriza para recibir el seis por ciento en los negocios mercantiles. *Non abs re erit in medium adducere Leg.* 6 *Mart.* 1856 *in qua hi leguntur articuli:*

Artículo 1.° Queda abolida toda tasa sobre el interés del capital en numerario dado en préstamo.

Art. 2.° Podrá pactarse convencionalmente interés en el simple préstamo; pero este pacto será nulo si no consta por escrito.

Art. 3.° Se reputa interés toda prestacion pactada á favor de un acreedor.

Art. 4.° Lo dispuesto en los dos artículos anteriores es aplicable á todo préstamo de cosa fungible, cuyo interés consista en un aumento en la misma especie que ha de devolverse.

Art. 5.° El año civil es la unidad de tiempo para el cálculo del interes del capital.

Art. 6.° El recibo del capital dado por el acreedor sin reservarse el derecho á los intereses estipulados, estingue la obligacion del deudor respecto de ellos.

Art. 7.° Durante el término del contrato, los intereses vencidos y no pagados no pueden devengar intereses. Trascurrido el plazo, los liquidados y no satisfechos podrán capitalizarse y estipular de nuevo réditos sobre el aumento del capital, con sujecion á lo dispuesto en el art. 2.°

Art. 8.° Al principio de cada año el Gobierno, oyendo al Consejo de Estado, fijará el interés legal que sin estar pactado, debe abonarse por el deudor legítimamente constituido en mora, y en los demás casos determinados por la ley. Mientras no se fije este interés, se considerará como legal el 6 por 100 al año.

Art. 9.° Quedan derogadas todas las disposiciones anteriores contrarias á las de la presente ley.—V. et leg. attent. not. appositam pag. 815. N. E.

ob bonum publicum, potest rerum dominium transferre de uno in alium, ut patet de præscriptione. Addunt alii, si id non liceret, commercium deficeret, lucrum in Regno cessaret, damnum emergeret, cum pauci tunc essent mutuantes: porro si licet pacisci de interesse ob damnum privatum, multo magis ob periculum damni publici. Alii ajunt circumstantias esse mutatas et bonum publicum nunc exigere, ut moderatum lucrum ex mutuo percipi possit. Alii ultroneum et mutuum totius societatis consensum invocant. Alii consuetudinem in orbe terrarum ubique etiam apud ipsos timoratos receptam. Alii tandem negant taxam legalem esse auctarium de mutuo, seu usuram, quæ cum intrinsece sit mala, nulla lege nullaque de causa cohonestari potest (1); sed contendunt præmium esse, quod lex tribuit divitibus, ut sic alliciantur ad pecunias mutuo dandas, quibus hodie maxime sustinentur commercia; æquum autem est, ut præmium solvat qui utilitatem præcipue percipit, nempe mutuatarius; et accipiat qui publicam prosperitatem promovet, nempe mutuans *(Q)*.

Verum frustra utrinque adducta argumenta controversiam dirimere valent, cum adhuc desideretur supremum Ecclesiæ judicium, et rationes adhuc multæ sint ex utraque parte. Unde sat erit regulam tradere, qua hac super re tam fideles in conscientia, quam Confessarii ipsi in tribunali Pœnitentiæ se gerere debeant. Nempe: ad fideles quod attinet, qui capitalia aliis tradunt, ut ex illis fructus percipiant juxta taxam legis civilis, dicimus ipsos *non esse inquietandos, neque cogendos ad restitutionem fructuum perceptorum, neque in foro Pœnitentiæ absolutione Sacramentali idcirco esse privandos;* si tamen sint in bona fide et vere parati stare mandatis et definitionibus S. Sedis, si quando edentur. Quod vero pertinet ad Confessarios, dicimus: — 1 *non esse inquietandos neque absolutione privandos Presbyteros illos*, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis, *quousque sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere;* — 2 non esse inquietandos Confessarios, qui pœnitentes lucrum eodem modo percipientes absolvunt, si isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, *promittant se obedire judicio S. Pontificis, si illud aliquando interdicat.*

Hæc responsio nostra continet summam Decretorum, quæ a sancta Sede, organo Pœnitentiariæ, ac supremæ Congregationis sancti Officii edita sunt ab anno 1822 usque ad annum 1833 (2). Cum vero prima conditio in allatis

(1) Mastrofini, Maffei, Bolgeni, La Luzerne, Rossignol, etc. contendunt pecuniam natura sua sterilem non esse, nec primo usu consumi (nisi præbeatur pauperi illam impensuro ad propriam sustentationem); unde si ea tradatur ad negotiandum, non habetur mutuum; sed vel commodatum vel locatum, prout ipsa vel gratis vel pretio datur. Vel si mutuum est, a mutuo gratuito discriminatur, in quo utique nihil ultra sortem exigere licet. Qua in re vide clariss. prof. Cinotti in Opere, cui tit.: *Dissertazioni di un Canonico Poliziano regio Professore di Teologia concernenti lo stato della disputa sull' usura principalmente nel sec. XIX con riscontro di Opere analoghe. Ed. 2ª, rived. ed accresc. Montepulciano* 1837: ubi doctrina Mastrofini contra Devecchi, Leopardi, Drach, aliosque impugnatores subtiliter ac ingeniose defenditur.

(2) Hæc videre est simul collecta et propria authenticitate donata in Opusculo Taurini edito cura illius Metropolitæ 5 febr. 1833 cui tit. *Sanctæ Apostolicæ Sedis responsa circa lucrum ex mutuo ab an.* 1822 *ad febr.* 1833. Typ. Marietti.

Decretis sit *bona fides;* et hæc non parvam adhuc in quorumdam opinione facesseret difficultatem, ad eam penitus de medio tollendam atque ad alia simul præoccupanda dubia, quæ a Scholasticorum subtilitate possent excogitari, Illustr. ac Rev. D. D. Galvano Episcopus Nicæensis hanc iterum quæstionem S. Congregationi anno 1837 sapientissime proposuit: *an pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide, perceperunt, absolvi Sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere; modo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis? Die* 17 jan. 1838 responsum fuit *affirmative, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis* (1) *(R).*

(*) Cum non minus disceptetur de locatione pecuniæ, an scilicet fœcunditas pecuniæ sit nec ne titulus ab usura excusans, nobis congruum visum est plurium gravium Auctorum præsertim Card. de la Lucerne, Maffei, Mastrofini etc., quos Auctor, ut nuper vidimus, Catholicos et quidem magni nominis appellat, et sunt, affirmativam tenentium rationes certo non contemnendas, cum Gury Comp. Theol. Mor. n. 827, in medium adducere, cum ipso peritiorum judicio commendantes an sit hæc sententia probabilis.

Pecunia juxta ipsos falso ex natura sua sterilis reputatur; unde concludunt usuram circa mutuum non semper dari.

Ipsorum autem doctrinæ summa sequentibus capitibus continetur.

1.° « Mutuum fieri nequit nisi de re primo usu consumenda juxta omnes, quod ex ipsius mutui natura evincitur. Porro pecunia primo usu non consumitur, nisi præbeatur pauperi illam impensuro ad suam sustentationem. Etenim in traditione pecuniæ solus valor transfertur, et est contractus objectum: valor autem non perit quando in augendam mutuarii fortunam impenditur, ergo...

2.° « Hinc contractus quo traditur pecunia diviti, non est mutuum proprie dictum, sed potius commodatum, vel locatum, prout gratis vel pretio datur, proinde dominium pecuniæ non transfertur.

3.° « Contractus ille locationis pecuniæ est in se licitus; nam juste pretium exigitur pro re, quæ valorem intrinsecum habet, atqui usus pecuniæ quæ primo usu non consumitur, habet valorem intrinsecum qui pretio æstimari potest, et in commercio humano causa evadit multorum emolumentorum. Ergo auctarium sortis est justum pretium illius usus.

4.° « Pecunia, ut constat ex experientia mercatorum, fructum producit,

(1) Autographum servatur in Actis Curiæ Episc. Nicæensis. Quæ responsiones duo respiciunt: 1 *lucrum moderatum* (ut erat in vigore cum illæ datæ sunt); si enim lex civilis nimis exorbitaret in lucro stabiliendo, adeo ut manifestam injustitiam includeret, certo non suffragarentur responsiones laudatæ; 2 *ipsam taxam legis;* undex si lex civilis liberam cuique relinqueret taxam definiendam, non liceret in conscientia illam exigere (si superaret taxam legalem ab Ecclesia permissam), nisi quatenus adesset justus titulus ad normam juris naturalis atque divini, id est titulus damni emergentis, lucri cessantis, etc.: si enim libera hominum conventio faceret jus, actum esset de omni justitia; unde tunc dicendum est: quod lex civilis tollerat, lex divina ecclesiastica et naturalis prohibet. *V. Civiltà Cattolica,* ser. 3, vol. VI: guerra dei capitalisti contro la proprietà, *art.* 2.

et multiplicatur per se, independenter ab humana industria, ergo non omnino sterilis reputanda est. Etenim idem mercator in iisdem circumstantiis, et cum eodem industriæ gradu, multo majus lucrum faciet, si multo majorem summam impendere in commercium possit; ergo facultas pecuniam impendendi in commercio est vere prætio æstimabilis.

5.° «Illud auctarium sortis potest non solum haberi ut pretium locati valoris, sed etiam ut pretium venditi lucri, quod ex inita societate sperabatur; mutuum enim commercii assimilatur triplici contratui societatis (de quo supra de contractu societatis) et assecurationis tum sortis, tum lucri. Triplex autem ille contractus probabiliter est legitimus, juxta Bened. XIV, S. Liguor., et alios.

6.° «Potest etiam haberi ut contractus, in quo unus pecuniam, et alter industriam affert, et in censu utrinque rescindibili de quo pariter dictum fuit ubi de censu.»

Cæterum, ut recte animadvertit citatus Gury, hæc quæstio ad praxim non attinet, cum titulus legis ex dictis probabiliter sufficiat ad lucrum ex mutuo percipiendum (*).

ARTICULUS VII — De donatione (1).

Q. 1. *Quid est donatio, et quotuplex?*

R. Ad 1: Donatio idem sonat ac *doni datio*, et potest definiri: *liberalitas in alterum collata*, seu *liberalis traditio alicujus rei alteri facta actualiter ac irrevocabiliter, et ab eo acceptata.* Ex qua definitione deducitur ad donationem *proprie dictam* requiri:

1. Liberalitatem omnino spontaneam ex parte illius, qui donationem facit, et dicitur *donans* vel *donator.*

2. Actualem translationem absolutam et irrevocabilem rei dono traditæ in dominium illius, cui fit donatio, et dicitur *donatarius* (2).

3. Acceptationem ex parte ipsius donatarii, ut habeatur perfecta donatio. Hoc modo donatio est primus ex contractibus gratuitis, cum nihil importet oneris vel conditionis, sed usus rei et res ipsa ex se irrevocabiliter tribuatur. Si tamen deficiant prædictæ conditiones, tunc dicitur *donatio impropria.*

R. Ad 2: Præter distinctionem donationis in *propriam*, et in *impropriam*, alia datur a Juristis in donationem *inter vivos*, et in donationem *causa mortis;* in donationem *mere gratuitam et remuneratoriam* seu *antidotalem.*

(**) Item in donationem puram seu absolutam et in donationem non puram seu conditionatam (*).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor l.* 3, *nn.* 721, *et seqq.*

(2) «Pablo dice (ait *Gousset*) de cuando en cuando á su criado que quiere recompensarle sus servicios, y que se propone hacerle un legado ó bien darle cierta cantidad de dinero. Muere Pablo sin haber hecho disposicion alguna á favor de su criado. ¿Podrá este tomar la cantidad que cree le habia sido prometida? No; porque una cosa es dar, y otra cosa formar el proyecto de dar, ó hacer una especie de promesa vaga general, sin tener intencion de quedar á ella obligado.»

Donatio *inter vivos* fit *absque ulla contemplatione mortalitatis*, et donator vult rem dono traditam cito fieri propriam donatarii.

Donatio *causa mortis* ex adverso fit *contemplatione* et *intuitu mortis*, et donator vult rem dono indicatam non fieri propriam donatarii; nisi post mortem sui.

(**) Donatio mortis causa differt a donatione inter vivos. Primo: quod donatio inter vivos semel facta ex se et rebus immutatis est irrevocabilis, statimque transfert dominium irrevocabiliter (1). Non sic autem donatio mortis causa, quæ ante donantis mortem firma non est, quia semper vel donantis pœnitudine, vel propter donatarii prævenientem mortem vel aliis modis extingui potest (2).

Secundo: quod donatio mortis causa evanescat moriente ante donatorem donatario, nec transmittatur in hoc casu ad hæredes (3). Secus in donatione inter vivos.

Tertio: quod ad donationem inter vivos quingentos solidos excedentem requiratur insinuatio apud Judicem (4). Non sic autem ad donationem mortis causa (5).

Differunt etiam ratione effectus ad quem præcipue respiciendum est: ex donatione enim inter vivos statim transit dominium et hinc, ut dictum est, irrevocabilis est: non autem ex donatione mortis causa, quæ per omnia fere similis legatis esse dicitur (*).

Donatio *mere gratuita* procedit a sola donantis liberalitate. *Remuneratoria* vero oritur ex animi gratitudine ob acceptum beneficium vel obsequium. Ex his patet: donatio *causa mortis* est donatio *impropria;* sicut donatio *intuitu matrimonii*, et *inter sponsos*.

(**) Donatio pura seu absoluta est illa, qua aliquid simpliciter absque ulla limitatione vel conditione donatur: non pura seu conditionata est illa, qua aliquid non simpliciter sed sub certa aliqua conditione donatur (*).

Q. 2. *An donatio ante acceptationem sit valida?*

R. Negative: donatio ante acceptationem non est valida; nemo enim potest acquirere jus in res alienas, quin prius consentiat. Hinc donatarius, si *nesciat rem, quæ apud se est, sibi esse donatam, donatæ rei dominus non fit* (6); et donatio ante acceptationem revocari potest, etiamsi juramento firmata sit, cum juramentum sequatur naturam actus, cui adnectitur. Excipitur, si sit facta contemplatione certi et determinati matrimonii, antequam sit initum; quæ donatio ob defectum acceptationis nequit impugnari.

Quid (inquies) *si donatio fiat ad causas pias?* Vel ea fit immediate Deo in piarum causarum utilitatem, v. g. pro altari in Ecclesia ad Missæ celebrationem ædificando: vel fit inmediate ipsimet causæ piæ, v. g. hospitali pro infirmis curandis.

Si 1, valet donatio quia se habet ad instar voti, quod a Deo illico acceptatur. —Si 2, *probabilius* tenent eam non valere, quia generatim ad donationis valorem requiritur acceptatio. In dubio intentionis præsumitur ani-

(1) *L. final. Cod. de revocat. donat.*
(2) *L.* 32, *ff. de donationibus.*
(3) § I, *de donationibus.*
(4) *Arg.* § *Aliæ autem* 2. *Inst. de donat.*
(5) *L. fin. c. de donat. mort. causa.*
(6) Dig. c. absenti de donat.

mus vovendi; quia in causis piis communiter intentio fertur primario in Deum (1).

Q. 3. *An validæ sint donationes, si fiant ab ære alieno gravatis?*

R. *Verius* ac *communiter* docent invalidas esse donationes factas ab ære alieno gravatis; ideoque eum peccare qui illas accipit, et omnino teneri ad compensationem damni quod inde obvenerit creditoribus. Nam sicuti donans læsit justitiam se reddendo imparem solvendis debitis suis; ita læsit quoque donatarius, qui *positive* cooperatus est injustæ donantis actioni cum creditorum præjudicio. Donatio nempe non consistit in sola voluntate donantis, sed etiam in voluntate accipientis; sine qua donatio non potest fieri; ideoque licet donatarius non sit *causa motiva*, est tamen *causa* vere *influxiva*, et *efficax* alienationis rei in damnum creditorum (2).

Q. 4. *Quæ res donari possunt, et in quali quantitate?*

(**) *Ad qualitatem* quod spectat, donari possunt res omnes quæ sunt in humano commercio etiam incorporales (*).

(**) *Ad quantitatem* quod attinet animadvertendum est jure positivo civili specialiter prohibita esse duo donationum genera, scilicet: donationem omnium bonorum et donationem liberalem excedentem 500 solidos absque insinuatione factam. Donatio omnium bonorum, præsentium et futurorum, mobilium et immobilium prohibetur et irritatur expresse (3) quia talis donatio aufert facultatem testandi, quodque juri civili indecens et Reipublicæ noxium censetur. Cessante autem hac ratione, donatio valebit in utroque jure et foro. Hinc valida est donatio omnium bonorum præsentium, quia non adimit sibi donator potestatem testandi de futuris. Sic etiam valida esset donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, excepto usufructu, quia eo ipso quo excipiuntur fructus percipiendi, potest donator testari de iis, quos ante mortem perceperit. Item valida est donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum mortis causa facta, quia hæc non adimit facultatem testandi cum sit revocabilis (4). His adde quod in duobus casibus est valida donatio omnium bonorum, quamvis adimatur donatori testandi facultas. Primus casus est, quando inter *vivos* fit talis donatio Ecclesiæ vel ad ali-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 726.—Ex tradita doctrina plura resolvuntur: 1 donatio facta absenti, si per nuntium fiat, potest revocari, donec coram nuntio acceptetur; 2 post mortem donantis probabilius non potest valide donatio acceptari, etsi donatio sit jam facta, et donans ante mortem mittat nuntium aut epistolam; nam post mortem donantis nequit voluntas ejus uniri cum donatarii consensu. Cum tamen adhuc probabile sit, quod possit acceptari, quia donatio potest dici permanere virtualiter in nuntio vel litteris, ideo dicimus: qui sic acceptavit bona fide, cum jam acquisierit possessionem, juste potest retinere; 3 si donatio nondum sit facta, sed mandata fieri a nuntio (per illum etiam munere misso), tunc post mortem donantis amplius acceptari nequit ex I. *inter causas ff. Mandati* (quamquam alii adhuc putant posse acceptari, cum sit quasi gratia facta). Cæterum si hæc donatio fuerit facta a nuntio, inscio tam nuntio quam donatario mortis mandantis, tunc donatio valebit ex citata lege; 4 mortuo donatario ante acceptationem probabilius ejus hæres non potest acceptare donationem, quia hæres succedit in juribus realibus defuncti, non autem personalibus, uti est jus acceptandi donationem. Concedit tamen Lessius quod si hæres sit filius donatarii ex æquitate posset acceptare; cum talis præsumenda tunc sit mens donatoris. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 728 etc.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 722.

(3) *L. Stipulatio hoc modo* 61 *ff. de verbor. obligat.*

(4) *Inst.* § 1, *de donation. et l.* 32 *ff. eod tit.*

quam piam causam, quia jus civile non potest restringere officia pietatis, et consilia Evangelica (1). Secundus casus est, quando talis donatio cuicumque facta juramento firmatur, quia adimere sibi facultatem testandi per donationem omnium bonorum, servatis sibi solum alimentis necessariis, per se malum non est, sed potest esse opus bonum ex bono fine (2) (*).

Q. 5. *Quinam donationes agere valent, et acceptare?*

R. Ad 1: Illi soli donare possunt, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, et testari queunt. Hinc donare nequeunt: — 1, tutores de bonis minorum nisi agatur de parvis donationibus remuneratoriis, et de eleemosynis; — 2, prodigi sive de jure sive de facto. Item minores licet habilitati, nisi agatur de contractu matrimoniali, vel de donationibus modicis, quas alii ejusdem conditionis agunt; — 3, uxores sine consensu mariti vel tribunalis.

R. Ad 2: Ii possunt donationes acceptare, qui non prohibentur a lege. Prohibentur autem: — 1, incapaces ad acquirendum per testamentum; — 2 conjuges inter se, matrimonio ipso durante. Quod merito statutum est, ne mutuato amore invicem spolientur.

Q. 6. *Quid de donationibus factis sponsis occasione matrimonii?*

R. Donationes, quæ fieri quandoque solent sponsis occasione certi et determinati matrimonii, a quocumque tandem fiant, consistunt in bonis vel præsentibus, vel in futuris, vel in utrisque simul.

1. Si donationes sint de bonis præsentibus, sive proveniant ab extraneis sive a parentibus, sive fiant utrique sponso sive tantum alterutri, iisdem regulis subjacent, quibus donationes cæteræ inter vivos, sed cum his clausulis: — 1, cum sitæ donationes induant naturam donationis impropriæ (quia habent pro causa dati matrimonii celebrationem); ideo nequeunt invalidari ob defectum acceptationis in donatariis, neque revocari ob eorum ingratitudinem; — 2, si matrimonium non sequatur, habentur uti non factæ.

2. Si donationes sint de bonis *futuris*, complectuntur bona, quæ tempore mortis suæ habebit donator, et inducunt in ipso donatore quamdam obligationem relinquendi tempore mortis suæ illa bona donatario (3).

3. Si donationes sint circa bona præsentia simul et futura, videndum an actui donationis fuerit adnexum inventarium bonorum cum debitis et oneribus donatori inhærentibus super iis bonis; an non.

Si 1, moriente donatore, potest donatarius eligere inter hæc duo: *vel* acceptare omnia bona existentia tempore mortis donatoris ipsius, et solvere omnia ipsius debita, *vel* acceptare bona existentia tempore actæ donationis solvendo debita item eodem tempore extantia.

(1) *Arg. Eccles. S. Mariæ* 10 *de Constitut.*

(2) Sporer *n.* 56, Covarr. *Rubr. de test. part.* 2, *n.* 13, Molina, Lessio, Lugo. etc. — *V.* Ferraris, Bibliot. *V.* Donat. *nn.* 50, 51 *et seqq.*

(3) *Ergone* (inquies) *non amplius in vita sua de bonis illis poterit aliter disponere donator?* Non poterit titulo gratuito: v. g. donando aliis bona ipsa, quia hoc titulo jam de iis disposuit in actu donationis prioris; sed poterit disponere titulo *oneroso* et extra fraudem, v. g. annuo canoni pecuniario bona illa subjiciendo, non ut donatarium bonis privet, sed ut bona ipsa in melius convertat: imo potest donator de bonis illis disponere etiam titulo *lucrativo*, v. g. vendendo, dummodo supersit quantum satis sit ad implendam donationem.

Si 2, donatarius non habet jus, nisi ad bona existentia tempore mortis donatoris. Idcirco debebit *vel* omnia acceptare cum debitis et oneribus, *vel* omnibus valedicere. Ratio discriminis est: in *primo* casu bona actu donationis vi illius inventarii censentur cito translata in dominium donatarii. In *secundo* non sic ob inventarii defectum.

Q. 7. *Quænam solemnitates et conditiones requiruntur ad donationis valorem?*

R. (**) *De jure positivo* donationes fieri debent secundum formas præscriptas a lege, saltem ut effectum obtineant in foro externo (1) (*).

Q. 8. *Quinam sunt donationis effectus?*

R. Donationis *effectus* duo sunt:

1. Ut proprietas rei donatæ in donatarium transferatur etiam absque ipsa formali traditione.

2. Ut donatio natura sua irrevocabilis sit, nisi gravis ac probata causa intervenerit, quæ revocationem permittat.

Sed quæ erit probata et gravis causa donationem revocandi?

R. (**) Tres sunt causæ principales ob quas donatio revocari potest, scilicet ob ingratitudinem donatarii, ob prolem postea susceptam, et si donatio sit inofficiosa liberis (*).

1. (**) *Ob donatarii ingratitudinem:* en verba juris (2): *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris eam poterit revocare. — Si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est.* Quinque autem ibidem enumerantur casus in quibus a donatario censetur committi ingratitudo sufficiens pro facienda revocatione donationis, quæ ingratitudo hisce versiculis includitur:

Ingratum faciunt atrox injuria, damnum;
Impia dextra, fides fracta, pericla necis.

(**) *Primus* casus est, si donatarius in donatorem injurias atroces effundat (3). Quænam autem sit injuria atrox, relinquitur judicanda arbitrio ju-

(1) Est autem *probabilius* ac *commune* dona usualia, si sint libere facta inter personas habiles, in parte disponibili, adhuc in conscientia vim habere (saltem ante judicis sententiam), etsi cæteræ solemnitates a lege civili præscriptæ non fuerint observatæ. *V.* Codice civile spiegato. — It. Tartara *Supplementum ad Theol. Moral. cl.* Alasia *ex novo Codice civili*, Taur. 1839. It. dicta de *solemnitatibus in testamentis, et contractibus in genere.* Et talis revera est usus.

Inter hæc dona numerantur ex *Bouvier*.

1. Donatio *de manu ad manum*, ut cum donantur libri etc.

2. Donatio *indirecta*, quæ nempe occultatur sub specie contractus onerosi, ut cum quis v. g. vendit Titio villam suam 100, sed statim obligationem illi tradit, pretio non accepto, cum intentione pretium condonandi.

3. Donatio *accessoria*, seu quæ ex conventione cum tertio inita sequitur, v. g. domum meam vendo Petro ea conditione, ut 100 donet Paulo.

4. Donatio *remuneratoria*; id est quæ fit ob beneficium acceptum, vel officium præstitum, maxime cum hæc sit quasi compensatio.

5. Donatio *onerosa*, ea nempe cui donator quoddam adnectit onus: tunc enim est potius quæ-dam solutio vel commutatio. Hisce regulis; si nempe recte accipiantur atque explicentur, pluribus incommodis ac difficultatibus occurri potest.

(2) *Ex c. Propter* 10. *de donat.— Cod. de revocand. donat.* (3) *Cit. l. ult. et cit. c. Propter.* etc.

dicis ex facto, loco, qualitate personæ tam injuriantis quam injuriatæ, aliisque circumstantiis (1) (*).

(**) *Secundus* casus est, si donatarius grave damnum inferat donatori in rebus seu bonis suis externis (2). Quod autem sit grave damnum, judicis arbitrio judicandum relinquitur spectatis facultatibus donatoris aliisque circumstantiis (*).

(**) *Tertius* casus est, si donatarius manus impias, ac violentas injecerit in donatorem (3). Dicitur autem quis manus impias ac violentas injicere, sive manibus, sive pedibus, etc. sive per se sive per alium id fiat et dummodo percussio sit graviter injuriosa, et non sine culpa mortali (*).

(**) *Quartus* casus est, si donatarius conditiones in donatione appositas et a se acceptatas nolit adimplere; si v. g. pensionem annuam cui se obligavit nolit solvere etc (*).

(**) *Quintus* denique casus est, si donatarius grave periculum vitæ donatori inferre præsumpserit, etiamsi mors secuta non fuerit quia Jura ob solam attentationem, seu positionem periculi etiam effectu non subsecuto, facultatem revocationis concedunt expresse (4) (*).

Numquam vero fit locus revocationi ea de causa: — 1, si donatio facta sit Ecclesiæ vel causæ piæ, v. g. monasterio; quia hæc donatio primario facta est Deo ipsi, qui ingratus esse non potest; — 2, si donatio sit improprie dicta, quia hæc in odiosis donationis nomine non venit: — 3, si donator scivit ingratitudinem, et tamen donationem non revocavit; nam censetur remisisse; —4, si facta sit donatio causa alicujus determinati et certi matrimonii.

2. Ob *supervenientem prolem* donatori ipsi. Hæc revocatio pleno jure suum sortitur effectum statim ac donatori superveniat filius legitimus et naturalis, etiamsi postumus, idest natus post mortem patris; vel si legitimetur per subsequens matrimonium, casu quo natus sit post actam donationem.

Causa cui hæc revocatio innititur est, quod donans censetur actu donationis non prævidisse in se ipso vim illam, quam natura ipsa excitat in cor patris, quando ipsi oritur filius. Ac tunc bona ab omni onere libera ad eum redeunt.

3. (**) *Si donatio sit inofficiosa liberis.* Est illa quæ fit contra officium pietatis paternæ in filios, ut si pater vel mater, uni vel pluribus filiis aut etiam extraneis in tanta quantitate donavit, ut reliquis filiis legitima non remaneat. In eo casu jus est reliquis filiis donationem revocandi usque ad eorum legitimam (5). Quod jus competit non solum filiis descendentibus, sed etiam parentibus et ascendentibus: si nempe liberi eorum tam excessivas donationes faciant, ut non remaneat eis debita de jure legitima, casu quo præfati donatores absque liberis seu nepotibus moriantur (6) (*).

Quid (dices) *si donator in ipso actu donationis renuntiaverit huic juri revocationis ad prolem sibi supervenientem?*

Invalida erit talis renuntiatio, nisi agatur de donatione impropria, qua-

(1) *Cit. l. ult. et cit. c. Propter.*
(2) *Inst.* § *Atroæ de injur.*
(3) *Inst. loc. cit.*
(4) *Inst. ibidem.*
(5) *L. Si totas* 5, *l. si Mater* 7, *et l.* 8. *Cod. de inofficios. don.*
(6) *L. si Filius* 4. *Cod. de inofficios. don.*

fiat occasione alicujus matrimonii certi et determinati. Quo etiam in casu tribuitur filiis facultas reductionem petendi (1).

(**) Quæres, quousque se extendat constitutio *Trident. ses.* 25, *c.* 16 *de regular.* irritans donationes, et renuntiationes, etiam juratas, quæ fiunt ab ingredientibus religionem, nisi fiant cum licentia Episcopi, sive Vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, et professio postea subsequatur?

R. 1. Hanc constitutionem non habere locum in codicillis, testamentis, aut donationibus mortis causa: quia hujus constitutionis ratio est, ne per renuntiationem hæreditatis novitiis imponatur necessitas profitendi: hæc enim ratio cessat in his ultimis voluntatibus, quippe quæ usque ad professionem revocabiles sunt. Quare valet adhuc hodie testamentum a novitio conditum, neque rumpitur secuta professione, etsi Monasterium in eo præteritum fuerit, *Sanch. l.* 7, *cap.* 5. Qui autem licite a Religione recedit, recuperat omnia bona cuicumque ante donata intuitu ingressus in Religionem.

R. 2. Ea constitutione non prohiberi donationem modicam, quia cessat ratio, *Sanch. n.* 23.

R. 3. In ea comprehendi renuntiationem Beneficii ecclesiastici. Ratio est quia hæc est amissio magni juris ob quam libertas egrediendi a religione impeditur. *Sanch. n.* 37.

R. 4. Per eamdem etiam irritantur renuntiationes quæ fiunt ante ingresum religionis, intuitu vel causa impulsiva ingrediendi; qualis intentio in dubio præsumitur, si non multo ante ingressum factæ sint. Ratio est, tum quia Concilium absolute loquitur, tum quia alias non sufficienter consuluisset libertati novitiorum, *Nav. Less. l.* 2, *c.* 41, *n.* 40, cujus sententia tamen est probabilis. Unde sic donatum tuto retinere potest, donec per sententiam judicis rescindatur.

R. 5. Irritam esse etiam donationem, seu renuntiationem bonorum, sub conditione professionis edendæ factam, ita ut ea non secuta, corruat. *Navarr.* etc. Ratio est, quia donantes seu renuntiantes ægre contristant donatarios, ut eos de professione semel capta dejiciant; et Monasteria quæ tales donationes acceptarunt, omnes modos adhibent, ut tales ad professionem inducantur. *Laym. cap.* 7, *n.* 8.

R. 6. Non obstante hac constitutione, validas esse renuntiationes ante vel post ingressum Societ. JESU factas, juxta ejus constitutiones. Ratio est, quia Tridentinum societatem disserte excipit. Dixi (juxta constitutiones) quia in iis donationibus quæ contra constitutiones fiunt, non videtur habere locum, quia Tridentinum id voluit in favorem Societatis. Quod autem ob gratiam alterius conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *Molin. Sanch.* etc. (*) (2).

Ad donationem pertinere potest dos propter nuptias, et promissio.

(1) Hic quærit Auctor, quid de donationibus factis occasione ingressus in Religionem? cui interrogationi respondet in medium afferens Codicis Albertini dispositionem circa eamdem materiam, causas subjungens nullitatis renuntiationis factæ. Ejus loco doctrinam S. Liguori, *Op. Mor. n.* 935 apponimus circa irritationem donationum et renuntiationum, quæ fiunt ab ingredientibus religionem etc., factam per constitutionem Concilii Tridentini *sess. cit.* N. E.

(2) La doctrina espuesta sobre las donaciones es en general conforme al derecho español. La ley

COROLLARIUM I—*De dote propter nuptias.*

Q. *Quid est dos, et quid de ea dicendum?*

R. Ad 1: Omnes tam Juristæ, quam Theologi ita solent dotem definire, ut sit *donatio ab uxore vel ab alio ejus nomine in maritum collata ad sustinenda onera matrimonii.*

Alia dicitur *æstimata*, alia *inæstimata*. *Æstimata* consistit in certa pecuniæ quantitate, vel in alia re quacumque, cui competat numerus, pondus atque mensura.—*Inæstimata* consistit in aliqua re mobili vel immobili, quæ marito tradatur absque ejus valoris æstimatione.—Adest inter utramque duplex discrimen:

1. Quod *illa* transeat in plenum dominium mariti pro matrimonii oneribus sustinendis; *ista* tota remaneat commissa periculo uxoris.

2. Quod cum *primæ* maritus efficiatur verus et solus proprietarius, potest de ea disponere pro arbitrio suo, modo pretium æstimatum legaliter repræsentet; *secundæ* autem, cum ejus proprietas sit uxoris, maritus non habet nisi usumfructum.

(**) Item dividitur dos in *profectitiam*, et *adventitiam*. *Profectitia* est quæ a patre vel ab alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio, intuitu tamen patris datur. *Adventitia* est illa quæ nec ab ascendente paterno, sub ab alio absque ullo intuitu patris datur (1) (*).

Sed (quæres) *in quanam quantitate dos est tribuenda?*

(**) Ad regulandam dotis quantitatem, attendenda sunt bona patris, et qualitates sponsi v. g. nobilitas, divitiæ etc (*).

primera tit. 7.º lib. 1º, de la Nov. Recop. las divide como el autor en donacion entre vivos y donacion entre muertos, estableciendo las mismas ó casi las mismas diferencias entre ambas. La primera puede hacerla cualquiera que tenga la libre administracion de sus bienes, y por consiguiente no puede hacerla el menor de veinticinco años, ni el loco ó mentecato, ni el pródigo declarado tal por sentencia del juez, ni la mujer casada durante el matrimonio, ley. 10.ª tit. 4.º Part. 5ª. El hijo que está en la patria potestad, solo puede hacerlo de sus bienes castrenses ó cuasi-castrenses sin otorgamiento del padre, y de los profecticios puede dar alguna cosa á su madre, hermana, sobrino etc. ley. 5ª, título y Partida citados. La ley. 4ª, hace consistir la perfeccion de la donacion pura y simple en el consentimiento del donador y la acceptacion del donatario; así como la ley. 5ª, la de la donacion condicional del cumplimiento de la condicion.

En cuanto á la cantidad la donacion entre vivos no puede pasar de veinticinco mil seis cientos reales segun unos, ó siete mil tres cientos cincuenta y dos segun otros á menos que se haya insinuado ante el juez competente y este haya interpuesto su autoridad y decreto judicial; ley. 9.ª tit. 4.º Part. 5.ª; pero la misma ley esceptua de la necesidad de la insinuacion de las donaciones que se hacen al estado por algun particular ó viceversa; 2.º las que tienen por objeto la redencion de cautivos ó la reparacion de alguna Iglesia; 3.º las donaciones *propter nupcias*; 4.º las que se hacen á alguna Iglesia ó establecimiento de piedad.

Así mismo, además de la revocabilidad de las donaciones por supervencion de hijos, por inejecucion del cargo ú obligacion impuesta al donatario, y por ser *liberis inofficiosæ*, admite la causa de ingratitud en los mismos casos que el autor ley 1.ª tit. 12, lib. 3.º del Fuero Real, y ley 10, tit. 4.º Part. 5.ª — Por último puede donar por causa de muerte el que puede hacer testamento. Ley 11, tit. y Part. ya citat. N. E.

(1) L. 5. *in princ. ff. de jure dot.* 1. 6. *c. eod* quoad primam; et quoad secundam, *d. l.* 5. § *si pater.* 6.

Quid (dices), *si dotans vellet filiam excludere per ipsam dotis constitutionem a sui successione hæreditaria?*

Tunc tenetur tradere integram legitimam, quæ ad exclusionem cujuscumque fraudis erit a tribunali determinanda, modis et formis in jure præscriptis (1).

(1) Para que se vea la conformidad de nuestras leyes con el derecho Romano que acabamos de esponer en punto á las donaciones, y por tratar aquí el Autor espresamente de las larguezas esponsalicias, donaciones *propter nuptias*, dotes etc. vamos á dar una breve idea de nuestra legislacion comparada con el derecho Romano sobre el particular.

Por dote ó adote entendemos lo mismo que el Autor, pudiendo constituirse antes ó despues de celebrado el matrimonio segun la *l.* 1, *tit.* 11, *p.* 4. Ninguna diferencia resulta entre ambos derechos en las divisiones que acerca los dotes se hallan espresadas en el testo.

Tienen obligacion de dotar: — 1.° El padre á su hija legítima que está en su potestad. —2.° El abuelo y bisabuelo paternos á su nieta ó bisnieta legítima, cuando esta fuere pobre y estuviere en su potestad, *l.* 1, *tit.* 11, *p.* 4. — 3.° El que tuviere en su poder ó guarda en union con todo lo suyo á una soltera que fuere ya de edad para casar. — 4.° Aquel que pudiendo contraer hubiese constituido dote á aquella en cuyo favor la constituyó, *l.* 1, *tit.* 1, *lib.* 10. N. R. — 5.° La madre hereje á su hija católica, *l.* 5, *tit.* 11, *p.* 4. Sin embargo, aunque las citadas leyes de Partida así lo disponen, solo tendrá lugar semejante obligacion en los padres cuando no hubiere bienes gananciales, pues que segun otras leyes que estan en observancia y que pueden verse sucintamente en la nota que pusimos acerca la sociedad legal entre los conyuges, cuando existieren dichos bienes, de ellos deberán deducirse los dotes; de modo que no será la madre ó el padre quien hab á de dotar, sino que esta carga afectará á los gananciales.

El dominio de la dote pasa al marido, *l.* 7, *tit. cit.* 11, y su administracion le corresponde esclusivamente durante el matrimonio; debiendo cuidar de las cosas dotales con igual cuidado que de las propias y responder de los daños y perjuicios por su culpa ocasionados, *l.* 27, *tit.* 11, *p.* 4. No puede, empero, enagenar las cosas dotales inestimadas á no ser con licencia del Juez y previo conocimiento de causa. El marido puede ser privado de dicha administracion á instancia de la mujer, cuando disipa y malbarata la dote por su mala conducta, *l.* 29, *tit.* 11, *p.* 4, debiendo siempre los frutos invertirse para el sosten de las cargas del matrimonio; y aun en este caso solo se le privará de la administracion si no diere caucion de no enagenar las cosas dotales.

Respecto de las donaciones *propter nuptias* la *l.* 1, *tit.* 11, *p.* 4, *dispone* lo mismo que el derecho Justinianeo.

Las leyes de Partida admiten tambien las donaciones *ante nuptias* conocidas entre nosotros con el nombre de donaciones ó larguezas esponsalicias, que son aquellas que el esposo hace á la esposa y algunas veces esta á aquel antes de celebrarse el matrimonio. No pueden exceder de la octava parte de la dote y la esposa sea de presente ó de futuro lucra la mitad si hubiese intervenido ósculo; y nada sino hubiese este intervenido. Empero si alguno de los dos falleciere despues de consumado el matrimonio, la mujer ó sus herederos ganan toda la donacion á no ser que se hubiesen dado arras, pues entonces deberá la mujer ó sus herederos escoger una ú otra de estas donaciones dentro los veinte dias de requirida, y si no lo hiciere tendrán el derecho de elegir el marido ó sus herederos.

Hemos hablado de arras: Estas son aquella donacion que el marido hace á la mujer antes ó despues de contraido el matrimonio en remuneracion de la dote ó de algunas calidades físicas ó morales de aquella. No puede exceder de la décima parte de los bienes del marido segun la, *l.* 6, *tit.* 1, *lib.* 3, *F. J. y l.* 1, *y* 2, *tit.* 2, *lib.* 3. *F. R.* á cuyas leyes se prohibió renunciar por la *l.* 50 *de Toro*. La mujer puede transmitir abintestato las arras aunque no tenga hijos del matrimonio por el cual se dieron ó prometieron, *l.* 50 *de Toro*.

Las donaciones entre vivos que tienen lugar entre marido y mujer así por derecho Romano como por el de nuestra España son nulas generalmente hablando. Exceptúanse con todo aquellas en virtud de las cuales el donante no se hace mas pobre ó el donatario mas rico, *l.* 4. *tit.* 11, *p.* 4.; las que tienen por objeto reparar un edificio consumido por las llamas, y finalmente los módicos regalos que se hacen en dias señalados, *d. l.* 4, 5 *y* 6, *del tit. cit.*

Acerca la revocacion de las donaciones y sus causas; su limitacion y escepciones á favor de

COROLLARIUM II—*De promissione* (1).

Q. 1. *Quid est promissio?*

R. Promissio *est liberalis, deliberata ac spontanea fidei datio exterius facta et acceptata de re possibili et honesta.*

Dicitur : 1, *liberalis*, et sic discrepat a contractu oneroso;—2 *deliberata*, id est cum plena advertentia: *ac spontanea*, id est immunis ab errore, dolo et metu etiam levi ; nam liberalitas importat omnimodam libertatem ;—3 *fidei datio ;* sic distinguitur et a *donatione*, quæ est rei datio, et a *proposito*, quod est simplex voluntas aliquid faciendi, sed non se strictim obligandi :— 4, *exterius facta*, idest talis ut homo eam cognoscere possit ;—5, *et aceptata*, quia promissio sicut et donatio semper facta censetur sub conditione, *si acceptetur*, adeo ut ante acceptationem semper revocari possit;—6 *de re possibili et honesta*, quia *impossibilium nulla obligatio, et in malis promissis fidem non expedit observari.*

Promissio si sit prodiga obligat ad servandum quod prodigum non est; quia si ex una parte *nulla est obligatio de illicito*, ex altera *utile per inutile vitiari non debet.*—Qui promittit dicitur in jure *promittens*, vel *promissor;* ille cui fit promissio, *promissarius.*

Q. 2. *Quid de promissionibus prout generatim fieri solent?*

R. Promissiones hujusmodi saltem ex justitia ac regulariter loquendo non obligant ; qui enim eo modo promittunt ordinarie non intendunt proprie dictam obligationem suscipere. Sane siquis eos interrogaret, an tamquam fures vel tamquam injusti rei alienæ detentores haberi velint in hypothesi, quod promissiones taliter factas non impleant, negative statim responderent. Hoc etiam sentiunt illi ipsi, in quorum gratiam promissiones hujusmodi factæ sunt.

Diximus 1, *saltem ex justitia ;* quia non desunt qui velint promissiones obligare ex fidelitate, quamquam ne ex fidelitate quidem obligant hoc ipso quod sic promittentes non intendunt fidem suam serio obligare ; et quando dicunt *promitto, polliceor,* nihil aliud exprimere volunt, quam actuale propositum et bonam animi voluntatem erga alios, non vero obligationem stricte sumptam.

Diximus 2, *regulariter loquendo ;* quia promissiones obligant etiam ex justitia, quando reapse constet promittentes obligationem proprie dictam voluisse sibi suscipere.

Talis censetur esse promissio : 1, si juramento firmetur : neque enim quis

ciertos requisitos etc. si se sigue en España puntualmente lo mismo que llevamos espuesto por derecho Romano y pueden consultarse para ello la *l.* 9, *tit.* 4, *p.* 5. —*l.* 6, *tit.* 4, *p.* 5. —*l.* 35 *del mismo título y Partida* etc.

En Cataluña en cuanto á la dote nos regimos por el derecho Romano que con algunas leves diferencias es igual al de Castilla y tanto respecto á esta como al esponsalicio que se llama *creix. escreix ó donacion propter nuptias* entre nosotros es diferente, menos en la Diócesis de Gerona : de la donacion *propter nuptias* de los romanos, pueden verse Ferrer en sus comentarios sobre la célebre constitucion *Hac nostra.* — Vives *tom.* 2, *tit.* 3, *lib.* 5.—Fontan. *claus.* 7, *glos.* 3, *part.* 6. *num.* 64. —Dou *tom.* 1, *pag.* 110, etc. N. E.

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 720, *et seqq.*

censetur usurpare inaniter Sacramentum;—2, si fiat coram testibus ad hoc vocatis, vel notario;—3, si detur chirographum aut aliud instituatur instrumentum; virtus enim sinceritatis et veritatis exigit, ut scripta factis conformia sint, alioquin latissima mendaciis via panderetur;—4, si promissarius fidens promissioni expensas fecisset, v. g. si filium suum educari curaverit, quia alter promiserat ad expensas concurrere, ac postea concurrere renuat.

Q. 3. *An promissio acceptata obliget sub gravi in re gravi?*

R. Certum est promissionem serio factam et a promissario acceptatam in re gravi posse per accidens obligare sub gravi, quando v. g. intercedat ratio gravis damni proximo obvenientis, uti si ego alteri promisissem dare mutuum, quo graviter indigebat, et ille mihi confisus aliunde non prospexisset sibi.

Verum utrum obliget sub gravi per se et ex natura sua disputant.—S. Thomas docet, simplicem promissionem ex natura sua non obligare nisi sub levi etiam in re gravi; quia in ejus opinione promissio quælibet ex se obligat tantum secundum quamdam honestatem, non autem secundum jus civile, hoc est secundum justitiam (1).—Alii contra sentiunt; quia fidelitas promissa jus verum et strictum præbet promissario. Hinc Augustinus ajebat: *omnis fidei violator iniquus est* (2).

Q. 4. *Quomodo interpretandæ sunt promissiones?*

R. Cum tota promissionis vis et efficacia pendeat a promittentis intentione, in ipsius favorem promissio ipsa interpretanda est. Hinc in dubio, an quis voluerit se vere obligare ex justitia, an tantum ex fidelitate, an *graviter*, an vero *leviter*, *probabilissimum* erit eum non obligari nisi *sub levi*, ut dicunt Holzman, Lugo, Sporer etc.

Q. 5. *Quandonam cessat promissionis obligatio?*

R. Cessat obligatio promissionis:

1. Quando promissarius jus suum remittit; remissio enim obligationem tollit.

2. Quando res fit noxia vel impossibilis; nam inhonestorum ac impossibilium nulla obligatio datur.

3. Quando fit noxia vel inutilis promissario; nam tunc omnis cessat promissionis finis.

4. Quando contingit notabilis mutatio non prævisa; tunc censetur neminem velle se obligare: *unde Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum promiserat, ut dicitur 2ª Cor. C. 1 et hoc propter impedimenta quæ supervenerunt.* S. Thomas (3).

ARTICULUS VIII — De deposito, sequestro, fidejussione, commodato, precario et mandato.

Q. 1. *Quid est depositum* (4)?

R. Depositum proprie dictum (5) sive voluntarium est *contractus bonæ fidei, quo alteri res gratis custodienda traditur, ut quandocumque deponenti placue-*

(1) 2, 2, q. 88, a. 3. (2) L. 1, de Doc. Chr. c. 36. (3) 2, 2, q. 100, a. 3.

(4) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3. *n.* 746, *et seqq.*

(5) Sic appellatur, quasi nempe *de manu in manu positum.*

rit, eadem specie restituatur. Ille qui rem deponit, dicitur *depositor* vel *deponens ;* ille vero cui res deposito datur, dicitur *depositarius.*

Diximus *sive voluntarium*, ut indicemus depositum esse duplex, aliud *voluntarium*, aliud *necessarium:*

1.m Est quod fit libero consensu *deponentis* et *depositarii ;* ejus proprietas patet ex dictis.

2.m Ex cui dat causam casus peculiaris, v. g. incendium, naufragium. Idem dicendum de rebus viatorum depositis penes cauponas.

Q. 2. *Quænam sunt depositarii obligationes, ac deponentis?*

R. Ad 1 : *Depositarius* tenetur

1. Ad diligentem rei depositæ custodiam, quasi ea esset sua : imo ad majorem, si *vel* eam promiserit, *vel* si in illius commodum tantum depositum vergat, *vel* si de eo aliquid percipiat.

2. Depositum cum fructibus suo tempore restituere, nisi *vel* obstet sequestrum, *vel* cognoscatur rem esse furtivam, *vel* evaserit deponens ad acceptandum incapax ex lege; qui porro sine causa renuit illud restituere, in carcerem conjici potest.

3. Indemnem deponentem servare, si res sua culpa deterior facta sit ; vel si sit in mora culpabili et res perierit; etsi casu fortuito.

R. Ad 2 : *Deponens* tenetur

1. Ad nutum depositarii, nisi tempus statutum sit, rem suam recipere; quod si illa importuna videatur restitutio, judex definiet.

2. Impensas ac damna resarcire, quæ alter passus est ; æquitas enim postulat, ut ex onere gratis suscepto non sentiat detrimentum (1).

Sed (quæres) *depositarius potestne ex re sibi deposito tradita fructus percipere? et an teneatur usuras deponenti persolvere, si agatur de deposito in pecunia?*

Depositarius nequit fructum ullum percipere e re sibi deposito tradita, nisi adsit deponentis consensus expressus, vel tacitus. Si vero absque tali consensu aliquid perceperit, tenetur perceptum restituere, cum perceperit ex re aliena.

Q. 3. *Quid est sequestrum?*

R. Sequestrum *est species depositi, qua res controversa deponitur apud tertium eo fine, ut post sententiam judicis vincenti tradatur.* Sic dicitur a *sequendo,* eo quod utraque pars contendens fidem tertii sequatur, qui controversiam resolvit, quique dicitur *sequester.*

Duplex autem est, *conventionale* et *judiciale ;* et utrumque extenditur ad bona tam mobilia quam immobilia.

Q. 4. *Quid dicendum de fidejussione* (vulgo *fianza*)?

R. Fidejussio (sic dicta a *fide* et *jussu*) est contractus, *quo unus vel plures in se suscipiunt obligationem alterius debiti solvendi, si debitor ipse non solverit: eo tamen adhuc manente ligato.* Pro ea pretium accipi potest, cum assumptio talis oneris sit pretio æstimabilis. Hæc porro obligatio suscipitur etiam, debitore ignorante, atque semel valide suscepta, transit ad hæredes,

(1) Para España pueden verse las *Leyes* 4, *tit.* 3, *P.* 5. —5, *tit. lib.* v, *del Fuero Juzgo y* 5 *y* 10 *tit.* 3, *P.* 5, conformes en un todo á la doctrina del Autor. N. E.

excepta corporis apprehensione, si eo usque ex natura contractus alter se obstringere debuisset.

Duo autem ad hujus contractus validitatem requiruntur.

1. Capacitas se obligandi: unde mulieres excluduntur, nisi accedat auctoritas tribunalis, vel nisi agatur de mercatura.

2. Validitas contractus, unde debitum exurgit; nam fidejussio est accessorium ac illam supponit. Excipe nisi contractus nullus sit ratione tantum incapacitatis personæ: tunc enim adhuc valet fidejussio, si non agatur de mutuo filiorumfamilias. Item admittitur fidejussio fidejussionis.

Onera fidejussoris hæc sunt: *vel* ipse se obligavit in defectum debitoris tantum, *vel* se obligavit renuntiando beneficio debitorem primum excutiendi, *vel* se obligavit solidarie cum ipso debitore.

Si 1, non tenetur solvere: nisi in defectu. Unde urgere potest, ut prius debitor excutiatur, modo tamen hoc postulet ineunte judicio, et expensas necessarias solvat anticipate, ac bona debitoris indicet quæ libera sint et intra fines jurisdictionis magistratus posita, ubi facienda est solutio.—Si 2, illico solvere tenétur, quin necesse sit, ut ad debitorem fiat recursus.—Idem dicendum est de tertio casu.

Jura vero fidejussoris hæc sunt:

1. Pretio soluto, ipse succedit in omnia jura creditorum contra debitorem;—2, potest petere compensationem omnium damnorum;—3, etiam nondum facta solutione, urgere potest debitorem, ut sese a fidejussione liberet in hisce casibus sic (**) a jure Romano expressis:

1. Si debitor bona sua dilapidet ita ut immineat periculum fidejussori (1).

2. Si fidejussor jam diu fidejusserit, et hoc temporis spatio potuerit solvere debitor (2).

3. Quando fidejussor ad solvendum est damnatus. statim antequam solvat, potest agere in debitorem, ut ipsum liberet et indemnem servet (3) (*).

Q. 5. *Quid est commodatum* (4)?

R. Commodatum (sic dictum, quasi *alterius commodo datum*) est *contractus bonæ fidei, quo res aliqua mobilis vel immobilis ad certum tempus et usum alicui gratis traditur, ut finito usu eadem species restituatur*. Si hæc concessio fiat ad tempus indeterminatum, dicitur *precarium*.

(1) *L. si pro ea C. Mandati.* (2) *L. Lucius* 19 *ff. eodem.*

(3) *LL. cit. et quoad hos omnes casus cap. fin. de fidejussor.* — Por derecho Español el fiador podrá pedir que se le releve de su obligacion y se disolverá la fianza:

1.° Cuando fuese condenado á pagar toda la deuda ó parte de ella.

2.° Si se prolongase la fianza por mucho tiempo cuya regulacion hará el juez; pero esto no se entiende en el caso en que la obligacion principal lleve en sí el transcurso del tiempo y no pueda ser cumplida desde luego: así sucede en las obligaciones de eviccion y saneamiento y en las de los guardadores.

3.° Cuando por no caer en pena y evitar que caiga en ella el deudor principal, deposita la paga que rehusa recibir el acreedor, ó que no puede darle por no hallarlo en el lugar en que debe satisfacerle la deuda.

4.° Si se hubiese señalado término á la duracion de la fianza y hubiese pasado ya.

5.° Si empezase el deudor á malversar sus bienes. — *Ley* 14, *tit.* XII, *part.* V. — Elementos del derecho civil y penal de España por don Pedro Gomez de la Serna y don Juan Montalban. N. E.

(4) V. Liguor. *Op. Mor. l.* 3, *nn.* 744, *et seqq.*

Qui rem concedit, dicitur *commodans* vel *commodator;* ille vero cui conceditur, *commodatarius.*—Commodatum transit ad hæredes, nisi sit peculiariter contemplata persona.

Q. 6. *Quænam sunt munera commodantis*, et *commodatarii?*

R. Ad 1: Ad hæc tenetur *commodator:*

1. Non potest ante tempus definitum absque injustitia rem commodatam sibi repetere; esset enim contra datam fidem. Poterit tamen, si sibi grave damnum impenderet, licet impenderet etiam commodatario ex illa rei repetitione ante tempus; in commodato enim utpote gratuito hæc conditio subintelligitur: *nisi interea contigerit rem esse commodatori necessariam.* Verum requiritur judicis auctoritas.

2. Tenetur de damnis, sed si scienter rem vitiosam tradiderit; nam *in commodante ignorantia non consideratur,* nec facile puniendus est qui tribuit favorem.

R. Ad 2: *Commodatarius* tenetur:

1. Commodatum diligenter custodire, et expensas ordinarias facere;—2, eo uti pro fine tantum determinato;—3, damna resarcire, quæ sua culpa in re venerint. Imo tenetur etiam de casu fortuito, *si* eam servare potuisset suam substituendo, *si* fuerit in mora restituendi, *si* ita conventum sit, *si* ea fuit æstimata nec aliter pactum sit, *si* demum ad diversum usum vel tempus diuturnum contra præscriptum ea ipse fuerit usus;—4, tempore statuto rem domino reddere.

Q. 7. *Quid est precarium* (1)?

R. *Precarium* (sic dictum, quia *ad preces* petentis conceditur) non differt a commodato, nisi in hoc, quod usus rei precario datæ possit ad nutum concedentis revocari. Definitur autem: *contractus, quo petenti conceditur res utenda, non ad certum tempus, sed donec concedenti ipsi libuerit.*

Precarium cessat per mortem accipientis, non vero per mortem dantis, si ab hæredibus minime revocetur: patet ex ipsa natura rei.

Q. 8. *Quid est mandatum* (vulgo *procura)?*

R. Mandatum (sic dictum, *quasi manu datum*) definiri solet: *contractus bonæ fidei, quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum gratis administrandum gerendumve suscipitur.* Ex quo patet, mandatum gratis iniri: unde si merces intercedat, erit locatio-conductio operarum. Si tamen aliquod detur honorarium, non desinet mandatum esse *gratuitum,* cum honorarium longe differat a mercede.

Qui mandat, dicitur *mandator* vel *mandans;* cui datur mandatum, *mandatarii* nomine solet indicari, et potest etiam esse mulier et minor emancipatus, sed cum consensu mariti et curatoris.

Mandatum aliud *judiciale* est, quod vulgo dicitur *procura ad lites;* aliud *extrajudiciale*, seu *procura ad negotia.*—Aliud *generale*, si omnia gerenda negotia comprehendat; mandatum tamen generalibus verbis conceptum non respicit nisi actus administrationis.—Aliud *speciale*, si aliquod tantum negotium, vel certa negotia comprehendat.

Ad mandati valorem requiritur missio mandantis et mandatarii acceptatio

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *n.* 745.

expressa vel tacita. Item scriptura, si mandatum respiciat immobilia, vel actum ex sui natura publica scriptura concludendum.

Q. 9. *Quænam sunt officia mandantis, et mandatarii?*

R. Ad 1: *Mandans* tenetur

1. Mandatario refundere expensas, quas propter mandatum fecerit, et omnia simul damna resarcire, quæ mandatarius ipse *occasione mandati* passus fortasse sit, etiamsi res bonum et felicem exitum non habuerit;—2, solvere usuras pecuniarum, quas mandatarius in antecessum solvit. Si vero mandatarius sit a pluribus constitutus, singuli tenentur erga ipsum in solidum; non item vero, si plures sint constituti mandatarii (alia conventione præclusa) tenentur in solidum erga mandantem.

R. Ad 2: *Mandatarii* obligationes sunt:

1. Ut mandati limites non excedat, v. g. pluris quam sibi præscriptum est, emendo aut vendendo;—2, ut rem vel negotium cum debita diligentia gerat;—3, ut mandanti reddat quidquid vi mandati percepit sive titulo et causa lucri, sive etiam titulo et causa doni; quia cum non agat nisi nomine mandantis, eidem, non sibi acquirit. Si vero mandatarius alium substituit, tenetur de substituti culpa, quando illum substituendi non fuit ei tributa facultas; vel si fuit tributa, substituit inhabilem, non designatum: semper tamen poterit mandans contra substitutum, si velit, agere.

Q. 10. *Quot modis extinguitur mandatum?*

R. Mandatum extinguitur:

1. *Per revocationem* mandantis expressam vel tacitam, ut si alium substituat in eadem re primum certiorem reddendo:—2, *per* mandatarii *renuntiationem* notificatam, et factam tempore congruo;—3, *per mortem* naturalem ejusdem, vel civilem. Item *per interdictum*, vel *decoctionem;* quibus obvenientibus habetur uti prorsus inhabilis ad administrandum.

Quidquid tamen agit mandatarius, validum est quoad illos, qui sunt in bona fide, licet ejus mandatum cessaverit. Quare præstat ut revocatio publicetur, ita ut ea omnibus possit opponi.

ARTICULUS IX—De sponsione, ludo et assecuratione.

Q. 1. *Quid est sponsio, et an licita* (1)?

R. *Sponsio* (vulgo *apuesta)* est *contractus, quo duo vel plures de veritate et eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit qui fuerit veritatem assecutus.* Si debitis conditionibus prædita sit, nulla lege per se prohibetur; est enim contractus fortunæ, quo uterque spondens sese periculo æqualiter exponit. Imo aliquando est honesta recreationis species inter amicos usitata, et etiam stimulus ad aliquid perficiendum.

Non tamen negandum, quod in praxi regulariter vix caret culpa veniali; quia deest, ut plurimum, motivum cohonestans licitæ recreationis. Hoc sensu videtur intelligendus S. Antoninus, qui lucrum sponsionis appellat *turpe, utpote nulli deserviens utilitati, sed vanitati et prodigalitati.*

Debitæ sponsionis conditiones sunt:

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 869, *et seqq.*

1. Ut sit de re dubii eventus quoad utrumque spondentem; secus non esset æqualitas in re.

2. Ut uterque accipiat eodem sensu id, de quo spondetur; alioquin numquam convenirent in unum.

3. Ut non sit circa illicita; neque tenet obligatio contra mores: talis est sponsio vere animalis circa ingluviem et potum.

4. Nec pariter tenet, si sit circa Pontificis electionem aut super ejusdem vitam vel mortem, quod expresse prohibuit S. Pius V Bulla *In eligendis* (1).

Quid (dices) *si quis manifestet se certo rem scire, et alter adhuc perseveret in sponsione?*

Probabilius tenent sponsionem hujusmodi invalidam esse: tunc enim æqualitas deesset, et sponsor haberetur ut insanus. Sicut qui vellet pertinaciter emere gemmam tamquam veram, licet certior factus sit esse falsam: eo in casu fatentur omnes nullum esse emptionis contractum; ergo a pari. Nec refert quod ille cedat juri suo; cedit enim ex errore.

Excipe si ille qui a principio certus videbatur de aliqua re, postea, altero contradicente ac spondere volente, incipiat et ipse dubitare advertens jam alias errasse in iis, quæ sibi certa videbantur.

Q. 2. *Quid est ludus, et an licitus* (2)?

R. Quamvis ludus sæpe cum joco ac lusu confundatur; differt tamen, si recte loqui velimus. Nam *ludus* proprie dicitur in factis, *jocus* in verbis, *lusus* vero magis fit voluptatis causa, quam lucri spe.

Non hic loquimur de ludo prout generatim sumitur, seu ut est simplex animi relaxatio; sic enim licitum esse nemo dubitat; nam sicut corpus quiete indiget, ne nimio labore frangatur; ita anima, ne continua meditatione enervetur. Sermo noster est de ludo in ordine ad justitiam, quo sensu definitur: *contractus, quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori cessuro.* Et triplicis est generis: *alius* in quo sola virtus; *alius*, in quo mera sors; *alius*, in quo partim virtus, partim sors dominatur.

Porro talis contractus *jure naturæ spectato,* et *si debitæ adsint conditiones* est profecto licitus. Sicut enim potest quilibet dominus rem suam absolute donare, ita potest etiam illam tradere sub conditione aliqua. Aliunde oblectamenti genus est. Adde utriusque partis eamdem esse conditionem: unde qui ludendo perdidit, solvere tenetur: libera enim conventio servanda est.

Diximus: 1: *jure naturæ spectato;* nam quoad ludos meræ sortis, eos vetat expresse lex civilis, ac contravenientes graviter punit (3). Et merito; hi

(1) Et addit Roncaglia, Gregorium XIV id Bulla *Cogit nos* extendisse ad electionem Cardinalium, addita excommunicatione *latæ sententiæ* quoad electionem Pontificis et *reservata.* Videtur tamen ad eam incurrendam requiri, ut notabilis summa sponsioni exponatur; quia materia *levis* non potest constituere culpam *gravem*, nec proinde subjici pœnæ adeo *gravi.* — En España, la ley 15, tit. 23, lib. 12, Nov. Rec. prohibe las apuestas en los juegos, aun en los que están permitidos, bajo las penas que la misma declara para los prohibidos, segun las diferentes clases de personas. Segun el espíritu de la misma ley, tampoco deben sostenerse las apuestas en que se arriesgan cantidades escesivas y desproporcionadas á la fortuna de los que las hacen. N. E.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 871, *et seqq.*

(3) En cuanto á España puede verse todo el *título* 23, *lib.* 12, *de la Nov. Rec.* y diferentes decretos y órdenes reales: sobre todo la pracmática real de Carlos III, mandada publicar en 6 de Octu-

enim otium fovent, rixas atque blasphemias.—Per se tamen loquendo *commune* est et *certum* inter DD., laicis id non esse per se sub gravi peccato prohibitum. Imo *probabilissime* respectu ad leges positivas, laici ludentes ne *venialiter* quidem peccant (1). Ajunt enim jus Canonicum consuetudine esse derogatum; jus vero civile respicere tantum pœnas.

Diximus: 2, *modo debitæ adsint conditiones,* quæ quidem sunt:

1. Ne ludo turpe aliquid misceatur et inhonestum sive facto sive etiam verbis. *Duplex* (ajebat Tullius quamvis gentilis) *distinguitur jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: aliud elegans, urbanum, ingeniosum, facetum.*

2. Ut nulla in ludo sit occasio peccandi, aut scandalum vel damnum alterius. Sic v. g. *communiter* peccaret ex hoc capite *peccato mortali*, qui totum se ludo traderet, cum sciat se in blasphemias, in verba inhonesta et in peccata similia prolabi, vel impotentem fieri ad debita persolvenda atque alendam familiam. Unde summa, quæ ludo exponitur, sit modica juxta cujusque conditionem et facultatem.

3. Ut non ludatur principaliter ob lucrum; nam finis proximus ludi esse debet animi levamen et oblectatio, ut sic animus ipse promptior evadat et aptior ad proprii status officia obeunda. Hinc *probabilius* docet Angelicus, ludere unice propter lucrum cupiditati deserviens non excusari a *veniali* ob quamdam turpitudinem (2). Et ait idem doctor ex Aristotele: *parum de delectione sufficit ad victum, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo* (3).

4. Ut omnis fraus absit, et injuria. Unde oportet, ut sit æqualitas moralis quoad omnes ludentes in spe lucrandi, et in periculo perdendi, ne sit ludus justitiæ læsivus (4).

5. Ut quæ ludo exponuntur, sint propria ludentium, et in eorum dominio, ac in eorum libera disponendi facultate, ut patet (5).

Q. 3. *An lucrum ex ludis possit tuta conscientia retineri?*

bre de 1771, en la cual se prohibe bajo graves penas á todas las personas estantes en España, de cualquier clase y condicion que sean, el jugar ó permitir juegen en sus casas los juegos de banca ó faraon, baceta, carteta, banca fallida, sacanete, parar, treinta y una envidada, ni otros cualesquiera de naipes que sean de suerte y azar, ó que se jueguen á envite, aunque sean de otra clase, como tambien los juegos del birbis, oca ó auca; dados, tablas, azares y chuecas, bolillo, trompico palo ó instrumento de hueso, madera ó metal ó de otra manera alguna que tenga encuentros azares ó reparos; como tambien el de taba, cubiletes, dedales, nueces, corregüela y otros cualesquiera de suerte y azar. — Véanse los art. 267 y 268 del Código penal, y el Real decreto de 7 de junio de 1850, segun los cuales, «los banqueros y dueños de casas de juego de suerte, envite ó azar, y los empresarios y expendedores de billetes de rifas no autorizadas, serán castigados con la pena de arresto mayor y multa de 20 á 200 duros, y en caso de reincidencia, con la de prision correccional en su grado mínimo al medio y doble multa. — Los jugadores que concurrieren á las casas referidas, con la de arresto mayor en su grado mínimo ó multa de 10 á 100 duros: en caso de reincidencia, con la de arresto mayor y doble multa. — El dinero y efectos puestos en juego, los muebles de la habitacion y los instrumentos, objetos y útiles destinados al juego ó rifa, caerán en comiso.» — Por último, «los que en el juego usaren de medios fraudulentos para asegurar la suerte, serán castigados como estafadores.» N. E.

(1) *Quoad Clericos* autem vid. *Tract. de Oblig.*—*V.* Liguori, *Opus Mor. l.* 3, *nn.* 893, *et segq.*

(2) 2, 2, q. 77. a. 4. (3) 2, 2, q. 168, a. 4. (4) *V.* Sales, *Filotea c.* 32.

(5) Tres primæ conditiones respiciunt *licitum* tantummodo, ceteræ etiam *validum*.

R. 1: Loquendo de filiisfamilias; summa filiisfamilias victa in ludo etiam alioquin de se licito, ipsis restituenda est; qui enim rei dominus non est, aut eam alienare non potest, neque potest de ea ludere (1). Et eo in casu tenetur, ut *verius* dicunt, etiam filiusfamilias lucratum collusori restituere; neque enim esset æqualitas, si hic posset perdere et non lucrari. Excipe tamen, si summa victa filiofamilias sit de bonis castrensibus aut quasi: aut si summa sit parvi momenti, in qua præsumatur patris consensus, qui honestam recreationem non vult filio denegare: aut sit aliqua pars moderata deducta ab alimentis, quæ ei pater subministrat.

R. 2: Loquendo de cæteris, qui nempe rei expositæ in ludo liberam habent administrationem; jure naturæ qui perdidit, tenetur solvere, et qui vicit, potest lucratum (licet de ingenti re agatur, ac ludo prohibito) tuto retinere, ut docent *probabilius* Habert, Bouvier, Billuart, Sylvius aliique contra multos. Sane libera conventio est observanda, cum potest sine peccato; porro hic ludentes peccarunt ludendo, sed non peccant tribuendo (2).

Q. 4. *Quid siquis ad ludendum coactus fuerit?*

R. *Vel* cogens ad ludendum propria peritia alterum valde superabat; *vel* non.—Si 1, non potest cogens sibi retinere quod lucratus est, nam æquale non fuit periculum neque spes; sed tenetur illud restituere saltem juxta mensuram peritiæ, qua alteri præcellebat.—Si 2, *probabilius* docent cogentem posse *per se loquendo* retinere lucrum a tali ludo reportatum; non enim in tali hypothesi coactio aut ludus, sed potius casus et diligentia cogentis fuit causa damni. Et sane si cogens sic perderet, teneretur ex *communi* solvere, et alter posset solutum sibimet retinere; ergo *a pari* poterit retinere, si vincit. Præterea contractus ille, non obstante tali coactione, fuit satis utrinque voluntarius et validus juxta *communem sententiam;* ergo effectum suum producere debet.

Diximus *per se loquendo;* quia si metum passus petat restitutionem, metum incutiens restituere tenetur lucratum; nam metum passus potest pro suo arbitrio contractus rescissionem postulare.

Q. 5. *Quid de iis, qui fraudibus utuntur in ludo?*

R. *Vel* fraudes illæ non adversantur ludi regulis et receptæ consuetudini; *vel* adversantur.

Si 1, non peccat qui iis utitur; scit enim uterque ludens fraudes hujusmodi esse solitas, et sic in illas libere assentitur. Esset si quis sciens se chartas meliores habere, conqueratur tamen et simulet timorem, unde sic alter impellatur ad sponsionem augendam. Vel siquis chartas alterius ex sola ipsius negligentia inspiceret et absque dolo. Vel erraret in numerando; nam nemo tenetur alterius partes agere.

(1) Quod valet etiam de religiosis et uxoribus.— *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *n.* 872 *ad* 876; *l.* 4. *n.* 31; et *Hom. Apost. Tr.* x, *n.* 215.

(2) « Verum, ait *Bouvier*, prudens confessarius per modum satisfactionis injunget pœnitenti, qui sic ex ludo notabilem lucratus esset summam, ut illam vel magnam illius partem pauperibus eroget, vel in alia pia opera impendat: nam talis ludus est inhonestus: ludens igitur peccavit: porro ex pecc. oriri non licet, saltem non convenit; convenit e contra, ut pecunia sic lucrata pie impendatur, ne spes talis lucri ad novum impellat peccatum. »

Si 2, ut siquis in ludo ita se collocet malitiose, ut chartas alterius perspiciat: aut alium constituat, a quo de iisdem admoneatur; aut chartas ipsas furetur, aut eas clam a tergo signo aliquo notet, tunc lucrum est illegitimum et debet victor illud restituere, etiam cum eo, quod juste retulisset alter, si abfuissent fraudes; damnosam enim injuriam socio intulit (1).

Q. 6. *An liceat ludere precibus pro victore fundendis?*

R. *Affirmative*, quia malum quidem est adhibere spiritualia propter profana; non vero malum est ex adverso adhibere profana propter spiritualia, quemadmodum probat bonorum usus: esset enim potius se obligare sub conditione ludi.

Q. 7. *Quid de illis sortitionibus, quæ in usu sunt, vulgo* rifa, loteria?

R. Sortitio hæc potest definiri: *contractus, quo omnes concurrentes quamdam pecuniæ summam tribuunt vel promittunt, ac dein sortiuntur quisnam objectum sit accepturus.* Hæc nihil continet mali in se; est enim emptio juris sortiendi et acquirendi id, quod per sortem advenerit: vel si placet, ludus aleæ est, qui sua natura est licitus.

(**) Aliquæ vero sunt conditiones ut loteria fiat contractus in se licitus: videlicet, 1°, ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo pretium quod obtigit; 2°, ut dominus loteriæ non excedat, nec plus moraliter lucretur quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret. Attamen majus potest esse lucrum, si in bonum opus vel utilitatem publicam instituta sit loteria. — Ita cum *communi*, Gury (2) (*) *(S)*.

Q. 8. *Quid est assecuratio?*

R. Assecuratio definitur: *contractus sortis, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando seipsum sub certo pretio, et etiam aliquando gratis, ad illius compensationem, si forte perierit.*

Si fiat *gratis*, est gratuita promissio, si *pretio*, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem præstandi alterum in sua re indemnem.

Hic contractus est licitus, si pretium solvendum sit periculo proportionatum; tunc enim servatur æqualitas in periculo et in spe.

Hujus assecurationis variæ sunt species, quæ omnes suis legibus reguntur ex *lege civili*.

Nempe de *navium* assecuratione agit *Codex Commercii*. — Quoad assecurationem *domorum* contra incendia; *agrorum* contra tempestates etc., speciales extant societates a Principe probatæ, quæ tale periculum in se suscipiunt, mediante pecuniæ summa quotannis solvenda.

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor. l.* 3, *n.* 877. (2) Gury *Comp. Theol. Mor. n.* 885.

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 674.

Servitutes lege civili statutæ, sed juri naturali conformes, variæ sunt: erit tantum de præcipuis.—«En España merece particular mencion entre las *rústicas* la *senda*, que es el derecho de pasar por heredad agena para ir á la nuestra, á pié ó á caballo, solos ó acompañados, con tal que vaya uno tras otro. Segunda: la de *carrera*, que mas estensa que la anterior, permite el paso de bestias cargadas y de carretas. Tercera: la de *via*, que contiene la de senda y carrera y autoriza llevar piedras y maderas arrastrando, y cuanto necesite el predio dominante. Su latitud es la que fijan los contratantes y en su defecto ocho piés en linea recta, y diez y seis donde hay vuelta, ley 3, tit. xxxi, Part. 3.ª Cuarta: la de *acueducto*, que es la de conducir agua á nuestra heredad por cauce, que pasa por la ajena. En ella el dueño del predio dominante debe evitar todo perjuicio al del sirviente, y conservar el cauce á su costa. El dueño de la finca de que sale el agua no podrá concederla á otro, á no ser que bastare para ambos.—Leyes 4.ª y 5.ª del mismo titulo y Parte. En estas como en todas las demas servidumbres debe estarse mucho á las costumbres y estatutos particulares de los pueblos.

Entre las urbanas merecen particular espresion, 1.ª: la de construir una pared, ó columna en la casa del vecino en que descanse el todo ó parte de la nuestra. 2.ª: la de que vigas ó materiales de nuestra casa descansen en las paredes de la inmediata. 3.ª: la de abrir ventanas que den luz á nuestra heredad. 4.ª: la de impedir al dueño de un edificio que le dé mas elevacion, quitando así las vistas ó luces al nuestro. 5.ª: la de que el agua llovediza baje desde nuestra propiedad por canales, ó de otra manera á la del vecino. 6.ª: la de dar entrada á nuestra casa por la del vecino.—Ley 2.ª, título y Partidas citadas. Las ordenanzas municipales de los pueblos, y la voluntad variada de los otorgantes, modifican tambien diversamente estas servidumbres. Para Cataluña son dignas de particular mencion las ordenaciones ó costumbres de la ciudad de Barcelona sobre las servidumbres de los predios urbanos y rústicos llamadas vulgarmente Den Sanctacilia. En 1851 fueron traducidas por la real academia de buenas letras de Barcelona y se hallan en la imprenta de Piferrer, Plaza del Angel.

N. E.

(B) Pag. 689.

Quando dicimus jus proprietatis in jure naturæ fundari, non ita intelligendum, quasi bonorum communionem jus naturæ absolute prohibeat; sed

hoc sensu quod jus rationale rerum divisionem et vehementer suadeat et etiam præcipiat in præsenti miseriæ statu, in quo vel ipsi fratres insurgerent, nisi esset adsignatum unicuique suum. In præsentiarum ergo supponimus peccatum tamquam causam divisionis; quia in statu innocentiæ ob summam hominum inter se concordiam nulla fuisset causa aut necessitas dividendi. Et hoc sensu explicatur illud S. Clementis Papæ: *per iniquitatem alius dixit hoc esse suum et alius istud; et sic inter mortales facta est divisio.* Neque dicas, jus proprietatis æqualitatem illam destruere, quam natura perfectam esse voluit inter omnes homines: natura quippe omnes quidem homines fecit æquales eo sensu, quod habeant æqualem originem et destinationem; sed natura non fecit homines æquales quoad conditiones privatas et individuales; hæc enim æqualitas stare nequit cum humana societate, quæ quidem ab ipsa natura enascitur.

His, qui ut errorem suum tueantur vetera communismi exempla proponunt, respondit Auctor libri, *Saggio intorno al socialismo* etc. (de quo quidem libro hæc scite scribit *Civiltà Cattolica,* vol. VIII, pag. 81: *Afirmamos sin titubear que tal escrito es uno de los mas oportunos y estupendos, que en estos últimos tiempos han visto la luz de Italia*): «Se vé una especie de comunismo en los antiguos Esenios, y se vé en las instituciones monásticas y religiosas del Cristianismo, pero este comunismo no era ni es absoluto, ni forzado, ni aislado. Los Esenios se consideraban como una porcion de la Sinagoga y reconocian todos los derechos individuales y las superioridades establecidas por la ley de la naturaleza y la de Moisés: lejos de estender el comunismo á la destruccion de la familia y de la santidad del matrimonio, estos profesaban la castidad del matrimonio con suma pureza: no era pues el comunismo total, sino parcial, ni destruia el individuo. Dígase lo mismo del comunismo de las instituciones monásticas, sociedades escepcionales, en que la familia no es condenada; sino que siendo escluida por el celibato, sucede que tales sociedades no se propagan sino artificialmente, ni se constituyen, ni se conservan sino como partes y dependencias de la sociedad pública cuyas leyes religiosas y civiles reconocen, sin las cuales no subsistirian. Así es, que esta especie de comunidades solo forman una persona moral, como tantas familias artificiales y espirituales, como corporaciones súbditas de la sociedad religiosa y de la civil á que pertenecen: estas como personas morales conservan todos sus derechos, por lo que mira á las autoridades públicas y á los otros miembros del estado social: la comunidad solo es interna y relativa á los individuos que se obligaron voluntariamente, y que si se disuelven, vuelven á la posesion comun de ciudadanos y de fieles. El individuo religioso no es propietario, pero lo es la comunidad ó en cuanto al dominio, ó á lo menos en cuanto á la posesion y uso de los bienes: no es libre de su voluntad el Religioso profeso, pero ni siquiera es libre de disponer de ellos absolutamente ni la comunidad ni su cabeza, que están sujetos á las autoridades públicas y á las leyes comunes, y á las particulares que aquellas confirmaren: los vínculos pues que ligan al Religioso con su instituto, no son un mero empeño contraido por este con la comunidad; sino con Dios, con la Religion y con la sociedad pública tal que ni siquiera con el consentimiento

únanime de todos los individuos de la comunidad se pueden mudar por ellos solos sin la intervencion de una autoridad superior.

«Tampoco hay que hablar del comunismo de los cristianos de Jerusalen: esto no era considerado como principio social: aquella Iglesia no era fundada sobre el comunismo, sino que lo practicaba libremente á su gusto todo fiel por heroismo de virtud sin obligacion ni peligro de ser espulsado de la Sociedad eclesiástica el que no quisiese practicarlo: las palabras de san Pedro á Ananías (*Act.* 5, v. 3) dan un claro testimonio de que la espropiacion era toda potestativa. Aquello no era nada mas que el heroismo de la pobreza y de la beneficencia evangélica: con todo no dejaron de manifestarse pronto discordias acerca la distribucion de los subsidios (*Act.* c. 6), y tal comunismo no se estendió á las otras iglesias.

«Con no menos inoportunidad se cita por los innovadores el ejemplo del maravilloso régimen del Paraguay por los jesuitas, porque los establecimientos eran fundados y regidos por una gerarquía de jefes no sacados del mismo pueblo, subordinados, autorizados y protegidos por el gobierno de la madre patria y de la Iglesia: á mas de que el comunismo nada tenia de absoluto. Añádase que allí se trataba de un pueblo salvaje, que convenia educar como los niños en el colegio, entre los cuales se practica con ciertas miras la comunidad de trabajos, recreos, y régimen, para hacerlos capaces de vivir como hombres sociales.»

(C) Pag. 694.

Circa dominii objectum quædam notanda quoad mobilia, fructus ingenii, animantium usum et famæ nostræ curam.

1. Quoad *mobilia* notanda:—1 verba *beni mobili*, *effetti mobiliari*, *mobiliare*, si adhibeantur, quin aliquid addatur ad eorum significationem restringendam, comprehendunt omnes res mobiles, de quibus diximus in textu;—2 verbum *mobili* usurpatum a lege vel ab homine, quin opponatur immobilibus, vel quidquam adjungatur ad extendendam significationem, non complectitur pecuniam, lapides pretiosos, credita, libros, numismata, artium scientiarumque instrumenta, linteamina ad usum personæ, equos, currus, arma, segetes, vina, fœna et similia, neque quæ constituunt commercii aut alterius negotiationis objectum;—3 verbum *mobilia* non significat, nisi res mobiles destinatas usui et ornamento domorum, uti specula, tapeta, lectus, scamma, tabulas, pocula, etc.; non tamen collectiones tabularum pictarum, statuarum, poculorum mureorum, etc., quæ sint in pinacothecis, aut particulari conclavi;—4 quando venditur aut donatur aliqua domus cum omnibus quæ sunt in ea, omnes res mobiles comprehenduntur, exceptis pecunia, nominibus (vulgo *creditos*) et juribus, quorum documenta sint in domo.

2. Quoad libros auctorum editos vel edendos seu quoad *proprietatem literariam* uti dicunt, conventio inita est, cum Austria 22 maji; cum Ducatu Mutinensi 27 oct.; cum Principatu Luccæ 6 nov.; cum S. Sede 16 nov.; cum Ducatu Parmæ 25 nov.; cum Hetruria 10 dec. 1840; cum Gallia 1846, 1851, etc. (**) Inter Hispaniam et Galliam V. Leg. 15 novemb. 1853 (*). Con-

sentaneum est æquitati, ut concedatur aliquod privilegium auctori vel ad certum tempus vel ad ejus vitam, ut sic alliciantur homines ad utilia inquirenda, et de labore fructum percipiant. Verum (lege positiva seclusa) Gury docet uti probabilius eum, qui librum typis edidit, non habere jus impediendi, ne quisquam illum prælo committat, et vendat cum damno auctoris, aut editoris cui auctor jus suum transmittit; nam res in communitatem tradita fit eo ipso de jure communi: et ita usus se habet ubique. Violat tamen jus alienum et tenetur de restitutione qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis evulgat; nam opus quamdiu in lucem non est emissum, sub dominio auctoris remanet. Idem dicendum si quis typis daret lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris, si eas audiendo memoria tenuerit; aliud enim est, quod quis publice doceat aut concionetur; aliud quod opus suum alteri transmittat ad illud edendum et vendendum. Ita judicavit tribunal appellationis Parisiense die 28 febr. anno 1801. Vide *Carriere* et *Gury*. — Quod autem ad eos pertinet, qui utilia inventu vel occultant, vel omnino secum interire patiuntur, audiatur Stapf, § 374: «equidem condignum foret, ut talibus justum præmium obtingerit, et præsertim expensæ hunc in fidem factæ refunderentur. Attamen etiamsi ex hac parte aliquid desideretur, tales nihilominus divinæ Providentiæ parum respondent, ubi talentum sibi concessum in terram defodiunt.»

3. In *animantium* usu duo cavenda sunt (uti monet Stapf, § 443): *indigna affectio* et *inhumana sævities*. Primum creaturæ rationali est indignum: sane carpendi sunt quos certa animalcula ita sibi devincta tenent, ut hæc pluris videantur facere ipsis hominibus, quos ideo importunant, vexant, non curant. Sed non minus ratio omnem adversus animantia petulantem sævitiem abhorret. Hæc enim divinis consiliis repugnat. «Deus enim etiam animantia sensu vitæ pro illorum modulo jucundæ donavit: absit ergo ut hunc eorum sensum absque omni ratione vulneremus.... Tum vero talis animalia torquendi consuetudo semper indignam animi ferocitatem supponit: mens enim vel mediocriter humana hanc torquendi libidinem refugit. Denique per hanc affectus humanitatis magis semper magisque hebetari solet: qui in bruta animalia dæsevire consuevit, brevi etiam contra homines ferociet.... Quam pium benignitatis sensum Testamentum vetus erga animantia spiret, ex compluribus locis patet: *Exod.* 33; *Deut.* 25; *Prov.* 12; *Eccli.* 7.» In pluribus etiam Germaniæ locis est instituta societas ad animalia tuenda contra hominum vexationes. *V.* Zalger, *Sui maltrattamenti delle bestie*, etc.—Gualzetti, Sermone *sulla compassione verso le bestie*.

4. *Publica fama* quam curare debemus, non in multitudine opinantium, sed in opinantium rectitudine collocanda est: *bonum*, ait Tullius (*de Legibus*, l. I, c. 17), *non est opinionibus, sed natura*. Spernenda ergo illa opinio publica, de qua hodie tot verba faciunt: «No te supongas tan inocente ó tan nuevo en este mundo, que no sepas de que modo y en què fragua se fabrica la asi llamada Opinion pública. ¿Cuál es el niño que no conozca su receta? media docena de periodistas venales, algunos centenares de voceadores asalariados de entre la plebe, y diez ó doce emisarios en la *bella* sociedad forman en pocas horas la Opinion pública, esto es, forman una armonía de

papagayos mas ó menos plebeyos, que repiten en todos los ángulos de la ciudad las mismas sandeces y las mismas razones, con tanta mayor afirmacion cuanto mayor es su incapacidad de apreciar el valor. ¿Dime pues si hay mayor tiranía que el tomar por verdad inconcusa una vóz tan insubsistente de tan débil minoría?» Civ. Cattolica, vol. II, p. 392.

Et in libro *Avvedimenti politici*, cap. IX, «El consentimiento universal, aquel por el cual se dice *vox populi vox Dei*, es la espresion de los ánimos rectos, de los sabios, de los honestos, no es la de los mentecatos, de los ilusos ó de los pícaros: no es la de la una minoría que toma aspecto de mayoría, porque habla cuando los otros callan. La opinion que tal vez espresa una muchedumbre alborotada en las plazas y en medio de desórdenes: aquella que se apropian los partidos políticos por el órgano de un periodismo servil y asalariado, es una opinion falsa y detestable. Desgraciado el pais cuyos gobernantes sirven á tan terrible déspota!... La de los malvados desde la primera edad del mundo pudo vanagloriarse de ser dominadora, y una sola familia no la seguia, cuando el diluvio sumergió el mundo. En Pentápolis una sola familia no corrompida se salvó de las llamas. Las últimas glorias del pueblo de Judá se deben á los Macabeos: estos no siguieron la opinion pública, que abandonaba los antiguos ritus y las leyes patrias por obedecer á Antíoco. Pilatos temió la opinion pública y condenó á la cruz al Salvador del mundo, á quien poco antes la opinion pública recibia en triunfo en las calles de Jerusalen. ¿Qué fuerza puede tener un sentimiento variable, que ora se inclina á lo bueno, ora á lo malo, segun el capricho de la muchedumbre y la perfidia del que la escita y engaña?

(D) Pag. 701.

1. Qui Ecclesiam negant posse jure proprio temporalia bona possidere audiant cl. Taparelli, *Saggio teoretico* etc., nn. 1471 et seqq.: «Para hacer evidente esta proposicion segun los principios de derecho natural, yo pregunto: ¿la Iglesia se compone de hombres? ¿tienen los hombres derecho de poseer? sí. ¿Cuando el posesor no perjudica los derechos de otro, puede disponer á su gusto de lo poseido? sí. ¿Pueden muchos posesores asociarse para obtener un bien espiritual obligatorio? sí. ¿Tiene esta sociedad una autoridad? sí. ¿Esta autoridad debe unir los esfuerzos *aun pecuniarios* de los asociados en cuanto son necesarios al fin social? sí. ¿La autoridad misma es juez competente de lo que conviene á tal fin social? sí. ¿Sus súbditos están obligados á concurrir al fin social segun tal juicio competente? sí. Luego: 1 la Iglesia, es decir su legitima autoridad en órden á su propio fin, no solo *puede* sino que *debe* percibir de sus asociados, lo que ella juzga necesario al fin *externo-interno* de la asociacion, y aquellos deben contribuir. Luego: 2 si los posesores asociados quieren emplear valores para promover este fin, aun á mas de su estricta obligacion, son dueños, salvo la justicia, de emplearlos, por lo menos como serian dueños de emplearlos en coches, teatros, palacios y viajes. Y la sociedad, á la cual dieren tales capitales, los poseerá con aquel mismo derecho *á lo menos*, con que la sociedad de los comediantes posee el

dinero entregado al teatro. No se dirá, lo espero que las *pretensiones de la Iglesia* sean exageradas, cuando ella pide lo que no se niega á una compañía de cómicos. Pues si la Iglesia posee riquezas *para ordenarlas á su fin*, es claro que ella misma debe administrarlas. Si ciertos políticos antagonistas suyos no quisieren ponerla en el número de los mentecatos ó estúpidos, á quienes se nombra un tutor; si no quisieren negar capacidad de administrar los bienes materiales á aquellos á quienes fian ó fingen confiar su inteligencia y conciencia; si no quieren caer en tamaña injuria, deberán confesar, que tambien el dominio de la Iglesia incluye el derecho de *disponer*.»

Neque probanda æqua bonorum ecclesiasticorum distributio per sæculares acta, uti nonnulli decantant; non enim licet sine furto uni tribuere quod jam est alterius loci vel Ecclesiæ; esset enim quædam communismi species: præterea qua auctoritate civilis status distribuit quod suum non est? Hoc ipse fassus est Nuyts certe adversariis non suspectus: *quum res Ecclesiæ* (ait, *Institutiones Juris eccles.*, t. VII) *a fidelium collatione procedant, atque ubi ipsi aliud non dixerunt, de ea Ecclesia peculiari cogitasse credendi sint, in qua aut cujus intuitu aliquid erogarunt, patet dominium rerum non Ecclesiæ universalis esse, non Ecclesiarum in universum nostræ ditionis, non diœcesis; sed peculiaris illius aut Parochiæ aut alterius Ecclesiæ, cui datæ sunt....* Concedit tamen Ecclesiam posse (et solam Ecclesiam), *cum conditiones necessariæ se sistunt*, derogando, de iis ecclesiasticis bonis disponere.

2. Quoad Clerum autem, illum bonis temporalibus spoliare volunt, vel quia bonis illis Clerus abutitur; vel quia ita liberius posset vacare divinis. — At quoad primum audiant S. Augustinum: *propellenda est utique talis assertio, quod propter Clericorum vitia licitum laicis sit ad Christi patrimonium manum apponere: facile præbere posset aditum ad simile asserendum de Regibus, Principibus, et aliis dominis temporalibus* (*De bono cons.*, l. IV, c. 9). Quamquam et gratis supponitur abusus, cum potius bonis Ecclesiæ omnes utique perfruantur; et non raro qui magis in hanc rem debacchantur ii sint, qui et victum et vestitum et educationem ex hisce bonis repetunt.— Ad secundum, ad rem Audisio (*Introduzione agli studi Eccles.*, lib. VI, c. 5): «A la manera que la soberanía temporal conserva al Papa el libre ejercicio de su Apostolado hácia los príncipes seculares, así el dominio de bienes y rentas propias garantiza el ministerio de los Obispos y de los Párrocos de las pretensiones y la esclavitud de los gobiernos particulares. Por esto pensaba muy bien la antigüedad, y la política moderna obró demasiado injustamente, pues usurpando los bienes de la Iglesia, obliga á los ministros á alargar una mano casi mercenaria al Estado por un pan que se le negaria si quisiere.»

Objic. 1: *nonne Christus suis ministris interdixit temporalium administrationem his verbis:* Regnum meum non est de hoc mundo (*Joann.* 18)? — Si objecta verba in sensu adversariorum essent accipienda, non solum ministris Altaris, sed omnibus Christi fidelibus esset penitus interdicta temporalis omnis gubernatio; siquidem nulla ibi distinctio fit inter sæculares et ecclesiasticos, ut legenti apparet. Sed directe respondemus cum celeberrimo *Mamachio:* «¿Pero qué? si tampoco el texto que citan, tiene la significacion que le atribuyen? Jesucristo no dijo á Pi-

latos: *mi reino no está en este mundo,* sino que le dijo *mi reino no viene de este mundo:* no dijo *mi reino no está aquí;* sino *mi reino no es de aquí* (1). Por lo tanto el Señor dijo que su reino *no es de aquí;* esto es, que *no procede de este mundo,* porque no ha tenido su orígen en causas mundanas ó en la eleccion de los hombres, sino en otra parte; ni necesita fortificarse con el apoyo de los hombres, sino que es fuerte en su propia razon (2); y en vez de recibir los reinos, es mas bien Él quien los da á los otros, y á sus ministros concede consejos, vigor y subsistencia (3). Por consiguiente, no niega el Señor que es Rey aun en cuanto á hombre; antes bien espresa que lo es habiendo dicho que *su reino no procede de este mundo;* dió pues á conocer que no era Rey tal cual lo creia Pilatos, esto es, elegido por conspiracion de pueblos sujetos al Emperador (4); y que si bien era Rey no habia manifestado su reino mientras habia venido para ser juzgado, y redimir muriendo al género humano, y entrar así en su gloria y juzgar (5).

«Tenia, pues la potestad real pero no la habia manifestado administrando el reino temporal (6): tal potestad la declara san Pablo absoluta y universal sobre todas las cosas del mundo (7). En efecto, Jesucristo naciendo en la tierra vino en *sus propios estados,* y aunque muchos no le recibieron, no por eso dejaban de ser *suyos* (8); y por consiguiente tenia sobre ellos autoridad y dominio. De Él leemos igualmente en el Evangelio, que antes de su pasion *omnia dedit ei Pater in manus* (9); y en el Apocalipsis, que *habet scriptum in fœmore suo Rex Regum et Dominus Dominantium* (10): y de nuevo en el Evangelio, que con dos palabras postró no solo á la compañia de soldados, si que tambien á la turba de ministros que fueron mandados contra Él por los Príncipes y Fariseos (11): » *tantam turbam odiis ferocem,* dice san Agustin (12), *armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit.* ¿Y qué es lo que dijo á san Pedro? *an putas, quia non possum rogare Patrem, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? sed quomodo implebuntur Scripturæ* (13)? Con lo que dió bien á entender que habia recibido el poder, pero que no habia querido ejercerlo, á fin de que tuviesen cumplimiento las divinas profecías.» Ex quibus patet objecta verba, nedum nobis adversari, imo potius favere (14).

Objic. 2: *Primis Ecclesiæ temporibus Clerici nihil possidebant; præstat autem ut beatis illis diebus se conforment:* ita Tommaseo, *Roma e il mondo* (opus prohibitum Decr. 20 apr. 1852). Cui Clericum sic respondentem inducit *Civ. Cattolica* (vol. VII, 1851): «Si alguno me dijese, que para conseguir que todas las partes sociales y todos los miembros de la Iglesia esten en armonía, conviene reducir á la primitiva condicion de esta no solo á los clérigos, sino tambien á los seglares, puesto que estos tambien hallarán en

(1) Augustinus, *In Joan.* Et D. Thomas, *Lec.* 6, *in Jo.*
(2) Jo. Chrysost. *In Joan. Hom.* (3) Chrysost. *Loc. cit.* (4) August. *Loc. cit.*
(5) August. *Loc. cit. n.* 3. (6) D. Thomas, *Loc. cit.; et* 3 *p. q.* 59, *a.* 4.
(7) Ad Hebr. 11. (8) Joan. 1. (9) Joan. 13. (10) Apocalips. 19.
(11) Joan. 18. (12) *In Joan. Tr.* 92. (13) Matth. 26.
(14) Item hac de re V. *Amico Cattolico, Gior. di Mil.* Ser. 2ª T. 1. — De Maistre, *Del Papa l.* 2 c. 6.

los primeros fieles brillantes ejemplos de virtud heróica, ¿qué deberé replicarles? En aquellos tiempos de felicidad, podria objetarme alguno, si el trono propuesto á los Papas era la *cruz,* la habitacion propuesta á los simples fieles eran las *catacumbas*, si los Obispos y los Sacerdotes morian, (de muerte violenta), los simples fieles no salian muy bien librados, rara vez acababan sus dias en el lecho: pues á millares eran empujados en el anfiteatro, para ser devorados de las fieras, ó á lo menos en las cárceles para morir entre los tormentos. Si los clérigos eran pobres y envilecidos, los seglares eran despojados de sus bienes y privados de sus empleos. Y aun si en la eleccion de aquellos antiguos tiempos nos atuviésemos á los Apostólicos, los fieles en aquellos dias comulgaban diariamente, pasaban las noches en continuas oraciones, y vendidos sus bienes, llevaban el precio á los Apóstoles. ¿Porqué no se imitan tales ejemplos? ¿Porqué los actuales celadores de Italia dirigen siempre sus exhortaciones al clero y nunca á los seglares?

«Se me responderá por último: *que los tiempos se han cambiado, y que los primitivos seglares entonces debian únicamente dar prueba de su fe, en premio de la cual despues hubieran desplegado progresivamente sus derechos.* Esto precisamente es lo que dicen los Ecclesiásticos en su defensa: que los tiempos han cambiado: que entonces convenia convencer al mundo de la divinidad de la Religion cristiana, y que por esto convenia proceder sin medios humanos, antes bien sin estos con el heroismo de la humildad, de la pobreza y de la paciencia. Pasada ya esta necesidad, debió suceder el estado normal de una providencia ordinaria, en la cual la cooperacion humana se uniese al auxilio divino, y hacer lo contrario seria tentar á Dios, lo que está vedado, como es sabido: *non tentabis dominum Deum tuum.* En efecto ¿cuál es el mas célebre y magnífico argumento para demostrar la divinidad del Cristianismo? *Cristo es un judío crucificado, predicado por doce pescadores, y sin embargo el mundo tres siglos despues era cristiano.* La repugnancia de este hecho á todas las leyes físicas y morales del hombre, á mas de la proporcion que pasa entre las causas empleadas para predicar, conservar y dilatar esta religion y el efecto seguido de su triunfo es lo que constituye el milagro mas palpable y evidente. Pero el milagro por esto mismo que es milagro es un hecho excepcional y transitorio; y el que quisiere transformarlo en ley ordinaria y perpétua seria loco. De cuya consideracion animados los mencionados Eclesiásticos, sabes lo que dicen? dicen que el ejemplo de los primeros siglos prueba todo lo contrario de lo que tú quisieras: porque debiéndose hacer razon contraria del tiempo excepcional y del normal, del curso extraordinario y del ordinario, el haberse descuidado entonces los medios humanos demuestra que no deben descuidarse al presente. De otra suerte se confundiria lo ordinario con lo prodigioso, lo transitorio con lo permanente. A mas de que (siempre son los Eclesiásticos los que hablan así: yo solo refiero) la primitiva Iglesia aunque á causa de la desproporcion de los tiempos no gozase de aquellos honores, riquezas y pujanza que luego despues tuvo, con todo no debiéndose nunca tentar á Dios y obligarle á perpetuar los milagros, jamás por su parte rehusó aun entonces servirse de aquellos medios naturales que la Providencia le ofrecia y poco á poco iba ensanchando. Por lo que los pri-

mitivos Pontífices aceptaban de buena voluntad las pingües ofertas que les hacian las matronas romanas ó los patricios, que se convertian á la fe, sirviéndose de ellas para hacer mas espléndido el culto divino y tener mas asegurada la subsistencia de los sagrados ministros. Y apenas Constantino ofreció finalmente *el pingue dote al primer Padre rico*, el Papa Silvestre, aunque santo y como á tal venerado sobre los altares por toda la Iglesia, no se hizo rogar dos veces para aceptarlo. Lo mismo puedes decir de los otros Obispos esparcidos por todo el orbe. Ya ves pues que tambien los antiguos Pontífices y los primitivos Eclesiásticos aunque alegres soportaran las privaciones, las humillaciones, las persecuciones, con todo atendiendo no á lo que mas les convenia, sino á lo que era de utilidad mas universal y estable para la Iglesia, no rehusaban emplear y estender poco á poco segun las circunstancias los medios terrenos, disponiéndolo asi el mismo Dios. etc.

Objic. 3: Apostolus (II *Tim.* 2) aperte tradit: *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Ergo adest lex divina positiva, qua Clerici prohibentur temporalia possidere, iisque se implicare. — R. Unde deducunt Lutherani eo in loco Apostolum loqui de solis Ecclesiasticis? nonne etiam laici militant Deo? quaré dicendum, aliud esse res suas possidere, et aliud implicare se negotiis sæcularibus. Militiæ spiritualis finis est, ita fere Angelicus, ut victoriam habeat ab omnibus, quæ sunt contra Deum, et ideo oportet quod abstineat se ab omnibus, quæ distrahunt a Deo, et ideo dicit: *implicat se*, et non dicit: *exercet se.* Implicat enim se quis negotiis sæcularibus, quando sine pietate et necessitate assumit negotia: sed quando necessitas officii, pietatis et auctoritatis exigit, tunc non implicat se, sed implicatur hujusmodi necessitate. *V.* Desing, *La questione, se le ricchezze del Clero sieno nocevoli alla Repubblica.* Lugano 1841. — Tassoni, *La Religione dimostrata* etc., c. 38. — Opus, *Saggio elementare di diritto publico ecclesiast.*, t. II. — Scotti, *Teoremi*, p. 4, teor. 4. — Abelli, *Della supposta avarizia Sacerdotale, ossia il Clero vendicato e difeso dalla taccia d'interessato ed avaro.* Cuneo 1843. — Muzzarelli, *Buon uso della Logica, opusc.* XV; et *Esame sulle ricchezze del Clero.* — Riccardi, *Gemiti* ecc. — Balmes, *Osservazioni sociali, politiche ed economiche intorno ai beni della Chiesa.* — Mamachi, *Del diritto libero della Chiesa di acquistare e possedere beni temporali* libri tre. — *L'Amico Catt.*, ser. 2ª, vol. I. — *Annali Religiosi*, t. III, p. 245. — *Civiltà Cattolica*, ser. 2ª, vol. IV; e vol. IX: *di una nuova filosofia del diritto.* — Costa della Torre, *Discorsi pronunciati nella Camera dei deputati contra la legge di soppressione di comunità religiose e stabilimenti ecclesiastici*, ecc. Torino 1855. — *Allucuzione della Santità di N. S. Pio IX al sacro Collegio nel Cocistoro secreto dei 22 gen. 1855, seguita da una esposizione corredata di documenti sulle incessanti cure della stessa Santità Sua a riparo dei gravi mali, da cui è afflitta la Chiesa cattolica nel Regno di Sardegna.* Roma e Torino 1855. — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*, § 550.

(E) Pag. 710.

Proprie loquendo *venatio* dicitur, si quadrupedes: *aucupium*, si aves; *piscatio*, si pisces capiantur. Hodie tamen aucupium sub uno venationis no-

mine includunt. Nonnulla loca ad venandum pro Rege reservata sunt: quæ quidem reservatio legitima est, cum conveniat ejus dignitati. Hinc Lessius cum aliis contravenientem non solum de gravi peccato reum dicit; sed etiam ad restitutionem teneri contendit, si loca reservata clausa sint, nec alia sit imposita pœna. Hoc pariter valet de piscatione.—Cæterum generatim leges hac de re prohibitivæ ex communi hominum æstimatione et consuetudine habentur uti pure pœnales, nisi aliunde violetur in aliquo jus strictum alterius. Hinc videant venatores, ne venando segetibus fructibusque inferant damnum (quod non semel lugendum est); qui enim damnum infert, de damno tenetur. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, 145, l. III, n. 605 etc.

(F) Pag. 714.

Hic notanda specialius tum quoad bona relicta, tum quoad res inventas, tum quoad thesaurum:

1. *Quoad bona relicta* hæc observamus maxime quoad praxim: in fundo alieno fungos perquirere, vel colligere glandes, vel sibi vindicare nuces ac castaneas, quas (iis jam collectis) conductæ mulieres stramen pectinando, vel alii casu inveniunt, ferme ubique consuetudo permittit, ut permittit in alienis agris vel vineis colligere spicas vel uvas, quæ fugiunt manus metentium vel vindemiatorum. Hæc uti totidem bona a domino derelicta habentur. Sed cavendum, ne talia inquirendo alienis fundis damnum inferatur, ut non raro evenit.

2. *Quoad res inventas*, habet Lyonnet: « inventor saltem ex charitate tenetur ad inquirendum dominum cum diligentia pretio rei proportionata; quia in pari occasione idem sibi fieri unusquisque censetur velle. Dixi *saltem ex charitate;* quia plurimi Theologi ut valde suspectum injustitiæ habent eum qui omittit tales disquisitiones; adest enim quasi-contractus, quem vocant *gestionis*, vi cujus inventor eo ipso, quod rem apprehendat et in custodia accipiat, suscipit in se illius curam, ac proinde obligationem dominum quærendi, ut ipsi eam reddat. Si has disquisitiones facere nollet, res non erat apprehendenda. Hoc satis rationi consentaneum est, et imo ultra omne dubium, si disquisitiones omittendo rem inventu difficiliorem reddat, prout ordinarie accidit, cum inventor rem apprehendens in causa sit, cur dominus communiter recordans loci in quo eam perdidit, eam frustra hoc loco quærat, vel res amissa non inveniatur ab eo, qui dominum diligenter inquisivisset.»

3. *Quoad thesaurum* ad rem habet, *Manuale forense*, (vol. IV, pag. 23): « Hemos dicho que el tesoro hallado aun con arte en la propia heredad pertenece por entero al propietario del mismo, de aquí nace la cuestion de saber quien pueda decirse dueño de la heredad en este caso: la duda nace sobre el enfiteuta, el vasallo, el marido, el usufructuario, el acreedor hipotecario y el vendedor. Por lo que mira al *enfiteuta* parece que debe mirarse como dueño de la heredad, de modo que pueda quedarse con el tesoro por entero, porque él percibe indistintamente todos los frutos que nacen en la posesion y está obligado á sufrir tambien los perjuicios que resultaren:

de aquí es que en derecho el enfiteuta se llama dueño de la heredad (l. XII, cod. *de fundis patrimonial);* y se compara al propietario por lo que mira á la inmunidad de prestar caucion (l. XV, princ. et § 1 *ff. qui satisd. cogan).* Lo que se establece por lo que mira al enfiteuta conviene exactamente tambien al *vasallo*, el cual tambien se llama dueño de la heredad (l. II, *fundor.*, tit. 8, *de investitura de re alienata facta*, versic. *rei autem).*—Mas esta teoría no es aplicable todas las veces que se habla de *acreedores*, *hipotecarios* ó de *usufructuarios;* porque, aunque el acreedor tenga sobre la heredad un cierto derecho, con todo, todos saben la diferencia que va de este derecho al dominio (l. LXIII. § ult. *ff. de acquir. rer. dom.)* El usufructuario comparado con el propietario no tiene especie alguna de dominio (princ. *de her. instit.);* además el tesoro no va contado entre los tratos de la heredad (l. VII, § 12 *solut. matr).*—De la máxima poco ha adoptada, esto es que el tesoro no es un fruto de la heredad, el jurisconsulto Ulpiano deduce la consecuencia, que el tesoro hallado en la heredad *dotal* no debe pertenecer al marido, sino que se debe restituir una mitad á la mujer como si se tratase de un tesoro hallado en la heredad de otro (dict. l. VII, § 12 *solut. matrim).* Ello es cierto que el marido tiene el dominio civil de la heredad dotal, pero la mujer retiene el dominio natural (l. XXX, cod. *de jur. dot.);* de aquí es que tratándose en el presente argumento de adquirir el dominio de las cosas de un modo establecido por el derecho de las gentes ó natural, se debe mas bien tener consideracion al dominio natural de la mujer que al dominio civil del marido.

« Nos falta aun hablar del *vendedor,* esto es, si este se debe todavía considerar como dueño de la cosa vendida, antes que se haya verificado la entrega, y si despues tiene el derecho de retener todo el tesoro que se hubiese hallado; en tal caso se hallan en conflicto entre sí el derecho estricto y la equidad: el derecho estricto es favorable al vendedor, el cual antes de la entrega retiene todavía el dominio de la cosa (§ 3 *instit. de empt. et vend.);* pero segun equidad parece digno de mayor consideracion la causa del adquiridor, porque este está obligado á ser responsable de los daños y peligros de la cosa que se le ha vendido, aunque todavía no se la hubiese entregado (dict. § 3). Si pues el adquiridor tiene el incómodo, justo es, que del mismo modo tenga el provecho (l. X, § *ff. de reg. jur.)*»

Qui bona fide emit arcam, in qua gemmas vel pecuniam invenit, totum sibi retinere potest, si nulla sint vestigia, quibus judicari possit, ad quem hæc pertineant; quia est simul inventor et dominus. Ita *Lessius.* Item opifex, si in domo aliqua laborando inveniat in aliquo angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniæ, dimidiam partem retinere potest, si nulla omnino adsint vestigia pecuniam illam esse talis personæ vel familiæ; quia tunc rationem thesauri haberi videtur. Ita *Gury.* Item qui pretio communi emit agrum suspicans ibi esse reconditum thesaurum, totum retinere potest, si inveniat; nam thesaurus nondum repertus ad dominum agri nullimode pertinet, neque est pars fundi.—Dices: *non licet a rustico emere vili pretio gemmam, quam ipse putat esse vitrum; ergo a pari neque campum pretio ordinario, si ibi latet thesaurus.* Sed disparitas est, quod praestantia

gemmæ sit pars ejus; insuper non emitur pretio, quod ex communi habet æstimatione. At thesaurus non est pars agri; et ager emitur juxta communem æstimationem hominum. Ita *Lyonnet.*

(G) Pag. 722.

Jure Romano testes esse debent masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non cæci, non intestabiles a lege, non hæredes in testamento, nec domestici testatoris vel hæredis; non excluduntur legatarii (Liguori, *Opus. Mor.* (*) En España no pueden ser testigos en ninguna clase de testamento, ni en los codicilos ú otro acto de última voluntad las personas siguientes: 1.° los condenados por cantares, dictados ó libelos infamatorios, por hurto, homicidio, ú otro delito igual ó mayor;—2.° los apóstatas que se hicieron moros ó judíos, aunque despues se conviertan;—3.° las mujeres; ley 9, tit. 1, Part. 6;—4.° los hermafroditas que participen mas de la naturaleza de hembra que de la de varon; ley 10, tit. 1, Part. 6:—5.° los menores de catorce años;—6.° los locos mientras dure la demencia;—7.° los prodigos con intervencion judicial;—8.° los mudos y sordos; ley 9, cit.:—9.° los ciegos porque no pueden ver al testador;—10.° los que no entienden el idioma del testador, aunque el escribano se lo esplique, pues serian testigos de este y no de aquel;—11.° los siervos á no ser que á la sazon estuviesen reputados por libres;—12.° los herederos mismos y sus parientes dentro del cuarto grado civil por afinidad ó consanguinidad: ley 11, tit. 1.°, Part. 6. Los legatarios y fideicomisarios particulares no tienen inhabilidad alguna para ser testigos en los testamentos en que se les dejan las mandas; pero será conveniente buscar otros si pudieren ser habidos; ley 11 cit. Tampoco la tienen los regulares profesos, aunque se consideren muertos civilmente; pero tambien convendrá buscar otros pudiendo ser habidos y no habiendo peligro en la dilacion. Escriche, Diccionar. de Legisl. y Jurisprud. Palab. Testamento (*).

(H) Pag. 723.

Dices: *eodem modo lex pronuntiat, nullum esse testamentum cui requisitæ desunt formalitates, quo modo pronuntiat nullum esse testamentum inter personas inhabiles conditum, aut permissam bonorum portionem excedens; ergo vel in utroque casu vel neutro testamentum istud pro foro interno est validum.* —R. Nego *conseq.*: hic genuina legislatoris intentio quærenda est: nam eadem non fuit in utroque casu legislatoris intentio. Quando enim statuitur aliquas personas esse inhabiles, aut cum certa pars bonorum reservatur, manifesta legislatoris intentio est, bona ad has aut illas personas non transitura, aut liberalitatem portionem determinatam non excessuram; contra vero, ubi de formalitatibus requisitis tantummodo agitur, certum est legislatorem nolle impedire ne bona ad personas designatas transeant, siquidem supponuntur habiles, et aliunde portio a lege præscripta reservatur: ergo id unum intendit, scilicet determinare et adsignare media, quibus voluntas

testatoris apud judices constare valeat. Porro, in suppositione nostra, voluntas testatoris certissime constat, licet juridice probari nequeat.

«Tras tal sentimiento (ait card. Gousset *juxta hanc tertiam sententiam)* el donatario ó el legatario que está en posesion de los objetos á él dados ó legados sin observar las formalidades prescritas por la ley, puede conservarlos con segura conciencia; pero los herederos del donador ó testador pueden igualmente en conciencia, rehusar cumplir las disposiciones de su autor, haciendo anular, segun les conviniere, el testamento ó el acto de donacion.»

Postea sequentes casus pro praxi resolvit:

«1. Un párroco, un confesor consultado, si se puede en conciencia recibir de los herederos del testador ó conservar un legado ó una donacion nula por vicio de forma se responderá que puede. El mismo código lo reconoce, pues no permite á los herederos pedir de nuevo lo que han pagado voluntariamente, para cumplir semejante legado, una donacion que no fuese revestida de las formalidades prescritas.

«2. Consultado por los herederos si están obligados en conciencia á cumplir las voluntades bien conocidas del testador, él les aconsejará á cumplirlas ó tratar amistosamente con el legatario; pero evitará el hacerles de esto una obligacion por temor de no adelantarse demasiado, á menos que se trate de un legado pio, y se tengan poderosos motivos de creer que el testador haya hecho este legado para reparar una injusticia, ó para satisfacer el deber de la limosna hácia los pobres, para los cuales no hubiese hecho viviendo todo lo que estaba obligado, por confesion del que le conoció.

«3. Si es consultado sobre los dónes manuales, acompañados ó seguidos por la entrega de las cosas que son el objeto, responderá que son válidos. Se supone que estos no escedan la porcion disponible, ni hechos en fraude de la ley, que veda dar al incapaz.

«4. Una persona da irrevocablemente, pero sin acto legal, ciertos objetos movibles, siendo presente y aceptante el donatario, bajo condicion que el donador conservará hasta la muerte el uso ó el usufructo de las cosas que forman el objeto de tal donacion. El heredero pregunta si está obligado á cumplir semejante obligacion: el confesor responderá como por las obligaciones, que no son nulas sino por el vicio de forma: exhortará pero no mandará.

«5. Pedro estando enfermo de peligro, da irrevocablemente á Pablo una cierta cantidad de dinero, con la condicion de que si recobra la salud se la restituya. Algun tiempo despues Pedro muere: ¿puede Pablo conservar la cantidad que le fué dada? Creo que sí: es un dón manual, cuya condicion, que es casual, no potestativa, nada tiene de contrario á la ley. Esta es irrevocable por su naturaleza, no pudiendo ser anulada sino por la recuperacion de la salud, que es la única condicion de que depende.

«6. Pablo da á Pedro una cierta cantidad de dinero con la condicion de que se la restituya, si la reclama antes de la muerte; pero que si no la pide Pedro podrá quedarse con ella. Muerto Pablo, Pedro pregunta al confesor, si está obligado á restituir la cantidad á los herederos del donante. El confesor, á mi entender, puede responder, que no está obligado. Sea esta do-

nacion revocable ó no lo sea, si no es revocada, si el donador quiere que subsista, esta debe tener su efecto.

«7. Pablo estando enfermo dice á su criado que tome de su cofre el dinero que allí hay, añadiendo que se lo da sin perjuicio de su salario. El criado acepta y responde que lo tomará; pero no lo toma hasta despues de la muerte de Pablo. ¿Puede retener este dinero? Creo que sí, porque le fué realmente dado: lo haya tomado antes ó despues de la muerte del dueño, la donacion no es menos real; tanto despues como antes, el dinero estaba á disposicion del criado.

«8. Pablo va diciendo de tiempo en tiempo á su criado, que quiere gratificarle sus servicios, que se propone hacer un legado á su favor ó darle una cierta cantidad. Pablo muere sin haber hecho disposicion alguna: ¿puede el criado apropiarse la cantidad prometida? No, porque una cosa es dar, otra formar el proyecto de dar, ó hacer tambien una especie de promesa vaga y general, sin tener intencion de obligarse.» *(Teol. Mor.*, l. I, n. 796).

Gury autem hosce casus ponit:

«1. Gabinus hæres ex testamento informi accipit et retinet hæreditatem, uti sibi legitime acquisitam, sed abstinet a solvendis legatis, ob defectum formæ in actu testatoris. Quid sentiendum? Gabinum injustum esse in sua ridicula agendi ratione; si enim testamentum habet ut validum, quoad omnia valere debet; secus quoad omnia nullum habendum, quando omnia pendent ex sola illius existentia.

«2. Anatolius, confecto testamento olographo, moritur antequam illud subscribere potuerit; Sabinus hæres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris ita bene simulat ut ab ipso confecta appareat. Attamen cum suborta fraudis suspicione, testamentum ad judiciale forum sit delatum, a judice fuit validum declaratum. Quid resolvendum in conscientia? Sabinus ad restitutionem tenetur, quia per fraudem legatum sibi vindicavit; fraude enim remota, certo per sententiam ab hæreditate exclusus fuisset; sententia igitur illi non potest favere, cum in falso facto innitatur.»

(I) Pag. 730.

Monita ad testatorem:—1 ne in mortis agone differat testari, si velit quieto animo et meliori consilio de suis disponere, monet enim Augustinus: *testamentum facito, dum sanus es, dum liber es, dum tuus es.* Utique nemo proprie loquendo, ne in foro quidem conscientiæ tenetur ad testandum; jam enim eo in casu lex providit. Tenetur per accidens, ne lites, aliaque incommoda oriantur; — 2 præstat, ut Christiani quædam etiam ad causas pias relinquant, et hac de re merito a notariis interpellantur. At præstat potius, ut divites in vita bona quibus abundant, largiantur in pauperes, aut alias pias causas; sæpe enim hæredes non ita fideliter pias dispositiones exequuntur. Ad rem etiam ajebat S. Lucia ad matrem suam: *non satis Deo carus est qui illi hoc dat quod secum ferre non potest; si vis Deo gratus esse, hoc illi da, dum adhuc uti potes.* Hinc vulgare adagium: *melius est dare, quam legare;*

— 3 confectioni testamentorum ne intersint Confessarii aliique Sacerdotes, neque hac de re sese ingerant, nisi agatur de consilio dando testatori, qui illud petit. Hinc Lucæ 12, rogante quodam: *magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, respondit Christus: *homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? dixitque ad illos: videte et cavete ab omni avaritia.* Et D. Ambrosius (1. III *de Officiis*, c. 9) habet: *in causis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis... in causa pecuniæ odiq quærere insipientiæ est.* Quod etiam monet Synodus Novariensis *pag.* 190; — 4 si testator dedisset tibi aliquid ut tamquam pauper retineres, vel ut in pias causas distribueres, tute id faceres etiam inscio et invito hærede (Liguori, *Op. M.*, l. III, n. 923). In hoc tamen, addit Roncaglia, necessaria est prudentia Confessarii, dum ipsi tradita fuerit talis pecunia; si enim id non fuerit occultum hæredibus, Confessarius se exponet multis dicteriis, quasi ipse non juste vel negotium suum egerit: unde tunc optimum erit, si ipse testator cum hærede de hoc sermonem habeat.

(J) Pag. 737.

Hic plura inquirenda: 1 quoad filios non vitales; 2 quoad conferenda in divisione hæreditatis; 3 quoad determinationem civilis legis tum quoad corpora moralia ad acquirendum, tum quoad taxam solvendam in successione, tum quoad reciprocitatis conventionem, tum quoad majoratus institutionem.

An filii sint vitales vel non, ita ut habeantur capaces successionis, ad quam sunt vocati, judicant medici. «No basta que el recien nacido dé solamente algunas señales de vida: se requiere tambien en el mismo la *vitabilidad* ó *vitalidad*, esto es actitud, idoneidad para sostener la vida fuera del útero. Porque si la naturaleza al formarlo ó no lo proveyó de los instrumentos necesarios á la vida, ó se alejó de su tipo normal, aunque nasca *vivo*, nunca se podrá decir vividor en el sentido que quiere la ley.» Ita D. Freschi, *Manuale teorico-pratico di medicina legale colle annesse disposizioni in materia civile e criminale, portate dai vigenti Codici di Parma, Austria, Francia, Piemonte, Napoli, Toscana, Roma e Modena.* Mil. 1846, vol. 1.

(K) Pag. 750.

Quædam 1 de graduum computatione; 2 de ratione disparitatis inter computationem civilem et canonicam; 3 de filio exposito; 4 de filiis naturalibus quoad bona ab ipsis relicta.

Quoad 1: «Cuando se dice que los grados son tantos cuantos las personas engendradas, no se debe tomar la cosa tan materialmente, que cada individuo engendrado añada siempre un nuevo grado al parentesco: por esto en la línea recta muchos hijos no hacen otros tantos grados de distancia de su padre, sino uno solo. Igualmente en la línea colateral los hermanos son en

el segundo grado entre sí: los sobrinos con el tio en el tercero, aunque los hermanos, los sobrinos y los tios sean en sus respectivas líneas en gran número. Las personas pues que hacen crecer los grados son aquellas, que simplemente multiplican la misma generacion, esto es de hijo, de nieto, de biznieto, etc.» *Ferrero.*

Quoad 2: Ratio disparitatis est, quia computatio canonica inducta est pro regula matrimoniorum, quæ quidem nonnisi inter duos haberi possunt: ideo in illis duo tamquam unum usurpantur (*causa* 35, q. 5, c. 2). Quod non evenit in computatione civili; in ea siquidem ratio habetur successionis, in qua personarum numerus variare solet. Idipsum obtinet etiam in affinitate, cum in ejus gradu computando habeatur ratio consanguinitatis: unde disparitas quæ est in consanguinitate, erit etiam in affinitate: hinc Titius secundum computationem canonicam est affinis in primo gradu cum uxore fratris sui; est autem in secundo gradu affinis secundum computationem civilem.

(L) Pag. 757.

Circa præscriptionem nonnullæ speciales quæstiones remanent discutiendæ: 1 quoad bonam vel dubiam fidem, 2 quoad res Ecclesiæ.

Quæres: *si quis putet rem esse suam ex ignorantia culpabili, poteritne iste præscribere?*—Vel ignorantia hæc est graviter culpabilis, vel leviter: si 1, non potest præscribere; quia nemo ex propria culpa debet commodum reportare; si 2, videtur nobis probabilius cum Alasia præscribere posse; nam in Concilio Lateranensi IV non damnatur nisi sola fides cum peccato mortali. Adde si ignorantia leviter mala impediret præscriptionem, res esset innumeris scrupulis obnoxia; nam posset quilibet illius suspicione agitari quotidie. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 511.

Quod vero pertinet ad dubium, ut siquis anceps sit, an res sua sit necne, si illud oriatur initio possessionis, utique tollitur bona fides; quia, eo stante, esse non poterat in possessore illa animi affectio, qua putaret rem esse suam. Si vero illud oriatur in decursu, tunc dubitans tenetur diligentiam adhibere ad veritatem inveniendam, ne imprudenter se periculo exponat alienum possidendi. Quod si, adhibita diligentia, dubium perseveret, ex communi et probabiliori sententia potest rem illam sibi retinere; quia in dubio melior est conditio possidentis: unde stante tali dubio speculativo, formari potest laudato principio conscientia certa seu bona fides. Ita celebriores Theologi Habert, Anacletus, Billuart, Covarruvias, Croix, Gousset, Lessius, Lugo, Navarrus, Sylvester, Sylvius aliique bene multi contra Sotum et alios.

Hic audiendus Gousset: «Aquí se presenta una cuestion: Pedro es posesor de buena fe de una cosa que no le pertenece: él la posee como propia todo el tiempo requirido para prescribir. Pablo, hijo suyo y heredero presuntivo, conociendo perfectamente que esta cosa no pertenece á Pedro no se lo ha advertido, por temor de interrumpir una prescripcion, de la cual esperaba un dia sacar ventaja. Muere Pedro. y Pablo, en su calidad de heredero universal,

recoge con la sucesion la heredad que el Padre habia prescrito. ¿Puede él conservarla sin injusticia? A nuestro modo de ver, no hay duda, que puede conservarla, no en virtud de la prescripcion, porque no es esta que ha prescrito; sino en virtud de su título de heredero, que le da un derecho real sobre todos los bienes adquiridos legítimamente por su padre. El ha pecado contra la caridad no advirtiendo á su padre, ni á la persona contra la cual corria la prescripcion, pero no ha pecado contra justicia. Y el padre, hecho dueño y propietario de la heredad que ha prescrito, ha podido transmitirla á su hijo, como hubiera podido trasmitirla á un estraño, ó con título lucrativo ó con título oneroso. No se objete la mala fe del hijo; esta no ha podido viciar la posesion del padre, el cual estaba de buena fe: por consiguiente esta no ha podido impedir la prescripcion.» Hoc negant alii.

«Otra cuestion: ¿un menor puede prescribir con una posesion de buena fe? Puede, porque la prescripcion corre á favor de todos aquellos, que de buena fe poseen civilmente con un título traslativo de propiedad, real ó presunto. Pero llegado á mayor edad ¿podrá conservar los bienes que ha prescrito de buena fe, en caso que el tutor hubiese estado de mala fe? Creo que puede conservarlos, porque tiene en su favor el título de una prescripcion legítima: la mala fe del tutor no puede dañar los derechos que el menor tiene por la ley. Si, durante la administracion, el tutor ha perjudicado á un tercero, él solo debe pagar.» (*Teologia Morale*, n. 721.)

2. Quoad res Ecclesiæ præscribendas ex legibus Romanis confirmatis ab ipso jure Canonico hæc notantur:—1 pro bonis immobilibus Ecclesiæ requiruntur 40 anni. Et pro immobilibus Ecclesiæ Romanæ 100. An autem pro mobilibus Ecclesiæ requiratur idem tempus 40 annorum, affirmant Anacletus, Hostiensis, Panormitanus, etc. dicentes quod in textu non fit distinctio; alii negant æque probabiliter. Sede autem vacante, contra Ecclesiam non currit præscriptio;—2 Possidens Beneficium aut illius fructus per tres annos, juxta regulam Cancellariæ, etiamsi titulus fuisset nullus, præscribit; modo non intercesserit intrusio, aut simoniacus ingressus (Liguori, *Homo Ap. tr.* x, n. 10);—3 dicunt Layman, Navarrus, Gobat, etc. posse præscribi numerum Missarum, ac circumstantias appositas in fundatione 20 aut saltem 40 annis. Sed verius id non admittitur; quia Tridentinum interdicit posse derogari illis oneribus; et Pius IV confirmans Concilium, declaravit irritum quidquid imposterum contra factum fuisset. Dicit autem Croix cum aliis communissime clausulam Decreti irritantem ligare etiam ignorantes et in causis beneficialibus inficere titulum possessionis (Liguori, *Homo Ap. tr.* xv, n. 74);—4 etiam decimæ possunt præscribi, si adhuc Prælatis necessaria maneant sustentationi; sed necessaria est bona fides et requiruntur 40 anni cum titulo: sine titulo requiritur tempus immemorabile (Liguori. *Homo Ap. tr.* xx, n. 84).

(M) Pag. 759.

1. Theologi contractum virtualem appellant *quasi contractum*. E contra Juristæ utrumque et formalem et virtualem verum contractum appellant,

unum expressum, alterum tacitum; nomen autem *quasi contractus* unice applicant obligationi nascenti ex aliquo facto, ubi vel lex vel naturalis æquitas consensum supplet: v. g. Petro absente, ipsius domum ab incendio cum nonnullis expensis tueor: Petrus ex quasi-contractu tenetur mihi refundere expensas. Discrepantia videtur tantum de nomine, cum æque videantur convenire et Theologi et Juristæ quoad partam obligationem.

2. Bilateralis dicitur etiam *sinallagmaticus*, a græco nempe *syn*, una simul; et *allasso* contrahere. Item bilateralis alius est *commutatorius*, in quo uterque contrahens censetur dare aut accipere aliquid æquivalens et certum, ut in venditione; alter *aleatorius*, si quod datur vel promittitur, ab eventu accidentali pendeat, ut in ludis.

3. *Monitum.* Materia omnis, quæ ad contractus refertur vel ad restitutionem, ita est scitu necessaria, ut si in ea Confessarii non sint bene versati, ipsos in multa offendicula incurrere oporteat: quare videant tyrones quanto animorum conatu niti debeant in rebus his, ut bene omnia addiscant. Facile autem evenire poterit, ut quæ principiis nostris inhærentes dicturi sumus, non omnibus satisfaciant: quædam videbuntur sapere indulgentiam niniam, quædam nimiam austeritatem. Quoniam vero sententias nostras, ubi non facit *Juris civilis* dispositio, desumpsimus ex doctrina S. Alphonsi, nostram defensionem adstruemus ipsiusmet verbis, qui scribit: «testor Deum, cujus honorem et animarum salutem mihi proposui, quod quidquid scripserim, non ab aliquo impulsus, aut verbis aliquorum auctorum addictus, vel austeritati aut benignitati nimis adhærens ad hæc scribenda me induxi, sed in qualibet quæstione, prævio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare præcipue in iis, quæ ad praxim magis faciunt. Et propterea non solum diligenti trutina perpendere elaboravi rationes, quas Doctores classici tradunt, sed etiam plures doctos recentiores consulere non neglexi. Siquidem non tamquam ovis (ut verbis utar rigoristarum) semitam scriptorum cæco ductu sectatus sum; sed operam dedi, ut veritatem assequerer, aut sententias quæ veritati magis accedunt, amplexarer... Non prætermisi rigidæ sententiæ Auctores legere ac præcipue Merbesium, Contensonium, Habert, Natalem Alexandrum, Juvenium, Cabassutium, Tournely, Genetum, Petrocorensem, Concinam, etc. paratus a sententiis meis deciscere, si de veritate me convicissent. Sed quomodo me convincere poterant, dum videbam, quod ipsi (ut plurimum) magis conviciis, quam vi rationum sententias suas suadere conantur? quomodo in omnibus adhærere potuissem iis, qui opiniones suas sæpius veriores et Evangelio conformiores prædicant, nonnisi quia rigidiores? et frequenter insultant in oppositas sententias tamquam falsas ac Evangelio adversas, nonnisi quia libertati favent?» (*Op. Mor.* l. III, n. 547).

(N) Pag. 791.

Circa locationem et conductionem quædam sunt inquirenda pro praxi.

Q. 1. *Quænam sunt regulæ speciales pro conductore domorum, atque fundorum rusticorum?*

R. Ad 1: Conductor domus (seu inquilinus) tenetur: 1 eam sufficienti sup-

pellectili instruere, quia in illis locator privilegium habet: excipe nisi alio modo de pensione locatori solvenda cautionem tribuat: aliter expelli potest; 2 tenetur ad reparationes locativas, nisi aliud sit stipulatum, vel nisi vetustas vel vis major detrimenti sit causa: expensæ autem pro puteis et cloacis expurgandis pertinet ad locatorem; 3 tenetur solvere locatori pensionem respondentem tempori, quod expectare debet ad aliam locationem ineundam: item ad cætera damna, atque ad id quod interest, si ipsius culpa resolvatur locatio. Hic etiam notandum, quod locatio supellectilium pro domo vel parte domus, aut apotheca instruenda, nullo statuto tempore, censetur facta ad aliud tempus, quod determinat consuetudo regionis; locatio vero domus jam instructæ censetur facta ad annum, ad mensem, ad diem prout pretium in annum, mensem vel diem pactum fuerit.

R. Ad 2: Conductor fundi tenetur: 1 fundum instruere animalibus et instrumentis ad agros excolendos necessariis, culturam curare, uno verbo re locata uti ut bonus paterfamilias: secus poterit judicialiter expelli et teneretur eo in casu de omnibus damnis; 2 fructus in loco statuto reponere; fructus enim qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse domino fundi locati; 3 admonere locatorem si quæ usurpatio in suis fundis contingat, et quidem sub pœna compensandi damna, id quod interest, et expensas omnes quæ sustineri debent a domino ad rem suam indemnem tuendam; 4 cum a locatione cessat, tenetur relinquere paleas, stramina, fimum collecta per annum, ubi hæc sub locationis initium et ipse acceperit: quod si illa non recepisset, adhuc ea relinquere tenetur; sed casu quo justo pretio dominus ea velit sibi comparare.

(0) Pag. 793.

1. Differt omnino census ab usura; nam ille est jus percipiendi annualitatem ex re frugifera, est ergo emptio partis ususfructus; ista autem est jus percipiendi ex re infrugifera, cum pecunia de se sterilis sit, ideo fundamentum non habet. Census excogitatus fuit, ut locum faceret mutuo pecuniæ: at hodie absolevit; cum mutuum pecuniæ fuerit in pluribus legitimatum.

2. Ex Bulla Piana hæ sunt conditiones præcipuæ ad censum:—1 ut res, in qua constituitur census, sit immobilis, frugifera et certis finibus nominatim designata;—2 ut census fiat in numerata pecunia et publico instrumento;—3 ut non solvatur anticipate;—4 ut nulla conventio fiat obligans ad casus fortuitos;—5 ut nullum sit pactum auferens, vel restringens facultatem alienandi rem censui suppositam: quæ si sit vendenda, dominus census est præferendus et per mensem expectandum, an velit uti optione. Item nulla pacta omnia adversus morosum census debitorem: item pacta novi census: item pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem non pertinet;—6 ut re pereunte et census pereat, vel pro rata, prout res perit;—7 ut censitor non possit pretium umquam repetere: et contra possit censuarius semper redimere censum, facta denuntiatione per bimestre ante;—8 denique ut pretium semel constitutum neque minuatur neque augeatur. Quæ omnia tum ad inducendam contractus æqualitatem, tum ad avertendam

usuræ suspicionem constituta sunt: ubi notandum: 1 quod si pacta in censu repugnant illius substantiæ, census nullus evadit; nisi clausula sit, contractum intelligi semper constitutum ad formam Bullæ Pianæ (tunc pacta habentur uti non apposita, si non sint executioni mandata); 2 quod hæc Bulla quoad omnia apud omnes non viget: alibi enim ea recepta non fuit, alibi vero abiit in desuetudinem, et hoc evenisse plures dicunt de Regno Sabaudiæ, ex quo, nemine reclamante, novus Codex per tot annos inductus est.—*V.* Alasia, *De censu.*—Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 848, etc. (Hanc Bullam ex nostris illustravit, Borellus, *Pratica legale*, ecc.).

3. Hic notamus licitum esse:—1 emere census annuos in gubernio fundatos (vulgo *renta del estado*, *bienes del tesoro público*), pretio currenti *(al precio de la plaza)*; nam venduntur et emuntur ut merces ordinariæ; et pretium eorum crescit aut decrescit juxta communem hominum æstimationem judicantium majus vel minus in iis esse periculum. Quod pariter dicendum de actionibus, quæ emuntur a nummulario publico *(billetes de Banco)*;—2 negotiari actiones, quæ constituuntur in viis ferreis, in ephemeride, in operibus industrialibus, etc.; illæ enim actiones sunt jus ad emolumenta sperata, ideo pretio æstimabiles, ideo subjecta venditionis et emptionis;—3 item et pecuniæ collocationem; societates enim, quibus committuntur illæ pecuniæ, vendunt collocantibus jus ad pensionem annuam redimibilem, et quandoque etiam jus ad emolumenta indeterminata partienda; est ergo venditio et emptio census. Et S. Pœnitentiaria hac de re interrogata, 25 febr. 1836, respondit: *uti jam alias, nihil obstare.*

4. Quum census constitutus fuit mediante solutione certi pretii, qui dicitur census consignativus, censuarius, qui censum redimere cupit, tenetur restituere eamdem pecuniæ quantitatem, quæ soluta fuerat pro ejusdem census constitutione. Quod si fuerit census reservativus nempe constitutus mediante cessione alicujus boni immobilis, quocumque titulo oneroso vel gratuito facta fuerit hujusmodi cessio, censuarius qui censum redimere cupit, tenetur solvere censualistæ sortem pecuniariam respondentem annuo proventui, si hic in pecunia solvebatur; vel respondentem valori ejusdem annui proventus, quum hic in fructibus præstabatur: valor autem hujus postremi proventus desumitur ex pretio medio, quod fructus illi in postremo decennio in communi æstimatione obtinebant. Attamen si in ipso contractu constituta fuit sors minor illa, quæ annuo proventui respondeat, tunc debitor, seu censuarius ab annuo proventu solvendo, et ab omni onere liberabitur, si restituat sortem ipsam in contractu præfinitam.

(P) Pag. 802.

Pecunia hodie est ferme sola mutui materia. Egregie pro more suo cl. Taparelli: «La esencia de la moneda consiste en el indicar *(monere)* y transportar un valor... La imposibilidad de perfeccionar el comercio por medio de la simple permutacion de otras cosas equivalentes, ha hecho nacer ó adoptar el uso de este *vehiculo* en todas las naciones comerciantes, y la ductilidad, la dureza, la divisibilidad, el precio del metal han recomendado esta materia

como mas apta que cualquier otra para recibir y retener la señal de los valores trasportados y espresarlos exactamente en los varios grados de cantidad y calidad. Por esto se ve en que consiste el uso de la moneda: si debiese con el valor de mis casas y tierras cambiar un género en las Indias, deberia llevar allá mis tierras y casas: con la comodidad de la moneda que yo recibo vendiendo en Europa mis bienes, trasporto á las Indias en poco volúmen su valor, y remitiendo allá este valor al negociante, recibo otro tanto en géneros. El uso pues de la moneda, en esta calidad de *moneda* todo se reduce á pasar de una mano á otra en cambio de los valores recibidos. Podré muy bien, si me place, trasformarla en medallas, ó derretirla para convertirla en muebles y utensilios; pero entonces la usaré como á medallas ó como á metal, no como á moneda: el uso de la moneda es *pasar* trasportando *valores*.

«Asentado esto es fácil inferir, que el *empréstito de moneda*, es empréstito... de una cosa que se pierde con el uso, puesto que haciéndola pasar á manos de otro en cambio de un valor que él me cede, es claro que yo la pierdo, ni puedo ya restituirla *idénticamente* al que me la prestó: y si debiese restituirla *idénticamente* no deberia usarla, y el empréstito recibido de nada me serviria en calidad de *moneda*, si no de cargarme de un metal inútil.» (*Saggio teoretico* ecc.).

(Q) Pag. 814.

Ita sentit cl. Taparelli in percelebri suo Opere, *Saggio teoretico* ecc. v. I, ubi ad rem ait: «Si el comercio es un verdadero bien, es claro que la sociedad debe concurrir á acrescentarlo, y por esto tiene derecho á servirse de los medios. ¿Cuál es pues el medio para hacer prosperar el comercio, es decir el movimiento de los capitales? Es el hacer de modo que los capitales pasen fácilmente de las manos que los tendrian muertos á las del que quiere emplearlos: facilitar los empréstitos, he aquí el medio de acrescentar el comercio. ¿Pero cómo facilitarlos? ¿obligará la sociedad á los capitalistas á despojarse de los capitales para favorecer á los negociantes? Esto seria evidentemente contrario á la ley fundamental, al modo de obrar los ciudadanos. ¿Recurrirá pues á los medios indirectos haciendo de modo que la ventaja personal induzca á los particulares á concurrir con la facilidad de los empréstitos al bien comun? ¿podrá pues la sociedad prometer al que quisiere hacer empréstitos alguna ventaja que le recompense el bien, que él hace al público?

¿Y de donde sacará ella los fondos para tal premio ó compensacion que bien puede llamarse tal? ¿qué cosa mas justa que imponer á los individuos, á ventaja de los cuales redunda principalmente el empréstito, una tasa proporcionada á la misma ventaja? Así lo hace generalmente por todas partes: el papel sellado, los registros, los juicios, las hipotecas y tantos otros argumentos de pública proteccion para los contrayentes, son en parte pagados por los mismos contrahentes; los caminos se conservan con los viajes de los viajantes, las tropas con las contribuciones de los pueblos defendidos, etc. Cuando pues la sociedad menesterosa de subsidio, para promover los em-

prestitos con su pública providencia, carga la tasa al mutuatario, ella se conforma á las leyes de la mas exacta equidad; y esta tasa no es fruto del dinero prestado, sino un premio público destinado á promover los empréstitos...., recompensa del bien hecho al público. No habrá pues quien ponga en duda si es lícito aceptar este premio: el que hace un servicio á la sociedad, puede aceptar la compensacion; ni porque le es fácil el servicio está obligado á rehusar la compensacion correspondiente. El ha adquirido el derecho en el momento en que ha ejecutado lo que la sociedad pedia, precisamente como, permítaseme la comparacion, tendria derecho á la recompensa prometida al que limpia los caminos, aquel que recogiese las inmundicias para estercolar sus campos: ¿es por ventura menos útil al público su trabajo, porque saca de él una ventaja particular?

Attamen tuetur, nihil exigi posse vi mutui; hinc ad objectionem Turgot: *¿quién habrá que preste, si despues de haber perdido por años el uso de su dinero, se halla al fin con aquella sola y única cantidad en la mano, mientras el mutuatario con ella se habia enriquecido?*

R. Esta objecion de Turgot se resuelve en otras tres: 1 si mi dinero fructifica en manos del mutuatario, yo tengo derecho á percibir una parte del fruto: 2 el que presta pierde una utilidad real, perdiendo el uso del dinero: 3 quitada la esperanza del lucro, no hay motivo alguno de prestar. Examinémoslas:

«La 1.ª proposicion ó es contraria á la independencia natural ó contradictoria en sí misma: 1 si aquellas palabras *mi dinero* significan *el dinero que fué mio*, se sigue que ahora *ya no es mio:* es una gran injusticia querer que el dinero de otro fructifique para mí, y que su industria sirva á favor mio: esto es reducir un igual á que me sirva: 2 pero si aquellas palabras *mi dinero* significan, que yo conservo todavía el dominio del dinero prestado, entonces se sigue que el contrato de empréstito no es de *empréstito* sino de *compañía:* lo que es una contradiccion. Yo soy dueño de preferir hacer un contrato de *compañía* al de *empréstito;* pero nunca podré hacer que el empréstito sea compañía. Por lo tanto la 1.ª proposicion es injusta y contradictoria,

«La 2.ª proposicion cambia el estado de la cuestion, y confunde los cánones. Porque ó el mutuante habia resuelto no negociar con el dinero muerto ó sea *no usar* aquel dinero; y en tal caso *perder su uso* es perder nada: ó lo tenia en espectacion de algun negocio ventajoso, y entonces puede muy bien percibir alguna ventaja proporcionada á la probabilidad del lucro que pierde. Precisamente por esto muchos Moralistas conceden algun interés todas las veces que el empréstito debe durar largo tiempo pudiendo la larga duracion del tiempo hacer el empréstito perjudicial al mutuante, cambiando sus circunstancias de un modo imprevisto.

«La 3.ª proposicion finalmente es un resultado del egoismo reinante, del cual los sofistas *poco filantrópicamente* admiten y fomentan tanto los principios como las consecuencias. En verdad, si yo debo querer á otro el bien que quiero para mí, debo hacérselo cuando puedo sin daño propio: mas yo puedo prestar el dinero infructífero sin daño propio cuando la promesa

es *segura:* luego yo debo prestar en estas circunstancias: y mi deber será mas ó menos urgente á proporcion del bien de que privo á los demás y de los deberes que me obligan hácia él.»

Objicies etiam: *nonne Deus Judæis permisit ab alienis usuras exigere?*

R. Vel dicendum est cum D. Ambrosio, permissum dumtaxat fuisse Judæis usuras exigere ab inimicis, a quibus jam Deus dominium abstulerat rerum omnium, sicut permisit Judæis ipsis, ut vasa auferrent Ægyptiorum (*In Tob.* c. 15). Vel dicendum cum Angelico, id tantum fuisse toleratum uti minus malum, eo pacto, quo propter eorum duritiem fuit toleratum uxorum repudium (2, 2, q. 78); sed Deus numquam potuit probare quod intrinsece malum est. Ex hactenus dictis colligitur, in conscientia teneri usurarium ad usuram mutuatario restituendam; nam cum contractus omni jure sit nullus, nequit dominium transferre, neque nuda traditio transfert.

(R) Pag. 815.

Sed (dices) *quid sentiendum de Confessario, qui cum intime persuasus sit sententiam, quæ rejicit titulum legis civilis tamquam insufficientem, esse longe probabiliorem, securiorem et solam in praxi tenendam, donec S. Sedes definierit, pœnitentibus qui ab eo consilium petunt, utrum possint auctarium percipere ex mutuo (tametsi nullum habeant titulum a Theologis communiter admissum præter titulum legis civilis), respondet eos non posse prefatum auctarium exigere, et denegat absolutionem Sacramentalem si exigant?*

Respondemus hunc Confessarium *nimis dure et severe se habere erga hujusmodi fideles*, quandoquidem ex datis a S. Pœnitentiaria responsis liquet *fideles, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos.* Ipse autem responsione sua prædicta inquietat profecto: et ideo debet se abstinere studendo, ut *in praxi* sese ejusdem Pœnitentiariæ oraculis *valeat conformare:* ita ex Decreto 11 novemb. anno 1831. Ubi etiam notamus: 1 in illa allatarum responsionum verba: *non esse inquietandos,* non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significare, ut docet S. Alphonsus in alia re *(Opus Mor.* l. III, n. 765);—2 Ecclesiasticos, qui in publicis concionibus decretorie prædicant, licitum esse auctarium legis reticendo clausulam: *modo sint parati,* etc. probari non posse; *quia privata auctoritate definiunt quæstionem, quam S. Sedes nondum voluit definire.* Ita responsum fuit Episcopo Vivariensi 7 martii, anno 1835.

Sed quomodo (instabit fortasse quispiam) *cum his Decretis poterit conciliari celebris Encyclica Benedictina:* Vix pervenit ad aures? *In hypothesi veræ contradictionis, nonne potius Bullæ adhærendum, quam Decretis posterioribus? Negamus suppositum:* hæc nempe objectio supponit Benedictum XIV directe vel indirecte controversiam circa usuras in Scholis pendentem prædicta Encycl. definivisse et ejus definitioni adversari responsa posteriora SS. Congregationum: atqui hoc est falsum. Sapientissimus enim Pontifex tantum abfuit a tali definitione ferenda, ut anno 1746, id est vix vix post editam anno præcedenti suam Encyclicam, permiserit Romæ sub ipsis oculis suis in lucem typis edi, imo et sibi dedicari Opus Scipionis Maffei Ve-

ronensis cum titulo: *Sull'impiego del danaro*, ubi thesim ipsam aperte tuetur, quam adversarii supponunt in Encyclica illa fuisse proscriptam (et eo pacto permisit Pontifex, ut auctor operi præfigeret Encyclicam suam, necnon epistolam subjectionis). Hoc adeo verum est, ut etiam post Benedictum XIV thesis ipsa fuerit adhuc apertissime in scholis Catholicis propugnata, et adhuc a compluribus propugnetur, sciente et non reclamante Sede apostolica, uti videri potest in libris: 1 Bolgeni (S. Pœnitentiariæ Theologus) *Dissert. sopra l'impiego del danaro e l'usura.*—2 Mastrofini, *Le usure*, libri tre. Romæ sub Pio VIII.—3 Card. De la Luzerne, *Sur le prêt de commerce.*—4 Rolando, *Osservazione sull'usura*; aliorumque plurium. Quis autem credat tot Auctores catholicos, et quidem tam magni nominis, voluisse thesim tueri, quæ jampridem tam expresse et apposita Bulla fuisset a Benedicto XIV proscripta? Hinc S. Pœnitentiaria interrogata ab Episcopo veronensi: *an Confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV et aliorum summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse præter sortem lucrum quinque pro centum etiam ab iis, qui nullum omnino alium præter legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum*; aperte respondit sub die 14 augusti anno 1831: *Confessarium illum non esse inquietandum, quousque sancta Sedes definitivam decissionem emiserit, cui paratus sit se subjicere, adeoque nihil obstare ejusdem absolutioni in Sacramento Pœnitentiæ.*

Hoc clarius patebit, si objecta Encyclica attendatur; in ea enim nedum damnetur titulus legis, de quo tunc primum exorta fuit controversia: imo potius aperte declaratur, quod de illo nullus sermo instituitur: sic legitur § 6: *de contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsenti statuimus.* «De todo esto (scite observat cl. Auctor Operis, *Dissertazioni di un Canonico Polizigno* etc.) resulta necesariamente, que todas las sentencias de la sagrada Escritura, de los Padres, de los Concilios, de los Cánones, de los Pontífices deben aplicarse firme y seguramente al mutuo y á las usuras definidas por tales en la Encíclica; pero en cuanto al contrato controvertido y todo otro contrato sobre el uso del dinero por tiempo y precio cierto, hecho en el modo y circunstancias debidas, no exigiendo el *mútuo desnudo y simple*, ó no tienen lugar ó quedan al menos divididas y suspendidas y no seguras de poderse aplicar: porque por la definicion misma de Benedicto... el *nihil statuimus* es muy evidente, que tales contratos no son idénticos, al menos enteramente y con esclusion de duda alguna, al mútuo desnudo y simple descrito y dado á conocer como á tal por este pontífice de la Iglesia.

(*S*) *Pag.* 834.

1. Quoad sortitionem publicam, vulgo *loteria*, *V.* Petitti, *Del giuoco del loto considerato ne'suoi effetti morali, politici ed economici.* Torino 1853: en hujus operis capita: *Il Monte di Pietà; la vigilia dell'estrazione; Il banco del giuoco; La sera de la chiusa; L'estrazione; La vincita: Il giuocatore deluso; La famiglia del giuocatore: Il giuocatore in carcere.... alio spedale....*

al manicomio; Il giuocatore suicida. «Es digna de la mas severa advertencia (ait cap. 8) la circunspeccion observada por los sumos Pontífices por lo que mira á la loteria. Custodios de la moral evangélica, sus decisiones fundadas sobre esta tienen bajo tal respecto un peso mucho mayor: porque *deben con justo título servir de norma á todo Estado que profese la creencia católica.* La Iglesia romana se mostró siempre muy solicita en dirigir con las mas sábias instrucciones á los pueblos que dependen de ella por los principios de la moral cristiana, y sus direcciones con razon merecen aquel respeto y *adhesion* que corresponden al Vicario de Cristo en la tierra». Et Diarum l'*Armonia* an 1853, n. 63 ad rem addit: «Los sumos Pontífices no bien empezó á estenderse el juego de la lotería en el siglo XV y XVI, que lo prohibieron en sus Estados (ut Alexander VII, Innocentius XI, XII, Clemens XI et maxime Benedictus XIII). Pero viendo que el ardor del juego en vez de apagarse se encendia, y que los jugadores corrian á los estados vecinos, en que estaba abierto el juego; que salian del Estado muchos millones sin compensacion alguna y de un modo irreparable: que la prohibicion no servia sino para aumentar la culpa: revocaron su prohibicion (uti Innoc. XIII, Clem. X et XII).

« Y queriendo reparar los daños materiales, despues de haber reparado los espirituales, quisieron restituir al pueblo con una mano, lo que de él recibian con la otra en el juego. Por esto decretaron, que todo el producto, hasta un maravedís se distribuyese en limosna. De tal modo, mas como padres que como príncipes condescienden al ciego frenesí del pueblo, que á toda costa quiere llenar sus cofres con el dinero del erario público, volviéndole lo que dió en su locura. Pero ¿no seria mejor no fomentar este frenesí del pueblo, y abolir el juego? por cierto que sí: ¿y quién lo duda? Mas para esto conviene ó que el pueblo no juegue á la lotería fuera del Estado, cuando el Pontífice aboliese el juego, ó que los príncipes particularmente los limítrofes, tambien aboliesen el juego. Pero ni lo uno ni lo otro está en las manos del Pontífice. Toca á los detractores del gobierno pontificio procurar lo uno ú lo otro.»

In libro, *Memorie di religione, di morale e di letteratura* (vol. v, pag. 35) legitur: « Es muy dificil ganar: adivinad en los noventa números de la lotería cuantos *ambos* hay: cuatro mil cinco. Tu ambo corre la suerte con cuatro mil y cuatro: si en una urna hubiese cuatro mil bolas negras y una sola de blanca, confiarias tú que dando vueltas á la urna saliese la blanca? ¿qué dirémos de los ternos, que son cien diez y siete mil, cuatrocientos ochenta? ¿qué de los cuaternos, que son dos millones quinientos cincuenta y cinco mil, ciento noventa? ¿qué de los quintos que son cuarenta y tres millones nueve cientos cuarenta y nueve mil, doscientos sesenta y ocho?» — *V.* Terquem, *Noveau Manuel complet d'Algèbre*, Paris, ubi hæc sortitio damnatur ut immoralis, irreligiosa, antisocialis, impolitica, etc.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE

RESTITUTIONE.

Hactenus de Virtute Justitiæ : quid si ejusdem præcepta violari contigerit? quid si *meum* illud et *tuum* fuerit perturbatum? Justitia tunc non amplius habetur, nisi res in pristino statu vel ad æqualitatem vel eo saltem meliori, quo poterit modo, reponantur. Id vero *restitutionis* vocabulo solet in Scholis indicari : *restitutio*, inquit Angelicus, *est reparatio inæqualitatis existentis in rebus* (2, 2, q. 62, a. 1) : hinc tractatum *De Justitia et Jure* sequitur hic alter, *De Restitutione*. Ut autem omnium virtutum moralium satis apta notio habeatur, in fine erit quoque Appendix de justitiæ filiabus, et de cæteris virtutibus cardinalibus.

DISPUTATIO PRIMA

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

Q. 1. *Quid est restitutio* (1) ?

R. Restitutio, quæ nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ, potest breviter definiri *juris alieni redintegratio*. Communiter autem definiri consuevit : *actus justitiæ commutativæ, quo vel res accepta suo domino redditur, vel damnum injuste illatum compensatur*. Dicitur : — 1 *actus justitiæ commutativæ*, ut indicetur ex sola justitiæ commutativæ violatione oriri obligationem restitutionis; — 2 *quo vel res accepta suo domino redditur :* unde supponimus rem, quæ redditur, jam antea propriam illius, cui redditur; — 3 *vel damnum illatum compensatur ;* quia damnum alicui inferre perinde est ac ejusdem jus violare, seu aliquid e rebus suis auferre; — 4 *injuste ;* nam si damnum fuisset illa-

(1) Restitutio differt a *solutione*, quæ fit ad præcavendam injustitiam ; a *satispassione*, quæ sustinetur ad obediendum justitiæ vindicativæ ; a *satisfactione*, quæ datur ad personales offensas solvendas. Nam restitutio supponit violationem juris alieni. — *V.* Liguori. *Opus Mor.* l. III, nn. 547 et seqq.

tum ob causam justam, v. g. ob justam vitæ propriæ defensionem, nulla esset obligatio compensationis. Item est, si quis in sui damnum plene consentiat, et valeat consentire; nam scienti et volenti nulla fit injuria. Dicimus *si plene consentiat:* ex quo capite qui crumenam dat latroni, adhuc patitur injuriam; non enim nisi repugnans consentit. *Si valeat consentire;* nonnumquam enim a lege impeditur: hinc minor libere consentiens in donatione suorum bonorum patitur injuriam; quia lex obstat, ne possit jus suum cedere.

Restitutio vel in re vel in voto necessaria est ad salutem iis, qui graviter aliorum jus læserunt. Hinc Ezechiel ait, quod tunc tantum vita vivet et non morietur impius, si *et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit* (1). Et Apostolus: *reddite... omnibus debita* (2). Vel ipsa natura clamat suum cuique tribuendum, et nemini faciendum quod nobis fieri nolumus. — Dicimus: vel *in re* vel *in voto;* nam qui absolute nequit restitutionem peragere, excusatur quidem actu a restitutione *in re,* cum nemo teneatur ad impossibile; non tamen a restitutione *in voto*, id est a proposito restituendi cum primum poterit: secus ipse retineret adhuc affectionem malam ad rem alienam, et sic versaretur in peccato habituali. Quare D. Augustinus proferens ea notissima verba in jure Canonico relata (3): *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, addebat: *cum restitui potest* (4).

Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere, uti habet D. Thomas (5); ideoque semper urget, adeo ut qui non potest hic et nunc restituere, teneatur quod in se est facere, ut quam primum possit; qui enim semper obligatur ad finem, semper etiam ad media. Hinc peccat qui impensas superfluas in ludo, in mensa, in habitu, in itineribus, in libris, in pretiosa supellectili, etc., resecare non curat, ut debitis suis satisfaciat.

Q. 2. *Quænam vera restitutionis origo seu radix?*

R. 1: Restitutionis radix generalis atque remota non est, nisi violatio justitiæ commutativæ. Sane nulla est restituendi obligatio, nisi violetur jus strictum alterius; atqui jus strictum alterius non violatur, nisi per violationem ipsius justitiæ commutativæ. Quapropter læsio tam justitiæ legalis, quæ respicit jura legum et pœnas; quam justitiæ distributivæ, quæ respicit merita personarum, per se non obligat ad restitutionem; etsi peccaminosa, cum apud Dominum nulla sit distantia personarum (6). Non 1 violatio *justitiæ legalis;* quia jus Reipublicæ in subditos non est directe in illorum personas aut operationes; sed in publicum bonum, ad quod quisque concurrere debet. Non 2 violatio *justitiæ distributivæ;* quia ex Angelico, munera et officia in societate primario instituta non sunt in præmium meritorum, sed in publicum bonum: unde jus, quod habent digni, est jus dignitatis in voluntate Reipublicæ fundatum, non jus strictum fundatum in proprietate.

(1) Cap. 33. (2) Rom. 13. (3) C. 1 *si res alien.* caus. 14, q. 6.
(4) Ep. 154; alias 54, c. 6. (5) 2, 2, q. 62, a. 8. (6) Deut. 1.

Diximus *per se;* nam per accidens etiam ex violatione justitiæ tum legalis tum distributivæ, imo et vindicativæ obligatio restituendi oritur, scilicet quando iis ob pactum explicitum vel implicitum justitia commutativa consociatur. Sic superior qui indigno atque Reipublicæ noxio confert beneficium, non violat quidem jus strictum dignioris, ideoque nihil debet ipsi restituere, quia illi superior non aufert quod suum est (beneficium enim nonnisi per collationem fit suum); violat tamen jus strictum societatis, et damnum eidem infert, quod reparare tenetur: nam stricto jure tenetur detrimentum a societate avertere, cum ideo sit constitutus superior et stipendium accipiat (1). Sic pariter qui delegatur ad distribuendum, puta centum scuta aliquibus de tali communitate, pro cujuscumque tamen merito, si non servet legem justitiæ distributivæ tenetur restituere: quod valet etiam de illo, qui deputatus est ad legata solvenda personis a testatore determinatis, quæ tamen aliis non vocatis distribuit; nam distributor ille, ait Lugo, non est superior habens distributionem bonorum, sed est quasi œconomus, ad quem pertinet colligere bona, et postea ea non tam distribuere, quam solvere singulis, qui ex voluntate fundatoris habent jus strictum, utpote in ea conditione, quam testator posuit.

R. 2: Proxima radix et specialis duplex adsignatur: 1 *res aliena inculpabiliter accepta*, cui adnectitur obligatio restituendi *ex contractu* vel *quasi-contractu;* 2 *res aliena culpabiliter accepta*, cui adnectitur obligatio restituendi; tum *ex injusta detentione*, quæ est virtualis ac quasi continuata acceptio; tum *ex injusta damnificatione.* Aliquem enim damnificare in rebus suis idem est ac aliquid ab eo subtrahere, licet talis subtractio sit ipsi subtrahenti prorsus inutilis. — Attamen plerique claritatis gratia adsignant longe plures radices hujusmodi; sed omnes in duabus illis, nostra quidem sententia, continentur (2). Nam tot sunt radices proximæ restitutionis quot sunt primariæ species læsionis juris alterius, atqui duæ tantum sunt primariæ species læsionis juris alterius, scilicet læsio materialis, cui respondet obligatio ex re aliena inculpabiliter accepta, et læsio formalis, cui respondet obligatio ex re aliena accepta culpabiliter. Vel ipsa lex ac judicis sententia uni ex his innititur, cum aliquem ad restituendum adstringit: et hæc duplex radix tantum ab ipso Angelico innuitur, qui notat rem unius haberi posse ab alio dupliciter: *vel nempe per voluntatem ejus, ut in deposito; vel contra voluntatem ejus, ut in furto* (3).

(1) Sic restituere tenetur magistratus vel judex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur; quia tunc non tantum est officii prætermissi reus, sed etiam violati contractus, quo se implicite ad damna subditorum præcavenda obligavit.

(2) Sex nempe adsignant: 1ª est res aliena existens in se, vel in æquivalenti, sed sine culpa: puta si invenias inter tuas alienam gallinam; 2ª est injusta acceptio, ut si quid habeas furto; 3ª est injusta damnificatio; 4ª est contractus vel quasi-contractus: quidquid enim fit contra contractum vel quasi-contractum, fit contra justitiam commutativam; 5ª est justa lex, ut est per se lex tributorum; 6ª est judicis sententia justa. (3) 2, 2, q. 62, a. 1 et 6.

CAPUT PRIMUM

DE SUBJECTO RESTITUTIONIS.

Q. *Quodnam est subjectum restitutionis?*

R. Subjectum restitutionis est ipsa persona, quam restitutio afficit. Duplex est: activum unum, et est persona quæ ad restitutionem tenetur; passivum aliud, et est persona cui restitutio peragenda est. Persona vero, quæ ad restitutionem tenetur, vel rem accipit aut retinet inculpabiliter, et dicitur *possessor bonæ fidei;* vel accipit aut retinet dubitans, num res sit sua necne, et dicitur *possessor dubiæ fidei;* vel accipit et retinet culpabiliter, et dicitur *possessor malæ fidei.*

ARTICULUS I — De eo qui ad restitutionem tenetur.

Q. 1. *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei?*

R. Possessor bonæ fidei tenetur statim ac cognoscit rem non esse suam, illam domino reddere si adhuc retineat, et nisi eam legitime præscripserit; quia res semper clamat ad dominum, ac nemo debet cum alterius jactura locupletari. Si vero rem non amplius retineat, distinguendum est: vel inde factus est ditior, puta quia eam cum alia re commutavit; vel non est factus ditior, puta quia eam consumpsit, quin ideo pepercerit rebus suis. Si non est factus ditior, ad nihil tenetur; quia alienum nec in se nec in æquivalenti possidet. Si vero ditior factus est, restituere tenetur in eo, in quo talis effectus est; quia in hoc æquivalenter retinet alienum. Hinc qui vestem alterius bona fide credens esse suam, portaverit et attriverit, si postea dominus compareat, tenetur eam restituere, et insuper solvere quantum attrita est, si aliam vestem æqualis valoris attrivisset. Item qui apud amicum de re furtiva cænavit, tantum restituere debet, quantum de propria cæna pepercit (1).

Hic tamen notandi sunt duo casus, qui æquitati sunt consoni, cum faveant humano commercio, bono publico ac possessionum tranquillitati; ideoque probabilius tenent etiam in conscientia, ut communiter docent cum Bouvier, Carriere, Gousset, Gury, Vernier, etc. En primus: *El posesor de buena fe hace suyos los frutos* (ergo non tantum industriales, verum et naturales, civiles ac mixtos, etiam qua parte sunt naturales; modo jam percepti sint, id est separati a radice), *y no está obligado á restituir sino lo que haya percibido desde el dia de la demanda judicial.* Ergo qui bona fide alienum fundum possidet, tenetur quidem fundum suo domino restituere, non vero fructus inde perceptos; hos non debet nisi a die judicialis petitionis a domino factæ. En secundus: *Si el actual posesor* (utique bonæ fidei) *de la cosa robada ó perdida, la ha comprado en una feria ó mercado, ó bien en ocasion*

(1) In dubio, an sit factus ditior, et perseverante dubio post diligentem inquisitionem, ad nihil tenetur; quia tunc possessio stat pro libertate. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 706.

de una pública subasta etc., no está obligado á restituirla á su propietario originario á menos que este le reembolse el precio que le costó.

An vero qui bona fide emit rem furtivam possit solutum pretium exigere in conscientia a domino, ut illi rem suam restituat, etiamsi non agatur de re empta in foro publico, vel ab eo qui res hujusmodi vendere solet, ita distinguunt: qui eo fine præcise rem furtivam emit, ut eam domino invento restituat, pretium solutum potest repetere, si modicum sit; æquum enim non est, ut qui utiliter negotium domini gessit, damnum exinde patiatur. Si autem pretium esset ferme æquale rei, non posset illud exigere; secus dominus emeret rem suam: tunc sufficit refundere ad arbitrium viri prudentis tantum quantum videtur meruisse emptor, rem domini utiliter redimendo. — Quod siquis bona fide rem alienam emerit putans illam esse venditoris, ideoque absque ulla intentione eam legitimo domino reddendi, communis sententia (teste Benedicto XIV Epistola *Urbem* 19 martii 1752) docet possessorem debere rem furtivam restituere; nam res clamat ad dominum; nec tamen posse solutum pretium jure repetere, quia dominus cogendus non est rem suam emere.

An (quæres) *qui emit bona fide rem furtivam possit illam furi restituere, ut pretium suum recuperet?* — Conveniunt: 1 quod non potest eam furi restituere, si dominus rem suam petat; dominus enim de jure naturæ a quocumque et quocumque loco potest rem suam recuperare; 2 quod e contrario potest furi eam restituere, si dominus ipse facile posset ab ipso fure rem suam habere; tunc enim dominus non esset rationabiliter invitus, siquidem nullum patitur damnum, et sic emptor suum recuperat pretium: et juxta axioma, *quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere.* Extra hunc casum utrum possit in conscientia emptor iterum rem furtivam reddere furi ad suum pretium recuperandum, duæ sententiæ: una cum S. Antonino, Lessio, Lugo, etc., affirmat; quia hoc modo nullum damnum infertur domino, cum res in priori suo statu collocetur. Altera autem cum Laymano, Croix et Concina negat, nam negari haud potest, rem illam per emptionem e manu furis ablatam evasisse melioris conditionis, et ideo si iterum furi restituatur, fieri deterioris, quod est illicitum. Aliunde res clamat ad dominum, non ad furem: — Secunda hæc sententia negans est quidem multum probabilis, sed etiam prima illa affirmans non est minus probabilis, imo forte probabilior, si tamen eo in casu emptor constitutus sit, ut aliter non possit pretium suum recuperare, nemo enim tenetur rem domino suo servare cum æquali suo damno: ideoque poterit permittere; ut fur rem a se venditam iterum recipiat, ne emptor pretium suum amittat (1). Adde: cum

(1) *Quid* (dices) *si agatur de emptore malæ fidei?* — Tunc communius docent illum non posse rem furi reddere; nam mala fide emendo, idem esset ac si de novo eam furaretur, sicque in se transtulit furti obligationem. Sed Lugo appellat, hoc non obstante, forte probabiliorem eorum sententiam, qui docent etiam in hoc casu posse emptorem rem furi restituere, ut proprium pretium recuperare valeat; licet enim iste peccaverit rem illam mala fide sibi comparando, tamen post emptionem habet jus non secus ac emptor bonæ fidei contractum suum rescindendi. Neque dicas, actionem emptoris in hoc casu fuisse domino injuriosam; nam ad restitutionis obligationem requiritur, ut actio non solum sit injuriosa, sed etiam ut realiter influat in damnum alterius, quod in

quisque jus habeat ad bona sua recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quæ per se est directa ad damnum proprium reparandum, licet tunc per accidens damnum alteri superveniat (1).

(**) *Ad quid* (quæres) *tenetur possessor bonæ fidei si rem a fure emptam alteri vendiderit?*

In casu evictionis, seu in casu quo dominus rem suam ab auctore vindicaverit, venditor emptori pretium suum reddere tenetur. Ratio est, quia in tali casu venditio est omnino irrita sive ex jure naturali, sive ex jure positivo; interveniente enim evictione, contractus resolvendus est, et emptor recursum ipso facto in venditorem acquirit. Etenim venditor, rem emptori tradendo se implicite obligavit ad damnum ejus reparandum, si forti futura esset evictio. Idem tenetur in casu spontaneæ restitutionis ab emptore factæ erga dominum ob eamdem rationem. — *S. Lig. n.* 601. — *Salm. n.* 89, et alii omnes. Idem dicendum pariter, si res aliena in manus variorum possessorum titulo oneroso transiverit. Ultimus enim possessor rem domino cognito reddere debet, et ipse et singuli emptores jus habent venditorem suum persequendi ut pretium solutum recuperent (2) (*).

(**) R. 2. Extra casum evictionis, vel spontaneæ restitutionis ex parte emptoris, res difficultate non caret et acriter controvertitur. Sic nobis resolvendum esse videtur (3) (*).

1. Ex jure romano, venditor ad nihil tenetur, saltem probabilius, nisi ex venditione ditior factus fuerit. Ratio est, quia venditio rei alienæ bona fide peracta non habetur in jure ut omnino irrita. Licet enim in ea non transferatur dominium rei in emptorem, transfertur tamen dominium pretii in venditorem. — Ita valde communius. — *S. Liguori n.* 601, *Lugo D.* 17, *n.* 108. — *Salm. c.* 1, *n.* 88. — *Vogler etc.*, contra Billuart. art. 10, et alios qui venditorem obligant ad pretium domino vel emptori reddendum; quia, ajunt, venditio rei alienæ est prorsus invalida (4) (*).

(**) Q. Ad quid tenetur possessor bonæ fidei si rem alienam alteri donaverit?

R. Ad nihil tenetur si ditior minime factus sit, et durante bona fide rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit. Etenim; non tenetur ratione rei acceptæ quæ amplius non extat, neque ratione injustæ acceptionis, aut consumptionis, aut destructionis, quia rem bona fide possidebat: nemo enim restituere tenetur ratione injustæ damnificationis materialis, sed tantum formalis. Hoc etiam valet si de industria rem destruxerit, aut ex ejus negligentia res perierit. Ratio est, quia nulli injuriam inferebat rem

casu nostro non evenit; cum jam ab alio fuerit consummatum, neque de uno in alium furem re transeunte melioris conditionis evaserit.

(1) Neque obstat, quod res fiat hoc modo deterior; quia hic non habetur nisi rescissio contractus: sed rescissio contractus huic emptori est directe licita et necessaria ad vitandum proprium damnum. Quod si inde damnum obveniat domino, id per accidens est; non enim emptor rem furi restituit, ut sibi eam retineat, sed ut rescindat contractum suum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 569. (2) Gury Comp. Theol. Mor. n. 617. (3) Ib.

(4) Non tenetur venditor monere dominum, ut rem suam recuperare possit; nec indicare emptori rem esse alienam si detegat post venditionem bona fide peractam, quando eum admonendo, pretii accepti amittendi obiret periculum. — Liguor. et alii, ibid.

quam credebat suam destruendo aut negligendo. Jure etiam positivo confirmatur (1).

Dixi: modo ditior inde non evaserit, quia id in qua ditior factus esset loco rei succederet; et est contra jus naturale ut quis cum alterius injuria ditescat juxta hanc regulam 48ª juris in 6.° *Locupletari non potest aliquis cum alterius injuria seu jactura.* Et ratio est, quia nisi talis possessor rem vel æquivalens restitueret, bonum alienum, invito rationabiliter domino, retineret, siquidem illius jus strictum violaret, id retinendo ad quod nullum jus habet, et proinde jam iniquus detentor fieret. Quod si quæres utrum teneatur monere donatarium, ut rem domino reddat, vel dominum ut rem suam recuperare valeat, respondetur: nullo titulo tenetur ratione justitiæ, ut patet; præstare possit.

Hoc sequitur ex generali charitatis principio (2) (**).

Quid (dices) *si ille qui bona fide vendidit rem alienam, contractum rescindendo, non possit amplius recuperare pretium, quo et ipse rem illam emit? v. g. pretio emisti ab ignoto homine equum alienum, quem postea tertio vendidisti; si huic tertio restituatur pretium, et domino equus, tu amittis tuam pecuniam quam ignoto solvisti.* — Distinguendum est: si proprietarius suum equum evincat a tertio, tertius iste tenetur equum domino tradere, quia ad ipsum clamat, et tu illi teneris solutum pretium reddere; quia vendidisti rem vitiosam; per accidens autem est, quod non possis recuperare pecuniam tuam. Si vero proprietarius rem suam non evincat, alii cum Lyonnet asserunt venditorem adhuc restituere debere pretium ex venditione rei alienæ perceptum, modo pretium illud bona fide non consumpserit; nam tunc rem alienam non quidem in se habet, sed habet in pretio, quod rem repræsentat eique subrogatur. Attamen alii cum Salmanticensibus tuentur, quod si res a domino non postuletur, nulli tenetur venditor restitutionem facere: neque etiam tenetur monere dominum, ut dicit Lessius, aut indicare emptori, quod res sit aliena, si post venditionem bona fide peractam id venditor resciscat, et non possit amplius pretium quo ipse rem emit, recuperare; quia cum rem alienam amplius non habeat, nec sit causa cur dominus re sua privetur, non tenetur cum magno suo damno curare, ut dominus illam redipiscatur (3).

An (quæres) *bonæ fidei possessor possit repetere impensas in aliena re factas?* — Impensæ aliæ sunt *necessariæ*, sine quibus res servari nequit; aliæ *utiles* quæ rem meliorem reddunt; aliæ *voluptuariæ* quæ rem exornant. Porro impensæ necessariæ a domino compensandæ sunt, si res erat infructifera: secus si fructus reddat, quia tunc possessor bonæ fidei sat compensatur ex perceptis fructibus. Impensas utiles debet proprietarius compensare pro valore incrementorum, quia revera pretio æstimabilia sunt. Idem æquitas postulat quoad impensas voluptuarias, saltem in quantum rei valorem augent, ne dominus de alieno ditescat: si tamen absque deterioratione possint au-

(1) L. II, § 3, ff. de petit. hæred. qui quasi rem suam neglexit, nulli quærelæ subjectus est.

(2) Gury Comp. Theol. Mor. n. 616, 611, et 612. — Pro Hispania V. de hac re. Leg. 39, 41 et 44, tit. 28, Part. 3.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 568, 570, 600, 601 et 800.

ferri, ut sunt statuæ, imagines, dominus nihil refundere tenetur, quia possessor bonæ fidei eas auferre potest.

Q. 2. *Ad quid tenetur possessor dubiæ fidei?*

R. Dupliciter potest quis rem alienam possidere dubia fide: 1 si illam possidere incipiat jam dubitans sua ne sit, ut si emerit rem alienam dubitans, an sit venditoris; 2 si postquam illius possessionem adeptus sit bona fide putans esse suam, dubium superveniat.

Si agitur de primo casu, possessor sic agens peccat; quia evidenter se exponit periculo rem alienam sibimet usurpandi: ideoque majori vel minori diligentia pro majori vel minori rei ipsius valore tenetur inquirere dominum. Si compareat et multo probabilius existimet rem vere ad ipsum spectare, illi reddere debet; nam cum dubius certam possessionem inchoare non potuerit, res illius est, pro quo stat major veri probabilitas: si non compareat, debet illam distribuere pauperibus ex præsumpta domini voluntate. — Si vero post adhibitam sufficientem diligentiam multo probabilius judicet rem esse suam, potest eam sibi retinere, paritate rationis. Quod si dubium remanet hinc inde æquale, res dividi debet inter utrumque juxta dubii rationem, ut docent probabilius; nam par est utriusque conditio (1).

Si agatur de secundo casu, sententia communior et probabilior cum Croix Laymano, Lugo, Roncaglia, Sanchez, Sporer et Viva docet, eum ad nihil teneri nisi moraliter constet rem esse alienam. Id autem probatur: 1 jure Canonico, ubi hæc habentur D. Augustini verba: *in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur quamdiu se possidere ignorat alienum* (2); atqui quamdiu certo moraliter non constat rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum; 2 ratione, nam per possessionem bonæ fidei acquiritur verum jus, cum possessio a Juristis dicatur: *jus insistendi in re non prohibita possideri.* Ergo quamdiu dominium rei est dubium, tamdiu possessor retinet jus insistendi in ipsa, ita ut ante diligentiam ad veritatis assecutionem adhibendam teneatur quidem rem servare; sed post diligentiam illam, veritate non obtenta, possit eamdem consumere, imo et alienare, admonito tamen emptore de dubio adhuc vertente. Idque tenet, etsi contra possessorem adsit ratio probabilis, et nulla in ejusdem favorem; quia adest semper pro eo præsumptio orta ab ipsa possessione, quæ secum importat jus certum, quod nequit superari, nisi ab alio jure item certo pro altera parte per rationes convincentes.

Quid (dices) *si possessor iste, superveniente dubio, culpabiliter negligat adhibere diligentiam ad veritatem inveniendam et postea eam non possit amplius invenire* (3)? — Tunc nonnulli putant possessorem mortaliter quidem peccasse omittendo illam diligentiam, sed ad nihil adhuc teneri; quia ex una parte damnum illatum semper dubium est, jus vero possessionis ex alia est certum. Attamen nos verius putamus, quod talis possessor et peccaverit et

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 625.

(2) Can. *si virgo* q. 1. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 35.

(3) Titius v. g. fundum possidet, sed interdum dubitat an ille fundus ad Sempronium pertineat: fac Titium negligere documentorum lectionem et interim fortuito incendio archivium conflagrare: tenetur ne Titius ad aliquid erga Sempronium? En casus.

tenetur aliquid restituere ei, de quo dubium est, an sit verus dominus, sin autem pauperibus: cum enim iste culpabiliter dominum privaverit spe, quam habere poterat ad rem suam sibi comparandam, et ista spes esset profecto pretio æstimabilis, jam damnum certum est eidem illatum (1).

Q. 3. *Ad quid tenetur possessor malæ fidei?*

R. Fur, vel quivis alius possessor malæ fidei, tenetur domino reddere rem suam cum omnibus fructibus, nisi sint mere industriales: item omne damnum emergens et lucrum cessans a die possessionis; quidquid uno verbo ex re percepit, vel potuisset percipere, si ut bonus paterfamilias ipsam administrasset. Secus illata injuria ex integro non repareretur: convenit etiam *Jus civile*. Hinc præstare etiam tenetur augmentum rei, si talis ejusdem natura sit, ut crescat; nam res domino suo crescit (2). Diximus *nisi sint mere industriales;* nam fructus industriæ sunt ei, qui industriam exercet: hinc thesaurarii, quæstores, telonarii et alii similes, qui ex pecuniis alienis sibi commissis vel apud se depositis lucrum faciunt negotiando, cambiando, ludendo, etc. hujusmodi lucrum restituere non tenentur: peccant quidem contra fidelitatem et obedientiam, si hæc invito domino faciunt; sed non contra justitiam commutativam: ita Antoine, Bouvier, Gousset, etc. Item qui in pecunia alium fraudavit, tenetur quidem et pecuniam restituere et damna, si quæ alia obvenerunt domino, compensare; sed non tenetur illi in rigore reddere pecuniæ usuras (vulgo *intereses*); quia pecuniæ fructus sunt industriales. —Item observamus, quod possessor malæ fidei potest etiam deducere expensas tum necessarias tum utiles ad rem conservandam: et sane dominus habet quidem jus, ut rem suam integram cum omnibus fructibus debitis obtineat; non vero ut ex detrimento furis ditior evadat. Excipe nisi fur in pœnam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuerit a legitimo judice (3).

Sed (quæres) *quomodo supputanda sunt et valor et augmentum rei, ut integra fiat restitutio ab iniquo possessore?* — R. Fingatur casus de augmento intrinseco. Titius furatur pullum equinum valentem quinquaginta libellis; apud furem fit equus habilis ad rhedam valens libellis centum; postea labore fractus et senio, macrescit, vel interit. —Fingatur casus ex augmento extrinseco. Titius furatur dolium vini valens libellas decem, facta ex inopinato frequentia emptorum et vini caritate, idem dolium acquirit valorem libellarum viginti: tum cessantibus his circumstantiis, iterum redit ad valorem decem libellarum, et in hoc statu vinum consumitur. In hisce casibus quæritur, utrum supputatio valoris equi et dolii vini repeti debeat a tempo-

(1) Dicimus tamen non esse faciendam talem restitutionem pro quantitate dubii, ita ut si rationes essent æquales ex utraque parte, res pro medietate sit restituenda; sed minus et forte valde etiam minus, quia rei detentor est in conditione meliori ob jus possessionis, quod ipsi favebat, et adhuc favet.

(2) «Cæterum (ait ad rem *Stapf*, § 152) ne in computandis infaustis consectariis exorbitemus, notare juvat, mala quæ alicui inferuntur, non ad inanes possibilitates extendenda, sed ita dimetienda esse, prout ex communi hominum æstimatione taxari solent. Sic, e. g. ridiculum foret illi qui alterius gallinam occidit, calculum proponere quot pulli ex hac gallina successu temporis nasci potuissent.»

(3) Pro Hispania V. de hac re Leg. 40, 42 et 44, tit. 28, Part. 3. N. E.

re, quo dominus illis rebus fuit inique privatus, an vero a tempore majoris incrementi, scilicet a tempore, quo equus valebat libellis centum, et vini dolium viginti libellas?

Sunt qui ita distinguunt: si dominus fuisset rem conservaturus usque ad tempus majoris incrementi, seu usque ad statum rei optimum, tunc fur tenetur compensare dominum juxta pretium majus, quod illa res habuit, saltem ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Si vero dominus fuisset certo venditurus, vel consumpturus rem in statu ejus minore, juxta hunc statum sentiunt esse faciendam damni illati supputationem, et tamquam fructum meræ industriæ habendum esse incrementum, quod apud furem accepit et iterum postea amisit. — Verum alii probabilius censent (nulla facta exceptione sive fuerit sive non fuerit dominus conservaturus rem suam usque ad majus pretii incrementum) justam æstimationem rei restituendæ esse desumendam a statu meliori et optimo, quam res habuit intra tempus injustæ detentionis. Ratio est, quia res quælibet crescit, augetur, melior efficitur in bonum solius domini sui; dum e contrario in damnum solius malæ fidei possessoris res perit, decrescit, deterior efficitur. Dominus autem retinet semper rei suæ dominium, quo nequit expoliari iniqui detentoris injuria, et ea etiam temporis periodo, qua res existebat in statu meliori, et plurimi æstimabatur, clamabat ad dominum, urgebatque injustum detentorem ad restituendum. Enimvero fingamus, quod in allatis hypothesibus injustus detentor vendiderit tum equum, tum vini dolium in meliori eorum statu: percepisset sane ex equo centum libellas, ex vini dolio libellas viginti: cujus porro erit hoc pretium? an injusti detentoris? nequaquam, quia fur non debet ullo tempore ditescere ex re aliena; ergo erit domini; deductis tamen, quæ sunt deducenda, nempe expensis necessariis factis a fure (1).

Quid (dices) *si res aliena ablata apud furem ipsum perierit?* — Si res ablata apud furem perierit, tenetur fur ad illius pretium, etsi perierit, absque ulla ejus vel alterius culpa, sed casu fortuito; nam fur rem subducendo totum rei periculum in se suscipit. Excipe in sententia communiter accepta, nisi etiam apud dominum res fuisset æque peritura; si enim pereat apud possessorem malæ fidei absque sua vel alterius culpa, et eodem tempore ac periculo fuisset pariter penes dominum certo peritura, v. g. in eodem incendio, tunc in foro interno possessor malæ fidei non tenebitur ad restitutionem: quamvis enim furtum cum injuria commissum fuerit, non fuit tamen causa damni efficax et positiva; nam per subsequentem casum incendii verificatur, quod actio furtiva non erat vere damnosa ut putabatur. Idque confirmatur ex jure civili, in quo dicitur non teneri ad restitutionem nautam qui ex una in aliam navem deteriorem, invito domino, transtulit mercem quæ perit: pereunte prima navi in eadem tempestate (2).

Ut tamen possessor malus liberetur *in foro interno* a restitutione, requiritur, ut res omnino pereat *sine sua culpa, sine culpa alterius, et eodem tempore ac periculo, quo periisset penes dominum*. Esset v. g. si quis im-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 621.
(2) Leg. 1 *ff. Ad leg. Rhoad.*

minente naufragio, surripiat socio vas aureum, sed postea magis æstuante tempestate, omnes merces una cum vase ipso sublato undis absorbeantur. Diximus: 1 *sine sua culpa;* si enim ipse rem consumpsit, vel ex negligentia culpabili eam perdidit, videtur excusari non posse a restitutione; quia obligatio tunc evasit personalis. Verum aliqui recte probabiliter adhuc excusarent, si rem voluntarie consumpsisset intra idem tempus, quo jam prævideratat eam apud dominum item esse perituram; quia in tali casu adhuc verificatur, quod non sit efficax damni causa: esset si sumas vinum alienum jam-jam incursu hostili certo invadendum, illud que cum amicis bibas;—2 *sine culpa alterius:* nam quemadmodum secundus iste damnificator obligationem contraxisset restitutionis, ita et primus remanet eodem onere ligatus; —3 *eodem tempore ac periculo:* nam si cessante communi illo periculo, fur non restituat, et postea res pereat in alio periculo superveniente, videtur ad restitutionem teneri; quia non restituendo tempore debito fuit in mora culpabili. Quamquam probabiliter adhuc ipsum excusent, si hoc secundum periculum fuerit æque commune; tunc enim non mora, sed periculum semper fuisset efficax causa damni;—4 *in foro interno:* nam ad quodlibet fraudis periculum avertendum atque ad puniendam malam fidem ex Romana lege quocumque tandem modo ac tempore res furtiva perierit, semper remanet obligatus malæ fidei possessor.

Q. 4. *Quid si pretium quis accipiat pro re jam debita?*

R. Vel res illa, pro qua quis pretium accipit, jam debita erat ex justitia: vel ex alia virtute, v. g. Religionis (1). Si 1, pretium pro ea acceptum restitui debet; quia alter jam habet jus, ut actio ponatur absque ulla pretii solutione: unde retinendi pretium illud nullus est titulus. Sic v. g. detractor, qui summam accepit, ut alterum non diffamaret: latro cui pecunia est tributa, ne alium spoliet, debent acceptum restituere: sic etiam judex restituere debet quod accepit pro ferenda sententia justa, *injustus est qui justitiam, quam debet gratis ex officio facere, non vult facere, nisi accepto munere*, ait S. Thomas (2).—Si 2, nulla debetur restitutio; nam qui pretium præbuit, acquisivit jus quod antea non habebat et juri non stricto jus strictum superaddit. Hinc dives, qui videretur ex charitate teneri locare domum pauperculo gratis omnino, non peccat contra justitiam, si pretium locationis exigat. Item qui ex charitate deberet curare infirmum pauperem, non violat justitiam, si ideo pretium exigat, et illud potest jure retinere.

Q. 5. *Quid de ficto paupere, qui eleemosynas extorquet?*

R. Si eleemosyna parva sit, qualis ostiatim mendicantibus dari solet, ad nihil tenetur fictus pauper, ut ait Busembaum et Gury; hæc enim communiter censetur absolute data, licet peccent sic fingentes. Si vero sit magna, tunc restitui debet vel danti secundum Molinam, vel etiam secundum Palaum aliis pauperibus; cum enim talis eleemosyna datur, semper subintelligitur: *si*

(1) Hic non agitur de eo, quod datur ex mera liberalitate ad inclinandum accipientis animum ad præstanda quæ debet sive ex justitia sive ex alia virtute: liberalis donatio est sufficiens titulus retinendi. Excipe si lex obstet, ut cavet Tridentinum sess. 24, c. 18 circa examinatores synodales, qui nihil omnino recipere possunt ab examinandis.

(2) Opusc. *De erud. Princ.* l. IV, c. 2. Et Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 713.

vere pauperes sint. Unde ad rem Catechismus Romanus: *furtum facere videntur qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant* (1). Hinc qui insimulando pensiones obtinent pauperibus tantum relictas, dum propriis expensis studere commode possunt, tenentur ad restitutionem; quia evidenter fraudant benefactorum voluntatem. Ad modum quo tenerentur qui ob gravem culpam, puta ob pravos mores, indisciplinam, etc. se indignos redderent statu, ad quem gratuita educantur pensione. Item qui nullum omnino clericandi animum haberent, si pensio qua fruuntur, ideo Clericis manifeste relicta sit, ut ad Sacerdotium omnino tendant: hoc tamen dicendum non est, si talem ipsi animum primitus serio non excludentes, postea maturiori ætate et examine se vocatos non sentiant; cum satis fuerint in bona fide, neque velint benefactores, ut non vocatus fiat Clericus.

Q. 6. *Quotuplex potest quis damnificare?*

R. Potest quis damnificare seu alicui injuriam inferre; 1 immediate et per se ipsum, v. g. aliquid propriis manibus a proximo surripiendo; 2 mediate et per alios, v. g. alicui suadendo, ut aliquid a proximo surripiat.

§ I—*De eo, qui culpabiliter damnum infert immediate.*

Q. 1. *Quænam culpa, seu potius quænam actio requiritur in damnificatore, ut teneatur restituere?*

R. Ut actio damnificatoris obligationem restitutionis inducat, de jure naturæ requiritur, ut sit injusta, efficax causa damni, et theologice culpabilis. *Injusta*, obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum: jus autem strictum alterius violari nequit, nisi per actionem injustam, seu justitiæ commutativæ oppositam. *Efficax causa damni;* neque sane potest detrimentum actionis in aliquem conferri, nisi ejus actio causa fuerit detrimenti vera et efficax: existimatur autem quis causa vera et efficax, quando physice vel moraliter damnum illud determinat. *Theologice culpabilis;* etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientiæ; nisi in eodem foro injuria commissa fuerit.

An non etiam (quæres) *ex culpa juridica oritur obligatio restitutionis?*— Culpa quacum actio damnificans fieri potest, duplex distinguitur, *theologica* et *juridica:* theologica sic dicitur, quia a Theologis pro foro conscientiæ spectatur, et ea est quæ verum continet peccatum, cum nempe quis advertentia sufficienti ad culpam damnum alteri infert. Juridica vero est omissio diligentiæ ab humanis legibus requisitæ, qua alterius damnum caveri potuit: hæc per se subsistit absque culpa theologica, ut cum quis ob ignorantiam vel inadvertentiam, quæ excusat coram Deo, damnum alicui infert; quod tamen absolute loquendo diligentiori cura caveri poterat.—Ipsa autem culpa juridica triplex distingui solet. *Lata*, et est omissio illius diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis solent in talibus circumstantiis communiter adhibere: v. g. siquis librum sibi commodatum relinquat absque ulla custodia ante

(1) Part. 3. — *V.* Liguori *Homo Ap.* tr. XIII, n. 44.

ostium domus suæ. *Levis*, et est omissio diligentiæ illius, quam homines diligentiores, et accuratiores adhibere solent: v. g. siquis sibi commodatum librum domi quidem reponat, sed ostium minime claudat cum clave. *Levissima*, et est omissio diligentiæ illius, quæ addiberi non solet, nisi a diligentissimis atque accuratissimis: v. g. siquis librum domi reponat et ostium claudat, sed manu etiam non tangat et probet, utrum clausum bene sit ostium necne. Hoc posito, dicimus:

Hæc culparum distinctio ab antiquis Jurisconsultis excogitata in contractibus ac quasi-delictis, cum ab hodiernis Codicibus non amplius commemoretur, imo ex illorum mente non amplius videatur admittenda (1), ideo recte concludimus cum Gury ac Gousset: culpa mere juridica generatim loquendo hodie non amplius obtinet, nisi casu quo quis se voluerit expresse obligare, vel quo judicis sententia intervenerit, cui parendum sit ob bonum commune.

Q. 2. *Quanta est obligatio restitutionis?*

R. Obligatio restitutionis debet culpæ proportionari ac damno (2); unde qui reus est furti gravis, tenetur sub gravi ad restitutionem; sub levi qui levis furti reus est. Hoc tamen ordinarie loquendo; nam aliquando etiam ex culpa veniali ob parvitatem materiæ potest oriri per accidens restitutionis obligatio gravis. Casus est in eo, qui (non longo intervallo) furta multa committit, sed singula in se parva et levia: ex furtulo complente materiam gravem oritur in fure obligatio restitutionis sub gravi (saltem illius ultimi furtuli), etiamsi illud patraverit non advertens ad furta præterita. Tunc enim gravitas obligationis non esset ex illa ultima acceptatione injusta, quæ utpote culpa tantum levis non potest obligationem gravem inducere, sed ex tota simul; quæ quidem ex accessione ultimi furtuli evadit gravis.

Quid si culpa theologica non fuerit nisi venialis ex imperfectione deliberationis et advertentiæ, sed grave sit damnum inde illatum?—Hac de re plures sunt sententiæ. Alii cum Henrico a S. Ignatio docent, auctorem damni ad totum teneri sub mortali: hoc tamen non est admittendum; quia gravis obligatio ex culpa levi per se oriri non potest. Alii obligant ad totum sub levi: sed adhuc negatur; quia aliqua debet esse proportio inter vim obligationis et illius objectum. Alii cum Laymano obligant ad partem sub mortali: quod iterum non admittitur, defectu proportionis. Alii vero cum Bouvier

(1) Sic v. g. si aperuisti foveam vel ad ædificationem domus vel ad feram capiendam, et inculpabiliter oblitus es, quod poterant ibi homines periclitari; vel adhibuisti communem ac sufficientem diligentiam, ne periclitentur, non tamen adhibuisti advertentiam illam, quam solent diligentiores et diligentissimi. Si periclitatur aliquis et labitur in foveam, non peccasti mortaliter, nec teneris ad restitutionem; ratio quia etsi peccasti culpa juridica, non peccasti culpa theologica. Excipe, nisi accedat sententia judicis, quæ observanda est, cum sit ob bonum publicum; id enim in foro externo constitutum est ad homines cautiores reddendos.

Casus alter: *Didacus vas cristallinum valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed Basilius hac eadem nocte domum sine lumine ingreditur, in vas offendit illudque frangit. Quid juris?* — R. Nec *Didacus*, nec *Basilius* ad restitutionem tenetur, quia ex utriusque parte exulat culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno, vel ejus periculo. Imo nec tenetur alteruter, si periculum aliquod valde remotum prævidisset, quia in moralibus non attenditur ad meram possibilitatem. *Vogler*, *Gury*, etc.

(2) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. x, n. 40; et *Opus Mor.* l. III, n. 550.

tenent adesse obligationem restituendi partem sub culpa veniali; sic enim pro modo culpæ est obligatio damnum reparandi.

At communiter et probabilius Filliucius, Gury, Lessius, Roncaglia, Salas, Sanchez, Viva et alii multi cum sapientissimo De Lugo, qui in materia justitiæ inter Theologos est facile princeps, docent, nullam esse restitutionis obligationem neque sub gravi neque sub levi; tum quia culpa venialis ex imperfectione deliberationis et advertentiæ non est simpliciter delictum et injuria, ideoque non potest parere verum restitutionis onus; tum quia leves hujusmodi inadvertentiæ facillime cuique occurrunt: ergo accensendæ sunt casui fortuito quoad restituendi obligationem, nisi velimus latissimam angustiis et scrupulis viam patefacere. Ergo revera neque sub gravi, neque sub levi esse potest in hoc casu obligatio restitutionis: non sub gravi, quia obligatio *gravis* non habet proportionem cum culpa levi; non sub levi, quia obligatio *levis* non habet proportionem cum materia gravi, in qua culpa venialis commissa est. Hinc qui subita ira correptus aliquem interimit, ita ut fuerit solum motus secundo primus, talis non tenetur ad ullam restitutionem (1).

Dices: *saltem tenetur ad aliquid leve ratione culpæ; sicut qui leve furatur, de levi tenetur.* — Sed contra: quando furtum rei parvæ est cum plena advertentia et plene voluntaria, non est mirum, si pariat obligationem levem in suo genere. At in nostro casu non datur advertentia plena ad illud grave damnum: et per consequens non parit obligationem in illo genere mali; cum ad damnum grave requiratur injuria gravis. Sicut etiam qui vovet rem parvam, tenetur sub veniali illam implere; qui vero rem magnam, sed sine plena advertentia vovet, ad nihil omnino tenetur. Ita *De Lugo.*

Quid (quæres) *si adsit culpa theologica gravis, non tamen in ordine ad damnum illatum: ut siquis lædat amicum illum credens invincibiliter esse inimicum suum?* — Certum est, ipsum graviter peccare ob malum, quem gerit, affectum: et merito in foro externo sic lædens non auditur (2); quia ex opere externo animus ipse præsumitur. Verum ad restitutionem quod attinet, utrum ad illam in foro conscientiæ teneatur, recte censet Sanchez, ipsum teneri, si amicum læserit ab eo aliquid furando, licet postea ablatum consumpserit: nam in furto non attenditur solum, cui volueris facere injuriam; sed an etiam vere volueris rem accipere, invito domino: ideoque a quocumque abstuleris, tu semper teneris ad restitutionem, nisi tibi fiat remissio a domino rei.

Si vero agatur de simplici damnificatione, ubi unice attenditur persona, cui damnum fieri vult, non res, cum nihil in simplici damnificatione recipiat damnificator, utrum iste sit obligandus ad restitutionem, disputant: esset ca-

(1) *Quid vero dices, de illo, qui projicit in mare gemmam alienam æstimatam* 10, *si valeat* 100? — Alii obligant ad restituendum 100, quia damnificans cum culpa gravi tenetur ad omne damnum factum, licet ignoratum. Alii tamen communius ac probabilius dicunt teneri tantum ad 10; quia obligatio restitutionis correspondet culpæ, et culpa injuriæ quæ intenditur: hic autem non intenditur injuria, nisi uti 10. Verum quidem est teneri ad totum damnum, cum saltem apprehenditur in confuso (ut cæteroquin regulariter apprehenditur), sed neutiquam, cum omnino invincibiliter ignoratur; nam voluntas non fertur in incognitum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 613.

(2) *Digest.* l. XLVII, t. x: *de injuriis*, l. XVIII, § 3.

sus, si quis noctu quærens inimicum suum ad necandum, et putans eum revera occidere; ex errore tamen invincibili occidit amicum. Non pauci cum Filliucio, Lugo, Sporer, Tamburini et aliis doctis junioribus negant, ipsum teneri ad restitutionem; nam ille voluit quidem hominem occidere, sed nonnisi hominem *talem:* unde exercita actio est tantum materialiter mala; ad inducendam enim obligationem resarciendi damnum, requiritur ut et damnum et mala actio sit circa idem. Sane si ille absolute intendit lædere solum inimicum et amicum voluntarie excludit, de facto neminem culpabiliter lædit: non *inimicum;* quia iste non læditur; non *amicum*, quia illius respectu talis actio est omnino involuntaria, cum illi potius benefacere velit (1): est sane valde urgens ratio. Alii tamen cum Alasia, Antoine, Bonacina, Lyonnet acriter tuentur contrarium: quia omnis actio contra justitiam advertenter posita parit onus restitutionis; atqui talis est actio, de qua agitur. Neque error in persona tollit rationem injuriæ; quæstio enim non est de nomine, sed de re: hic sane voluit hominem occidere, et hominem occidit, vel saltem humanitatem læsit. Adde in materia justitiæ, sicut in materia contractuum, non attenditur quid agens facere voluisset; sed quid reipsa facere voluit: atqui reipsa in casu proposito personæ præsenti nocere voluit (2).

Q. 3. *An in contractibus ad inducendam obligationem restitutionis necessaria omnino sit culpa theologica?*

R. Certum est contrahentes posse, si velint, obligare seipsos ad restitutionem etiam absque culpa theologica pro damno rei alienæ ex contractu detentæ; cum juxta conventionem sit obligatio. Sed utrum hæc eorum voluntas in contractibus semper de facto existere dicenda sit, etiamsi expressa non fuerit, non satis conveniunt. Affirmant Antoine, Collet, Concina, Layman, Navarrus, et Vasquez, ac docent adesse obligationem restituendi ex dolo vel culpa lata, si contractus cedat tantummodo in utilitatem domini rei, quale est v. g. depositum gratuitum: unde si pereat, tunc tantum teneris de ejus pretio, cum in eo custodiendo diligentiam communem non adhibuisti. — Ex culpa vero levi, si cedat in utilitatem utriusque, qualis est v. g. locatio: unde si in custodiendo libro tibi locato adhibuisti quidem communem, non autem accuratiorem diligentiam, si pereat, de illo teneris. — Ex culpa tandem levissima, si cedat dumtaxat in utilitatem illius, qui culpam committit, uti esset v. g. commodatum: unde si in custodiendo equo tibi commodato adhibuisti curam communem, imo diligentiorem, sed non diligentissimam, si equus pereat, ejus pretium in conscientia dare de-

(1) Notandum tamen, quod talis adhuc incurreret excommunicationem, si tam occisus, quam occidendus esset Clericus, ut tenet sententia absolute probabilior atque communissima cum Viva, Bonacina, Sanchez, etc.; quia excommunicatio incurritur non ob personæ, sed ob status læsionem, qui status in eo casu jam voluntarie læditur licet in persona erretur: et tunc multo magis incurritur irregularitas.

(2) Quisque poterit abundare in sensu suo, neutram vero spernere sententiam; cum utraque et ratione et auctoritate præstet. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 628 et 629. — Qui culpabiliter incenderet domum assecuratam, deberet societati assecurationis totum refundere, quod illa domino solvit; et insuper ipsum dominum resarcire ab alio, si quod patitur damnum; cum societas non totum semper tribuat.

bes. Æqualitas enim in quolibet contractu servanda expostulat, ut ubi majus est commodum, ibi major adhibeatur cura. Deinde leges civiles id præcipientes in bonum publicum latæ sunt, ideoque in conscientia servandæ (1).

Sed Croix, Lessius, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses, Sotus et omnes fere moderni valde probabiliter negant, et contendunt absque culpa theologica restitutionis obligationem adesse nullam. Quia ex una parte non est æquum obligare aliquem ad pœnam gravem absque culpa gravi; ex alia non constat, quod aliquis voluerit se obligare in conscientia ad reparandum damnum alteri illatum sine culpa mortali. Leges autem, quæ in contrarium adduci solent obligantes ex sola culpa juridica, vel præsupponunt culpam theologicam, vel obligant dumtaxat in foro externo, vel si absolute quibusdam in casibus restitutionem omnino præcipiunt, obligant quidem, etiamsi peccatum non adsit; sed non ante sententiam judicis, ut communiter dicunt.

Q. 4. *Quid de restitutione in quasi-contractibus et officiis?*

R. Pro generali principio statuendum est, ad restitutionis obligationem non sufficere, ut quis in suo officio implendo fuerit efficax causa damni, sed insuper requiri ut damnum illud voluntarie intulerit; nam ex adagio: *res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Hinc si medicus v. g. ex errore inculpabili remedium nocivum ægroto præbeat, nihil ei tenetur restituere. — Item omissio diligentiæ debitæ nullam imponit restituendi obligationem, nisi fuerit voluntaria: quia absque voluntate peccatum nec esse nec concipi potest. Hinc est (ut observant Alasia, Antoine, Billuart cum aliis communiter) quod nullus aut vix ullus sit, qui obliget medicos, advocatos, et multo minus Confessarios ac Theologos ex culpa tantum juridica ad restitutionem; cum sæpe contingat vigilantissimis et peritissimis ob inadvertentiam naturalem, aut aliam causam inculpabilem aliis damnum afferre. Si res aliter esset, nemo profecto his officiis perfungi vellet: quod in maximum Reipublicæ damnum cederet. Quæ tamen diligentia, ut patet, debet rei proportionari, ut major debeatur pro negotio delicatiori, quam pro communi; hoc enim rei ipsius natura sane expostulat, adeo ut gravetur culpa theologica qui in hoc voluntarie deficit: qui sane adsportat vitrum, majorem cautelam debet illo, qui ligna defert conburenda.

An (quæres) *quis in periculo teneatur rem alienam suæ præferre, adeo ut teneatur de damnis, si non præferat?* — Vel contractus, ob quem habeo rem alienam, cedit in mei tantummodo utilitatem; vel cedit in utilitatem alterius tantum: vel demum cedit in utilitatem utriusque. Si 1, æquitas postulat, ut rem illam meæ præferam, modo mea non sit pretiosior: quo in casu possum quidem rem meam utpote pretiosiorem præferre. Si 2, tunc si res aliena est magis pretiosa, debeo rem illam conservare; quia rei alienæ eam debeo custodiam, quam prudens quisque habet: attamen possum exigere compensationem totius damni quod passus sum eam servando, cum non tenear eam servare cum meo damno. Quod si æque ac mea pretiosa res sit, non teneor rem alienam præferre meæ; cum enim in illius tantum utilita-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 554.

tem retineam, æquum non est, ut ad eam servandam damnum sentiam. Si 3, cæteris paribus, potero præferre rem meam, cum charitas a nobis ipsis incipiat. Volunt tamen alii alteri parti fieri debere aliquam compensationem, quia cum par sit ratio utilitatis, par quoque esse debet ratio periculi: quod quidem lex præscribit in casu naufragii: si nempe merces in mare projici debuerint, omnes merces servatæ regulariter veniunt dividendæ; æquum est enim, ut omnium contributione sarciatur, quod pro omnium necessitate datum est.

Q. 5. *Quid de eo, qui alium impedit a consecutione alicujus boni?*

R. Qui alium voluntarie et efficaciter sive vi, sive precibus, vel consilio impedivit a consecutione alicujus boni ipsi debiti ex justitia, tenetur ad restitutionem; quia est causa efficax et injusta damni, quod proximus patitur in rebus suis. Hinc qui suasit venditori, ne mercem emptam traderet emptori; qui suasit servo, ne laboraret in domini damnum; qui consilio impedivit, ne quis jam electus et confirmatus ad beneficium illius possessionem adipisceretur, tenetur ad restitutionem erga emptorem, dominum ac beneficiatum (1). — Si vero alium impedivit a bono, quod ei ex justitia non sit debitum, tunc distinguendum: vel eum impedivit a consecutione hujus boni per vim, dolum, fraudem, calumniam, aliosve similes modos culpabiles, impellentes et iniquos; vel impedivit tantum consilio ac precibus.

Si 1, tenetur illi compensare damnum, judicio prudentis, juxta certitudinem aut probabilitatem, quam habebat bonum illud consequendi; licet enim iste non habeat jus strictum in rem illam, illud tamen habet, ne dolo impediatur ab illa: hinc qui vi vel fraude alium a testamento vel a legato condendo, aut condito mutando impedivit, peccat contra justitiam, et tenetur compensare omnia damna quæ patiuntur hæredes et alii; quia est omnium damnorum causa efficax. Hoc tamen intelligendum, si illa persona sit digna, et bonum illud sine injustitia consequi possit; secus impediens nullum jus violaret; unde non teneretur nisi ad restitutionem famæ, si eam fortasse læserit. Si 2, juxta sententiam communissimam et probabiliorem, quam tuentur Antoine, Billuart, Elbel, Holzman, Layman, Lessius, Navarrus, Petrocorensis, Sanchez, Vasquez cum aliis plurimis, sic impediens non tenetur ad restitutionem, licet id egerit ex odio et malo animo nocendi; nemo enim potest obligari ad restitutionem, nisi fuerit injusta simul et efficax causa alicujus damni. Nec sufficit mala intentio, quæ operis naturam non immutat, quæque simpliciter facit, ut peccemus contra charitatem, non autem contra justitiam; et sane intentio non mutat opus exterius, obligatio autem restituendi oritur ex violatione exteriori justitiæ. Ergo requiritur insuper actio externa, quæ non solum sit occasio, sed etiam vere et positive in illud influat, illudque operetur: *facere ex odio aut vindicta* (inquiebat Sotus explicans verba Angelici) *non te onere restitutionis gravat; sed facere injuste, scilicet nullo tuo jure, sed violando alienum.*

Ex his deducitur: 1 eum non teneri ad restitutionem, qui Episcopo etiam determinato ad conferendum Beneficium digniori, ex odio (non tamen ex vi)

(1) Idem est si quis impediat alium a compensando damno illato: ut si quis suadeat furi, ne rem domino suo tradat: suasor tenetur ipsam restituere, fure non restituente.

suadeat, ut illud conferat minus digno (etsi probabilius tam Episcopus quam suasor peccent graviter (1): hic enim habetur læsio charitatis, non vero justitiæ commutativæ; 2 ob eamdem rationem non teneri ad restitutionem qui sine vi, fraude ac dolo impedit testatorem, quominus reliquat hæreditatem alicui, qui nullum ad eamdem jus habeat. Qui vero Titium dignum impedit a consecutione boni eidem ex justitia minime debiti, ut illud conferatur digniori, videtur ne peccare quidem contra charitatem; cum potius opus bonum operetur.

Q. 6. *An teneatur ad restitutionem qui inculpabiliter quidem causam posuit damni, sed postea illud non impedivit, licet potuerit?*

R. Affirmant communiter; quisque enim tenetur ex justitia impedire, ne actio sua proximo noceat: ergo etiam tenetur impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret. Hinc qui inculpabiliter incendit domum vel sylvam alienam, quando advertit, ex justitia illud tenetur impedire sub gravi: qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet: qui ex errore aliquid contra proximi famam dixit, tenetur postea, cognito errore, illum corrigere: qui noxum consilium dedit inculpabiliter, tenetur postea facere quantum potest, ne eveniat damnum: et ni faciat, graviter peccat, et tenetur de omnibus damnis quæ sequuntur: nam eo ipso, quo cognoscit suam actionem inculpabiliter positam adhuc in damnum influere, nec tamen illam impedit, cum possit, sua actione evadit ei culpabilis. Aliter est, si (quando advertit) damnum jam sit consummatum, et proximi fama jam sit irreparabiliter læsa, venenum haustum, sylva vel domus incensa; tunc enim per ipsum amplius non stat, ut provideat; sed damnum est ei prorsus involuntarium.

Scholium.—*De fraudatoribus tributorum ac gabellarum.*

Q. 1. *Quid tributum et quotuplex?*

R. Quæ ad regios ac communes Reipublicæ sumptus solvuntur, *tributa* generatim appellantur a verbo *tribuo*. Horum alia sunt personalia et directa quæ uniuscujusque personam et bona afficiunt, et dicuntur *realia* ac *personalia;* alia sunt indirecta, quæ immediate in quasdam merces cadunt, et mediate in personas, quæ eas transvehere vel vendere vel emere vel habere volunt, et dicuntur *vectigalia* vel *gabellæ*. Ad tributa directa revocantur quæ solvuntur ratione professionis, artis vel industriæ; ad indirecta revo-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 564. Casus: *Quirinus Pannum furari intendens officinam de nocte ingreditur, lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum; sed inopinato casu, candela in paleas dejicitur, et brevi tota officina incenditur, vixque arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de Quirino?* — R. Ad nihil tenetur, quia minime periculum prævidit. Imo, nec tenetur de panno quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset: quia etiam illud damnum est involuntarium: nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelæ proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed etiam consummasset, illum e potestate et custodia domini subducendo, quando casu v. g. candela accensa, comburitur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quæ casu, fortuito apud furem perit. Ita *Lugo*, *Volger*, *Lacroix*, *Reuter*, *Gury*, etc.

cantur quæ solvi debent pro jure successionis, pro contractibus, pro charta obsignata: item alia extraordinaria onera super canes, equos, currus, domesticos, domos, fenestras, familiaria vestimenta, manus mortuas, lites, sortes, pensiones, census in gubernio fundatos et similia.

Tributa imponere possunt generatim omnes, quibus publica rerum administratio commissa est; cum id necessarium sit ad sustinenda onera communia. Hinc possunt: 1 Imperatores, Respublicæ et Principes supremam habentes potestatem; 2 Concilia et Pontifices ex potestate indirecta disponendi de temporalibus, si id opus est ad regimen spirituale; 3 illi quibus Principes gubernandi potestatem elargiuntur cum expressa facultate ea imponendi, si ita censuerint; 4 Civitates et Communitates etiam subditæ, sed si Princeps non contradicat; nam tributorum impositio est actus primariæ jurisdictionis.

Q. 2. *An tributa solvenda sint in conscientia?*

R. 1: Non est dubium tributa directa regulariter antequam petantur, si justa sint, in conscientia et ex justitia esse solvenda; eo enim ipso, quod Princeps supremam administrationem pro omnibus suscipit, jus strictum habet ab omnibus proportionatim ea obtinendi, quæ sibi competunt, tum ad regiam dignitatem sustinendam; ut enim scribit Apostolus: *quis militat suis stipendiis umquam* (1)? tum ad sumptus pro publico bono necessarios; *nam*, ut ait Tacitus, *neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt* (2).—Diximus: 1 *regulariter antequam petantur;* nam est obligatio justitiæ. Excipe nisi aliter ferat usus: sic usus excipit pedagia ac portoria, quæ tribuunt ratione transitus per portam vel pontem, ut nempe non solvantur, nisi postulata; 2 *si justa sint:* injustitia enim non ligat. Justa erunt, si proportionata necessitatibus ac personis, et a legitima auctoritate ob legitimam causam; neque enim Reges subditos pro libito supergravare possunt: *tales Reges ac Principes,* ait D. Thomas, *ad restitutionem tenentur sicut et latrones, et tanto gravius peccant quam latrones, quanto periculosius et communius contra publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi* (3).

Quid in dubio de injustitia alicujus tributi?—Si nulla adsit præsumptio de injustitia, videtur tributum solvendum esse in conscientia; tunc enim possidet jus legitimum Principis. Si vero adsit gravis suspicio, vel ratio de ejus injustitia vel cessatione causæ, alii cum Cabassutio dicunt adhuc totum solvendum, quia lex tributi utpote a legitima potestate semper præsumi debet justa. Alii volunt cum Billuart illud solvendum pro rata dubii; quia debitum dubium non est neque certum, neque nullum, sed quid medium. Verum alii communissime cum Cajetano, Laymano, Lessio, Lugo, Sporer, etc., tuentur nihil esse tribuendum; cum enim pauca sint tributa in tanta eorum

(1) I Cor. 9. (2) L. IV *hist.* c. 74.

(3) 2, 2, q. 66, a. 8. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 617. An autem peccent exigentes publica tributa in dubio, an sint justa, alii affirmant cum Molina, nisi ipsi sint subditi et a Principe compulsi; sed alii generatim negant cum Lugo, si exigant judicando Regem esse prudentem; et sentit Lugo non peccare exactorem, si ei de injustitia non constet; potest enim præsumere pro justitia, præsertim in tanta opinionum varietate.

multitudine, quæ necessarias conditiones præseferant, cum jam plura solvantur, ideo in dubio de alicujus tributi injustitia, contra illud potius argumentandum; ideo magis, quia tot tributorum solutio est res omnino difficilis ac gravis: at juxta omnes in dubio subditus non tenetur ad obediendum, quando præceptum est nimis difficile, vel ei grave damnum affert. Quidquid sit, concludimus cum doctissimo Sylvio, cui consentit Billuart: si quis fraudet de illis quantum bona fide existimat se plus æquo gravari, neque peccat neque tenetur ad restitutionem.

R. 2: Quoad tributa indirecta (ubi maxime veniunt *gabellæ* seu *vectigalia*) an in conscientia solvenda sint, duplex sententia.

Prima, quæ affirmat (1), et quam nos suadere omnino debemus, quæque communissima est et nobis probabilior, innititur illis Christi verbis: *reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari* (2). Et illis Apostoli: *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal* (3): ubi vides etiam vectigalia in conscientia solvenda esse, et quidem uti tributa ac debita. Merito ergo docet Augustinus Christianum in magno errore versari, si putet vectigal a seipso non esse solvendum (4). Accedit ratio: sicuti Rex tenetur vacare saluti populi, consulere administrationi justitiæ et prospicere publicis aliis necessitatibus; ita et populus tenetur ex justitia et de jure naturali solvere Principi vectigalia ad ejus et Reipublicæ conservationem necessaria. Neque subditi esse debet distinguere inter tributa et tributa, quæ nempe sint in conscientia debita, quæ vero non; maxime quia omnis lex de se nata est parere obligationem ac ligare conscientiam. Si quæ autem sit contraria consuetudo, non usus, sed vulgaris error dicendus est ex Gousset.

Secunda sententia, quæ negat, sua item non caret auctoritate et probabilitate; licet enim subditi (sic inquiunt qui eamdem tuentur), perse loquendo teneantur de ipso jure naturali congruum subsidium Principi ministrare; non tamen tenentur sub culpa ad eas gabellas solvendas, quæ ab ipso impositæ sunt sub pœna magna solvenda a fraudatoribus: nam juste tunc Prin-

(1) Excipiuntur tamen de jure communi res, quas quis emit et defert de loco ad locum ad usum suum personalem; quod alii extendunt quoque ad res necessarias pro victu ac vestitu propriæ familiæ, modo tamen nulla fiat negotiatio: unde si non adsit lex particularis et expressa, nihil pro iis rebus solvendum in conscientia. De jure vero naturæ excipiuntur pauperes, si secus se et suos alere non valerent: ac videtur posse ipse minister alicui valde pauperi remittere tributa ex rationabili Principis voluntate. Et revera ipsa civili lege taxa tributorum omnium de Regis indulgentia solet minui, si communitati vel privato alicui grave damnum casu contingat, ut in incendio, in grandine, in alluvione evenire solet: et fit tunc recursus ad R. Secretariam. *V. Istruzione per l'amministrazione dei Comuni* § 159, *del* 1 *aprile* 1838. — *Guida del supplicante* ecc. ecc. Torino 1846, pag. 57 et 107. (2) Matth. 22. (3) Rom. 13.

(4 Ep. 96; alias 120. In hac sententia et mercatores et in ipsorum defectu ipsi vectores, cum positive cooperentur ad damnum, obligati remanent in conscientia. Item tenetur etiam qui dolo occultant aut minuunt res, ut minoris solvant: uti qui in successione omnia bona, vel justum valorem non declarant etc. Attamen etiam hujus sententiæ patroni generatim permittunt, ut adventante occasione, epistolæ privatis tribuantur deferendæ, etsi ideo taxa a lege præscripta fraudetur: talis est universalis etiam piorum usus, qui ad mutuam ipsam pertinet hominum inter se urbanitatem, comitatem, etc. unde id prohibere onerosum nimis.

ceps præsumitur nolle eos obligare ad culpam simul et pœnam. Lex igitur gabellas imponens cum pœna gravi videtur istis Theologis conditionata, sive disjunctiva, ut nempe solvatur vel gabella, ut sic liber quisque eat; vel pœna casu, quo fraudatorem contigerit deprehendi.—Quod eo magis præsumendum esse videtur, quia gabellarum sulutiones certo excederent Principum necessitates, si subditi integras impositiones solverent. Crescit hæc præsumptio in hujusmodi pœnis lucrativis pro Rege, in cujus commodum cedunt, quam in aliis tantummodo afflictivis. Dubium saltem est (addunt) utrum lex obliget sub culpa ad utrumque, scilicet ad solutionem gabellæ et pœnæ: et in dubio nemo tenetur obligationem certam subire; in tali enim dubio videtur favendum ei, de cujus damno agitur. Hoc jus civile confirmat, ubi dicitur in dubiis quæstionibus contra fiscum judicandum esse. Tandem ajunt hanc esse communiter populi universi persuasionem (1).

Quidquid sit circa tam primæ, quam etiam secundæ sententiæ probabilitatem (quod sapientioribus definiendum remittimus), unus nos pro praxi monemus cum doctissimo cardinali De-Lugo : generaliter loquendo admonendi sunt populi, et excitandi ad tributa solvenda; sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine aliquid injuste solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates. Consentiunt Billuart, Gousset, aliique communiter.

Quid (quæres) *de præpositis, qui nempe ab auctoritate deputati sunt ad fraudes impediendas, si fraudantes adjuvent, occultent, etc.?*—In omnium sensu certum est, illos peccare mortaliter, atque ad restitutionem teneri ejus, quod eorum causa fraudatur; ideo enim deputati sunt, ac stipendium accipiunt ut impediant (2).

Q. 3. *An peccent, et teneantur restituere qui vel adsportant et vendunt merces omnino prohibitas, ut est tabacum exterum; vel vendunt res, quas aliqui tantum ex privilegio vendere possunt, ut sal; vel vendunt quod ut aliqui soli vendere valeant, tributum Regi solverunt, ut est vinum quod minutim venditur a caupone?*

R. Qui tenent leges vectigalium esse pure pœnales, nullum peccatum nullamque injuriam in hisce fraudatoribus agnoscunt. Non ita tamen alterius sententiæ patroni. Porro quod attinet ad merces primi generis, eas fraudantes per se loquendo liberant non quidem a peccato, cum legi sit obtemperan-

(1) L. X, *ff. de jure fisci.* — Hic fusius Lugo et Duardus: primus adstruit obligationem: eam negat secundus. Hujus tamen secundæ sententiæ patroni ultro concedunt ad vectores mercium quod spectat, eos officium periculis plenum exercere, ideoque pro viribus esse deterrendos: cum homines hujusmodi latronum potius, quam mercatorum more vivant, et lucri cupiditate illecti periculum omne fortunarum, familiæ ac capitis sui negligant. Cæterum pro praxi dicunt non esse damnandos nec vectores nec fraudatores: 1 si sint in bona fide; 2 si damnum segetibus non inferant excurrendo; 3 si præpositos pecunia non corrumpant, secus peccarent saltem peccato cooperationis; 4 si non sint parati resistere potestati vectigalia exigenti; si enim resisterent, peccarent et contra obedientiam, cum legitimæ potestati resistant, et contra justitiam, nam lex tributorum etiamsi esset mere pœnalis, gubernatoribus tamen jus certum tribuit contra subditos, si in fraude deprehendantur.

(2) Quod etiam valet, si tributum non exigant, nisi vel agatur de parva re ex præsumpto Principis consensu, vel de paupere, vel de re ad usum personæ deferentis.

dum: bene vero a restitutione; quia nec Principis nec privati jus strictum violant. Excipe nisi expresse prohibeatur (quod non raro contingit), ut merces Regni facilius vendantur.—Quoad merces secundi generis, obligant fraudantes ad restituendum privilegiatis lucrum, quod probabiliter fecissent: cum jus legitime ipsis concessum violent.—Tandem quoad ultimas, iterum fraudantes de culpa et restitutione teneri docent; sed cuinam tunc sit restituendum, alii dicunt Principi, quia profecto contra ipsum fraus admittitur: quod quidem adhuc valere dicunt, etsi Princeps gabellas locaverit; quia ob dictas fraudes prævisas, illas minoris locare adigitur. Sunt tamen recentiores pii ac docti, ut observat Bouvier, qui docent restitutionem potius fieri debere subditis fidelibus; quia Princeps fraudes prævidens istos cogitur tributis gravare, ut sibi compensetur: at cum sit impossibile, ut singulis subditis restitutio fiat, ideo concludunt eam pauperibus faciendam esse juxta præsumptam subditorum voluntatem.

Q. 4. *An emens merces a gabellarum fraudatore peccet, et teneatur in defectu fraudatoris ad tributi fraudati solutionem?*

R. Negative in eorum sententia, qui legem vectigalium mere pœnalem docent. In aliorum vero sententia, distinguendum: vel iste emptor cooperatur positive ad tributi fraudationem: vel sic non cooperatur; sed simpliciter emit merces.—Si 1, eum peccare et teneri ad tributi fraudati solutionem docent, idque ratione cooperationis; cum et ipse fieret causa influxiva damni. Idem docent de casu, quo emptor advertat ex frequentibus hujusmodi emptionibus, aliis passim tale exemplum sequentibus, grave Reipublicæ damnum obvenire; quia cooperaretur in eo, quod redderet venditores animosiores.—Si 2, ad nihil emptor tenetur; gabella enim non est onus stricte reale, quod merces gravet: at onus reale simul et personale, scilicet debitum quidem de tali re, sed non solvendum a quovis habente rem ipsam; bene vero a solo venditore, qui etiam facta venditione, adhuc remanet obstrictus onere solvendi gabellam.

§ 2—*De eo, qui culpabiliter damnum infert mediate.*

Q. 1. *An ille, qui proximo damnum infert mediate, indirecte et per alios, teneatur ad restitutionem?*

R. Affirmative: qui proximo damnum infert modo efficaci ac voluntario, etsi tantum mediate, indirecte et per alios, tenetur ad restitutionem; iste enim revera cooperatur in ejus damnum. At fatentur omnes, quod efficaciter cooperantes in alterius damnum restitutionis onere ligantur: *digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt*, inquit Apostolus, *sed etiam qui consentiunt facientibus* (1). Hinc Gregorius IX scribit: *si culpa tua datum est damnum vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet* (2).—Hinc tamen *culpæ* nomine ea intelligitur, quæ sui natura alterum inducit ad damnum, non vero quæ simplex est occasio; alioquin vel ipsa charitatis violatio ad restitutionem obligaret, quod nemo dixerit. Ne-

(1) Rom. 1. (2) *Decr.* Gr. l. V, t. XXXVI, c. ult. *de injuriis.*

que sufficere ratihabere damnum ab altero illatum (id est confirmare voluntate nostra damnum, quod nobis insciis, actum est); nam cum ratihabitio sequatur commissum facinus, in illud positive et efficaciter non potest influere; unde hæc nonnisi in contractibus obtinere potest, qui solo consensu perficiuntur.

Q. 2. *Quotupliciter potest quis in damnum cooperari?*

R. Dupliciter potest quis in damnum cooperari:

1. *Positive:* et est quando quis vel physice vel moraliter influit in damnum proximi: *physice* quidem, si actionis damnificativæ particeps fiat, v. g. concurrendo in grassatione ad viatoris spoliationem: *moraliter,* si quempiam ad damnum proximo inferendum determinet, v. g. grassationem suadendo, furtum et fures dirigendo. Attamen ut causa positiva teneatur de damno requiritur, ut sit injusta, efficax et theologice culpabilis. *Injusta*, quia nemo tenetur reparare damnum proximo illatum, nisi quatenus strictum ejusdem jus violaverit; atqui jus proximi strictum violari non potest, nisi per actionem injustam. *Efficax*, nam ut quis teneatur reparare damnum, non sufficit intentio damni inferendi, sed necesse insuper est, ut vere et realiter inferatur; jus enim alterius per solam intentionem non læditur. *Theologice culpabilis*, quia sine culpa theologica non est, saltem extra contractum, obligatio restitutionis animam ligans.

2. *Negative:* et est cum quis non impedit damnum alterius, etsi possit et debeat illud impedire. Causa negativa nullum per se loquendo tenetur damnum proximi reparare; repugnat enim quemquam teneri reparare damnum præcise, quia illud minime impedivit. Alioquin tenerentur omnes jure naturali et ex justitia bonum proximi curare, et malum ejus avertere, quod nemo dixerit; quia quod unicuique mandatum sit de proximo suo (1), lex charitatis est, non justitiæ. Diximus *per se loquendo;* quia potest quis obligari ex contractu vel quasi-contractu ad malum alterius impediendum: quo quidem in casu si non impediret cum possit, teneretur ad restitutionem. Unde concludimus: causa negativa numquam dicenda est teneri ad reparandum damnum proximo illatum nisi: 1 vel ratione officii, vel alias ad illud impediendum obligetur ex justitia; 2 ipsum quantum in se est impedire reapse valeat.

Pluribus autem modis causæ tum positivæ tum negativæ cooperantur in damnum; novem præcipuos hisce versiculis enumerat Angelicus, quorum quidem sex sunt positivi, tres negativi:

Jussio. consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans; mutus, non obstans, non manifestans (2).

(1) Eccl. 17, 12.

(2) 2, 2, q. 62, a. 7. — It. Liguori. *Opus Mor.* l. III, n. 562. (*) En pro Hispania art. Codic. pœn. vig.

CAPÍTULO 1.

DE LAS PERSONAS RESPONSABLES CRIMINALMENTE DE LOS DELITOS Y FALTAS

Art. 11. Son responsables criminalmente de los delitos y faltas:

1° Los autores.

2° Los cómplices.

An dubitans (quæres) *utrum actione sua fuerit causa damni proximo illati, teneatur ad restitutionem?*—Si dubitetur, an actio sit posita; vel si actio quidem posita sit, sed dubium sit, an damnum evenerit, commune est cum Lessio ac Roncaglia, nullam adesse obligationem restituendi; quia *factum non præsumitur, nisi probetur*. Si vero ex una parte actio mala sit certo posita, ex alia autem parte damnum sit certo secutum, et dubitetur solum, an illud damnum ex illa ipsa actione evenerit (cum non cognoscatur alia causa quæ illud potuerit inferre), tunc utrum adsit gravis obligatio restituendi, tres habemus sententias.

Prima, quæ est valde probabilis, cum Habert, Lugo, Roncaglia et Sanchez obligat ad restitutionem; quia in tali dubio possidet crimen pravæ actionis, quæ cum esset de se apta ad damnum irrogandum, in dubio præsumitur revera damni causam fuisse.—*Secunda*, etiam satis probabilis cum Lessio, Navarro, Salmanticensibus, Sylvio aliisque negat esse obligationem restitutionis; nam nemo cogendus est ad eam, nisi de obligatione certo constet: atqui in proposito dubio de tali obligatione certo non constat, hoc ipso, quia dubium est. Nec præsumendus est influxus; licet enim actio de se apta sit ad influendum, cum tamen non semper influat, ideo influxus est probandus. Hanc sententiam videtur tenere S. Thomas, qui docet: *non semper obligatur aliquis ad restituendum; non enim semper consilium vel adulatio vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ: unde tunc solum tenetur consiliator aut palpo... ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio consecuta* (1). Ergo juxta Angelicum probari debet consilium certo fuisse causam damni; verbum enim *probabiliter*, si sit ex una tantum parte, significat persuasionem moraliter certam, ut bene explicat doctus Concina.—*Tertia* tandem sententia tradit obligationem

3º Los encubridores.

Art. 12. Se consideran como autores:

1º Los que inmediatamente toman parte en la ejecucion del hecho.

2º Los que fuerzan ó inducen directamente á otros á ejecutarlo.

3º Los que cooperan á la ejecucion del hecho por un acto sin el cual no se hubiera efectuado.

Art. 13. Son cómplices los que no hallándose comprendidos en el artículo anterior, cooperan á la ejecucion del hecho por actos anteriores ó simultáneos.

Art. 14. Son encubridores los que con conocimiento de la perpetracion del delito, sin haber tenido participacion en él como autores ni como cómplices, intervienen con posterioridad á su ejecucion de alguno de los modos siguientes:

1º Aprovechándose por sí mismos, ó auxiliando á los delincuentes para qué se aprovechen de los efectos del delito.

2º Ocultando ó inutilizando el cuerpo, los efectos ó instrumentos del delito para encubrir su descubrimiento.

3º Albergando, ocultando ó proporcionando la fuga al culpable, siempre que concurra alguna de las circunstancias siguientes:

Primera. La de intervenir abuso de funciones públicas de parte del encubridor.

Segunda. La de ser el delincuente reo de regicidio, de parricidio ó de homicidio cometido con alguna de las circunstancias designadas en el número 1.º del artículo 333, ó reo conocidamente habitual de otro delito. Están exentos de las penas impuestas á los encubridores, los que lo sean de sus ascendientes, descendientes, cónyuges, hermanos ó afines en los mismos grados, con solo la excepcion de los que se hallan comprendidos en el número 1.º de este artículo. N. E.

(1) 2, 2, q. 62, a. 7.

adesse restituendi pro rata dubii ; sed huic aperte obstat, quod vel certo possidet mala actio, et reparandum est totum damnum ; vel certo non possidet, et tenetur ad nihil, quia in dubio melior est conditio possidentis bona sua. Quod quidem principium saltem in materia justitiæ tamquam certum omnes admittunt (1).

Q. 3. *An causæ singulæ positivæ et negativæ ad damnum simul concurrentes ad restitutionem simul sunt obligandæ in solidum* (2)?

R. Distinguendum : vel res ad quam concurrerunt seu objectum damni potest in partes dividi, ut est furari vineam, thesaurum ; vel dividi nequit, ut est incendere navem, aut occidere hominem. His positis, dicimus :

1. Si objectum damni dividi potest, tunc si plures concurrerunt sine motore principali, aut sine mutua ad invicem conspiratione seu executione, singuli tenentur pro rata tantum; cum unus in alterius operam non influxerit: unde si plures æque concurrant ad expoliandam domum, ad depopulandam vineam sine prævia mutua conventione, singuli eorum pro rata tantummodo tenentur.—Si autem omnes excitati fuerint a motore principali, motor tenetur ad totum : et alii in ejus defectu pro rata. Ratio quia principalis agens ipso facto in se suscipit absolute totum onus damni reparandi; cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis, nisi velut instrumentis ad damnificandum.—Quod si motor principalis non adsit, sed omnes invicem se excitaverint et induxerint ad damnum, ita ut singulis non concurrentibus, damnum non evenisset, tunc singuli æque tenentur in solidum, quia singuli sunt totius damni causa; unus enim alterum juvat: unus procedit a confidentia, quam habet in alterius auxilio.

2. Si objectum damni dividi non potest, tunc si ita concurrerunt, ut sine illorum opera damnum non fuisset secutum, certum est illos teneri in solidum ; quia totus effectus a causis singulis hoc casu procedit : hinc si præbeas tuum suffragium ad injustam actionem, quæ secus non obtineret, teneris in solidum.—Si vero sine ipsorum opera damnum adhuc secutum fuisset : ut si apponas ignem simul cum aliis ad navem proximi, etiam seclusa conspiratione, et licet, te absente, alii nihilominus navem incendissent, utrum tenearis cum cæteris in solidum, duplex est sententia. *Prima sententia* probabilis, quam tenent Cajetanus, Salmanticenses, Sanchez, etc. affirmat ; nam propter concursum particularis cooperatio cujusque unam actionem constituit contra justitiam; unde quia damnum ex hac unica actione evenit, omnes in solidum obligantur ad restitutionem. Neque est de ratione et natura veræ causæ, ut ea non posita, non sequatur effectus ; sed dumtaxat, ut ex ea effectus ipse sequatur. Verum *secunda* adhuc probabilis sententia Navarri, Sylvii et aliorum, docet singulos tunc teneri tantum pro

(1) « Alia res est, quando de mero consilio quæritur ; si enim partes litigantes per amicam compositionem benevole inter se conveniant, talis transactio utique, plerumque saltem, summopere approbanda est : ast ad talem transactionem stricte obligari nequeunt ; quia debitor semper vel ad totum vel ad nihil obstringitur. » Ita *Stapf*, § 82.

(2) Tunc quis dicitur teneri *in solidum*, cum aliis non restituentibus, ipse tenetur ad totum per se, ideoque etiam ad partem aliorum : *solidum*, id est integrum, plenum.

parte sua ; quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu seu causalitate in damnum, obligatio non debet esse major, quam sit influxus ipse; sed influxus est tantum pro parte damni: ergo pro parte tantum erit et obligatio restitutionis (1).

Quidquid sit, non debemus hic omittere animadversionem momenti gravissimi, et est quod rudes, etiamsi teneantur in solidum, raro tamen in praxi eosdem expedit obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant sese teneri ad restituendam etiam partem a sociis suis ablatam. Et in hoc casu satis præsumi etiam potest, quod domini ipsi, quibus restitutio facienda est, libenter consentiant, ut illi restituant partem propriam; cum bene perspiciant valde timendum, ne restituant nihil omnino, si obligentur ad totum.

N. I—*De mandante seu jubente.*

Q. 1. *Quis intelligitur nomine mandantis seu jubentis?*

R. Mandantis seu jubentis nomine eum intelligimus: *qui alterum inducit, ut suo nomine damnum inferat proximo:* dupliciter autem potest inducere, expresse vel tacite. *Expresse*, idest verbo, scripto, nuntio; *tacite*, idest nutu, signo vel facto alio: uti si pater vel dominus filio suo vel servo significet sibi gratam fore illius personæ occisionem, aut cum iisdem conqueratur, quod nemo injuriam sibi factam ulciscatur: sic refert historia contigisse mortem S. Thomæ Cantuariensis sub Henrico II Angliæ Rege, qui cum suis sæpius conquerebatur, se cum uno Regni sui Sacerdote pacem habere non posse. Item est si quis paratus sit tuo nomine damnum inferre, et tu cum commode possis impedire, non impedis; nam censeris tacite mandare.

Mandans, *seu ille qui jubet, est principaliter movens*, inquit Angelicus, *unde ipse principaliter tenetur ad restituendum* (2); qui enim facit per alium per se facere censetur. Tenetur etiam reparare omnia damna, quæ ex mandati sui executione sequuntur, si ea præviderit, vel culpabiliter ignoraverit, aut si actio de se periculosa sit; quo sensu accipitur illud Bonifacii VIII: *is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat; cum mandando in culpa fuerit; et hoc evenire posse debuerit cogitare* (3).

Q. 2. *An mandans teneatur reparare etiam damna, quæ mandatarius ipse mandato obtemperans passus est?*

R. Si mandatarius suscepit mandati executionem voluntarie et libere, et maxime si ob mercedem promissam, mandans non tenetur reparare damna, quæ mandatarius mandato obtemperans passus est; quia tunc pericula omnia ipse in se suscepisse jure merito existimatur. Si vero illam coactus vi vel metu gravi suscepit, ut evenit in inferioribus, tunc non tenetur quidem mandans de damnis eventualibus (uti si v. g. servus qui mandatur, in via fulmine percussus vel equo delapsus intereat), cum hæc non potuerint esse

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 579.
(2) 2, 2, q. 62, a. 7. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 558 et seqq.
(3) *Sext. Decr.* l. V, t. IV, *de homic.* c. ult.

in prævisione; tenetur tamen de aliis damnis communibus et ordinariis quæ facile prævideri possunt: casus esset si dominus famulo mandet, ut vites sui vicini recidat; at in facinore deprehensus servus ad mulctam et triremes damnetur. Certum est, ait Roncaglia, in his casibus dominos non solum teneri reparare damna facta a mandatariis, sed ea etiam quæ passi sunt ipsi mandatarii et eorum familia. At cogitantne de his damnis reparandis? cogitent saltem Confessarii sine absolutione dimittentes mandantem quoadusque satisfecerit; mandans enim sic agens strictum mandatarii jus læsit eum moraliter cogendo.

An (quæres) *mandans teneatur de damnis quæ mandatarius ex errore inculpabili alteri intulit: ut siquis mandatum a Titio acceperit occidendi Paulum, sed ex errore invincibili occidat Petrum?*—Sunt qui affirmant, quia mandans mandavit hominem occidere, et mandatarius revera hominem occidit. Verum alii negant probabilius cum Lyonnet, Vogler, etc.; nam respectu occisionis Petri non potest dici, quod Titius fuerit mandans, cum mors Petri accidat omnino per errorem mandatarii, non propter mandatum; mandatum enim hic occasio est, non autem causa. Neque tunc mandans irregularitatem incurrit, ut etiam declaravit S. Concilii Congregatio (1).

Q. 3. *Quid si mandans serio mandatum retractaverit?*

R. Vel mandati revocatio innotuit mandatario ante executionem, vel non innotuit. Si 1, ad nihil amplius tenetur mandans, uti mandans; quia per revocationem mandatum extinguitur; unde si adhuc mandatarius quidpiam operatur, non amplius nomine mandantis operari dicendus erit; sed nomine proprio et propria voluntate. Si 2, mandans tenetur ad damna compensanda, perinde ac si mandatum minime retractatum fuisset; idque etsi mandati revocatio non fuerit mandatario significata ex culpa vel oblivione nuntii, aut alia de causa: semper enim verum est etiam in hoc casu mandantem ipsum esse causam injustam et efficacem damni alterius; cum mandatum non sit sufficienter retractatum.

N. II — *De consulente* (2).

Q. 1. *Quis nomine consulentis quoad restitutionem?*

R. *Consulentis* vocabulo venit *qui consiliis, precibus, blanditiis alium movet ad damnum proximo inferendum:* differt a mandante, quia in isto actio fit suo nomine et commodo; non ita in illo. Consulens tenetur profecto ad restitutionem; cum sit causa injusta et efficax damni. Hinc ex Canonico jure si consilium dedisti, ut Cajus Titium occideret, secuta morte, teneris de homicidio. Si consilio movisti servum, ut fugeret aut furtum faceret, teneris furti vel servi corrupti. Si persuasisti Titio, ut me afficeret injuria, teneris mihi ratione injuriarum (3). Quare merito Innocentius XI diris devovit hanc sub n. 39 thesim: *qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 628.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor* l. III, n. 561.

(3) Cap. *si quis viduam.* Dis. 50. C. *Sicut dignum* 6 de homicid. — L. l. § *persuadere.* ff. de servo corrupt. — L. *non solum* 11, ff. de inj.

tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. — Aliter esset (ut observant Alasia, Layman, Sanchez, Salmanticenses, etc., contra Antoine, Billuart et Cuniliati) si quis præberet pravum exemplum, quia hoc est potius occasio, quam vera causa influxiva, cum exemplum ex se non sit natum ad alios efficaciter movendos, licet de facto ex eorum fragilitate illi sæpius moveantur (1).

Q. 2. *An præbens consilium noxium teneatur de restitutione?*

R. Qui scienter suadet rem damnosam, certum est ipsum teneri ad restitutionem. Qui vero injustum consilium dedit ex ignorantia gravi et crassa, videndum utrum id egerit vel ratione status, professionis aut muneris, quo consulens ipse perfungitur; vel non. His positis, dicimus: 1 Qui consilium præbet ratione status, professionis vel muneris, v. g. dicens talem actionem esse licitam, cum licita non sit; vel in tali casu restitutionem esse faciendam (uti sæpe contigit Parochis, Confessariis, advocatis cæterisque similibus), cum tamen ea facienda non sit, totum tenetur damnum reparare ex consilio suo secutum, si præ ignorantia vel negligentia mortaliter peccaverit. Quod etiam valet de illis qui licet ratione officii consilium dare minime teneantur, se tamen pro idoneis consiliariis jactitant, et in tali re peritos se esse declarant: etsi enim in officio jam suscepto non deficiant, deficiunt officium illud voluntate suscipiendo. Unde monet Scriptura: *si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato* (2); — 2 qui neque tenetur consilium dare ratione status et officii, neque peritiam jactitat, uti mulieres et plebei, quorum insufficientia nota est, non tenetur ad ullam damni reparationem; quia damnum, quod inde supponitur esse secutum, non magis consilio alterius, quam imprudentiæ ipsiusmet postulantis tribuendum est; scit enim, vel saltem scire debet, a quo petit, ideoque discrimini voluntarie se committit. Excipe si una cum consilio adfuit etiam dolus, id est positiva intentio damnificandi; item si ex tali consilio tertio damnum obvenerit, nam quisque jus habet ne alter suo facto sibi noceat.

Quid vero (dices) *si consulens non absolute loquatur, sed ostendat se vel dubitare, vel nescire, vel simpliciter dicat ita sibi videri aut dicat ita se credere?* — Tunc non tenetur damnum inde secutum reparare; quia totum esset imputandum agenti, qui veritate non satis quæsita atque perspecta, damni illius periculo se ultro exposuit.

Q. 3. *An consulens teneatur ad restitutionem, etiamsi absque suo consilio alter damnum certo intulisset?*

R. Si damni patrator non fuit ad damnificationem motus etiam opera consulentis, consulens non tenetur; quia in hoc casu ex ejus parte non est secuta damnificatio. Si vero etiam alterius consilio motus fuit, tunc etiam consulens tenetur de damno; quia et ipse damni alterius esset causa vera, efficax et injusta (3).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 45; l. III n. 537. (2) Eccli. 6.

(3) Neque obstat quod damnum etiam sine suo consilio evenisset; semper enim verum est, illud sine illius consilio non evenisse: sicut currus, licet uno trahi possit equo, si duo tamen uniantur, duobus equis trahi dicendus est.

Sed (quæres) *quid siquis jam sit certo determinatus ad damnum proximo inferendum, v. g. occisionem; et alter non ei suadeat, nisi vel medium v. g. venenum, vel locum v. g. solitudinem, vel tempus v. g. hodie et non crastina dies, quia est festiva?* — Duplex sententia. *Prima* cum Cajetano, Viva aliisque docet consulentem teneri ad restitutionem; quia suggerendo modum concurrit ad substantiam damni, præsertim si per suggestionem in causa sit, ut alter damnum citius inferat; illo enim temporis intervallo contingere etiam fortasse poterat, ut voluntatem mutaret. *Secunda* vero sententia cum Laymano, Lessio, Lugo et Sporer negat, et hæc est nobis probabilior, quando modus est tantum accidentalis, ut sunt communiter circumstantiæ temporis, loci ac medii: et simul est omnino certum, quod alter non sit voluntatem mutaturus; nam cum executor jam certo supponitur determinatus ad malum inferendum tali personæ ante consilium, consulens simpliciter modum in rigore non potest dici causa efficax quoad substantiam damni; ideoque possessio stat pro determinatione pravæ voluntatis in executore.

Q. 4. *Si consulens consilium revocaverit, et tamen damnum adhuc sequatur, tenebiturne ad restitutionem?*

R. Certum est, quod si revocatio non innotuit damnificatori tempore habili, adhuc tenetur consulens; nam idem est, ac si talis consilii revocatio non contigisset. Si vero innotuit, distinguendum est: *vel* datum consilium consistebat in doctrina falsa, v. g. quod talis contractus esset licitus, cum tamen esset illicitus; *vel* consistebat in ostensione utilitatis aut delectationis ab executione orituræ; *vel* denique consistebat in manifestando modo damnum inferendi. In primo casu non tenetur consulens ad restitutionem, quia per illam revocationem consilium extinguitur. Quoad alios duos casus disputant.

Habert, Croix, Lessius, Lugo et alii communissime affirmant; sicuti enim qui ignem injicit in segetem alienam, tenetur ad damni compensationem, etiamsi postea dolens de facto conetur omni, quo potest modo, ignem extinguere; ita et consulens: consilium enim ab eo datum etiam post actam revocationem adhuc efficaciter in damnum influit. Negant vero S. Antoninus, Azorius, Concina, Merbesius, Salmanticenses aliique casu, quo consulens in dati consilii revocatione curaverit omni meliori modo damnum dissuadere, adducendo rationem salutis æternæ; quia hæc ratio debet in homine christiano præponderare cæteris rationibus mundanis. Neque obest paritas; nam ignis in casu proposito operatur necessario; cum ex adverso post actam consilii revocationem damnum eveniat non amplius ex vi consilii, sed ex pura malitia executoris. — Secunda sententia est satis probabilis, sed primam censemus probabiliorem (1).

N. III — *De consentiente.*

Q. 1. *Quis consentiens, et an teneatur ad restitutionem?*

R. Nomine *consentientis* venit *qui externa sua approbatione alium effica-*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 559. — Notandum autem consulentem, si executorem a perversi consilii executione nequeat removere, teneri ex justitia monere lædendum, ut sibi caveat.

citer movet ad damnum proximo inferendum: duplici modo potest quis in damnum alterius consentire, consensu nempe inefficaci et consensu efficaci. *Inefficaci*, quando quis videt malum proximo inferendum vel jam illatum, et plaudit gaudetque. *Efficaci*, quando malum proximo inferendum pendet vel determinatur a suo consensu: sic v. g. consentiunt Senatores ac Judices, cum per sua suffragia positive concurrunt ad legem vel sententiam injustam. Quo posito:

Vel qui consentit in damnum alterius, id agit consensu inefficaci. vel efficaci. Si 1, ad nihil tenetur: etiamsi enim de damno ille gaudeat ex odio in damnificatum, nulla tamen ratione in illud influit; cum sit tantum mala animi dispositio. Si 2, tenetur in solidum de damno, quia nempe positive, efficaciter et injuste in illud influxit. Idem dicendum, siquis de industria, et absque sufficienti causa abest, v. g. a Senatu vel a Capitulo, cum prævidet defectu sui suffragii numerum suffragiorum sufficientem fore ad damnum proximo inferendum; absentia enim esset de industria quæsita, ac injusta damni causa.

Q. 2. *Quid de eo, qui suffragium præbet ad injustam sententiam, sed actu quo cætera suffragia jam præcesserint sufficientia?*

R. Certum est, eos qui prima suffragia præbent antequam numerus compleatur, teneri ad restitutionem in solidum etiamsi præviderint alios item esse consensuros: quia in damnum efficaciter influunt. Ob eamdem causam certum erit illum quoque in solidum teneri ad restitutionem, qui post completum numerum suffragiorum dat suffragium ultimum pro sententia injusta, si prævideat alios suum revocaturos, quando ipse suffragium bonum præberet, vel cæteros ipse hortaretur. Si vero suffragia jam irrevocabiliter data sint sufficientia ad damnum, tunc qui post suffragia illa dat suum, ad nihil tenebitur; nam non potest dici in damnum influere, cum jam sit consummatum: causa enim præcedit effectum suum, non eumdem subsequitur. Excipe nisi ex communi consensu in conclusionem injustam omnes convenerint; vel nisi lex decernat, non existere decisionem, nisi omnes suffragia sua libera dederint, adeo ut sententia ultimo feratur vi omnium suffragiorum collective sumptorum (1).

Quid vero (inquies) *si iste dubitet, an suffragium suum datum sit, quando cætera jam erant sufficientia, necne?* —Sententia vera docet, dubitantem teneri uti cæteros pro rata: et si alii non restituant, teneri in solidum; per illius enim suffragium jus alterius deterius evasit ac incertum. Nec obstat, quod cooperator non teneatur nisi quando scit se fuisse certam damni cau-

(1) Utique liberatur a restitutione qui suffragatur injustæ sententiæ vel legi, quando jam numerus suffragiorum completus fuit et præcessit; sed intellige, si ideo per ea suffragia sententia vel lex jam firmata sit ac completa, non vero si adhuc requiratur sanctio judicis vel præsidis aut Regis ad illam firmandam sententiam vel legem, ut maxime fit in gubernis constitutionalibus. Tunc omnes et singuli probabiliter tenentur de restitutione, sive sciant quod alii facturi sint, sive non: sive secreto suffragia ferantur, sive non: nam omnes concurrunt tam primi quam ultimi ad injustam sententiam vel legem, cum ipsa efformetur ex collectione omnium votorum: et revera nomine omnium fertur et promulgatur. Unde ultimus suffragans se habet sicut ille, qui se adjungit tribus furibus ad auferendam trabem quæ a tribus jam commode adsportari potest. » *Lyonnet.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 566.

sam; quia in nostro casu quilibet suffragium ferentium est certus, se saltem deterius fecisse suo suffragio jus, quod habebat damnificatus ad exigendam restitutionem totius damni ab aliis suffragium exhibentibus, rem nempe incertam reddendo.

N. IV — *De palpone, receptatore et participante.*

Q. 1. *Quis nomine palponis, et an hic teneatur ad restitutionem?*

R. Palpo *a palpando* dicitur: quia quos adulamur, manu blandiri ac palpare solemus (1). Unde palpo dicitur qui *laude, adulatione vel vituperatione alium inducit ad damnum proximo inferendum:* sic v. g. palponem vocabimus qui dueilum laudando, patientiam irridendo, ignaviam increpando ad illud alium incitat. Palpo utpote efficax causa damni ipsa lege civili tenetur illud reparare; nam sæpe magis laudibus et vituperationibus impellitur quis ad damnum inferendum, quam malo consilio. Necesse autem non est, ut damnum intendat; sufficit, ut sciat se in damnum influere revera et efficaciter.

Q. 2. *Quis intelligitur nomine receptatoris?*

R. Receptator, seu recursum præstans, est *qui præbet alteri securitatem, commoditatem, et protectionem ad damnum proximo inferendum, vel ne illatum compenset.* Receptator tenetur ad restitutionem *quando receptatio est causa furti:* tunc enim, ut ait Augustinus, patet receptatorem *socium esse fraudis et criminis* (2); atque sic in damnum positive influit et efficaciter. — Hinc tenebitur ad damni compensationem, qui furem domi suæ receperit, vel illius furta aut instrumenta occultaverit aut emerit; cum hoc sit rapinas fovere. Item tenebuntur caupones, qui a filiisfamilias acceptant pecunias aliasque res parentibus subreptas, nisi omnibus perpensis, rationabiliter judicari possit, quod parentes non sint omnino inviti. Item domini non impedientes famulos, qui de ipsorum confidentia proximum damnificant.

Diximus *quando receptatio est causa furti:* unde non teneretur qui post furtum juvat furem ad fugam capiendam, modo non influat in damna futura: sicut nec qui furem domi recipit, non qua furem, sed qua amicum aut parentem: vel etiam ratione officii, sub eadem tamen conditione, idest dummodo in furta futura non influat; sic enim non est de crimine malo participare, sed humanitatis officium præbere. Hic videndus *Codex pœnalis*, ubi

(1) « Quo blandior (adulatio), eo periculosior esse solet (ait *Stapf*, § 372); adulator quippe, dum indigne coram aliis reptat, et quidquid dicunt, aguntve, summa cum impudentia miratur et effert, non se tantum, sed et illos deprimit, quorum gratiam et favores eblandiri studet; eos enim non amat, sed ludificat. Et quantam stragem impii assentatores regno morali non jam intulerunt! Quis illorum numerum computare poterit, quos adulatio corrupit et perdidit? Imo historia exempla plurima refert, exinde fortissima quoque Regna et Imperia co ruisse. Ab his ergo deceptatoribus unumquemque nostrum, illos vero maxime, qui aliqua auctoritate pollent, sibi cavere oportet, memores illius quod sapiens inquit: *melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Eccle. 7, 6. Cf. Prov. 25, 12; Is. 3, 14. » — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 567. — *Venditores olei* adulatores vocat D. Gregorius (*Homil.* 12 *in Evang.*) de quo profecto oleo Psalmista dicit: *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

(2) Ep. 153, alias. 54.— Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 508.

et graviter in receptatores animadvertitur, et quædam sapienter ad furta cavenda præscribuntur tum artificibus circa res a privatis emptas, tum cauponibus quoad personas suspectas vel incognitas, quas hospitio excipiunt.

Q. 3. *Quis intelligitur nomine participantis ad damnum?*

R. *Participantis* vocabulo intelligitur *qui vel in præda, vel in ipsa actione damnificativa fit socius quoad damnum proximo irrogatum.* Fit socius *in præda*, si v. g. post furtum suscipiat partem de re furto ipso ablata; fit socius *in ipsa actione damnificativa*, si in illam actionem concurrat, qua fuit proximo damnum revera illatum. Porro participans in præda tenetur restituere quantum participavit; sic enim satisfacit omni damno, quod proximo intulit: participans autem in actione damnificativa tenetur ad restitutionem pro modo concursus, ideo aliquando tenetur etiam in solidum (1).

Sed quid (dices) *si quis concurrat quidem ad damnum alterius, sed nonnisi ob metum gravis detrimenti?* — Si damnum quod ipse timet non concurrendo, est superioris ordinis: si v. g. timet mortem, nisi furto cooperetur, tunc non peccat neque tenetur de restitutione, quocumque modo cooperetur sive mediate sive immediate (2): quia habet justam causam. Neque dominus potest esse rationabiliter invitus; cum tunc illius bona necessaria evadant alteri ad se tuendum in re ordinis superioris, ut ait doctus Milante cum Laymano, Medina et Navarro. — Si vero damnum non sit ordinis superioris, ut si damnum timet in bonis fortunæ, nisi in furto cooperetur, non poterit ullo modo concurrere; quia in pari causa quisque legitime jus habet, ut sua bona possideat (3). Excipe nisi nimia sit inæqualitas, ut si furando parum de alienis possis servare te indemnem in magnis: sed eo in casu teneris rei ablatæ valorem domino restituere; cum agatur de re in eodem genere, et æquivalenter possideas quod alterius est.

N. V — *De muto, non obstante et non manifestante.*

Q. 1. *Quid est mutus, non obstans, et non manifestans; et quando tenentur ad restitutionem?*

R. Ad 1: *Mutus* dicitur qui ante damnum tacet, et non monet; cum monere teneatur. *Non obstans* dicitur qui dum fit damnum, illud non impedit; cum teneatur impedire. *Non manifestans* dicitur qui post damnum, illud non denuntiat; cum debeat denuntiare.

(1) *V.* supra § 2.

(2) Participatio in actione injusta vel fit *immediate*, ut cum quis actionem damnificativam cum alio exercet, v. g. si duo simul incendant domum; vel *mediate*, quando quis ponit actiones ex se non damnificativas; sed iis alter abutitur ad malum proximi, ut si scalam teneat, dum fur eam ascendit. At si furi terga servat, vel si munusculum a fure accipiat, ne clamet dum hic furatur; per hæc sane influeret in ipsam voluntatem furis, eum saltem animosiorem reddendo, et sic formaliter cooperaretur ad ejus furtum.

(3) « Alii in nullo casu permittunt concursum immediatum; quia esset facere malum ut eveniret bonum: alii permittunt in bonis inferioris ordinis ad mortem vitandam, si tamen participans animum gerat damnum reparandi. Concursum vero mediatum ex gravi causa permittunt, cum sit ponere rem ex se indifferentem. » *Lyonnet.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 66; et l. III, n. 571.

R. Ad 2: Mutus, non obstans, non manifestans tunc restituere tenentur, ait Angelicus, cum malum alterius culpabiliter sinunt, quod vel ex pacto, vel officio, vel stipendio tenentur impedire; tunc enim violant alterius jus strictum (1): hac quippe de causa conducti sunt, mercedem recipiunt ac officium sustinent, ut nempe clament, obstent, manifestent. Sic magistratus et Duces belli tenebuntur ad restitutionem damnorum, quæ a latronibus ac militibus ob culpabilem illorum negligentiam inferuntur. Item Canonici tacentes ac non impedientes electionem iniquam: item administratores bonorum non impedientes damna minorum et Ecclesiæ: item famuli custodientes bona domini, si damna ab extraneis non impedierint *(A)*.

Cæterum observandum est, non omne officium obligare sub restitutionis onere saltem in foro conscientiæ; sed illud tantum, quod ex justitia ortum habet, et delictum vel quasi-delictum supponit (2). Quare parentes ad restitutionem non videntur per se teneri, si omittant filios corrigere; nam illorum officium ortum ducit a sola pietatis obligatione, quamvis jure merito in foro externo puniantur, ut diligentiores se gerant in cura suorum: et ideo sententiæ punitivæ debent obtemperare, si revera a filiis illatum sit damnum.

Q. 2. *An peccent et teneantur ad restitutionem qui ex officio suo tenentur denuntiare contravenientes legi, nec denuntiant?*

R. Hic maxime veniunt qui custodiæ sylvarum, agrorum, etc. a principe, communitate vel privato præficiuntur. Hi porro si deficiant diligenti custodiæ (præter peccatum contra juramentum, si illud emittant), peccant etiam contra justitiam commutativam erga damnificatos, et tenentur de *damnis* sua negligentia non impeditis in defectu damnificatorum (3); cum ideo stipendio conducti sint, ut dominum suum servent indemnem. — An autem præter damna teneantur etiam solvere *mulctam*, quam dominus a reis percepisset, si ipsi eos denuntiassent, disputant. Valde probabiliter affirmant Layman, Sotus et Sporer; quia omissio denunciationis, quæ est facienda ratione officii, est causa ut illud jus amittatur. Attamen communius ac satis probabiliter negant Lessius, Lopez, Lugo, Salmanticenses et Sanchez: ratio est, quia lex pœnalis non intendit, ut fiscus vel domini ditentur mulctis; sed tantum, ut illi serventur indemnes ac transgressores puniantur: unde non est nisi indirecte, quod illæ debitæ sint, nempe post sententiam: ac proinde nec fiscus nec domini jus strictum, seu acquisitum, habent ad illas. Qua ex doctrina concludunt, quod fiscales non denuntiando peccant tantum contra justitiam legalem in ordine ad mulctam, ideoque tenentur tantummodo resarcire damnum vectigalium, quæ mercatores debuissent (4): idem dicunt de judice mulctam punitoriam non exigente: et talis est praxis ex Gury, cui communis sensus concordat. Pariter communissime

(1) 2, 2, q. 62, a. 7.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 573: et l. II, n. 40.

(3) Excipe nisi prudenter præsumi possit, dominum damnum condonare, ut evenit in rebus levioris momenti, aut cum damnum fit a pueris, pro quibus una vel altera vice sufficit ex præsumpta domini voluntate et consuetudine secreta monitio.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 383; et l. IV, n. 237.

dicunt neque illum teneri ad restitutionem, qui impedit, ne mulcta fisco applicetur ante sententiam; vel quia fiscus ante illam nullum ad pœnam jus acquirit; vel quia sic saltem accipitur communiter hoc fisci jus ad pœnas.

ARTICULUS II — De eo cui restitutio facienda est, de restitutionis ordine et circumstantiis (1).

Q. 1. *Cuinam restituenda sunt bona certa?*

R. Bona certa ordinarie loquendo restituenda sunt possessori legitimo, quamvis non sit eorum dominus, ut si esset depositarius, locatarius; hic enim jus habet bona illa penes se retinendi. Diximus *ordinarie loquendo*, quia si bona restituenda in manu possessoris periclitentur, v. g. si iisdem sit abusurus in sui aut aliorum perniciem, utiliter geret negotium domini, qui illi ea non restituit: nisi tamen aliud obstet (2).

Q. 2. *Quibus sunt restituenda bona incerta, quorum nempe dominus post diligentem inquisitionem cognosci non possit?*

R. Si dominus ille incertus est in particulari, si nempe sciatur quidem bona illa spectare ad tres, aut quatuor homines in particulari, sed ignoretur ad quemnam præcise pertineant, tunc illa inter tres vel quatuor illos homines dividenda erunt pro rata dubii: nec posset tunc restitutio fieri pauperibus, *quia ego Dominus*, ait Deus apud Isaiam, *diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto* (3). — Quod si res etiam in generali incerta est, tunc si res aliena accepta fuit mala fide, restitutio facienda est pauperibus: quia *nemo debet commodum reportare ex propria iniquitate*. Si bona fide, tunc si spectatis omnibus circumstantiis, est adhuc possibile, ut dominus inveniatur, res vel ejus pretium servari debet: et si neutrum servari possit, in pios usus fiat conversio juxta voluntatem domini rationabiliter præsumptam, qui rei dominium conservat, quamdiu illa suas in manus redire potest. Si secus, nulla amplius erit obligatio restitutionis: quia res habetur tamquam derelicta, saltem juxta veriorem sententiam (4).

(1) In nostra Hispania circa circumstantias restitutionis en disposiciones Cod. pen. 19 Maj. 1848. reform. 30 Jun. 1850.

Art. 116 La restitucion deberá hacerse de la misma cosa, siempre que sea posible, con abono de deterioros ó menoscabos á regulacion del tribunal.

Se hará la restitucion aunque la cosa se halle en poder de un tercero y este la haya adquirido por medio legal, salva su repeticion contra quien le corresponda.

Esta disposicion no es aplicable en el caso de que el tercero haya prescrito la cosa, con arreglo á lo establecido en las leyes civiles.

Art. 117. La reparacion se hará valorándose la entidad del daño á regulacion del tribunal, atendido el precio natural de la cosa, siempre que fuere posible, y el de la afeccion del agraviado.

Art. 118. La indemnizacion de perjuicios comprende no solo los que se causan al agraviado, sino tambien los que se hayan irrogado por razon del delito á su familia ó á un tercero.

Art. 119. La obligacion de restituir, reparar el daño ó indemnizar los perjuicios, se transmite á los herederos del responsable. N. E.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 596. (3) Is. 61.

(4) *V.* quæ supra tradita sunt de rebus inventis, ubi et modus adsignatur dominum inquirendi, et casus resolvitur si talis inquisitio omissa fuerit.

Q. 3. *Quisnam in restitutione servandus est ordo* (1)?

Nota. Hæc ante omnia sunt notanda:—1 qui rem alterius apud se tenet, quocumque titulo teneat, eam debet vel domino, vel ejus hæredibus tradere, vel demum pauperibus, si hæredes deficiant; quia res semper clamat ad dominum;—2 debita ex titulo oneroso, v. g. ex contractu venditionis, prius solvenda sunt debitis ex titulo gratuito, v. g. ex donatione, ut communiter dicunt, etiamsi hæc facta sit ab eo, qui quando eam fecit, impar non erat ad solvenda debita (2); nam in omni promissione gratuita hæc semper includitur conditio generalis: *si fortius vinculum non obsit;* est etiam axioma: *nemo liberalis, nisi liberatus.* Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia vota et legata, etiam pia. Hoc posito:

R Si debitor omnibus creditoribus satisfacere potest, nullus ordo necessario servandus est, ut patet, modo suo tempore omnibus solvat. Si vero nequeat omnibus satisfacere, tenetur dividere bona sua inter omnes creditores juxta proportionem debitorum, nisi quis eorum jus prælationis habeat; nam cum debitor omnibus æqualiter sit obstrictus, iniquum foret omnia uni solvere, aliis posthabitis.—Diximus: *nisi quis eorum jus prælationis habeat* (3); hoc enim jus lex civilis tribuit tum privilegiatis, tum hypothecariis: quod quidem obtinet etiam in conscientia; cum sit legitima lex superioris lata in bonum commune, ut ait S. Antoninus. Porro *ad hypothecarios* quod spectat, ipsi prælatione gaudent post privilegiatos, ac primo qui prius inscripti fuerunt: quod si plures fuerint inscripti eodem die, a qualiter concurrunt. Quod vero pertinet *ad privilegiatos,* si eadem sit ratio privilegii et eadem erit ratio concursus: secus privilegiorum diversa videnda qualitas; nam *privilegia non tempore æstimantur, sed ex causa.* Igitur privilegia a lege alia constituta sunt in omnibus; alia in quibusdam mobilibus tantum; item alia in immobilibus; alia in bonis tum mobilibus tum immobilibus, id est in universam substantiam, ita ut de universa substantia solutio peti judicialiter possit *(B).*

(*) Denique debita privilegiata, ut plurimum. sunt: judiciales impensæ, funerales, medicinæ pro ultimo morbo (4) infra annum; impensæ pro viduæ luctu et sustentatione ad primos decem menses; stipendia domesticorum pro anno currente et præcedenti, debita pro cibis et indumentis a sex mensibus ultimis et cætera (*).

(*) Et cum pariter ex dispositione juris positivi plures casus excipiantur, in quibus hypotheca tacita præfertur expressæ, posterior priori, ut qui mutuo dedit pecuniam ad rem hypothecatam conservandam aut restaurandam, præfertur in ea re quibuscumque hypothecariis (5); qui mutuam pecuniam ad emptionem alicujus fundi, cum pacto expresso ut sibi maneat specialiter hypothecatus (6) etc. etc. quoque dispositionibus civilibus cujusque regionis obtemperandum est (*).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 284 et seqq.

(2) Aliter esset si donatio jam sit consummata, et res donatario tradita sit; tunc contractus firmus est ac stabilis, atque in absolutum dominium donatarii res transit.

(3) *Ley* 19 *Cod. qui potiores in pignore.* N. E.

(4) *L.* 45 *de relig. et sumpt. funer.* 2. — *L. penult. ff. de Relig. sumpt. funer.* 2.

(5) *L. interdum ff. Qui potior.* (6) *L. Licet* 7 *C. qui potiores in pignore*

Q. 4. *An creditores priores tempore præferendi sint posterioribus?*

R. Nulli dubium est, quod creditores privilegiati et hypothecarii sint præferendi creditoribus simplicibus (qui scilicet nullum a lege jus habent prælationis, quia nec privilegium habent nec hypothecam), etsi eorum creditum tempore sit prius; sic enim a lege statutum est.—Quod vero spectat ad ipsos creditores simplices inter se, utrum qui priores sunt tempore, aliis sint præferendi, atque ipsis antea integre solvendum sit, disputant. Alii probabiliter negant cum Azorio, Holzman, Lessio, Vasquez, etc.; ratio quia hisce creditoribus non bona, sed ipsa persona ligata est, quæ omnibus æqualiter obnoxia est. Sed alii probabilius et communius affirmant cum S. Antonino, D. Thoma, Concina, Croix, Navarro, Salmanticensibus, Suarez, etc.; nam regula *qui prior est in tempore, potior est in jure*, licet a jure civili pro solis privilegiatis et hypothecariis assignata sit, attamen a jure Canonico (1) illa admittitur pro omnibus: et quod præcipuum est, id fundatur in jure naturali: creditor enim anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen habet obligata etiam ejus bona, in quibus proinde non debet præjudicari a creditore superveniente.

Q. 5. *An debita ex delicto, puta rapina, sint prius solvenda, quam debita ex contractu, puta emptione: item certa priusquam incerta?*

R. Ad 1: Sentit S. Thomas prius esse solvenda debita ex delicto; quia est major injuria ea retinere, cum major fuerit injuria in Deum videlicet et in proximum illud opus perpetrare (2). Alii tamen communius et probabilius cum Alasia, Billuart, Lessio et Lugo docent nulla prælatione ea gaudere; quia obligatio, quæ oritur ex commutativa justitia, eadem est in contractu ac delicto; delictum autem pœnitentia deletur, non restitutione.

R. Ad 2: Si debita hoc sensu incerta sint, quia dubitas utrum debeas, ad nihil teneris; nam in dubio melior est conditio possidentis. Si vero certo debeas, sed dubites cui debeas, teneris restituere pauperibus juxta præsumptam domini voluntatem. Verum quæstio est, utrum hæc debita sint postponenda illis, quorum domini certi sunt, vel an etiam ista sint solvenda pro æqua parte simul cum debitis certis. Lessius, Lugo, Salmanticenses aliique probabiliter tuentur debita certa incertis præferenda esse; quia lege naturæ certa debentur creditoribus; incerta vero nonnisi ex lege positiva debentur pauperibus. Nihilominus est satis probabilis sententia aliorum, qui docent restitutionem et certorum et incertorum faciendam esse pro rata: cum valde probabile sit, quod restitutio pauperibus debeatur etiam de lege naturali; nam talis præsumitur esse creditorum ignotorum voluntas, ut cum ad ipsos nequit pervenire restitutio, saltem fiat pauperibus pro suis animabus (3).

Q. 6. *An possit præferri creditor pauper creditori diviti?*

R. Probabiliter affirmant Medina, Molina et Sa cum D. Thoma (4), creditorem pauperem esse præferendum diviti: quia obligatio restitutionis datur

(1) Reg. 45, jur. in 6.° — V. Liguori, Opus Mor. l. III, n. 690.
(2) Opusc. 73, c. 18.
(3) V. Liguori, *Homo Ap.* tr. x, n. 111.
(4) Opusc. 73, c. 18. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 691.

ad reparandum damnum proximi; plus autem patitur damnum pauper, si ei non fiat restitutio, quam non indigens.—At probabilius negant Lessius, Lugo, Vasquez aliique; quia nullo jure hæc prælatio pauperibus tribuitur; quando enim agitur de justitia commutativa, omnium jus æquale est, utpote in re fundatum. Excipiunt, si pauper versetur in gravi vel extrema necessitate: et sic revera tenendum est, casu quo creditor jam teneatur ex charitate cedere solutionem illam, habens superflua statui, ut pauperi subveniatur.

An (quæres) *prius exigenti liceat prius persolvere?*—Si creditor in judicio petit, commune est licere ipsi prius totum persolvere, etsi tempore posterior sit; lex enim tale tribuit privilegium in obsequium publici judicii. Imo adhuc communissime et probabilius affirmant Billuart, Lessius, etc. contra Lugo, si creditor sibi satisfieri petat extra judicium, modo ipsi tribuantur bona non aliunde obligata, id est quæ jam aliis non sint debita ratione privilegii vel hypothecæ, et modo absit fraus; jura enim favent vigilantibus, et non distinguunt in judicio, an extra (1). Non ideo tamen potest debitor non rogatus arbitrio suo uni præ alio satisfacere, cum id nullibi fuerit ei concessum.

Diximus *modo absit fraus*, quæ tamen adesset, si publice jam declarata sit cessio bonorum; nam tunc debitor omni actione spoliatus existeret. Hinc creditores a lege civili jus habent impugnandi omnes actus, quos debitor egit in fraudem creditorum: sic v. g. si debitor velit renuntiare hæreditatem sibi delatam, vel usumfructum sibi constitutum, qua renuntiatione fiat impos ad solvendum, creditores illam fraudulentam renuntiationem prohibere possunt: et ipsi subingredi in jus debitoris pro quota proprii crediti (2). —Hic tamen notamus cum Billuart, minime esse inquietandos qui, exorta de fortuna debitoris suspicione, debitum repetunt: tum quia hæc est vigilantia; tum quia non constando de impotentia debitoris, jus suum legitime prosequuntur.

Q. 7. *Quisnam restitutionis ordo servandus inter causas negativas, et causas positivas?*

R. Inter varios cooperantes ille tenetur primo loco restituere, qui rem alienam habet; cum *ea semper clamet ad dominum:* neque obstat, si eam consumpserit; quia recte *pro possessore habetur qui dolo desiit possidere* (3). Quod si nemo rem alienam umquam habuerit, ut evenit v. g. si ea in incendio fuerit consumpta, tunc primo loco tenetur restituere mandans, sive consilio (4) sive imperio mandaverit; quia ipse fuit primus movens, et princeps causa. Secundo loco tenetur executor; quia est principalis, qui post mandan-

(1) L. Pupill. *ff. quæ in fraud.*

(2) Quid *si debitor ecclesiasticum Beneficium possideat: potest ne lex civilis illum a renuntiatione prohibere?* — R. Esto quod possit sequestrare fructus jam a Beneficio perceptos; at non potest ejus renuntiationem impedire, nam Beneficium non est juris civilis, ut de eo valeat disponere.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 579.

(4) De consulente (damno ex consilio secuto) ait S. Alphonsus (*Opus Mor.* l. III, n. 560): «si consilium sit utile illud præbenti, ipsum primo teneri: secus si soli executori. Si autem sit utile utrique, utrumque teneri pro rata: et idem puto, si ex damno illato neutri utile evenerit. In defectu autem alterius tenentur in solidum.»

tem damnum immediatus attingit. Tertio loco cæteræ causæ positivæ: consulens in alterius gratiam, consentiens, laudans, etc. habita videlicet ratione cooperationis; neque enim una est magis vel minus principalis causa respectu alterius, sed unaquæque in suo ordine cooperata est (quia tamen ad totum est cooperata, sunt qui quamlibet causam obligant ad totum in aliarum defectu).—Ultimo loco veniunt causæ negativæ, sed in aliarum defectu; quia cum causa positiva sit potior in influxu, ideo et prima esse debet in restituendo. Porro inter causas negativas illa primitus tenetur, quæ magis damnum avertere tenebatur: sic custos specialis rei alicujus probabilius tenetur ante custodem generalem, cujus est primario invigilare in speciales custodes, non in rem ipsam. Ordinarie tamen inter eas nullus videtur ordo adesse; cum æqualiter de re teneantur, ac per se loquendo ad suam tantummodo partem obligentur, quia neutra est alterius instrumentum. Aliis tamen deficientibus, valde probabiliter unaquæque tenetur ad totum, cum revera unaquæque totum damnum avertere teneatur.

Hoc autem maximum est discrimen inter causas tum positivas tum negativas, quod causa, quæ primo loco tenetur, semper teneatur restituere, licet aliæ causæ subordinatæ restituerint, id est solutum in istas refundendo: nam ipsa est causa prima ac substantialis. Cæteræ autem non tenentur, nisi quando recte præsumunt, primas causas vel non posse vel nolle resarcire damnum. Dubius autem, an alii socii restituerint vel sint restituturi, adhuc ipse tenetur ad restitutionem; nam cum habeat certam obligationem, ab ea per meram præsumptionem nequit solvi.

Quid (dices) *si damnum passus illud condonaverit?*—Si principali damnificatori condonaverit, cæteræ causæ liberantur; quia principale deficit cum accessorio: secus si condonatio fiat minus principali, tunc hic solummodo liberatur.

Q. 8. *Quo tempore facienda est restitutio?*

R. Vel restitutio facienda est ex contractu, vel alio titulo:

Si 1, eo tempore facienda est, quo fuit conventum, etiamsi eam creditor non petat; quia dies interpellat pro homine, uti fert juris adagium. Ubi vero nullum conventum fuerit tempus, non peccat graviter qui restitutionem differt quoad rogetur a creditore, nam creditor scienter non petendo videtur consentire dilationi et talis est usus (1). Excipe nisi ob timorem, oblivionem aut impotentiam creditor omittat monere debitorem; item nisi debitor ad solvendum se obligaverit juramento; nam juramentum de se obligat quamprimum. Neque obstat dicere, quod juramentum sequatur naturam contractus; respondent enim Salmanticenses: juramentum utique sequitur naturam contractus, sed primordialem seu actus substantialem: porro quod in contractu monitione opus sit, hoc est ex accidenti, nempe ex consuetudine, non vero ex se.

Si 2, fieri debet statim ac moraliter potest; secus non restituens esset morosus detentor, privaret alterum usu rei suæ: quod si nequeat obligatio-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 676 etc. — Pavone, *Spicilegio*, § 95. Monet imo Lugo cum aliis non esse damnandum de culpa gravi qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, licet iste petat; quia talis dilatio non videtur tunc graviter ei injuriosa.

ni huic suæ satisfacere pro toto, tenetur pro parte quam potest; utile enim per inutile non vitiatur. Item qui non potest commode restituere aperte, restituat occulte; qui nequit per se, faciat per alium, v. g. per ipsum Confessarium aut amicum. Attamen excusatur a mortali qui differt restitutionem ad breve tempus, si dominus nec grave damnum patiatur nec graviter censeatur invitus: Palaus spatium 20 dierum putat ordinarie breve esse (1).

An (quæres) *qui differt restitutionem ultra tempus definitum, teneatur compensare damna, quæ ideo creditor patitur?*—Si restitutio fieri debeat ex contractu et non sit culpabilis mora, ex communi sententia non sunt in conscientia compensanda damna; neque enim quis portare debet tantum onus sine culpa (2). Si vero restitutio fieri debet ex delicto, puta ex furto, probabilius et communius docent Croix, Layman, Lessius et Lugo debitorem teneri compensare omne damnum ex dilatione proveniens, etsi habeat nunc justam causam differendi, quia licet justa dilatio posterior non sit causa damni, tamen revera causa fuit illa prima injusta acceptio.

Quid (dices) *de eo, qui non vult restituere, nisi in morte?* —Qui non vult restituere nisi in morte, non debet absolutionis beneficio donari; quia semper est in statu peccati juxta illud Augustini: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum* (3). Restitutio enim omni tempore semper urget: *retentio rei alienæ,* ait Angelicus, *contrariatur præcepto negativo, quod obligat semper et ad semper; et ideo tenetur semper ad statim restituendum* (4). Excipitur: 1 si debitor sit in bona fide, neque monitio prævideatur ei profutura; tunc ne peccatum materiale evadat formale, in sua bona fide relinquendus est; 2 si sit causa restitutionem differendi, v. g. si statim fieri nequeat sine scandalo vel infamia; tunc enim dilatio rationabilis est.

Sed (quæres) *quotnam peccata committit qui culpabiliter restitutionem differt ac negligit?*—Prima sententia docet tot peccata ab eo committi, quot sunt occasiones restituendi, quoties a domino res petitur, vel de restitutione a Confessario monetur; item quotes ipse proponit se nolle restituere: imo quoties per somnum vel per alias causas distrahitur; tunc enim (ajunt) tot sunt interruptiones, ideoque et totidem peccata. Secunda tradit, quod si voluntas retinendi non revocatur per contrariam voluntatem, unum tantum adesse peccatum licet per annum et amplius restitutio negligatur; tale enim peccatum (inquiunt) licet physice interrumpatur, non interrumpitur moraliter; cum mala voluntas non retractetur et virtualiter perseverare dicenda sit in externo opere, scilicet in retentione rei alienæ; ideoque putant sufficere, si pœnitens confiteatur restitutionis omissionem, quin tempus expri-

(1) Hic observandum cum Antoine, licitum esse debitori anticipate solvere debita sua, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo; nam quisque potest juri suo cedere; neque tunc terminus appositus est, ne solutio anticipate fiat; sed ne ultra differatur. Secus, si terminus sit appositus in favorem creditoris; nam fieret injuria creditori habenti jus, ne sibi fiat solutio ante præfinitum tempus: ex l. XV, § *de ann. legat.*

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 680 et 704. Si restitutio facienda sit in pecunia, aliquando ex lege civili, fructus producit, ut dictum est *de contractibus* ubi de obligatione.

(3) Ep. 153 ad Maced. al. 54.

(4) Supplem. q. 6, a. 5.

mat, quo omissio perduravit. — Prima sententia est probabilis; at secunda videtur probabilior cum Lugo et Salmanticensibus.

Fritne (quæres) *debitor absolvendus antequam restituat?* — Regulariter loquendo non est absolvendus, si restitutio sit ipsi moraliter possibilis; luctuosa enim experientia docet, debitores post absolutionem raro admodum restituere. Quare inquiebat S. Thomas a Villanova: *prius ergo vadat* (pœnitens) *et... pecuniam alienam restituat... et tunc ad Confessarium redeat et absolvatur* (1). — Si tamen prudens Confessarius revera deprehendat debitorem sincere paratum ad restituendum cum primum poterit, recte procedet, si absolutionem impertiatur etiam pro secunda et tertia vice, modo tales occurrant circumstantiæ impellentes, ut ipse Confessarius solo restituendi proposito debeat esse contentus: quod raro evenit (2).

Q. 9. *Quo loco et cujus impensis fieri debet restitutio?*

R. Si agitur de restitutione facienda ex vi contractus (quamquam proprie loquendo tunc non tam habeatur restitutio, quam solutio), standum est pactis: et ubi nihil fuerit in contractu expressum, ibi facienda erit solutio ubi contractus est initus; vel ubi res erat tempore contractus, et impensis illius, in cujus favorem cedit.

Si vero restitutio aliter facienda est quam vi contractus, tunc vel agitur de possessore bonæ fidei; vel de possessore malæ fidei. Si 1, restitutio facienda est in loco, in quo res extat, et impensis domini; ipsa enim naturalis æquitas minime patitur, ut possessor bonæ fidei absque culpa sua damnum aliquod patiatur: quando tamen primo advertit rem esse alienam, statim debet ejus dominum admonere, ut possit sibi consulere. Si 2, restitutio facienda est in loco, ubi dominus eam possedisset, si non fuisset ei subrepta, et expensis possessoris malæ fidei vel injusti damnificatoris, iis tantummodo deductis, quas fecisset dominus in ejus conservatione et translatione; nam si ex una parte dominus ex alterius culpa jacturam pati non debet, ex alia neque locupletari de alienis.

Sed (quæres) *an debitor iterum debeat restituere, si debitum per nuntium fidelem ad creditorem missum, vel alterius culpa vel etiam casu perierit in translatione illa?*

R. Si res est restituenda solum ex re accepta, seu a possessore bonæ fidei, illa perit domino; quia possessor bonæ fidei non est in culpa neque in ea acquirenda neque in ea transmittenda: hinc qui in grege suo ovem alterius casu inveniat, et mittat per virum fidelem ad dominum, perit domino, si in translatione pereat. — Si vero res debetur ex contractu, pariter debitor ad nihil amplius tenetur, si agatur de re existente in individuo, puta si sit commodatum, vel depositum; nam res sicut stat, ita perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus tamen si agatur de pretio solvendo; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem, vel ad personam a creditore designatam pervenerit. — Si tandem agatur de debitore ex delicto seu fure, ipse non liberatur a nova restitutione in dicto casu, ut communis ac tenenda sententia docet; nam debitor ex delicto tenetur ad omne damnum, licet fortuitum; quia ex jure: *culpa præcedente, casus etiam fortuitus impu-*

(1) Fer. 6, p. Dom. 4 Quadr. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 681 et 683.

tatur. Præterea fur tenetur dominum efficaciter reddere indemnem eum restituendo in illum statum, in quo erat antea. Adde si res in manu furis periret, fatentibus omnibus, ipsi periret; ergo a pari ipsi perire debet in manibus nuntii, cum illius personam repræsentet. — Excipe: 1 si dominus designaverit nuntium, per quem res debita mittenda erat; tunc enim nuntius gereret personam creditoris: 2 si nuntius a judice fuerit designatus; judex enim creditoris causam tuetur ac vestit: 3 si creditor ipsi debitori expressis verbis libertatem tribuerit eligendi nuntium quem vellet, et nuntius prudens ac fidelis fuerit electus a debitore (1).

Cum quonam damno (quæres) *debet injustus damnificator restituere?* Damnum hic est pensandum comparative ad subjectum; nam fieri potest, ut damnum decem libellarum respectu debitoris inopis sit longe majus, quam damnum libellarum centum respectu creditoris opulenti, et contra. Quo posito sententia communissima et probabilior cum Billuart, Lugo, Vogler, etc. negat damnificatorem teneri ad restitutionem cum quocumque sui damno etiam gravissimo; justitia enim est virtus præcipiens prudentiam et æquitatem, ideoque non potest obligare ad restitutionem cum quocumque damno etiam gravissimo debitoris; tunc dominus ipse censeretur irrationabiliter invitus. Pro certo idcirco dicimus damnificatorem hujusmodi teneri ad restitutionem cum damno simili: imo Lugo, si agatur de re magni momenti, obligat furem ad ipsam restituendam, etiamsi passurus sit damnum duplo majus, ut si v. g. ad restituendum tria debeat expendere sex; cum enim sit in culpa, merito illum excessum sustinere debet, ut dominum indemnem faciat. — Quod si omnino restituere non possit, nisi cum sumptibus longe majoribus, et nequeat pretium transmittere, vel rem conservare domino aut ejus hæredibus, in probabiliori saltem sententia, sufficit, ut rem tribuat pauperibus, quia sic videtur charitati conforme: nam tunc restitutio habetur uti moraliter impossibilis. Ita S. Antoninus, Billuart, Lessius, Lugo, Sporer, aliique docent communiter ac passim (2).

Q. 10. *Qui non potest restituere in uno genere bonorum, tenebiturne restituere in alio inferiori; v. g. tenetur dare pecuniam qui nequit famam resarcire?*

R. Duæ sunt sententiæ. *Prima* probabiliter affirmat cum Antoine, Cajetano, Sylvio, Soto aliisque; nam licet fama et membra non cadant sub commutatione ac civili commercio, attamen in ordine ad usus humanos bene datur compensatio: ita defectus formæ compensatur divitiis (3). Pro hac opinione videtur esse S. Thomas (quamvis eum aliqui explicent de debito honestatis, atque simplicis convenientiæ); ait enim: *cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei compensare vel in pecunia vel in aliquo honore* (4).

Secunda vero sententia communior ac probabilior cum Croix, Filliucio,

(1) Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 704. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 598.

(3) Multi etiam dicunt ad hanc restitutionem teneri hæredes occisoris, vel mutilatoris, in hujus defectu; nam hæredes tenentur ad omnia debita, quibus gravatur hæreditas; porro dicta obligatione hæreditas certe gravatur; neque enim potuit occisor vel mutilator se obligare, quin obligaret bona sua. — Sed multi hoc negant; quia hoc precise non est debitum reale, sed personale; ideoque non transit ad hæredes.

(4) 2, 2, q. 62, a. 2.

Laymano, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Sporer, Vasquez, Victoria ac cæteris negat. Et probatur: — 1 *Scripturis,* ubi dicitur, quod, vulnerato convalescente, *innocens erit qui percusserit, ita tamen, ut operas ejus et impensas in medicos restituat:* sufficit ergo damnorum compensatio in bonis fortunæ (1); — 2 *Jure communi,* ubi dicitur vulnerantem teneri ad expensas curationis, et mercedes, quibus cariturus est vulneratus: *cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem* (2); — 3 *Ratione,* nam justitia commutativa obligat ad restituendum juxta æqualitatem damni illati; atqui ubi restitutio est facienda in genere diverso, nulla adest æqualitas, per quamcumque enim pecuniam damnum non reparatur neque in toto neque in parte; quia res utpote diversi ordinis se mutuo attingere non possunt. Quod autem aliquando a lege imponatur delinquenti aliqua satisfactio solvenda ad arbitrium vel judicis vel tertii vel ipsius damnificati (3), pœna est, non restitutio. Sane si res in se ipsa spectetur, videtur pugnare in verbis, quod ibi habeatur justitia commutativa, ubi rei æqualitas non habetur.

Docent tamen communiter congruum valde esse in praxi, ut pœnitenti imponatur aliqua erga læsum elargitio, maxime si pauper sit: idque hodie præsertim; quia *et decus et famam regina pecunia donat.*

CAPUT SECUNDUM

DE CAUSIS A RESTITUTIONIS OBLIGATIONE EXCUSANTIBUS.

Q. 1. *Quænam sunt causæ a restitutione excusantes?*

R. Causæ a restitutione excusantes sex præcipuæ numerantur, quarum tres primæ temporaneæ sunt, quæ illis tantum durantibus; cæteræ vero sunt perpetuæ, quæ videlicet pro semper extinguunt obligationem restitutionis (4).

1. Est impotentia tum physica, tum moralis: *physica,* cum nempe quis neque in re neque in spe habeat, unde restituere possit; sane nemo potest ad impossibile obligari: *moralis,* si nempe absque magna difficultate restitui non possit; hæc enim in moralibus idem est ac si esset omnino impossibilis. Pertinent autem ad moralem impotentiam: — 1 jactura animæ suæ vel suorum, v. g. periculum desperationis, vel ne filii dent operam latrociniis; — 2 periculum vitæ, v. g. si debitor per restitutionem pecuniæ esset periturus: cum in extrema necessitate liceat aliena retinere, sicuti licet eadem auferre; — 3 jactura status juste acquisiti, v. g. si nobilis nequeat restituere, nisi se privet famulis, equis, etc.; nam pertinet ad bonum commune proprii status conservatio. Id tamen intelligitur, dummodo creditori æquale damnum non sit obventurum ex tali restitutionis omissione vel dilatione. Insuper ipse teneretur aliquid sibi subtrahere ex non absolute necessariis; neque enim de-

(1) Exod. 21, v. 19. (2) *Digest.* 19, t. III, *de his qui effud.* l. ult.
(3) Exod. 21. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 626.
(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 697 et seqq.

centia status consistit in indivisibili: qui sane utitur parsimonia et industria sensim sine sensu plura congerere potest, quibus valeat sua debita solvere: unde non tam facile sunt audiendi, qui impotentiam adstruunt. Diximus *juste acquisiti:* si enim status injuste acquisitus sit, etiam cum illius jactura restituere debet; quia non esset statum amittere, sed ad pristinum reverti. Excipe nisi id agere debeat paulatim, ne bonum superioris ordinis amittat, scilicet famam, si ea injusta status acquisitio ignoretur: inhumanum enim foret ac plurimos in baratrum desperationis pene conjiceret, si hujus rei non haberetur ratio (1);—4 denique grave damnum in bonis vel famæ vel fortunæ propriæ, modo dominus æquale damnum non esset passurus ex restitutionis omissione.

2. Grave creditoris ipsius damnum, si prævideatur eidem obventurum in restitutionis hypothesi: v. g. si ille petat pecuniam mihi mutuo datam, ut ea utatur ad peccandum. Restitutio enim ordinatur ad utilitatem creditoris, ideoque non potest esse rationabiliter invitus, si debitor ei differat restitutionem, quia certo prævidet ipsam hic et nunc ejus animæ graviter noxiam esse futuram (2)—Aliter tamen dicendum esset: 1 si restitutionis denegatio parum serviat ad culpam impediendam; quia nempe aliam pecuniam obtinere potest; 2 si damnum proportionate grave debitori immineat, nam charitas cum tanto incommodo non obligat: esset v. g. si debitor ideo perderet creditoris amicitiam sibi valde necessariam; 3 si creditor debitorem continuis petitionibus vexet; ex repetitis enim petitionibus multiplicantur peccata; 4 si restitutio afferat creditori tantummodo temporale detrimentum, quod ipse licite potest subire: ut si petat solutionem pecuniæ mutuo concessæ, quam vult applicare convivio minime necessario; ratio, quia non potest prohibere dominum aut creditorem graviter invitum, ne sua bona expendat in iis, in quibus licite potest. Item excusat grave damnum Reipublicæ, quod omnimode impediendum; cum sit damnum publicum. Item damnum tertii: unde quando dominus re in tertii damnum est abusurus, tu teneris ex justitia denegare illam, semper ac sine tuo graviori damno vel saltem æquali id possis; nam ex una parte dominus non habet jus rem suam habendi in iis circumstantiis; ex alia autem parte tertius jus habet, ne quis in sui damnum cooperetur *(C)*.

3. Cessio bonorum vel fori: est quando debitor debitis suis solvendis factus impar, bona omnia creditoribus cedit. Cessio duplex est: una *voluntaria,*

(1) Si Confessarius vel Parochus debeat consilium infirmo tribuere, qui de rapinis occultis detescerit, maxima prudentia opus habet in restitutionis modum suggerendo; rationem habere debet tum *familiæ* infirmi, si enim sint hæredes necessarii, nullimode coram lege præteriri possunt, quoad legitimam saltem; tum *personarum*, si enim prudenter damnificatis fieri possit restitutio, ipsis certo facienda est; tum *locorum* ubi damnificatio facta est, si tamen prudenter possit, et inde verisimiliter speretur, quod res ad dominos sit perventura: quod tamen non ita facile est; tum *temporum*, si enim infausta sint, et timendum sit, ne si legata fiant pro aliquo beneficio vel Ecclesia, non habeantur rata, potius suggerat, ut legata præcipua in pauperum favore, pro hospitalibus et simile, legaliter sint facta. Quod si non sit amplius modus testamenti condendi, curet, ut per suos hæredes plures celebrentur Missæ, pluraque tribuantur pauperibus, etc. sic intendendo suis obligationibus, quoad potest, satisfacere.

(2) S. Thomas 2, 2, q. 65, a. 5.— Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 571 et 697.

quam omnes simul creditores libere acceptant; altera *judicialis*, quam lex ipsa debitori bonæ fidei ac infelici tribuit (1): hæc autem non transfert bonorum proprietatem in creditores, sed ipsis jus tribuit exigendi, ut ea vendantur, et interim ut ex illis fructus percipiant (2). Possunt quoque creditores reservare debitori administrationem sub datis regulis, moram concedere, partem remittere debitorum, ac alia præscribere in propriam utilitatem; modo non vergant in præjudicium hypothecarii aut privilegiati.—Manet tamen semper in omni casu obligatio præstandi integram solutionem (3), si ad pinguiorem fortunam debitor venerit, nisi creditores eum expresse liberaverint; leges enim ipsæ civiles judicialiter concedentes illam bonorum cessionem non intendunt creditores jure suo privare, sed tantum debitori privilegium impertiri, ne queat ob debita, quibus solvendis est impar, in carcerem detrudi: ideoque cessante impotentia, cessat etiam excusatio a restitutionis obligatione (4).

4. Remissio creditoris, dummodo libera sit et non extorta vi, metu aut fraude, neque aliqua lege prohibita (ut v. g. prohibita est Canonicis condonatio amissarum distributionum facta absentibus); cum enim creditor sit dominus rei suæ, potest eam alteri donare, sicque remittere obligationem illius restituendæ, si sit ablata. Quæ remissio, etiamsi tacita sit, valet; nam *taciti et expressi consensus eadem ferme est vis atque conditio.*—Etiam certo præsumpta remissio liberat, ut satis communiter docent cum Angelico: *quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse* (5)? hinc ajunt dominum ob levia furtula servum expellentem censeri eidem remittere omnem obligationem, hoc ipso, quod nihil petat et expellat.

5. Compensatio. Alia autem est *impropria;* et est debiti recuperatio, inscio debitore, facta: evenit quando tantum auferimus de bonis debitoris, quantum satis est ad recuperandum quod nobis debitum est. Alia est *propria,* quæ nempe in contractibus obtinet et definitur: *debiti et crediti inter se invicem contributio:* unde duo debita debent intervenire, quæ invicem compensatione extinguantur. Nulli dubium est, quod ea licita sit; nam resolvitur in veram debiti solutionem: imo expedit; sic enim inanes circuli evitantur in rerum translatione (6).

(1) Ley 1.ª tit. 15, part. 5. — In fraudulentos graviter animadvertit *Cod pœn.* art. 443 ad 448. Qui autem sint fraudulenti V. *Cod. Comm.* art. 1007, 1008 et 1009. N. E.

(2) Ley 1, tit. 15, part. 5.

(3) Non desunt tamen qui docent, liberari in conscientia debitorem pro semper, si sermo sit de cessione voluntaria; quia, inquiunt, hæc cessio videtur induere naturam remissionis quoad ea quæ hic et nunc debitor solvere nequit. — *V.* Liguori. *Opus Mor.* l. III, n. 699. E contrario ex Laymano remanet obligatus ad laborandum et acquirendum, ut solvat.

(4) « Quare videant (ait *Stapf*, § 72) quid æterno Judici aliquando responsuri sint, qui postquam fortunas suas dilapidarunt et exinde bonis suis cedere coacti sunt, creditores adhuc dum defraudare pergunt, et de omnibus prius cogitant, quam qua ratione tum Deo tum hominibus allatas injurias resarcire possint. »

(5) L. XLVI, § 7 *ff. de furtis.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 700. Neque obstat, quod ad Confessiones excipiendas, vel matrimonio assistendum requiratur de validitate facultas data præsens et positiva; nam in nostro casu non requiritur positiva domini voluntas, sed satis est quod positive non sit invitus. Hac tamen in re non sunt laxandæ habenæ, ne furtis via aperiatur, ut recte observat cl. Alasia. (6) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 321.

6. Tandem compositio. Et est quando summus Pontifex suprema qua pollet auctoritate in fidelium bonum, ita rem componit, ut unam partem debiti condonet debitori, aliam impendat in pias causas (1). Ut compositio legitima sit, requiritur : 1 ut bona incerta sint ; si enim domini aliqualiter cognoscantur, non poterunt sine injuria directe absque eorum consensu expoliari ; 2 ut adsit causa, secus esset illicita compositio in rebus ecclesiasticis et in aliis bonis etiam invalida : quia in primo casu dispensatur in lege propria, non item in secundo. Si tamen causa justa sit, semel facta compositio non revocatur, quamvis compareat dominus ; quia jam dominium translatum fuit.—Hanc compositionem concedit vel ipsa sacra Pœnitentiaria, ut docet Benedictus XIV Bulla *Pastor bonus:* non tamen Episcopus; hæc enim facultas actus est supremæ potestatis.

An (quæres) *qui bonis cedit possit aliquid sibi occulte retinere?*—Attento jure naturali, cessor potest sibi aliquid retinere, si merito timeat ne pars sibi adsignanda insufficiens sit suis suorumque necessitatibus : et si iis omnino indigeat, potest judici interroganti respondere, se non habere, quod nempe teneatur cedere (2). Cæterum in hac re caute procedendum; quia plerumque bonorum cessores suas necessitates plus nimium exaggerant, et moderato victu, qui ipsis convenit, numquam contenti sunt.

Q. 2. *An retentor bonæ fidei rei alienæ, si ea in extrema necessitate usus est, adhuc teneatur de illa?*

R. Tenetur : 1 si transacta necessitate, res aliena adhuc subsistat in sua specie : quia res clamat ad dominum : hinc alienus equus, quo quis usus est ad declinandos fures periculo transacto, domino restituendus est ; 2 si debitum sit personale, non reale; jus enim personale, semper subsistit, persona subsistente : hoc evenit quando dominium rei transfertur in accipientem, ut in mutuo ; tunc qui illud consumit, consumit rem propriam : at nemo consumendo rem propriam potest liberari ab onere restituendæ rei alienæ ; 3 si ille, qui in extrema necessitate rem alienam consumit, non sit absolute pauper, nempe sit pauper in re, sed dives in spe, quia alibi bona possidet quibus pepercit ; tunc enim non potest revera dici constitutus in extremis, quo solum in casu omnia bona sunt communia.

In aliis vero casibus, an consumptor bonæ fidei rei alienæ teneatur in conscientia restituere quod consumpsit, si ad meliorem fortunam deveniat, non conveniunt. Alii affirmant, nam in extrema necessitate in tantum omnia bona sunt communia, in quantum sunt necessaria ad vitam servandam; atqui ad vitam servandam sufficiens est bonorum usus, quin transferatur illorum proprietas : at si non transfertur proprietas, bona semper redden da sunt, cum possunt reddi. Alii distinguunt : nempe non tenetur rem alienam reddere, si parvi sit momenti, quia præsumitur dominus illam absolute donasse uti eleemosynam: secus autem si res sit maximi momenti, quia hæc non censetur data, nisi quoad usum. Verum generatim Theologi cum D. Thoma nulla facta distinctione, negant : sane qua ratione teneretur rem restituere? non ratione rei acceptæ, cum amplius hæc non existat nec in se nec in æquivalenti ; non ratione injustæ damnificationis, cum eam legitimo jure consump-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 591. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 158.

serit: non ratione contractus, cum hic non obliget, nisi re culpabiliter pereunte. Ipse uno verbo legitime usus est jure, quod habebat ad rei consumptionem: ergo nulla ratione potest cogi ad restitutionem. Communio autem bonorum in extrema necessitate respicit tum usum tum proprietatem.

Quid (dices) *si sit possessor malæ fidei seu fur, qui alienum consumpserit in extrema necessitate?*—Sententia communior et gravissima docet furem semper teneri ad restitutionem; nam obligatio semel contracta ex injusta acceptione per supervenientem necessitatem non extinguitur, sed tantum suspenditur. Hoc tamen non obstante, non audemus reprobare ut improbabilem Navarri, Sporer et aliorum opinionem, qui docent etiam furem, si absolute indigeret re illa, et sit etiam pauper spe, deobligari a restitutione; nam possessio mala non adimit jus universale, quod in extrema necessitate habet quilibet ad res omnes. Et sicuti poterat de novo surripere, ita surreptum retinere et consumere quod quidem non est aliud, quam continuata surreptio (1).

Q. 3. *An necessitas extrema debitoris excuset a restitutione, si creditor in eadem extrema necessitate versetur?*

R. Si debitor aliter non potest sibi aut suis (nempe filiis, parentibus, uxori: alii addunt, fratribus et sororibus) subvenire, nisi per bona quæ restituere deberet, tunc non tenetur ea restituere et in extremam necessitatem se aut suos conjicere. Ita communiter: ratio est quia tunc omnia bona sunt communia, cessatque potestas dominii jure gentium introducta. Excipe nisi ipse creditor præcise ob subtractionem illam hic et nunc in extremis conjiciatur; tunc non licet rem auferre, et qui abstulit, tenetur restituere; quia auferre alicui rem suam sibi ad vitam hic et nunc necessariam, est idem ac eum occidere: unde in eo casu melior debet esse conditio prius possidentis. Hinc si ego ante occupavi tuum equum, et equo indigeam ad effugiendos sicarios, non teneor quidem illum tibi restituere, etiamsi postea et tu in eodem periculo constituaris; verum si tu in periculo jam constitutus equum tuum jam occupaveras, et ego in eodem periculo vellem a te illum auferre et retinere, tunc non licet mihi.

Quid (dices) *si creditoris et debitoris necessitas sit tantum gravis?*

Si creditor jam necessitatem gravem patitur, et debitor tunc ea non laboret, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere; quia in æquali necessitate gravi præferendus est creditor, ut magis ab ea eximatur ipse creditor innocens, quam debitor, sive hic sit ex delicto sive ex contractu. — Si vero debitor jam constitutus sit in necessitate gravi, dubium est, an teneatur restituere, quando et ipse creditor eadem necessitate laborat: alii affirmant cum Roncaglia, si debitum sit ex delicto, v. g. furto; ratio quia extra casum necessitatis extremæ semper reputanda est melior conditio creditoris innocentis. Alii negant cum Lessio, etiamsi agatur de debitore ex delicto: nec videtur id sua probabilitate carere; quia in eo casu si restitutio facienda esset, non tantum æquale damnum debitor sustinere deberet, sed multo majus quam creditor; cum enim ille gravi necessitate jam laboret certe non posset restituere nisi cum gravissimo incommodo, ita ut in quasi extremam

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 520; et *Homo Ap.* tr. x, n. 19.

necessitatem se conjicere videretur. Sed excipe: 1 si debitor creditorem conjecerit in gravem necessitatem præcise ob subtractionem rei suæ; nam potior est conditio possessoris innocentis; 2 si res ablata extet in specie; nam, extra necessitatem extremam, in pari causa res clamat ad dominum (1).

Q. 4. *An si debitor immemor debiti sui, tantumdem creditori ipsi donaverit, excusetur a restitutione?*

R. Communis sententia docet, debitorem, qui immemor debiti sui tantumdem creditori donavit, a restitutione excusari: — 1 si obligatio restitutionis oriatur a præcepto ecclesiastico, v. g. si Beneficiatus Horas culpabiliter omittat, et postea eleemosynas elargiatur immemor suæ obligationis; nam totum posuit, quod erat in præcepto, nempe *non faciendi fructus suos;* finis enim non attenditur in præcepti adimplemento; — 2 si agatur de debitis incertis, cum tanta non sit eorum obligatio: vel de casu, in quo creditor probabiliter præsumi possit libenter debita remissurus, si rem prout est in se bene perciperet; tunc enim non esset positive invitus; — 3 si obligatio esset aliunde, quam ex justitia, v. g. siquis immemor voti vel præcepti ecclesiastici, ipsum opus a voto aut a præcepto debitum ex devotione præstaret: ratio est, quia in obligationibus, quæ non sunt ex justitia, non attenditur qua ratione præstentur, sed tantum an præstentur actus præscripti (2).

Hisce exceptis, utrum liberetur a restitutione debitor, qui debiti immemor creditori donat quod ipsi ex justitia deberet (quod si debitum sciret, non donaret): communius ac valde probabiliter negant Bonacina, Layman, Diana, Sanchez, Sporer et Salmanticenses, quia non potest una solutione satisfieri duabus obligationibus, uni ex justitia, alteri ex titulo gratuito. Sed affirmant Mazzotta et La Croix cum Rebellio ac aliis, quorum sententia satis est probabilis (3), semper ac certe præsumitur, quod debitor, si debiti fuisset memor, nequaquam donasset. Ratio est, quia semper censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi justitiæ, quam voluntati donandi, sive obligationi factæ donationis: quæ cum facta fuerit per errorem, sive per debiti oblivionem (quæ dedit causam donationi), manet rescindibilis ab eodem donante, qui in conscientia non tenetur ad eam implendam; nam in quovis homine supponitur tacita mens, non velle se obligare, ubi deceptus invenitur.

(1) *V.* Liguori, *Opus. Mor.* l. III, n. 701.

(2) Communius ac probabilius dicunt Gury, Carriere, etc. contra Billuart, quod valet restitutio debiti, etsi fiat per simulatam donationem, nec requiri ut debitor externe fateatur se solvere. Attamen docent contra Tamburini, quod si creditor tunc gratitudine motus et aliquid ipse donet, non est acceptandum; quia ista donatio non est spontanea; cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis, quæ porro falso est innixa fundamento.

Quid si testator cui restitutionis obligatio incumbit, leget aliquid alicui creditori sub onere Missarum, etc? essentne a legatario creditore implenda hæc onera, ubi legatum adæquet summam rei restituendæ? — Negative, præsertim quod testator censeri potest sub simulata donatione furti sui tegere restitutionem.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. x, n. 120; it. *Opus Mor.* l. III, n. 700, ubi fusius. Suadent plures iis qui eleemosynas faciunt, ut intentionem generalem gerant reparandi omnia damna, quæ forsan intulerunt, maxime in juventute, ignotis dominis.

DISPUTATIO SECUNDA

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM

DE BONIS ANIMÆ ET CORPORIS (1).

Bona spiritualia seu animæ duplicis sunt generis: supernaturalia et naturalia. Supernaturalia quæ conducunt ad salutem æternam, uti gratia, sanctitas, virtutes, Sacramenta. Naturalia quæ referuntur ad ipsam naturam humanam ejusque perfectiones, uti usus rationis, ingenium, memoria, item scientiæ et artes. — Inter bona autem corporis præcipue numerantur vita, membrorum integritas, virginitas, pudicitia ac castitas conjugalis.

Q. 1. *Ad quid tenetur qui alium læsit in bonis supernaturalibus?*

R. Qui alterum vi, fraude aut dolo læsit in bonis ordinis supernaturalis, v. g. illum inducendo ad peccatum, vel avocando a virtute, vel imbuendo falsa doctrina, tenetur ex justitia vim, fraudem et dolum auferre, eumque in pristinam libertatem restituere et omnia damna resarcire inde secuta; cum istorum fuerit causa positiva, efficax et injusta. Hinc qui pravos libros propagarunt (incautos falsis doctrinis imbuentes), eos quantum possunt colligere tenentur, reprobare, anathematizare, ne ulterius damnum afferant (2). An autem sic ad malum inducens, ex justitia teneatur removere non tantum causas lapsus; sed etiam efficere, ut seductus convertatur, multi probabiliter affirmant: secus non satis damnum pravæ dispositionis injuste causatum repararet. Sed alii volunt ad id teneri tantum ex charitate, non ex justitia; quia, inquiunt, sicut qui ligavit Cajum et sic impedivit, quominus iret ad templum, satisfacit, si solvat, nec tenetur ex justitia curare aut efficere, ut eat ad templum; ita et hic: cum enim cesset vis et fraus, et alter sciat se deceptum, potest si velit ipse se a peccato expedire, sicque censetur alteri remittere obligationem se convertendi: quod si non agat, tunc id sibi tantum imputabitur.

Qui vero sine vi, fraude, aut dolo, sed mero consilio ac suasione alium ad peccatum induxit, ex justitia ad nihil tenetur *erga inductum;* nam qui pec-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 660 et seqq.

(2) Egregium reliquit exemplum Fénelon, qui licet bona fide errorem docuerit, Brevi Innocentii XII damnanti suum librum (*Máximas de los Santos*) non solum statim et ex toto corde adhæsit, laudabiliter se subjiciens; sed eumdem librum solemniter reprobavit, diffusa exemplaria colligens. Utinam illum imitentur qui hisce nostris temporibus in fœdissimos errores impigerunt et eos ubique disseminarunt!

cat non inductus vi, fraude, aut dolo, peccat sciens ac volens: scienti autem atque volenti ex juris adagio non fit injuria: et *nullus spiritualiter moritur*, dicente Angelico (1), *nisi propria voluntate peccando*. Sed tenetur ex charitate, quoad potest, conversionem seducti procurare; ipsa enim naturalis æquitas ex charitatis præcepto exigit, ut auctor mali illud reparare nitatur, suadendo saltem atque monendo. Hinc nemo non videt quanta sit obligatio corruptorum, qui alios ac præsertim juvenes incautos viam criminis edocent; cum difficile admodum sit ex eorum animis libidines deinceps propellere.

Q. 2. *Ad quid tenetur qui alium læsit in bonis animæ naturalibus?*

R. Qui alium læsit in bonis animæ naturalibus, iisdem subjacet obligationibus, quibus obnoxius est damnificator in bonis animæ supernaturalibus. Quapropter siquis alium veneno vel alio quovis medio efficaci privavit memoria, ingenio vel usu rationis, tenetur ex justitia reparare tum damnum personale, eum nempe a morbo curare quoad potest; tum omne damnum reale, quod inde secutum est, ut est amissio officii, lucri, etc. Item siquis officium vel conventionem susceperit alios edocendi artem, scientiam aut disciplinam aliquam, si munus tale susceperit absque sufficienti peritia, vel illud negligenter impleverit, non tantum pretium acceptum restituere tenebitur pro ratione suæ ignorantiæ aut negligentiæ; sed etiam damnum, quod intulit male docendo, reparare; ideo enim stipendium accipit, ut se utilem præbeat (2).

Corporis bona violantur per homicidium, mutilationem (vel aliud simile), stuprum et adulterium; sit ergo

ARTICULUS I — De homicidio et mutilatione membrorum.

Q. 1. *Quid est homicidium, quotuplex et quale peccatum?*

R. Ad 1: Homicidium (sic dictum ab *hominis cæde*) definiri potest: *violenta occisio hominis facta ab homine*. Quæ enim fit a fera, proprie homicidium non dicitur, sed *pauperies* in jure appellatur.

R. Ad 2: Homicidium aliud est casuale, aliud voluntarium aliud qualificatum, aliud simplex. *Casuale* contingit præter hominis intentionem. — *Voluntarium* contingit ex ipsa hominis intentione, et dupliciter voluntarium esse potest: *directe* cum quis data opera alium interimit: et *indirecte*, cum quis directe quidem alterius mortem non vult nec intendit; sed ponit ea, ex quibus potest prævidere mortem alterius secuturam. — *Qualificatum* est quod speciales circumstantias habet adnexas: tale est homicidium *proditorium*, quod sub specie amicitiæ; *insidiosum*, quod ex insidiis; *assassinium*, quod

(1) 1, 2, 9, 13, a. 8. — Diximus *erga inductum*, si enim ideo lædatur jus tertii, erga tertium utique adesset obligatio justitiæ, ut supra jam dictum est de alium impediente a consecutione alicujus boni.

(2) Videant ergo quid supremo exactori sint responsuri *tum* illi, qui ad salebrosa officia non meritis propriis, sed aliorum pervenientes, non curant quid valeant humeri, bene vero quid velit ambitio; *tum* illi, qui vix uni officio sufficientes, at superbi vel avari plura suscipiunt exsolvenda, sed omnibus deficiunt: et si desint laudatores, ipsi se apud suos inferiores, arrepta occasione, ad nauseam attollunt. Oh quam vera est sententia: *non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem plurimum, si vel uni te præponas!* (Kempis, *De imitat. Christi*, l. I, c. 7.)

ab aliis mercede conductis; *latrocinium*, quod spolii gratia patratur. Sed maxime venit cædes parentum, prolis, conjugis, principis ac personæ sacræ, quæ singularem qualificationem et atrocitatem involvit: quod hisce circumstantiis non est vestitum, dicitur *homicidium simplex*.

R. Ad 3: Injusta hominis occisio vetita est illo Decalogi præcepto: *non occides*. Est autem peccatum gravissimum *in Deum*, qui solus est mortis et vitæ dominus: *in rempublicam*, cum sua parte privetur: *in occisum*, cum ei bonum adimatur temporale maximum, irreparabile ac aliorum bonorum fundamentum. Hinc jure omni punitur: *jure Canonico* lata est irregularitas, et in mandantes occidi Christianum, per assassinos tamen, excommunicatio (1): *jure Diœcesano* est generatim reservatio, si agatur de homicidio directe voluntario, sive per se sive per alium patrato: *jure municipali* fere ubique est ultimum supplicium.

An liceat aliquando (quæres) *occidere innocentem?* — Non licet innocentem *directe* occidere, nisi Deus qui solus habet jus vitæ et necis, concedat: *insontem et justum non occides*, legitur in Exodo (2). Diximus *directe;* ubi enim justa sit causa, fas est indirecte aliquid agere, ex quo præter agentis intentionem mors innocentis sequatur. Hæc tamen causa debet esse tanti momenti, ut vitæ ipsi æquivaleat; sic si tyrannus minetur urbis excidium, nisi innocens occidatur, non licebit quidem illum directe interficere, cum non sit nisi pars moralis Reipublicæ, a qua non accipit esse et vivere, ut accipit membrum corporis a corpore. At in probabiliori sententia poterit publica auctoritas illum cogere, ut se ad tyrannum conferat: et ubi nolit, etiam tradere; nam eo ipso quod renuit, evadit Reipublicæ noxius, quum quisque ex charitate et justitia legali teneatur vitam exponere pro Republica (3). Traditio autem est tantum indirecte occisiva; cum non ex traditione, sed ex mala tyranni voluntate directe eveniat occisio. — Aliud tamen dicunt, si tyrannus puellam ad stuprandam peteret, vel libros sacros ad comburendos; quia in priori casu puellam proximo periculo peccati exponeret, in altero casu videntur in Dei contemptum sacri libri postulari.

Q. 2. *Quid sentiendum de homicidio casuali?*

R. Duplici modo contingere potest homicidium casuale: vel dando operam rei licitæ, vel rei illicitæ. Utrumque sic resolvit Angelicus: *secundum jura si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum; si ex ejus opere mors hominis consequatur* (4). Ubi animadvertendum est, ad homicidii imputationem non sufficere, quod opus sit illicitum per se; sed insuper requiri, ut sit præcise illicitum et vetitum relate ad homicidium. Ad hoc vero in foro saltem conscientiæ, omissis diversis sententiis, dicimus:

1. Si opus sit quidem illicitum, sed minime de se periculosum, non imputabitur homicidium, si ex illo opere sequatur: uti v. g. si fœmina, fœtu

(1) C. *Pro humanis*, de hom. in 6. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 363.
(2) Cap. 23. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 393.
(4) 2, 2, q. 64, a. 8. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 398.

ex crimine concepto, in ejus partu moriatur; quia cum effectus non necessario procedat a causa, non potest esse in prævisione; — 2 si opus illicitum quidem sit et simul etiam periculosum, sed ita raro, ut non soleat mors, nisi valde raro inde evenire, non erit imputandum homicidium, casu quo sequatur, si diligentia adhibeatur ad illud vitandum. Sic v. g. excusabitur ab homicidio Clericus, qui venationi sibi prohibitæ vacans, hominem casu interficiat, modo diligentiam adhibuerit, ne homini mortem inferret; ratio est, quia res est resolvenda ex communiter contingentibus; — 3 si opus illud sit illicitum simul et tam frequenter atque communiter periculosum, ut ex eo communiter soleat mors evenire, tunc homicidium certe imputabitur, quæcumque ad illud vitandum diligentia adhibeatur; est enim omnino voluntarium in causa: ut siquis v. g. funda lapides in via publica projiciat.

Hic operæ pretium est referre *Codicis pœnalis* articulos hac de re:

Art. 332. El que mate á su padre, madre ó hijo, sean legítimos, ilegítimos ó adoptivos, ó á cualquier otro de sus ascendientes ó descendientes legítimos, ó á su cónyuge, será castigado como parricida:

1.° Con la pena de muerte si concurriere la circunstancia de premeditacion conocida, ó la de ensañamiento, aumentando deliberadamente el dolor del ofendido.

2.° Con la pena de cadena perpétua á la de muerte si no concurriere ninguna de las dos circunstancias espresadas en el número anterior.

Art. 333. El que mate á otro, y no esté comprendido en el artículo anterior, será castigado:

1.° Con la pena de cadena perpétua á la de muerte, si lo ejecutare con alguna de las circunstancias siguientes:

1.ª Con alevosía.

2.ª Por precio ó promesa remuneratoria.

3.ª Por medio de inundacion, incendio ó veneno.

4.ª Con premeditacion conocida.

5.ª Con ensañamiento, aumentando deliberada é inhumanamente el dolor del ofendido.

2.° Con la pena de reclusion temporal en cualquier otro caso.

Art. 334. En el caso de cometerse un homicidio en riña ó pelea, y de no constar el autor de la muerte, pero sí los que causaron lesiones graves, se impondrá á todos estos la pena de prision mayor.

No constando tampoco los que causaron lesiones graves al ofendido, se impondrá á todos los que hubieren ejercido violencias en su persona la de prision menor.

Art. 335. El que prestare ausilio á otro para que se suicide, será castigado con la pena de prision mayor; si le prestare hasta el punto de ejecutar el mismo la muerte, será castigado con la pena de reclusion temporal en su grado mínimo.

Q. 3. *Ad quid tenetur injustus occisor?*

R. Generatim loquendo injustus occisor tenetur compensare damna omnia

realia in bonis fortunæ, si quæ ex ejus actione secuta sunt; fuit enim eorum causa injusta et efficax. Hinc compensare debet: — 1 expensas in medicinis peractas; — 2 lucra, quæ ob occisionem cessaverint, non quidem in solidum uti si jam de facto fuissent acquisita (potuisset enim occisus multipliciter impediri); sed pro majori vel minori spe eadem acquirendi. Nihil vero tenetur restituere pro expensis funeris; cum ipsæ aliquando faciendæ essent: excipe si ob occasionem necis illatæ (v. g. extra patriam) oportuerit eas fieri majores; — 3 aliquas satisfactiones præstare pro anima occisi, si iste erat pro se probabiliter satisfacturus; bene enim restitutio fieri potest in æquivalenti per orationes et eleemosynas (1).

Diximus *generatim loquendo*, nam claritatis gratia occisoris obligationes considerari possunt vel relate ad hæredes occisi; vel relate ad illius creditores; vel demum respectu alterius personæ, cui forte homicidium fuerit imputatum. Hinc:

Q. 4. *Ad quid tenetur injustus homicida erga hæredes occisi?*

R. Hæredibus necessariis, nempe patri, matri, uxori, liberis aliisque ascendentibus et descendentibus (2), tenetur injustus homicida compensare damnum emergens et lucrum cessans, non solum quod cum occisi vita cessavit; sed etiam quod cessavit post ejus mortem juxta tempus, quo defunctus verosimiliter fuisset vitam suam acturus, attenta ejus ætate, valetudine aliisque circumstantiis; quia isti unam personam constituunt cum occiso, atque in illius jura succedunt. Non tamen damnum est compensandum per integrum omnino (nam, ut bene advertit S. Thomas, illud poterat multipliciter impediri); sed satis est, quod compensetur juxta spem judicio prudentis æstimandam (3).

Loquendo autem de aliis hæredibus, qui nempe necessarii non sunt, nec unam cum occiso personam constituunt, tenetur quidem homicida ipsis restituere tum damnum jam bonis occisi irrogatum per occisionem, tum lucrum quod amisit ipse vulneratus tempore quo vixit; nam moriendo transmisit ipsa lege ad illos (aliis supra memoratis hæredibus deficientibus) om-

(1) Duplex est damnum, quod causat occisor: unum *naturale* seu *personale*, quod est ipsa amissio vitæ; alterum *temporale* seu *reale*, quod est amissio bonorum fortunæ, quæ occisus, salvata vita, sperabat sibi comparanda. Primum occisor reparare non valet in æquivalenti; neque enim occisum resuscitare potest: unde est, quod de damno temporali præsens tantummodo instituitur quæstio. Porro communius docent, nihil esse deducendum pro labore, quem occisus ad lucrandum impendere debuisset; quia labor iste libenter et non tamquam pœna sustinetur. Sed excipiunt rationabiliter, si præsumatur, quod occisus libenter omnino aliquid daturus fuisset pro redemptione talis laboris. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 639.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 631 et seqq. Hæredes in duplici sunt differentia: alii sunt *necessarii*, quos nempe testator non potest prætermittere, ut sunt ascendentes et descendentes; alii *non necessarii*, seu liberi, qui possunt prætermitti: succedunt tamen (hæredibus necessariis deficientibus) ab intestato, ut sunt fratres, ceterique consanguinei. Item huc veniunt cæteri, quos testator ex sola sua voluntate instituit. — Est autem notandum, quod in præsenti quæstione uxor habetur ut hæres necessarius, etsi proprie non sit talis, quia vivens pertinet ad familiam mariti, et ideo necessario ab eo sustinenda.

(3) Si tamen, addit Croix, uxor nupserit æque commode, vel siquis eidem alimenta præstiterit, huic nihil restituendum est; quia nullum reipsa pateretur damnum. Idem dicendum de filiis, cæterisque hæredibus necessariis.

nia sua jura proprie dicta. Sed non tenetur in nostra sententia restituere lucrum quod cessavit a tempore mortis; istud enim non erat debitum reale cum defuncto ipso contractum, sed personale, quod fundatur in industria futura personæ occisæ: in illud ergo nullum ipsis competit jus, cum non censeantur una persona cum defuncto. Item ut docent probabilius Concina, Filliucius, Lessius, Lugo, Salmanticenses, etc., neque tenetur iis restituere ea, quæ occisus si viveret, erat probabiliter daturus, licet homicida hæc damna præviderit; quia semper remote, et per accidens sequeretur illud damnum, cum directe non intendatur.

Quid (dices) *si læsus omnia ante mortem lædenti remiserit?* — Si remisit dumtaxat injuriam (ut plurimum fieri solet), adhuc viget obligatio compensandi damna; nam hæc duo non sunt necessario connexa, injuriam dimittere et condonare damna: primum præcipit charitas; secundum charitas aliquando prohibet, ut si læsus relinquat indigentes propinquos (1). Quod si læsus remisit etiam omnia damna inde obvenientia, lædens ad nihil tenetur erga hæredes; isti enim quidquid acquirunt, non acquirunt nisi per ipsam voluntatem defuncti. Excipe debita, quorum condonatio non est in libera facultate læsi, uti cum lædunt jus tertii: sic per suam condonationem non potest auferre jus, quod habent hæredes necessarii ad legitimam.

Q. 5. *Quid de creditoribus, si ex homicidio fuerint damnificati?*

R. Alii cum Laymano semper obligant injustum homicidam ad restituendum creditoribus occisi, quia creditores jus habebant in debitorem, et eo per iniquam mortem expoliati sunt: qui ergo est causa mortis, ipse est causa damni. Alii cum Sanchez eum obligant tantum casu, quo lædens damnum creditorum præviderit; quia tunc damnum est directe volitum. Verum Billuart, Lessius, Salmanticenses, Sylvius et Viva probabilius docent homicidam ad nihil teneri erga creditores occisi, quamvis ipsorum damna præviderit, modo tamen ea non intenderit: tunc enim eorum damna censentur evenisse per accidens; nam creditores jus quidem habent in personam debitoris, ut de illius industria solutionem obtineant; sed nullum habent jus in actiones, quæ nonnisi mediate et præter intentionem sunt damnificativæ. Adde: in ipso foro externo numquam datur actio creditoribus occisi contra homicidam, sed tantummodo hæredibus; at perpetua fori externi praxis legitima est juris naturalis interpretatio (2).

Diximus *modo tamen ea* (damna) *non intenderit;* qui enim hominem interficit animo nocendi directe creditoribus vel aliis, recte dicunt communius et probabilius cum Concina, ipsum peccare contra justitiam erga illos; cum unusquisque jus habeat, ne vi impediatur a consecutione justi boni: tunc scilicet homicida opere suo injusto, externo et efficaci lædit creditores, et ideo tenetur eisdem restituere.

(1) Neque etiam resarciuntur damna per mortem lædentis; hæc enim datur ad solum publicæ justitiæ satisfactionem. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 630 et 705.

(2) Idem affirmandum de iis, quos forte occisus alebat bonis suis, etiamsi horum quoque damnum homicida præviderit, modo non intenderit; eadem enim semper ratio currit, nempe pauper nullum commutativæ justitiæ jus habet, ut ego non occidam ejus benefactorem. Unde tunc cum neque directe ejus læsionem intendam, neque mea actio directe in eam influat, ea læsio nonnisi uti accessoria ex homicidio sequitur. — *V.* Liguori *Opus Mor.* l. III, nn. 635 et seqq.

Q. 6. *Quid si homicidium imputetur innocenti?*

R. Vel hoc homicida non prævidit; vel ipse revera prævidit.

Si 1, ad nihil tenetur; nam tunc damnum innocentis pendet ab aliorum judicio, quod oritur ex diversis rerum vel personarum vel loci vel temporis circumstantiis. Si 2, Croix, Lessius, Lopez, Sanchez, Sotus, etc. probabilius docent occisorem adhuc ad nihil teneri: semper enim verum est, non censeri alteri injuriosam actionem illam, ex qua provenit quidem damnum; sed non per se, bene vero ex errore aliorum, licet error iste prævideatur. Hoc nempe homicidium est causa occasionalis imputationis; non vero efficiens causa damni, in quod proxime et directe non influit.

Quid (dices) *si talis error non solum prævideatur, sed etiam intendatur?*— Sententia probabilior docet etiam in hoc casu homicidam nulla restitutionis obligatione teneri; nam quotiescumque actio ex se, vel ex suis circumstantiis non causat proxime et immediate imputationem, intentio prava juxta doctrinam communiorem non efficit, ut sit injustum illud opus, quod de se externe et graviter non est injustum respectu tertii. Nempe imputatio homicidii in talem personam non necessario sequitur, adeo ut homicida esse non possit persona alia; illa ergo imputatio cum tali homicidio patrato nonnisi remote et per accidens jungitur. Sane tota imputatio pendet ex judicio aliorum putantium ob extrinsecas ac labiles conjecturas ipsum fuisse homicidam: unde si damnum evenit, est remote et per accidens. Excipe si ideo præcise quid ipse faciat, unde alii naturaliter id colligant: v. g. si vestibus alterius indutus occidas.

Q. 7. *An liceat occidere facinorosos bono publico noxios?*

R. Erat Waldensium doctrina Reipublicæ non licere malefactores occidere: hanc moderni nonnulli, duce Beccaria, secuti sunt, qui sub mentito sanæ philantropiæ prætextu, clamitant mortis pœnam bono societatis non esse necessariam, imo iniquam, ideoque non licere. Verum homines facinorosos publica auctoritate occidere fas esse demonstramus: 1 ex veteri Testamento: *maleficos non patieris vivere*, ait Dominus: *qui immolat Diis, occidetur* (1); 2 ex novo: *qui in gladio occiderit*, legimus in Apocalypsi, *oportet eum gladio occidi* (2); 3 ex Jure Canonico, ubi dicitur non imputandum fidelibus *qui ex officio aut tormenta exercent aut capitalem sententiam ferunt* (3); item ex Jure civili (4); 4 ex universali gentium consensu, siquidem penes omnes populos majora crimina pœna mortis mulctari consueverunt ac consuescunt; 5 ex ratione: nam pars noxia toti communitati, licite abscindi potest ob conservationem totius, quum pars sit propter totum; sed quilibet homo est pars communitatis: ergo si communitati sit noxius, poterit licite occidi, ut bonum commune conservetur. Adde: nihil magis facinorosos avertit a criminibus, quam metus mortis; ergo si efficaciter societas vult suo bono providere, hoc remedio necessario uti debet.—Quod autem scelesti homines magis tenerentur si scirent, se perpetuo damnandos ad pœnas durissimas, falsum est: « Los hechos hablan hasta la evidencia; ¿cuántos en efecto son los condenados á muerte que piden por favor la conmutacion con

(1) Exod. 22. (2) Cap. 13. (3) *Decr.* pars 2ª, causa 33, q. 4, can. 45.
(4) L. VI *de Offic. procons.* Cod. pœn. Hisp. Lib. I, tit. III, Cap. II.

trabajos forzados? y la razon es obvia (ad rem cl. Tapparelli): el que vive puede esperar gracia por mil conductos; puede esperar en la fuga, revoluciones, mitigacion en la pena etc. Por lo demás, para la mayor parte de los rematados á galeras ¿de qué les sirve esta pena? entregados muchas veces por su miseria al crímen, llevan ya un nombre infame por sus maldades, las manos encallecidas por el trabajo, una vida en fin acostumbrada á todo género de sufrimientos (1)» *(D).*

Diximus *publica auctoritate;* ait enim Doctor Angelicus: *occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ* (2). Ubi notandum nomine *publicæ auctoritatis,* non quamcumque intelligi; sed quæ societati politicæ completæ nulli subordinatæ præest, ut Rex in Regno; nam supremum jus nonnisi supremæ auctoritati convenit. Hinc qui præsunt aliis communitatibus etsi numerosis, sibi subjectos corrigere possunt pœnis ordinariis præservativis; non tamen pure vindicativis atque exterminantibus. Quamquam ipsa suprema auctoritas ordinem justi judicii servare debet; cum agatur de re gravissima ipsi a Deo communicata ob solam necessitatem: hinc non potest lex facultatem tribuere marito, ut uxorem in adulterio comprehensam occidat; tum quia ex juris regula: *non est singulis concedendum quod per magistratum publice potest impediri;* tum quia nisi urgeat gravis necessitas, nemo est inauditus damnandus, aut impœnitens occidendus. Unde damnata est ab Alexandro VII hæc n. 19 propositio: *non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Non tamen negandum hanc occisionem remissius puniri; quia hæc plerumque censetur committi ob vehementem iræ motum, qui voluntarium minuit ac suo veluti impetu hominem aliquatenus vincit.

Q. 8. *An liceat Principem tyrannum interficere?*

R. Semper ac Princeps est in possessione Regni (sive illud usurpaverit expoliando legitimum dominum; sive justo titulo illud possideat, sed iniquiter regat, Ecclesiam vexando, ejus jura invadendo et alias injustitias et immanitates exercendo), obligantur subditi ei obedire in omnibus rebus licitis (3). Nec obstat, quod injustus sit ac perversus: *servi,* ait Petrus, *subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et moderatis; sed etiam discolis* (4). Unde D. Augustinus dicit, Dominum dare *Regnum terrenum et piis et impiis sicut ei placuit, cui nihil injuste placet* (5); at si subditi hisce dominantibus obedientiam negare nequeunt, tanto minus eos vita vel possessione Regni privare possunt. Adde: si licitum esset eos occidere, nulla foret Principum securitas, nulla Reipublicæ quies; quia quisque semper autumare posset, casum nectis adesse, ut observat D. Thomas (6). Hinc Concilium Constantiense sess. 15 hanc propositionem: *quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum,* damnavit *tamquam*

(1) *Saggio teoretico* ecc. § 837 ecc. (2) 2, 2, q. 64, a. 3.

(3) *V.* Taparelli, *Saggio teoretico* ecc. § 659. — Audisio, *Juris naturæ et gentium privati et publici,* ubi de revolutione. — *Avvedimenti politici,* cap. 13. (4) I Petr. 2.

(5) *De Civ. Dei,* l. V, c. 2.

(6) De regim. Princ. *Opusc.* 2, l. I, c. 6.

hæreticam, scandalosam ; et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem.

Quid (dices) *si regimen Principis sit excessive tyrannicum?*—R. Cum D. Thoma: si ad jus multitudinis alicujus pertineat sibi singillatim providere de Rege, non injuste ab ipsa institutus Rex potest destitui, si potestate tyrannice abutatur ; cum pactum speciale multitudinis fideliter gubernandæ non servetur: sic Romani Tarquinium superbum, quem in Regem susceperant, propter ejus et filiorum tyrannidem e Regno ejecerunt. Si vero non ad jus multitudinis, sed ad jus alicujus superioris pertineat providere de Rege, tum ab eo expectandum est remedium: sic Judæi a rege Archelao vexati ad Cæsarem Augustum, a quo ille dependebat, recurrerunt. Quod si neque ad multitudinem neque ad alium superiorem pertinet providere de Rege, cum independenter ab illis Regnum habeat, ut ordinarie contingit, tunc *etsi Princeps perversus ac populus gravatus esset, tenetur tamen populus obsequium obedientiamque illi præstare, cum subditi numquam jus habere possint de rebus gestis Principis judicare, et tanto minus eum damnare ad vitam aut Regnum amittendum* (1). Et nimis perniciosum fuit hac de re principium Gersonis, qui ausus est asserere, quod Monarcha potest legitime a tota natione judicari, si Regnum injuste regat; nam hoc modo duæ in Regno essent supremæ potestates, unde enormissima evenirent schismata Regnique desolatio (2).—In eo igitur casu *recurrendum est ad Regem omnium Deum, qui est adjutor in opportunitatibus in tribulatione; ejus enim potentiæ subest, ut cor tyranni crudele convertat in mansuetudinem secundum Salomonis sententiam* (*Prov.* XXII, 1): cor Regis in manu Dei; quocumque voluerit inclinabit illud... *Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare; quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt Principatum, dicente Domino (per Oseæ* XIII, 11): dabo tibi Regem in furore meo; *et in Job* (XXXIV, 30) *dicitur quod* regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: *tollenda est igitur culpa, ut cesset tyrannorum plaga* (3).

Quid (quæres) *si tyrannus nondum sit in pacifica Regni possessione?* Esto quod tunc non sit ei obediendum, quia nec vere superior est, nec ullum jus habet dominandi; attamen non ideo licet ipsum interficere, cum malefactores occidere privatorum non sit, extra casum personalis aggressionis. Neque privatus quisquam præsumere potest hanc auctoritatem sibi a Republica commissam, nisi expressum haberet indicium ; secus nimium frequenter evenirent in societate perturbationes, subversiones, etc.

Dicta de homicidio, cum proportione intelligenda sunt de injusta mutilatione ac vulneratione, de qua agit etiam *Codex pœnalis* (4). Ad homicidium pertinent etiam *bellum*, *suicidium*, *duellum*, *abortus* atque *aggressoris occisio*.

(1) 2, 2, q. 64, a. 3. (2) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. VIII, n. 13 ubi fuse.

(3) *De Reg. Princ.* opusc. 2, l. I, c. 6. Hujus tamen Opusculi auctorem negant eruditi fuisse D. Thomam, si excipias duos primos libros: vid. *Civiltà Catt.* ser. 2ª, vol. VII: la dott ina di S. Tommaso sull' origine del potere e sul preteso diritto di resistenza ; et vol. X 1: l' autorità spiegata dagli scolastici. — *V.* item *De legibus,* ubi de legibus tyranni. (4) Art. 342 et seqq.

§ I—*De bello* (1).

Q. 1. *Quid est bellum et an licitum?*

R. Ad 1: Bellum definitur: *congressio vi et armis inter Principes, vel Respublicas superiorem minime agnoscentes:* ex quo patet discrimen belli a rebellione, seditione et duello. Duplex est bellum: aliud *defensivum* ad propulsandam injuriam; aliud *offensivum* ad obtinendam satisfactionem pro injuria.

R. Ad 2: Bellum est licitum, si justæ adsint conditiones: nonne Abraham in Lege naturæ bellum gessit, et ei a bello redeunti benedixit Melchisedech Sacerdos Dei? Nonne in Lege scripta Deus ipse bellum probavit? Nonne Christus in Lege nova laudavit Centurionem, qui erat militiæ addictus (2)? Adde: tenetur procul dubio Princeps subditorum suorum vitam atque substantias tueri ac Regni jura curare; atqui id sæpe non potest peragere, nisi bellum gerendo, cum altiora desint tribunalia, ad quæ recurrere queat: nec ita facile ac semper aliis Principibus quæstionem remittere valeat.—Conditiones sunt: 1 ut geratur auctoritate Principis, Reipublicæ vel Magistratus nullum agnoscentis Superiorem; privatus enim ad propulsandam injuriam in promptu habet judicia; 2 ut adsit causa justa et gravis, v. g. necessitas boni communis vel quietis publicæ conservandæ, coërcitio perduellium, defensio innocentium, etc.; cum enim e bello tot mala et corpori et animæ proveniant, illud nonnisi in extremis tentandum est: unde Augustinus relatus in jure ait: *pacem debet habere voluntas, bellum necessitas* (3). Qui propterea bellum injustum indicunt tenentur in solidum de damno per exercitum illato; milites autem in bello evidenter injusto tenentur de damnis, quæ per actionem privatam intulerint; et singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint; 3 ut recta habeatur intentio, id est non odium, non amor partium, non invidia vel inanis gloriæ cupiditas imperium dilatandi. Si adsint duæ priores et desit tertia, ex bello non oritur obligatio restitutionis; quia adest causa, licet deficiat in modo.

Ex his patet, teneri Principem antequam bellum incipiat, diligentissime curare, ut certus sit de ejusdem justitia et gravi causa. Et ideo hæc quatuor præstare debebit: 1 non tantum peritos, sed etiam bonos consiliarios sibi adsciscere; 2 non tantum consiliarios, sed etiam diversos Theologos interrogare de justitia belli secundum leges Evangelicas; 3 coram Deo rem totam a seipso attente perpendere, et statuere quod in tremendo suæ mortis puncto fecisse vellet; 4 attendere, ut omnes libere ad se perveniant, et non impediantur, vel intervertantur litteræ et instructiones.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 404 et seqq. Bellum sic dictum est vel per *antiphrasim*, quia nihil habet belli seu amœni; vel a *bellua*, quia uti immanis bellus homines devorat; vel potius a Belo rege Assyriorum (quem Genesis appellat Nemrod), qui primus ferreum gladium ad finium defensionem invexit. — *V.* Christ. Lupus, t. XI: *de antiqua disciplina christianæ militiæ.*

(2) Gen. 14: Exodi 17; et Matth. 8.

(3) Quoad bellum ad nationalitatem propriam tuendam *v.* Taparelli, *Saggio teoretico* ecc. nota CXXI: della nazionalità. — Item *Civ. Catt.* vol. VIII et IX.

Quid vero (dices) *si, etiam his positis, Princeps non habeat pro se, nisi opinionem probabilem pro inferendo bello alteri Principi, qui Regnum jam bona fide possideat?*—Cum Billuart, Tamburini, etc., nobis longe probabilius est, quod tunc Princeps non possit bellum indicere ; cum enim possessio tribuat jus certum in rem possessam, nequit eam possidens possessione sua expoliari, nisi certo constet illam injuste retinere. Adde tot flagitia e bello provenientia. Adde ipsam capitis sententiam, quæ in adversarios milites profertur : quæ omnia sine certo jure fieri ac permitti non possunt.

An (quæres) *Principes catholici possint in bello vocare in auxilium hæreticos, vel etiam gentiles?*—Est sententia, quæ id absolute negat ob illud Exodi : *cave, ne umquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam* (1). Sed sententia est quæ docet id per se licere, et probat exemplo Davidis, qui se Philistæis adjunxit: et hæc si speculative consideretur, est probabilis. Sed in praxi videtur omnino tenenda prima ; vix enim credi potest, nulla esse ventura damna ob communicationem illam: et in hoc etiam secunda sententia consentit; ait enim plerumque esse illicitum per accidens ob scandala et damna Religioni imminentia.

Q. 2. *Quænam speciales obligationes Principum, ducum et militum?*

R. Ad 1: Principes et duces tenentur curare ut milites Religionis præcepta observent, item ne populis scandalo sint vel damni ; ideo debent illis stipendia persolvere, alioquin tenerentur ipsi compensare damna et militibus et aliis, qui a militibus damna acceperunt ; cum horum omnium sint causa injusta et efficaciter movens. Qua in re dicimus: peccant duces, tribuni, centuriones aliique officiales et tenentur ad restitutionem: 1 si pauciores habeant milites, quam exhibent in stipendiorum solutione, ut cum a commissariis lustrantur copiæ, ipsi non milites sub habitu militari vel bis eumdem militem præsentent; 2 quando commeatus curæ præfecti dant militibus cibum vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur ; 3 quando in transitu per regiones accipiunt pecunias a variis pagis, ne hic vel illic pernoctent: vel quando uni militi dant plures syngraphas ad domos diversas : vel stipendium militibus debitum subtrahunt et permittunt, ut isti ab innocentibus extorqueant ; nam tunc ipsi mali ansam darent.

R. Ad 2 : Milites in tria maxime peccata impingunt, a quibus fortiter arcendi sunt : in *luxuriam,* tamquam gens militaris nata sit ad carnis petulantiam ; in *blasphemias,* quasi non sit virilis animi qui sine imprecatione loquitur ; in *furta,* quasi omnia liceant potentibus. Hac in re contra justitiam peccant et tenentur ad restitutionem milites, ut ait Gousset : « 1.° Cuando á pretesto de que su paga no es suficiente, procuran aumentarla usurpando bienes de los ciudadanos sobre los cuales no tienen derecho alguno, pues pagan al Estado cuanto es necesario para el mantenimiento del ejército ;

2.° Cuando venden las armas ú otras cosas que pertenecen al Gobierno ó de las cuales ellos no tienen mas que el uso ;

3.° Cuando estando alojados obligan á los ciudadanos por medio de la violencia ó amenazas que se les dé mas de lo que se les debe ;

4.° Cuando por autoridad privada toman bagajes ; pues debe esto hacerse

(1) Cap. 34: *illius,* id est terræ Chanaan, ubi infideles erant.

á propuesta del gefe de la fuerza y con sujecion á los reglamentos;

5.° Cuando por negligencia gravemente culpable ó por villanía no han impedido que el enemigo robase ó saquease el país (1)».

Quid (quæres) *agere debent milites dubitantes de justitia belli?* — Vel agitur de militibus subditis; vel non subditis; vel de conductis. Si 1, tenentur milites obedire Principi jubenti, donec de belli injustitia sint certi; subditi enim tenentur obedire ubi peccatum non est certum. Deinde in proposito casu bellum præsumere debent tamquam justum; possidet nempe jus superioris, *ita ut*, docente Augustino, *fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi* (2). Si 2, non debent militare, nisi certi fiant de belli justitia: cum enim agatur de damno tertii et quidem gravissimo, nequit illud eidem inferri antequam constet de injustitia possidentis. Si 3, vel jam erant conducti ante bellum indictum, et idem dicendum ac de subditis; vel post, et valet quod de non subditis.

Quid (addes) *de militibus qui castra deserunt?* — Tenentur desertores sub gravi ad castra redire ex obedientia seu legali justitia (imo si a Principe stipendio conducti sunt atque contractu, ad id tenentur etiam ex justitia commutativa). Excipe nisi bellum sit injustum, vel si media necessaria ad salutem non haberent, vel si redeundo gravissimis pœnis essent plectendi; nemo enim videtur ultro teneri iisdem se subjicere. Qui vero se locaverunt pro aliis et dein militiam sine causa deseruerunt, tenentur insuper pretium acceptum restituere ei, a quo acceperunt, quia illud non fuit ipsis tributum, nisi sub onere militiæ (3).

Quid (dices) *de illis, qui militiæ se subtrahunt, exemptionem sine veris causis obtinendo?* — Qui pecunia, seductione aut protectione magistratus vel medicos corrumpunt, ad restitutionem tenentur si non uti damnificatores, saltem simul cum corruptis, ut injustitiæ cooperatores; nam morali efficacia movent et directe publicos officiales ad inferendum damnum alteri, ei videlicet qui in eorum loco ad militiam vocatus fuit. Qui vero mendaciis, fraudibus aut se mutilando magistratus decipiunt et legem, an obligentur ad restitutionem, disputant: alii affirmant, quia alii juvenes exempti jus strictum habent, ne talia media in ipsorum præjudicium adhibeantur, cum ideo ipsi teneantur militare. Alii vero negant teneri sic decipientes ad restitutionem; etsi enim peccent tum in seipsos se mutilando sine causa, tum contra justitiam legalem gubernio non obediendo, ac ideo gravissime puniantur; non tamen videntur teneri ad restitutionem; quia non efficaciter influunt in alios vocandos, sed solum in se eximendos; deceptio enim directe ac per se non inducit magistratus ad alios adscribendos. Neque si de-

(1) Militum obligationes tradit liber *Il soldato, ossia doveri morali di un soldato.* Roma. — Grossi, *Della vita militare, pensieri di due uomini di stato.* Torino tip. Fontana 1841. — Fassi, *Brevi discorsi morali ad uso dei militari.* Torino 1835. — Cespedes, *Dubia conscientiæ militaria* etc. Mediol. 1643. — *Discorso a disinganno dei guerrieri empi accompagnato da quarta rima in lode de' guerrieri pii*, di A. D. S. G. Modena 1820, tip. Reali. — Audisio, *La reale Basilica di Soperga*, l. III, c. 3. — *Manuale del soldato cristiano.* Marietti Torino 1843. — *Istruzione ai novelli Confessori*, par. 2, n. 121.

(2) Lib. XXII *contra Faustum*, c. 75.

(3) *V.* pro Hispania Reg. ord. 8 Jul. 1845, 23 April. 1846, et 5 Januar. 1849.

prehenduntur, ideo in ipsorum loco appellati dimittuntur, vel aliqua compensatio imponitur illis tribuenda. Quidquid sit in praxi non præstat valde urgere juvenes, qui hisce deceptionibus a militia se liberant; plerique enim ignorant se committere injustitiam, et raro monitis obtemperarent; præstat ergo, ut relinquantur in bona fide. *Gousset*, *Lyonet*, *Gury*, etc.

Q. 3. *Ad quem pertinent bona hostibus erepta, et quid dicendum de repressalibus atque prædis?*

R. *Bona* immobilia ex lege belli cedunt Principi aut Reipublicæ; mobilia de usu fiunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut pars cedat Principi aut communitati (1). — Ad *repressalia* quod attinet, hæc licita communiter habentur, cum sint quædam compensationis ac belli species; si tamen: 1 constet cives alterius Reipublicæ fecisse injuriam; 2 si illorum Superiores rogati recusent administrare justitiam; 3 si Princeps supremus, causa cognita, id concedat; 4 si non inferatur plus damni, quam satisfactio requirat; 5 si non comittantur in ecclesiasticas res.—Tandem quoad *prædas* dicimus: militibus eas propria auctoritate agere non licet, cum ipsi non sint domini, sed simplices executores: quare quæ surripiunt, restituere tenentur. Hinc ipsis dicitur: *contenti estote stipendiis vestris;* et hac in re delinquentes in *Codice pœnali* militari morte puniuntur (2). Licet tamen eas agere, si legitima adsit permissio; potest enim Princeps hæc bona ipsis concedere, sive ut minus gravetur ærarium publicum, sive ut militum animi magis incitentur, sive ut qui præ aliis pericula sustinent, præ aliis de commodis participent. Parvi autem refert sive ab innocentibus sive a reis prædas accipiant; modo sint inimici. Cæterum quando urbs datur ad prædam (vulgo *al saqueo*) semper excipiuntur monasteria, ecclesiæ, ac loci pii ex Codice et communi jure.

An (quæres) *liceat hostes decipere, ut facilius vincantur?* — Licet utique uti insidiis ac stratagemmatibus, modo absit mendacium: sic licet fugam fingere, uti hostium vexillis; hæc enim non habentur ut proprie dicta mendacia, cum possint præcaveri. Esset autem ex communi sensu contra jura belli aquas veneno inficere, innocentes directe occidere, quo nomine veniunt pueri, mulieres, senes, peregrini, clerici, rustici, atque mercatores *(E)*.

§ II — *De suicidio, duello et abortu.*

Q. 1. *An suicidium sit licitum?*

R. Absque divina auctoritate nefas est seipsum directe interficere: est contra Stoicos, quorum errorem plures ex modernis pseudophilosophis instaurare conati sunt, præsertim Montesquieu, Rousseau, Voltaire, etc. Id sane repugnat charitati erga seipsum, et est injuriosum tam Deo, qui solus est directus et absolutus dominus vitæ humanæ; quam societati et Reipublicæ, quæ injuste per suicidium privatur sua parte seu cive: ita Angelicus (3). Hoc prohibetur generali illo præcepto: *non occides. Neque enim*, ait Augustinus,

(1) L. II *Instit.* t. I, § 17. (2) Luc. 3. — Et *Cod. pœn. mil.*
(3) 2, 2, q. 74, a. 5. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 366 et seqq.

qui se occidit, aliud quam hominem occidit (1): et hæresi 69 inter hæreticos recenset Circumcelliones, qui insani feritate se ipsos occidebant, et alios ad id inducebant. Id ipsum erudite probat more suo cl. Episcopus Scotti in suis Theorematibus. Vel ipsi gentiles hanc injustitiam detestati sunt; audiatur Tullius: *piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini* (2). Hinc in suicidam animadvertit lex civilis a qua punitur vel ipsa mortis intentatio (3); et lex ecclesiastica quæ privat suicidam sacra sepultura ex Rituali Romano; quæ tamen pœna eos non complectitur, qui furore, amentia aut phantasia per gravissimam animæ tristitiam turbata vitam sibi eripuerunt, vel qui ante mortem doluerunt *(F)*.

Quid (dices) *si de suicidio dubitetur?*—Vel dubium est, utrum quis deliberate, an indeliberate sibi mortem intulerit; vel dubium est utrum ille a se, an ab alio fuerit interfectus. Si 1, in praxi erit sepultura Ecclesiastica privandus; nam opus externum semper præsumitur voluntarie positum, nisi certo oppositum constet. Si 2, nequit eadem privari; neque enim crimen tam grave præsumitur, nisi argumenta adsint et indicia manifestissima.

Q. 2. *An liceat mutilare seipsos* (4)?

R. Negative: *nisi ad conservationem totius corporis* sit necessarium: idque *etiamsi fiat ad conservandam castitatem et sedandas tentationes.* Solus enim Deus est vitæ humanæ dominus absolutus et directus; homo vero non habet, nisi convenientem usum. Diximus: 1 *nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium;* cum enim pars ordinetur ad totum corpus conservandum, tali urgente necessitate, poterit utique membrum aliquod resecari: hinc licet probabilius sibi abscindere manum catena ligatam ad fugiendum incendium, aut ad vitandam mortem a bellua vel tyranno inferendam: ita Billuart, Croix, Lugo contra alios; 2 *etiamsi fiat ad conservandam castitatem et tentationes superandas;* quia hoc remedium non est absolute necessarium, cum sint alia media. Imo neque utile, ut docent Basilius, Chrysostomus et Augustinus, cum potius tentatio fiat vividior, et facilis desperationi via aperiatur; privatio enim generat appetitum: aliunde *peccatum subjacet voluntati*, ut ait Angelicus (5), non corporis membro. Ex quo patet, quid sentiendum sit de puerorum eviratione ad vocem conservandam, licet consentiant pueri et absit periculum mortis: id non pauci permittunt ex consuetudine, et bono, quod ipsis pueris obvenit; *sed vicit apud plerosque*, ait Benedictus XIV, *et facta est communior opinio negans* (6); nam conservatio vocis

(1) L. I *de Civ. Dei*, l. II, c. 20.

(2) *De Republ.* l. VI. — *V.* Taparelli, *Saggio teoretico*, n. 270, ubi refert illud Socratis in Phœdone: « Nosotros somos puestos por Dios á manera de centinelas; y el centinela no puede moverse de su puesto sin licencia del capitan.»

(3) *Cod. pœn.*

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 374; et *Homo Ap.* tr. VIII, nn. 1 et seqq.

(5) 2, 2, q. 65, a. 1.

(6) *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 7. Omnium maxime culpandi qui sævitiem in se exercent, ut ab officiis solvantur, v. g. ne adscribantur militiæ, vel ut mutilatô corpore largiorem stipem accipiant, etc.

non est bonum tanti momenti, neque conducens ad totius conservationem, ut liceat quod tantopere natura reprobat.

Q. 3. *Quibus mediis tenetur homo vitam sibi servare?*

R. Tenetur mediis ordinariis: qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media quæ sunt facilia; secus idem esset ac sibi moraliter mortem inferre (1). Sed non tenetur ad extraordinaria, nisi ejus vita bono communi sit omnino conducens: hinc non tenetur quis abscissione cruris, vel alia ejusdem generis operatione dolores nimis atroces afferente, vitam sibi servare; cum id sit extra communes vires positum. Eo in casu in communi æstimatione censetur justa de causa mortem tantummodo permittere.

Quid (quæres) *de vigiliis, macerationibus, aliisque pœnis, quibus indulgere solent christianæ perfectionis studiosi?* — Pœnitentiæ istæ licent, si exerceantur consilio prudentis Prælati vel Confessarii, et justa de causa, hoc est, ad corpus in servitutem animæ redigendum, quamvis per aliquos annos vita brevior efficiatur: *et in hoc vera est Theologorum sententia, ea* (opera) *licite et cum merito fieri posse*, ut loquitur Benedictus XIV (2). Si enim licet fabris-ferrariis vitam sibi minuere laborando quotidie corpore prope ignem, a quo non potest non notabiliter consummari humidum illud naturale, quo tam indiget vita hominis: si licet studiosis sanitatem sibi labefactare ad scientias addiscendas; si licet militibus exponere vitam tot ærumnis atque mortis etiam periculis, cur non licebit religiosæ perfectionis amatoribus austeritates corporales amplecti, ut rebellem carnem in servitutem redigere valeant?

Neque dici potest, qui ita agunt, seipsos directe occidere; nam carnis tantum rebellionem directe coërcent et effrænem illius concupiscentiam, permittentes indirecte, ut ob justum finem hujusmodi vita sua aliquantisper imminuatur. Aliud profecto est procurare directe vitæ imminutionem vel mortem sibi positive inferre; et aliud illam permittere vel ejus subire periculum ob justam causam *(G)*.

Q. 4. *Quid est duellum?*

R. Duellum (græca voce *monomachia* dictum) definitur: *pugna inter duos vel paucos privata auctoritate et ex condicto inita, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.* Dicitur: 1 *pugna inter duos vel paucos*, ut distinguatur a bello, quod est multorum contra multos; 2 *privata auctoritate;* duel-

(1) Utrum autem necessaria ad vitæ conservationem remedia negligere dicendi sint qui nimis fidenter in locis difficillimis et arduis iter faciunt, venantur, natant, herbas colligunt, ligna vel frondes cædunt, arbores pertica concutiunt atque flagellant, tecta reficiunt, non ita facile est definere; usus enim, indoles, cautela ac cætera hujusmodi efficere possunt, ut pro ipsis nullum periculum sit, aut nonnisi remotum. Item dicendum de excursoribus, areonautis ac circulatoribus qui miros saltus ac difficillima tentamine agunt. Item est tum de illis qui, validis ventis insufflantibus, aquis se committunt audacter; tum de illis, qui ingentia pondera sustentant, atque humeris ferunt, etc.

Quidquid sit, acriter sane sunt exprobandi temerarii illi ausus, ac illa stolida periculorum aditio, quæ vel ex vana sui ostentatione, vel ex indigno quæstu, in juvenibus maxime, procedunt. Quibus fit, ut qui robustissimi erant, per illam improvidam agendi rationem nec sibi nec aliis amplius prodesse valeant. *V. Stapf.* § 283. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 30, 32, 372. — It. tom. I, ubi *de obligationibus medicorum.*

(2) *De Canon. SS.* l. III, c. 29, n. 6.

lum enim initum auctoritate publica, quale fuit illud Horatiorum cum Curiatiis in historia profana, et illud Davidis cum gigante Golia in historia sacra, licitum est; cum paucorum pugna non minus licita sit, quam multorum: imo desideranda, quia paucorum cæde finitur bellum; 3 *ex condicto,* quod indicat locum ac tempus; sicque distinguitur a rixa, quæ non supponit pactum ullum præcedens; 4 *cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris,* ut excludantur pugnæ ad gravem læsionem inferendam ineptæ, uti quæ fiunt virgis vel etiam levi baculo.

Duellum aliud *solemne* est, aliud *simplex.* Primum fit adhibita forma circa tempus et locum, assumptis etiam testibus, sive ut vocant, *patrinis;* secundum absque dictis solemnitatibus exercetur. Porro duellum sive solemne sive simplex, est prorsus illicitum, intrinsece malum et mortale: est contra Hobbesium aliosque pseudo-philosophos. Nemo sane potest seipsum privata auctoritate exponere periculo hominis occidendi vel mutilandi: jus enim necis nonnisi Domini est, ac illius, qui Dei vices gerit. Duellum jus Dei usurpat, societatem offendit, justitiam lædit, rationem insultat, mores subvertit, ferocitatem fovet, leges omnes pessumdat, Religionem conculcat, animas perdit. Quare Tridentinum fortiter ait: *detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur* (1). Addimus Alexandrum VII damnasse hanc sub n. 2 propositionem: *vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quod valet ex Benedicto XIV, licet aliunde *officio et sustentatione privaretur;* et licet *certo sciat pugnam non esse secuturam,* utpote ab alio impediendam; et licet id faciat *ad bona conservanda* (2): neque enim sunt facienda mala sub quacumque boni spe *(H).*

Si duellum suscipiatur ad veritatem indagandam, ad justitiam vel innocentiam detegendam, indueret etiam malitiam superstitionis (3).

Quænam (dices) *sunt pœnæ contra duellantes statutæ?*—Jure civili pœna statuta contra duellantes, etiam duello non secuto, est relegatio vel carceris detentio ad annos plures aut pauciores pro circumstantiis, una cum mulc-

(1) Sess. 25, c. 19 de R. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 399.

(2) Benedictus XIV Bulla *Detestabilem* quinque propositiones damnavit circa duellum: has retulimus tomo II, ad appendicem primam.

(3) *V.* Scotti, *Teoremi,* etc. l. c. — *Pensieri di un Cattol. cred.* Mil. pag. 233. — Card. Gerdil, *Opere,* tom. III, ubi fuse, ac solide pro more suo. — Bergier, *Dizionario* ecc. V. Duello. — Bossi, *Del duello conseguente del volgar sistema d' onor militare.* — Et Opus nostrum, *Ethices seu philosophiæ moralis elementa.* Hic notamus cum Gury: — 1 non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato, aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; tum quia etiam in hoc est maximum vulneris lethalis periculum; tum quia Clemens VIII, prohibuit etiam duella non fatalia, tum quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem præbet; — 2 non licet duellum suscipere, etiam auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam, nec ad finiendam litem privatam, quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi possunt rei ad duellandum, spe etiam vitæ victori futuro data; — 3 licet pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia via periculum mortis proximum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum esset, non actualis aggressio.

ta etiam pecuniaria (1): Jure autem Ecclesiastico pœnæ statutæ in Concilio Tridentino, sunt: 1 excommunicatio ipso facto incurrenda, dein Pontifici Maximo reservata ex Bulla *Illius vice* Clementis VIII (anno 1592), quam incurrunt etiam patrini: item duellum consulentes, favorem eidem præstantes et locum exhibentes: item superiores, domini, magistratus qui illud permittunt, cum possint illud impedire: item spectatores, non quidem qui obiter transeundo casu ibi reperiuntur; sed qui de industria spectant et propria præsentia duellum quodammodo fovent et approbant, atque duellantes ipsos inflammant (2): 2 est proscriptio omnium bonorum cum perpetua infamia; hæc tamen pœna non amplius viget; 3 est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, si duellantes in conflictu ipso decedant, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa: imo *etiamsi extra locum conflictus Sacramentis muniti decesserint* (3), uti præcipit Benedictus XIV Bulla *Detestabilem*.

Advertendum tamen pœnas hujusmodi non incurri, nisi ob duellum stricte sumptum, id est *de condicto*, convento loco et tempore; non vero ob conflictum quemcumque improvisum, quamvis pugnantes ex eodem rixæ impetu ad locum aliquem idoneum ex æquo perrexerint, prout declaravit S. Concilii Congregatio 5 oct. anno 1744.

An (inquires) *provocans ad duellum teneatur restituere, si provocatus occumbat?*—Negative: provocans probabilius non tenetur restituere, si provocatus occumbat; licet enim peccaverit contra charitatem provocando, non tamen peccavit contra justitiam pugnando (nisi illum induxerit vi aut gravibus minis, sicque quasi coëgerit). Nam statim ac constat provocatum libere acceptasse duellum, uterque ad invicem sibi facultatem facit: at volenti nulla fit injuria damnosa (4). Idem dicendum est de invicem rixantibus: imo si duobus rixantibus, ultro quis occurrat ad rixam impediendam, si et ipse occidatur, rixantes principales ad nihil tenentur; quia, ut ait Alasia, illius homicidii non efficax causa fuerunt, sed simplex occasio.

Q. 5. *Quid est abortus, et quale peccatum?*

R. Ad 1: Abortus definitur: *ejectio fœtus immaturi*. Quare ad abortum requiritur, ut fœtus conceptio et animatio vere præcesserit. Fœtus autem ex communi Doctorum et antiquorum physicorum sententia, atque ex praxi tam S. Pœnitentiariæ, quam fori dicitur animari spatio 40 dierum si masculus, 80 si fœmina.—Sunt tamen medici, qui hodie pro certo habent ex innumeris experimentis, fœtum, nulla facta sexus distinctione, ab ipsa conceptione animari, statim ac nempe ipse incipit formari (5): quod quidem fere statim a coitu evenire censent. Hic obiter notandum ab Innocentio XI damnatam fuisse

(1) *Cod. pœn.* art. 349 et seq.

(2) Excommunicationem tam principales quam cooperantes incurrunt, etiam duello non secuto.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 220; et *Homo Ap.* tr. VIII, n. 28.

(3) Hoc ultimum tamen, observat Alasia, non esse usu receptum in omnibus Diœcesibus.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 638.

(5) Quando porro agitur de pœnis et irregularitate, utique res dijudicanda est juxta praxim S. Pœnitentiariæ. At hodie non ita, si de peccato quæritur; sed illico ac merito homicidam dicimus (ex doctrina peritorum) qui abortum curat a conceptione, homicidam, inquam, peratrocem, qui et corpus et animam perdit. Quo maxime sensu accipienda sunt quæ hic discutiuntur.

hanc sub n. 35 propositionem: *videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali (I).*

R. Ad 2: Quicumque malitiose vel in se vel in altero directe abortum procurat, graviter peccat sive fœtus animatus sit sive non. Etenim in primo casu est verum homicidium: in secundo autem tendit in homicidium, et est contra naturam generationis; cum proxime impediat vitam hominis: *homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet: homo est qui est futurus; etiam fructus hominis jam in semine est,* ait Tertullianus (1). Stricte tamen homicidium non est; nam fœtus inanimis non est complete et simpliciter homo.—Hinc ex communiori et omnino tenenda sententia (2), non licet matri quamvis morbo extremo laboranti remedia sumere directe ad expellendum fœtum, etsi inanimem; ratio quia directe abortus procuraretur: et si numquam licitum est directe expellere semen, etsi ex ejus abundantia mors timeatur, tanto minus licebit expellere fœtum qui est propinquior vitæ humanæ. Neque potest dici pars viscerum, cum sit inchoative condistinctum individuum humanum; neque vitæ aggressor, cum ex se mortem non intentet, sed ea per accidens eveniat. Hoc tamen intelligendum est: 1 de vero fœtu; nam si sit corruptus, licet expellere, quia potius est massa putrida; 2 de fœtu, qui jam sit in uteri possessione. Ex quo resolvitur, quod mulier oppressa poterit se vertere, coitum interrumpere, semen repellere ac prohibere, ne immittatur; cum tunc per accidens ex viri malitia effundatur. Non tamen poterit expellere, si jam illud receperit; quia jam tunc esset in pacifica possessione uteri, ut recte ait Croix et alii.

Diximus: *directe abortum procurat;* nam indirecte tantum procurare seu permittere, subministrando videlicet matri morbo gravi laboranti remedia fœtui etiam animato nociva, utique licet sub certis conditionibus; nam tunc nonnisi per accidens et citra intentionem abortus evenit. Conditiones sunt: 1 ut agatur de morbo lethali; nam remedia periculosa tantum in extremis sunt tentanda: 2 ut remedia non sint per se fœtui nociva, ut esset dilaceratio uteri; nam tunc esset directe abortum tentare, neque intentio mutat remedium: remedium igitur debet esse per se ad morbum curandum directe et immediate efficax, talis esset moderata corporis purgatio, scissio venæ, etc.: 3 ut nulla sit spes fœtui illi per Baptismum vitam æternam procurandi; tunc providendo matri non fit deterior salus prolis: neque enim ideo prolis periculum crescit.

Quid si fœtus sit animatus, et dubium sit, an pereunte matre, proles supervivere possit et baptizari?—Vel periculum abortus est æquale tam si medicina sumatur, quam si non sumatur; vel periculum illud medicinam sumendo fit majus. Si 1, poterit mater medicinam suscipere; quia sic vitæ suæ juste consuleret sine majori fœtus periculo. Si 2, minime poterit; nemini enim fas est ad tuendam vitam suam temporalem exponere positive proximum peri-

(1) Apolog. c. 9. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 394.

(2) Est contra D. Antoninum, qui probabiliter ait: *Si autem puerperium nondum est animatum, posset tunc et deberet (medicus) talem dare medicinam; quia licet impediret animationem talis fœtus; non timen esset causa mortis alicujus hominis, et hoc bonum sequitur, quia liberat matrem a morte.*

culo mortis æternæ. Hoc autem semper intelligendum, si aliqua vera spes adsit salvandi vitam prolis post mortem matris: secus non videtur charitas obligare matrem in extrema necessitate positam ad vitam suam negligendam, abstinendo se a remediis ob exiguam et remotissimam spem vitæ prolis.—Cæterum etsi medici scrupulis non sint agitandi circa pharmaca, quæ matri prægnanti præbent, cum rarissime proles ei supervivat, quia lethalis morbus et humores corrumpit et prolis alimentum contaminat; attamen neque id negligendum est, quia etiam accidit, quod ob peritiam chirurgorum statim ac spiritum exhalaverit mater, inciso ejus utero, proles viva extracta fuerit et baptizata (1).

Q. 6. *Quænam pœnæ in procurantes abortum?*

R. Sixtus V Bulla *Effrænatam* (anno 1588) omnes scienter procurantes abortum fœtus tam animati quam inanimati, et quomodocumque in eum consentientes, vel mulieribus præbentes venena sterilitatis, subjecit cunctis pœnis in ipsos homicidas statutis. Ac sunt (habita ratione diversitatis personarum): 1 privatio privilegii Clericalis, dignitatis ac Beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea imposterum consequenda; 2 irregularitas et excommunicatio ipso facto incurrenda, effectu secuto: utraque Pontifici reservata. Cum autem Papa loquatur *de scienter abortum procurantibus*, idcirco a pœnis illis excusat ignorantia etiam crassa, nec tantum juris, scilicet latæ censuræ ignorantia; sed etiam facti ignorantia, scilicet effectus, qui potest sequi a propinatione medicinæ. Verum Gregorius XIV Const. *Sedes Apostolica* anno 1591 sustulit irregularitatem et excommunicationem pro abortu fœtus inanimati, ac utramque limitavit tantum ad abortum fœtus animati (2).

Porro quod pertinet ad privationem Beneficiorum, ad eam incurrendam requiritur sententia saltem declaratoria criminis; cum sit privatio juris acquisiti. Non item est de inhabilitate, sed ea statim incurritur; cum privet jure acquirendi.—Absolutio ab inhabilitate non improbabiliter valide concedi-tur ab Episcopo; quia in omnibus pœnis a jure generaliter latis nec specialiter reservatis possunt Episcopi absolvere, ut satis probabiliter defendunt multi cum Covarruvia, Scoto, Sporer, Soto et S. Antonino qui hoc vocat commune, et Elbel qui hoc dicit communissimum, et Palao qui id probat ex

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tract. VIII, n. 26. An autem licita sit parienti ætheris inspiratio, ne partus doloris sentiat (quod invexit primus omnium medicus Simpson anno 1847), alii affirmant, quia experientia constat id sine læsione fœtus evenire, et cum matris levamine; alii negant, tum quia est contra Dei præceptum, qui vult ut mulier cum dolore pariat (*Gen.* 3); tum quia res est semper admodum periculosa. Alii tandem spectatissimi medici concludunt, id non licere in casibus ordinariis, licere autem in casibus extraordinariis, si dolores nimium intensi, si partus admodum difficilis, etc.

(2) *Quid in dubio de animatione?* — Verius eo in casu excommunicatio non incurritur, quia versamur in odiosis: multo minus irregularitas, ut nobis certum videtur; nam jure Canonico habemus eam non incurri, nisi in lege sit expressa (c. *is qui de sent. excomm.* in 6): de hoc porro casu nihil habetur expressum. Hinc concludunt valde probabiliter non censendum irregularem saltem in foro externo, qui intra 80 dies a fœtus conceptione abortum procuravit. Diximus *intra* 80 *dies;* quia etiam in dubio an fœtus sit masculinus vel fœmineus, potius præsumitur fœmineus: cum ex frequentiori eventu amplior sit numerus fœminarum, quam masculorum; at in dubio res resolvenda est juxta quod crebrius contigit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 396.

Glossa (1). Item absolvere ab excommunicatione etiam per specialiter delegatos; cum ipsis a laudato Pontifice ea facultas tributa sit. Quod tandem pertinet ad irregularitatem, ea ab uno Pontifice auferri potest, licet abortus sit occultus, ut patet ex Tridentino (2).

In Synodo Novariensi procuratio abortus relata est inter casus reservatos sub. n° 3: *sive fœtus sit animatus sive inanimatus, et licet irrito effectu tentatus.* Et hic observandum est: cui deputatur facultas ab hoc casu absolvendi, illi est quoque ab Episcopo deputata facultas absolvendi ab excommunicatione Papali reos abortus fœtus animati (*pag.* 319). Etiam lex civilis animadvertit contra procurantes abortum (3).

An (quæres) *mulieres, quæ in semetipsis abortum procurant, excommunicationis pœnam incurrant?*—Certum est, mulieres non posse abortum sibi procurare etiam ante fœtus animationem, quamvis sibi videant ex uteri graviditate imminere periculum infamiæ, vel etiam mortis; cum id sit intrinsece malum. Et deducimus etiam ex ista, quam n. 34 Innocentius XI damnavit propositionem: *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur vel infametur.* Item certum est peccare mortaliter et homicidium committere mulierem, quæ in se ipsa procurat abortum fœtus animati. Verum utrum incurrat etiam excommunicationem a Sixto V irrogatam, sententia communissima cum Bonacina, Sporer atque Viva, qui dicit hanc esse usu receptam, affirmat; quis enim abortus magis reus est matre ipsa, quæ ideo pharmacum suscipit? Et in Bulla aperte legitur § 1: *pœnas incurrere etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint:* et § 7 iterum Pontifex comprehendit *mulieres ipsas, quæ eadem pocula* (ad abortum) *sponte ac scienter sumpserint* (4).

Sed sententia negans est valde probabilis, et attenta ejus intrinseca ratione, probabilior. Hanc defendunt Avila, Lexana, Naldus, Roncaglia, Salmanticenses et Lugo (qui tamen concludit standum pro contraria sententia, si communis usus regionis sic explicet et intelligat Bullam). Sane in utroque objecto paragrapho Pontifex patenter loquitur (ut sedulo in Bulla observavimus) tantum de pœnis temporalibus contra homicidas statutis; nam cum dein gradum facere vellet ad pœnas spirituales, præsertim ad excommunicationem infligendam in § 7, subdit: *insuper ut immanissimi hujus delicti gravitati non solum temporalibus, verum etiam spiritualibus pœnis prospiciamus et consulamus, omnes et singulos cujuscumque gradus, status... qui vel quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum opem, consi-*

(1) In cap. *Nuper de sent. excomm.* — Liguori, *Homo Apost.* tr. II, n. 58.

(2) C. *Liceat* 6, in sess. 24.

(3) *Cod. pœn.* art. 337 et seqq.

(4) Pharmacopolas et medicos (monet *Stapf* § 388), cautissimos esse oportet, ne, dum fœminæ nonnihil suspectæ sub diversis obtentibus consilium petunt, sive directe sive indirecte ad immane hoc crimen cooperentur. Iterum ait neque illos excusari, qui ut se liberent ab importunitate, ac ne simul abortum causent, remedia inania tribuunt; hoc enim præter alia mala multum confert, ut fascinata juventus libidini audacter indulgeat, secutaque impræg natione remedia oblata iterum et iterum tentet, et quod non obtinet efficacitate, obtineat remediorum repetitione.

Quando fœminæ ex fornicatione gravidæ confitentur, interrogandæ sunt, caute tamen atque prudenter, de abortu desiderato vel tentato, necnon de remediis adhibitis. De hoc pariter interrogandi sunt amasii qui sunt fornicati; sæpe enim abortum consulunt.

lium, favorem, potionem vel alia medicamenta scienter dederint, etc. Loquendo hic igitur de pœnis spiritualibus, non nominat mulieres prægnantes, sed tantum eos, vel eas, *qui vel quæ dant opem, consilium, etc.;* atqui mulier quæ sibi abortum procurat, non potest dici sibi præbere opem, consilium. etc. (1).

§ III—*De vitæ, pudicitiæ, honoris, et bonorum aggressione.*

Q. 1. *An liceat injustum vitæ aggressorem occidere?*

R. Quilibet injustum vitæ suæ aggressorem occidere potest; *cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ.* Ita unanimiter Theologi cum Angelico, qui thesim suam confirmat ex eo, quod Exodi 22° furem nocturnum occidere licet; ergo *multo magis*, ait, *licitum est defendere propriam vitam* (2): deinde *vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittunt* (3). Denique ipsa natura docet, esse in homine verum jus vitam propriam defendendi, si injuste oppugnetur, eamque præferendi vitæ aggressoris, qui ex propria malitia in tale periculum se conjecit. *Hoc* (ait Tullius pro Milone) *et ratio indoctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.*—Quod probat etiam valere non solum pro sæcularibus, sed etiam pro ipsis Clericis et Religiosis; jus enim defensionis est unicuique a natura inditum: si secus esset, injustitiæ, bonorum cædi rerum publicarum eversioni arma ministrarentur. Hinc Catechismus Romanus hoc jus omnibus tribuit indiscriminatim.

Diximus *potest;* non enim tenetur quis aggressorem occidere, nam (si non agatur de eo, cujus vita sit omnino necessaria bono communi; quo in casu tenetur se ipsum defendere ratione publici boni), actus virtutis est sui occisionem permittere, ne alter vita temporali simul et æterna privetur. Addimus *cum moderamine inculpatæ tutelæ,* ut scilicet in tuendis nostris juribus illud moderamen servemus, quod nequeat culpari. Hoc autem juxta omnes importat:

1. Ut occisio aggressoris non fiat ad vindictam, cum hæc privatorum non sit; neque ex odio, cum hoc charitati adversetur: et en quo sensu Christus præcipit, ne rependamus malum pro malo (4): *hinc autem dictum est* (ait Augustinus), non resistamus malo, *ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo pascit animum* (5). At occisio utique licet, si fiat solum ad injuriam et vim propulsandam, seu ad tantum sui defensionem;—2 ut qui aggressionem patitur, non utatur majori violentia, quam necesse sit ad mortem vitandam. Ideoque si ab injusto aggressore liberare se queat clamando, fugiendo, vel vulnerando tantum, non potest occidere; alioquin occideret injuste, et teneretur ad restitutionem, cum jus tunc excederet a natura tributum (6);—

(1) Et fortasse Pontifex consulto ita se gessit ad novum animæ laqueum in his mulieribus declinandum, earum infirmitati compatiens. Saltem dubia res est ait Roncaglia; at in dubio reo favendum est. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 395. (2) 2, 2, q. 64, a. 7.

(3) Cap. 18 *de homic.* (4) Matth. 8. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 380.

(5) *Epist. ad Publ.* 134; it. l. I *de Ser. Domini,* c. 19.

(6) Hoc tamen in casu, juxta plures, qui moderamen excedit, non teneretur ad totum damnum,

3 ut aggressio sit injusta. Hinc non licet reo occidere ministros justitiæ, a quibus ad supplicium trahitur : nec contra illos se defendere, cum juste ipsum aggrediantur : nec datur jus juri oppositum ;—4 ut aggressio actu moraliter inferatur, id est ita impendens sit, ut non possit, nisi adhibita vi, eam repellere ; si enim aggressionem vix probabilem feriendo vel occidendo præveniamus, vitæ alienæ aggressores nos ipsi efficiemur, non defensores nostræ (1).

An (inquires) *liceat tibi occidere ebrium vel amentem aggressorem?* Affirmant probabilius cum Gury, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari ; ratio est quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* injustus ; est tamen *materialiter* injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendo. Quod si certo scias eum in statu peccati lethalis versari, salutem ejus æternam vitæ tuæ temporalis conservationi præferre debes : secus autem, si sui ipsius satis compos esset ; proprium enim malum ipsi foret imputandum.

An (quæres) *liceat occidere justitiæ ministros, vel falsum accusatorem, testem, aut judicem, a quo imminet injusta sententia?*—Negative, tum quia injuria propulsari potest ordine judicii servato ; tum quia hoc semel admisso, via aperiretur cædibus : nam quisque potest facile sibi persuadere se accusari injuste. Hinc ab Alexandro VII damnata est hæc sub n. 18 propositio: *licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem, a quo certo imminet iniqua sententia, si alia via non potest innocens damnum evitari.* Ratio quia defensio in hoc casu est omnino excessiva ; cum directe non procedat damnum ex defensionis omissione, sed ex iniqua sententia.

An liceat prævenire aggressorem eumque occidere?—Affirma, si ex aliqua actione quis certo moraliter novit aggressorem jam esse determinatum ad invadendum, v. g. si videat jamjam ipsum catapultam parantem, vel gladium evaginantem : et invasus nequeat aliter effugere ac salvari, quam occidendo ; si enim expectare teneretur aggressionem, jam mortem subiret, nec posset uti jure, quod omnia jura cuique concedunt, nempe tuendi propriam vitam. Secus autem, si certo non sciat determinationem aggressoris, sed habeat tantum suspicionem ac dubium timorem de invasione ; neque enim ob dubiam violentiam fas est proximum vita sua privare.

Q. 2. *An nobis liceat injustum aggressorem occidere ad defendendam vitam proximi?*

R. Affirmant communiter ; si enim id licet ad defendendam vitam propriam, item licebit ad defendendam vitam proximi innocentis, quem debemus ex divino præcepto diligere sicut nos ipsos. Hoc modo S. Thomas defendit Moysen, qui occidit Ægyptium (2): *potest dici, quod Moyses occidit Ægyp-*

sed tantum ad illud, quod proportionatur excessui defensionis, quia dumtaxat talis excessus injustus est: hoc Collet dicit communissimum esse apud TT.

Hic autem notandum est, quod hisce in accidentibus non adeo facilis est consilio locus atque moderationi ; aliquando enim excitato clamore vel tumultu, facile putamus nos posse aggressorem abigere ; at aliquando ita subito tanto timore percutimur, ut juxta nostrum captum de nobis actum sit, nisi subito percutiamus, quod evenit maxime, si nocturni fures armati nos aggrediantur, vel ex insidiis in nos præcipites ruant.

(1) *V. Cod. pœn. hisp.* art. 8. (2) 2, 2, q. 60, a. 6. — *V. cit. art.* 8, *Cod. pœn.*

lium defendendo eum, qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Imo communiter docent Lessius, Lugo, Salmanticenses, etc., id locum habere, quamvis aggressus velit pati occidi: tunc enim non defendere jus quod habet aggressus se tuendi, cui cessit; sed jus ad vitam, cui cedere nequit.

Sed (quæres) *an sit etiam obligatio defendendi vitam proximi innocentis cum occisione aggressoris injusti?*—Certum est ad id teneri Principes, Magistratus et milites, qui specialiter conducti sunt ad civium defensionem. Isti tenentur etiam cum periculo vitæ propriæ, ubi agatur de avertendo a civibus malo publico; sed ubi agitur de vita dumtaxat alicujus privati, non tenentur cum tanto incommodo eum tueri. Ad alios autem quod attinet, probabilius est cum Lessio, Lugo et Tournely, saltem generatim loquendo, eos non obligari ad talem innocentis defensionem cum occisione aggressoris injusti; tum quia præceptum charitatis eo in casu non videtur obligare, cum præstet evitare mortem æternam aggressoris; tum quia in alterius occisione non potest evitari incommodum grave, v. g. ob timorem inimicitiarum aut publicæ justitiæ, vel ob horrorem qui concipitur fœdando manus nostras sanguine humano.

Diximus *saltem generatim loquendo;* nam excipe: 1 si invasus esset necessarius ad bonum publicum, ad quod curandum quisque tenetur sub gravi; 2 si ipse sit pater, filius, uxor aut frater, quos pietas ipsa obligat omnino tueri; 3 si sit ebrius et in statu peccati mortalis; quia tunc iste vere esset in extrema animæ necessitate, cui subveniendum est etiam cum ipso corporis detrimento.

Q. 3. *Quid dicendum de injusto aggressore pudicitiæ?*

R. Mulier in omnium sententia non potest suum oppressorem occidere vel mutilare, si aliter eum repellere valide potest, v. g. verberibus, unguibus, etc. Hæc si non prosint, utrum puella possit illum occidere, vel graviter mutilare ad se liberandum, disputant. Alii negant cum Antoine, Ballerino, etc.; quia pudicitia cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet: ideoque nemo eam formaliter potest auferre, nobis invitis. Materialis autem pudicitia non est tanti facienda, ut propter illam liceat in invasorem ita insurgere.—Verum nos cum Anacleto, Cuniliati, Elbel, Filliucio, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sporer, et aliis communiter dicimus fas esse mulieri, quæ injustam hanc pudicitiæ suæ aggressionem patitur, seipsam defendere cum ipsius aggressoris occisione. Rationem affert S. Antoninus sic inquiens: *mulier utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, et magis tenetur saluti suæ providere, quam alienæ; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi* (1). Et sane si licet ex S. Scriptura occidere invasorem bonorum, quanto magis invasorem pudicitiæ; cum sit bonum superioris ordinis? Unde quamvis puella invasorem occidere non teneatur, sed possit passive se habere, quia castitas invite non amittitur; ad id tamen non obligatur, tum quia ipsa materialis corporis integritas maximum est bonum ita, ut quis potius mallet mori, quam vel solum materialiter violari; tum etiam quia adest periculum pudoris, *quod bonis fœminis, morte gravius est* (2).

(1) *V.* Cit. art. 8, *Cod. pœn. Hisp.* (2) S. Ambrosius, l. III, *de Officiis.*

Neque valet reponere, quod potior est vita proximi quam materialis nostri corporis integritas; nam hoc semel indiscriminatim admisso, neque fas esset occidere invasorem vitæ nostræ; quia invasor occisus amittit etiam vitam æternam, quæ quidem est potior vita nostra temporali: hoc tamen vel ipsi adversarii non tuentur. Dicendum ergo tunc habendam esse rationem proximi vitæ, quando in vitæ discrimen illum conjicit necessitas, non autem ejus voluntas. Hic autem bene advertunt, quod non solum licet puellæ aggressionem propulsare actu, quo eamdem patitur; sed etiam postea aggressorem potest percutere alapis, pugnis, fuste, baculo et similibus ictibus minime periculosis, ut sic displicentiam suam atque constantiam ostendat, et aggressor facilius discedat, nec revertatur. Id porro (modo fiat immediate post acceptam injuriam et numquam ad vindictam) non tantum permittendum, sed etiam consulendum est (1).

Quid (dices) *si mulier oppressa sit, et clamando possit se liberare*? Non est damnanda sententia eorum, qui censent puellam, si non sit in periculo consentiendi, non teneri ad clamandum ob periculum nimiæ verecundiæ testes vocando; cum aliunde se modo passivo habere non sit consentire. Contraria tamen sententia in praxi est omnino suadenda, quia mulier difficulter poterit se eximere a periculo consensus; clamando vero, testes potius vocat suæ pudicitiæ. Eadem ratione docent, puellam debere potius mortem subire, quam pati violari, casu quo invasor mortem ei minetur, si non acquiescat. Unde Susannam imitetur, quæ malis tentatoribus respondit: *melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini: et clamavit voce magna* (2). Hinc in Deuteronomio dicitur lapidibus obruenda puella virgo, quæ uni desponsata, vi oppressa concubuerit cum alio, si *non clamavit, cum esset in civitate* (3): quamquam id potius pertineat ad externum judicium, in quo præsumitur consensus in non clamante.

Q. 4. *An liceat occidere invasorem honoris?*

R. Plurimi negant licitum esse occidere invasorem honoris, sive honor sumatur *radicaliter*, qui est excellentia illa, ob quam unus alteri præfertur: sive sumatur *formaliter*, qui est bona æstimatio, quam homines concipiunt de aliquo ob dictam excellentiam, ac foris signo aliquo manifestant. — Primo scilicet modo honor, nobis invitis, non amittitur: secundo modo non est tanti habendus, ut ad illum tuendum liceat invadere vitam hominis. Hinc Innocentius XI hanc damnavit sub n. 30 propositionem: *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

Sed plurimi cum Azorio, Cardenas, Filliucio, Laymano, Lessio, Lugo, Mo-

(1) Imo licet etiam ex charitatis suasione interficere invasorem *pudicitiæ alienæ*, si aliter defendi nequeat. Intellige modo invasa suum invasori consensum non præbeat, sed *positive* eidem resistat; alioquin invasorem occidere non esset vim vi repellere, cum non detur injuria ubi est consensus. Excipiunt nonnulli, si persona invasa sit tibi valde propinqua: tunc (ajunt) ante factum adhuc potest invasorem occidere, quamvis aggressa consentiat; eo enim in casu injuriam propulsas, quæ in te redundat.

(2) Dan. 13. (3) Deut. 22. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 378 et 886.

lina, Navarro, Roncaglia, Sylvestro, Vasquez et S. Antonino tuentur licere viro nobili et laico, speculative loquendo, occidere ad se defendendum ab eo, qui vellet eum graviter offendere in honore; et non jam verbis (quia verbis potest occurrere verbis, v. g. respondendo illum mentiri); sed etiam factis, v. g. calcibus, colaphis, etc. Quibus tamen semel illatis, non potest amplius percutere; quia tunc non esset defensio, sed vindicta (1): et hac de causa dicunt fuisse damnatam supradictam propositionem, quia nempe vindictam permittebat, et etiam quia erat nimis generalis. Pontifex solum damnat, ait clarissimus Viva (2), quod possit occidi impingens alapam, si fugiat; nam fugiendo non defert secum honorem sublatum, ut possit recuperari, sicut fur qui fugiendo secum defert furtum. Ratio hujus sententiæ est regula illa generalis: *vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt:* aliunde honor pluris æstimatur quam ipsæ divitiæ. Verum est, quod nemo tenetur eo jure uti, quia culpa tantum officit animæ: imo melius est non uti, et illi *qui nos percutit in dexteram maxillam, præbere et alteram* juxta dominicum consilium (3); non videtur tamen improbandus qui velit eo uti jure, quod omnia jura permittunt, ad tuendum nempe bonum in æstimatione hominum magnum, quod *melius est quam divitiæ multæ* (4).

Diximus: 1 *nobili et laico;* quia hoc non licet neque plebeis, quibus probrum non est fugere: neque Clericis, quibus pariter non dedecet fugere, cum armorum usum non profiteantur; 2 *speculative loquendo,* nam quoad praxim hæc sententia parum aut nihil deserviet etiam respectu sæcularium nobilium; ut enim sapienter ait Sylvius, Lessius ac Viva, impossibilis aut valde rarus est casus, quo id liceat si de solo honore agatur, nisi forsan cum Principe res sit; cum generatim fuga videatur in casu potius prudens dicenda, quam ignominiosa: et de facili honor ordine justi judicii recuperari possit: et in communi sensu ista occisio habeatur non jam licita honoris defensio, sed exorbitans ac privata vindicta. En solida praxis.

Q. 5. *An liceat occidere aggressorem bonorum fortunæ?*

R. Antoine, Billuart et Collet cum aliis bene multis negant, licere occidere injustum aggressorem bonorum fortunæ, cum nulla sit proportio inter rem, quæ defenditur et vitam invasoris.

Verum in sententia nostra, *si bona fortunæ sint magni momenti,* et non possent aliter defendi aut recuperari, nisi per ipsius aggressoris occisionem (v. g. si fur admonitus fuerit, ne raperet, nisi vellet occidi, et ille obstinate resistat) tunc licita erit illius occisio. Ita passim docent Cajetanus, Croix, Elbel, Ferrari, Lessius, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses, Sylvester, Sylvius, Sotus, Suarez et Viva freti auctoritate Ss. Antonini et Raymundi. Ratio generalis et decretoria est, quod præceptum charitatis (quod unice movet adversarios) tunc tantum obligat præferre bona proximi altioris ordinis, quando proximus est in extrema necessitate; non vero quando ipse de se et sponte et ex malitia propria periculo mortis occurrit, prout in casu nostro contingit (5). Neque facessit, quod nulla sit proportio inter bona fortunæ et bo-

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. VIII, n. 14. (2) In Prop. 18 Alex. VII.
(3) Matth. 5. (4) Eccli. 41.
(5) «Esta opinion (ait doctissimus *Gousset*) parece mas probable que la contraria; porque pres-

num corporis: et persona hominis superet omnem æstimationem pecuniæ. Nonne longe superioris ordinis est vita spiritualis proximi nostri respectu vitæ propriæ corporalis? nonne vita animæ superat omnem æstimationem vitæ corporis? Attamen licet vitam spiritus injusto aggressori adimere etiam in adversariorum sententia pro nobis servanda vita corporis. Quare? quia non necessitate, sed voluntate aggressor in illud discrimen se committit: unde per ipsum tantummodo stat, si velit perire. Hujus autem sententiæ communis ac probabilissimæ est certe S. Thomas, qui eam supponit ex illo Exodi: *si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere, mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Hinc subdit: *sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum* (1).

Diximus, *si bona fortunæ sint magni momenti;* nam non expediebat *pro conservandis vilibus et transitoriis rebus tam acriter in alios excandescere:* hæc sunt verba juris Canonici, quibus damnantur duo Religiosi, quorum unus interfecerat duos latrones vestes tantum ipsis eripere conantes (2). Porro generatim loquendo bona illa censentur magni momenti, quibus ablatis, deficeret alicui sustentatio pro se et suis. Gravis autem notæ Theologi, inter quos Lugo, docent etiam hoc nomine donari posse illa, quorum jactura damnum notabile afferret domino juxta qualitatem personæ. Hic tamen notamus propositiones sub Innocentio XI proscriptas: 1.ª *regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei;* 2.ª *non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus et quæ nos possessuros speramus;* 3.ª *licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam contra earum possessionem injuste impedientem* (sub nn. 31, 32 et 33).

ARTICULUS II—De stupro et adulterio.

Q. 1. *Quid hic intelligitur nomine stupri?*

R. Stuprum, quamvis si proprie sumatur, sit *illicita defloratio virginis invitæ;* improprie tamen et lato sensu hic sumitur pro *illicita* virginis defloratione quacumque, sive virgo in sui defloratione consentiat sive non (3): *illicita*, id est extra legitimum conjugium. Hæc jure Ecclesiastico; jure civili pœnali stuprum pariter punitur (4).

cindiendo de todo otro motivo, seria hacer mas osados á los ladrones y esponerles á cometer todo género de desórden, si se pusiese al hombre en la obligacion de dejarse robar cada vez que fuese acometido con las palabras de *dinero ó la vida.* Es necesario que un malvado sepa que hay derecho á resistirle, y que, aun en el caso que no tema la justicia de Dios, ni la de los hombres, confiando poder evitar su castigo, no puede impunemente despojar al hombre de bien. » *V.* Cit. art. 8, *Cod. pœn. Hisp.*

(1) 2, 2, q. 64, a. 7. — Neque obstant verba, quæ post allata leguntur in eodem Exodo (*cap.* 22), nimirum: *quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Nam bene respondet hic Corn. A-Lapide, quod id non dicitur ibi eo quia post lucem adest periculum mortis; sed quia alto jam meridie fur melius agnosci potest, et sic facilius bona recuperari possunt in judicio, quin a se jus faciat: et insuper quia, orto sole, melius potest fur repelli, invocato vicinorum auxilio. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 383. (2) C. *Suscepimus* de homicid.

(3) De gravitate hujus peccati necnon pœnis vide *De peccatis;* et Liguori, *Opus Mor.* l. III. nn. 640 et 641. (4) Art. 366 et seqq.

Ut dignosci possit ad quid teneatur in conscientia stuprator variis distinctionibus opus est: nempe vel stuprator virginem defloravit libere sibi consentientem; vel eam vi, minis aut fraude seduxit. In utroque casu vel id fecit absque ulla matrimonii promissione; vel hanc promissionem ad scopum suum adhibuit.

Q. 2. *Ad quid tenetur stuprator, qui puellam defloraverit consentientem; sed absque ulla matrimonii promissione?*

R. Stuprator, qui defloravit puellam consentientem, absque ulla matrimonii promissione, ad nihil tenetur erga ipsam puellam; *volenti* enim *et consentienti non fit injuria* (1). Utrum vero teneatur ad aliquam satisfactionem erga parentes violatæ puellæ, si illa sub eorum potestate adhuc sit, negamus, cum stuprum est eis occultum; nam tunc eos exterius non dehonoravit, neque tenetur prodere turpitudinem suam. Si vero stuprum notum sit parentibus, utrum illis satisfacere debeat pro dehonoratione in ipsos redundante, puta per veniæ petitionem, humilem sui submissionem, honoris exhibitionem, etc, etc., adhuc negant Lugo, Lessius, Suarez et alii; quia nullum eorum jus strictum fuit violatum, cum puella libere cessit juri in corpus suum. Affirmant vero Navarrus et Salmanticenses cum S. Antonino; peccavit enim stuprator contra pietatem in parentes, quorum custodiæ commissa erat puella. Excipe si parentes præsumantur nihil omnino sibi velle.

Quid vero (dices) *si ob secutum stuprum teneantur parentes augere dotem ad filiam in matrimonio collocandam?* — Antoine, Habert, Collet et alii obligant stupratorem ad damnum reparandum; violavit enim jus strictum, quod parentes habebant, ut filia sua decenter nubere posset. Sed communissima sententia negat cum Billuart, Laymano, Lugo, Navarro, Roncaglia, Sanchez, Soto, Suarez et Vasquez, stupratorem ad aliquid tribuendum teneri; nam sicut puella cum libere possit quascumque nuptias respuere, nullam parentibus injuriam irrogat, si ad illas se reddat minus idoneam consentiendo in sui defllorationem, ita iis nullam irrogat injuriam deflorator. Excipe tamen:

1. Si vir facinus ipse propalando puellam infamaverit; tunc enim tenetur ex justitia omne damnum ex tali infamatione proveniens compensare tam puellæ ipsi, quam ejus etiam parentibus; cum illa iniqua manifestatio vera sit et efficax causa damnorum; 2 si stuprator sit valde dives et puella pauper; nam saltem ex consilio et æquitate aliquam ad minus partem dotis eidem tradere debebit, etiamsi non promiserit; quia censetur in hoc casu puella sub hac spe, et quasi implicita conditione consensisse; 3 si judex deflloratorem ad aliquid condemnaverit ob injuriam parentibus illatam; superiori enim obtemperandum est.

Q. 3. *Ad quid tenetur stuprator, si virginem dissentientem seduxerit, nempe vi, minis, fraudibus, sed sine matrimonii promissione?*

R. Distinguendo: vel crimen illud manifestum est, vel occultum.

Si 1, tenetur stuprator tam puellæ, quam parentibus omnia reparare

(1) « Los Atenienses castigaban mas severamente el estupro con seduccion que el violento, por la razon singular de que el seductor corrompia el cuerpo y el corazon de la mujer, mientras que el que obraba con violencia no corrompia mas que el cuerpo.» *Cod. pœn. explicato.*

damna honoris atque fortunæ; cum eorum sit vera causa injusta et efficax. Ita est definitum jure Canonico (1): hinc ob dehonorationem debebit veniam petere a parentibus; puellæ vero dotem augere tenebitur ita, ut bene nubere valeat perinde ac si minime violata fuisset. Non tenetur autem illam sibi ducere in uxorem, cum id non promiserit, nisi forte damnum aliter reparari non possit, vel nisi intercesserit sententia judicis, quæ ipsum damnaverit ad puellam ducendam (2): quod judex peragere profecto potest in pœnam criminis (3).

Si 2, id est si crimen sit occultum, ubi puella æque nubat, ad nihil tenetur seductor: non pro violatione virginitatis, quæ in sententia probabiliori non est pecunia commensurabilis: non pro damno, quia ex hypothesi nullum adest: non pro periculo nullas nuptias inveniendi, quia inventæ jam sunt: non demum pro injuria parentum, qui defiorationem ignorant. Sunt tamen auctores, qui volunt etiam in hoc casu stupratorem teneri aliquid puellæ suppeditare arbitrio prudentis propter mœrorem et periculum vexationis tolerandæ a viro, si ejus turpitudinem cognoscat.

Sed quid (quæres) *si stuprator loco fraudis, vis ac metus adhibuerit preces repetitas et importunas, vel dona et similia?* — Communissime dicunt, eo in casu stupratorem generatim ad nihil teneri; preces enim, dona et similia non tollunt, quod virgo sponte et libere consentiat, cum facile possit molestias illas excutere et propulsare. Excipe 1: si unacum precibus conjungatur metus reverentialis; attenta enim sexus fragilitate, contradictio tunc evadit moraliter impossibilis; 2 si preces adeo essent importunæ, frequentes et molestæ, ut puella majoris faceret vexationem illam, quam virginitatis jacturam; hæc enim sollicitatio esset cum ipsa vi comparanda. Id tamen non potest contingere, nisi rarissime, cum fœmina quælibet possit facillime, concepta ira, vel alio modo, a sollicitatore se liberare, si velit; 3 si seductor jam incipiat vim puellæ irrogare tactibus, osculis aliisque modis similibus, etiamsi postea consentiat; quia per vim illam antecedentem vir censetur eam constituere in periculo proximo consentiendi. Item si nollet vir discedere et virgo consentiat, ut postea statim discedat; quia timet infamari, si ab aliis sola cum solo inveniatur: tunc habetur uti moralis coactio. Ita Lugo, Navarrus, Roncaglia, Salmanticenses, etc.

In his tamen casibus et similibus violator tenetur tantum ad partem damnorum, cum proprie puella omnino invita non sit.

Q. 4. *Ad quidnam tenetur stuprator, qui virginem seduxerit per fictam matrimonii promissionem?*

R. Stuprator qui virginem sive consentientem sive dissentientem seduxit per fictam matrimonii promissionem, si potest, tenetur generatim promissionem implere et sic virginem seductam sibi in uxorem suscipere. Ita D. Thomas cum communi (4): tum quia aliter non potest restituere ad æqualita-

(1) C. *si culpa* de injur. (2) C. 1 *de adult.*

(3) Quod si seductor puellam quidem ducere velit, sed ipsa renuat, tunc eam dotare debebit, ut sic illata damna valeat reparare. Quod tenet etiam in dubio, num puella fuerit ante ab ipso violata, an ab alio; quia semper ipsa præsumitur inviolata, donec contrarium certo probetur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 641. (4) Supp. q. 46, a. 2.

tem, neque damnum adæquate reficere; tum quia in contractibus innominatis *do ut des*, *facio ut facias*, quando unus suam partem implevit, tenetur et alter implere suam: idque ex justitia, quamvis ficte contraxerit (1); clamat enim ipsum naturæ jus, omnem fraudem a contractibus esse eliminandam. — Diximus *si potest;* nam *si aliam jam duxerit*, ita Angelicus, *sufficit si ei de nuptiis provideat.* Addimus *generatim:* sunt enim casus, in quibus stuprator ab ea servanda promissione excusatur, nempe:

1. Si fœmina ex verbis aliisque conjecturis facile cognoscere poterat malam promittentis fidem et deceptionem; in hoc enim casu ipsa censetur libere consensisse. Hinc Lessius docet, quod si vir vel inconstanter fuerit allocutus, vel adhibuerit verba ambigua, vel nimis exaggerata, non teneatur ad matrimonium (2).

2. Si stuprator nobilitate vel divitiis valde superet conditionem mulieris, et hæc talem disparitatem non ignoraverit; ipsa enim conditionum disparitas de se ingerit motivum prudenter dubitandi de veritate promissionis. Quod si mulier eo in casu non animadvertit, uti debet, per accidens se habet et suæ negligentiæ imputandum est: *servet promissum*, ait S. Antoninus de viro stupratore sub promissione matrimonii, *nisi nimis distans esset eorum conditio.* Idque tenet, etiamsi promissio fuerit juramento firmata; etenim juramentum non obligat, nisi secundum ipsam intentionem promittentis (3).

3. Si timeatur ex matrimonio pessimus exitus, ut si puella sit nimis levis; vel timeantur rixæ inter contrahentium consanguineos; vel dedecus familiæ viri: putamus stupratorem non teneri ad virginem violatam ducendam, etsi vere promisisset; quia hæc promissio nulla esset, utpote de illicito. Ita S. Antoninus, Layman, Roncaglia, etc.

4. Si vir fœminam cognoverit existimans esse virginem, sed corruptam invenerit: idque magis, si fœminam se virginem finxerit, cum tamen non esset; nam tunc deceptio deceptione compensatur. Idem dicendum putat Sanchez pro quocumque alio notabili errore viri.—Si autem ante patratum

(1) Ergo multo magis, si vere consenserit: cæterum valde utile foret ad hujusmodi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam defloralionem, etiam juramento firmatæ, invalidæ declararentur ab Episcopis; si enim hoc scirent puellæ, non facile seductioni cederent. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 641.

(2) Imo S. Antoninus, Lugo, Sancius, etc. probabilius docent illum in hac hypothesi ne teneri quidem ad damnum compensandum: quia deest actio externa injusta per se apta ad damnum inferendum; poterat enim puella facillime deceptionem percipere, et sic sponte decipi voluit.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 643.

(3) *Quid vero, si puella dictam conditionis disparitatem ignoraverit?* — Affirmant probabiliter Lessius et Busembaum, tunc stupratorem teneri ad matrimonium; nam mulier non potuit deceptionem cognoscere. Verum adhuc valde probabile est illum non teneri, ut dicunt Lugo, Viva, Salmanticenses aliique; nam stuprator non debet obligari ad restitutionem, nisi ad æqualitatem injuriæ illatæ: sed compensatio injuriæ illatæ in hoc consistit, ut ipse servet quod mulier rationabiliter petiit, et propter quod crimini perpetrato consensit. Quid porro rationabile petiit mulier ignorans dictam conditionis disparitatem? non aliud profecto, nisi ut alter ejusdem conditionis vel parum excedentis eam duceret in uxorem: ergo si vir conditionis multo melioris illam duceret, redderet aliquid supra injuriam illatam, quod nec petiit nec petere intendit ipsa mulier: unde tunc satis est aliter damnum reparare. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 643, etc.

crimen vir jam sciverit, fœminam jam ab alio cognitam, tenebitur quidem eam ducere, si sit bonæ famæ et cognita in conjugio, quia id non habetur dedecori: si vero extra conjugium fuerit cognita, non tenetur nisi ad damna, uti si forte ex copula illa infamiam mulier contraxisset; nam matrimonium cum fœmina inhoneste corrupta longe pejus habetur, quam copula extorta, ut verius dicunt Salmanticenses ac Lugo.

Quid (dices) *si stuprator exhibeat consensum ad matrimonium quod promisit, et puella renuat?* — Ad nihil tunc stuprator tenetur; cum per ipsum non stet, quominus matrimonium contrahatur. Quod si puella non recuset, sed contradicant parentes, tunc alii dicunt adhuc ad nihil stupratorem teneri; cum etiam per ipsum non stet: sed alii verius illum obligant ad damnum reparandum, nam matrimonium principaliter ad damnum compensandum promisit: et licet per ipsum non stet, quominus nubat; cum neque id stet per puellam, ideo ista semper urgere potest, ut sibi compensetur damnum.

Q. 5. *Quid si stuprator, qui virginem seduxerit vel vera vel falsa matrimonii promissione, voto aut castitatis aut etiam ingrediendæ Religionis sit ligatus?*

R. Si stuprator votum illud emisit post promissionem, docent communiter illum teneri ad conjugium; nam votum nullius est ponderis, cum emissum fuerit in injuriam puellæ deceptæ. Si vero emisit ante promissionem, Concina et Layman negant stupratorem ad conjugium teneri: sed sententia probabilior et tenenda recte tradit adhuc ipsum obligari; quia damnum defiorationis numquam adæquate reparatur, nisi per ipsum conjugium. Nec obstat votum; nam debita onerosa sunt communiter præferenda gratuitis, quibus nempe semper inest conditio: *dabo, si status rerum non mutetur.* Hinc si quis voverit dare bona sua Ecclesiæ et postea damnum alicui inferat, prius tenetur resarcire damnum, et postea implere votum. Et hoc censet (merito probabiliter) Lugo valere, etiamsi virgo violata fuerit conscia voti; quia cum post copulam facile posset obtineri voti dispensatio, potuit fœmina intelligere, sibi promitti dispensationis procurationem. Ad eamque tenetur stuprator; ipse enim qui promittere nequibat matrimonium, poterat saltem promittere impetrationem absolutionis a voto: ad hoc autem jam se obligavit promittendo matrimonium, dum qui ad finem tenetur, tenetur etiam ad ponenda media, nempe ad impetrandam dispensationem. Et casu, quo eam obtinere non posset, tenetur saltem ad compensandum damnum. Ita Lessius, Lugo, Sanchez, Sporer et Vasquez, certe et longe probabilius contra Laymanum, Navarrum atque Salmanticenses.

Q. 6. *Quid si stuprum contigerit inter consanguineos?*

R. Qui sub vera matrimonii promissione et pacto expresso impetrandi dispensationem consanguineam defloravit, utrum debeat stare promissis, est distinguendum: vel agitur de impedimento, in quo numquam aut fere numquam solet Pontifex dispensare; vel agitur de impedimento, in quo dispensatio solet communiter obtineri. Si 1, promissio erit omnino invalida, cum sit moraliter impossibilis; unde sola remanebit obligatio compensandi damna. Si 2, docent communius et verius validam esse in foro conscien-

tiæ (1) illam promissionem, ideoque stupratorem teneri ad dispensationem petendam; matrimonium enim hoc modo vere est possibile, cum illud sit tale, quod Pontifex permittere solet. Imo non tantum possibile, sed licitum et validum, accedente dispensatione; non enim considerari debet matrimonium pro tempore præsenti, in quo, stante impedimento, esset nullum; sed pro tempore futuro, in quo impedimento sublato, validum erit: porro contractus invalidus pro præsenti, potest esse validus pro futuro juxta axioma: *actus factus tempore inhabili valet pro tempore habili, ad quod refertur*. Idem cum Croix, Lugo et Molina dicendum, etsi nulla facta fuerit dispensationis commemoratio; qui enim ad finem se obligat, censetur etiam se obligare ad media ordinaria (2): unde tunc ea tacite subintelliguntur.

Quid (dices) *si promissio matrimonii consanguineo facta fuerit ficta?* Vel est facta cum pacto implorandi dispensationem, vel non. Si 1, tenetur defloror ad eam impetrandam, ratione fraudis: excipe nisi mulier fictionem potuerit advertere; tunc enim voluit decipi. Si 2, non tenetur, nisi ad damna, casu quo dispensatio impetrari non possit sine gravi sumptu, atque ad impedimentum, inculpabili ignorantia, non adverterit; nam ad hoc præcise ipse se non obligavit, stante ignorantia illa. Secus tamen, si dispensationem facile possit obtinere, vel culpabiliter ignoraverit impedimentum; nam ratione doli tenetur tunc efficere omne id, quod facturus fuisset, si promissio fuisset sincera.

Q. 7. *Quæ stupratoris et stupratæ obligatio erga prolem si nascatur?*

R. Si agitur de stupro violento, jure naturæ stuprator tenetur ad omnes *ventris expensas*, ut vocant, nempe ad prolis alimoniam, quamdiu hæc victum sibi per se valeat comparare ac sibi sufficere, cum solus fuerit causa damni. Attamen ejus defectu tenetur mater, etsi culpam non admiserit; nam mater est: sed tunc habet regressum in stupratorem, qui omnes expensas ei refundere tenetur. — Si vero agatur de stupro voluntario, cum eo in casu uterque in culpa sit, mulier si potest, tenetur prolem ex jure Romano alere pro primo triennio (3): postea obligatio transit in stupratorem, ita ut si ultra mulier prolem aluerit, jus semper habeat adæquatam compensationem a stupratore repetendi; vel ab hæredibus, si ille moriatur. Idem dicendum, si ipsa neque lac præbere possit, neque expensis suis nutricem conducere, licet voluntarie in stuprum consenserit; uno enim deficiente, onus ad alium damnificatorem transit.

Q. 8. *Ad quid tenetur adulter* (4)?

(1) Diximus *in foro conscientiæ;* nam in foro externo consulenda est praxis tribunalium. Hæc autem penes nos videtur omnino stare pro nullitate promissionis.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 650; et *Homo Ap.* tr. x, n. 96 etc.

(3) L. IX Codicis *de patria potest.*

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 651 etc. — De enormitate adulterii, t. I *de pecc.* Utrum autem adulter et adultera teneantur restituere quæ ab ipsorum consanguineis dantur aut legantur spurio, quia legitimum reputant, alii affirmant cum Molina, quia donatio ex errore circa personam nulla est; hujus autem erroris causa sunt adulteri: ergo illi de restitutione tenentur. Alii cum Lugo (quod probabilius est et in praxi admittendum ex Bouvier) negant; nam nemo tenetur de damno, quod per accidens et præter intentionem ex actione sua evenit, ut contingit in præsenti casu.

R. Vel proles ex adulterio nata non est; vel proles nata est; vel dubitatur, utrum proles nata ex ipso adulterio nata sit, necne:

Si proles certe nata non est, nulla erit ex hoc capite obligatio restitutionis. Imo si crimen marito occultum sit, ad nihil tenebuntur neque erga eumdem adulteri; cum non teneantur se infamare. Quod si ei innotuerit, debebunt personalem injuriam compensare per veniæ petitionem, per signa doloris et per alia hujusmodi.

Si proles ex adulterio nata est, tunc si uxor vi, minis, dolo ad adulterium fuit inducta, damna omnia reparare tenetur adulter, utpote qui est eorum causa efficax et injusta; nempe tenetur restituere filiis legitimis tam hæreditatem suæ proli relictam, quam alimenta illi exhibita a tertio anno, quia usque ad annum tertium tenetur eam lactare mater: quod si mater non possit, etiam tenetur ad hoc adulter. — Si vero uxor libere adulterio consensit, uterque tenetur ad damna: uxor quidem primo triennio prolem alere debet; quo completo, transit onus in alterum, donec proles valeat sibi per se providere. Quod pertinet ad alia damna tam marito, quam filiis legitimis obvenientia, uterque pariter tenetur illa resarcire; cum vero hæc gravis obligatio sit in solidum, ideo, uno deficiente, obligatio devolvitur ad alium. Et si mulier nequeat prolem adulterinam alere extra domum, et damnum familiæ alia ratione compensare, debebit aliis industriis uti, v. g. diligentius curare rem familiarem, cultum sui corporis minuere, adulterinum filium inducere ut Religionem ingrediatur, si sit ad illam idoneus; et si adultera bona propria habeat, plus legitimis quam spuriis tribuere per donationes manuales, per contractum, legata, testamentum, etc.

Si dubitetur an nata sit proles ex adulterio (puta, quia tempus partus correspondet etiam tempori adulterii, vel quia maritus antea filios ex uxore non genuerat), tunc alii cum Antoine, Billuart, Laymano, etc. dicunt restituendum esse pro rata dubii: æquum enim non est, ut maritus totum onus habeat prolem alendi, quæ forsan non est sua. Sed communis sententia cum Azorio, Concina, Continuatore Tournely, Croix, Elbel, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Soto, Sporer, etc. adulterum liberat ab omni restitutionis obligatione; tum quia stante tali dubio, possidet matrimonium, et filius semper reputatur legitimus, donec constet oppositum, nec rarum est, ut qui steriles videbantur, tandem filios insperato obtineant; tum quia melior est conditio adulteri possidentis bona sua, quibus se non tenetur privare pro obligatione incerta et dubia. Imo ob eamdem rationem idem dicunt Gobat, Filliucius, Lessius, Lopez, Sanchez, Zaccharias aliique contra plures, si dubium sit inter duos adulteros cujusnam sit proles; per accidens enim esset, quod a nullo tunc restitutio fiat. Hæc sententia, spectata ratione et absolute loquendo, probabilior est; nemo enim tenetur ad damnum, nisi certo moraliter constet ipsum fuisse damni causam: nec sufficit ut posuerit actionem aptam ad damnum, sed insuper requiritur, ut illud revera intulerit; neque enim semper actio de se injuriosa damnum causat, ut ar-

Attamen observat Billuart, quod spurius, si talem se certo cognoscat, non potest illas donationes sibi retinere; quia revera nullæ sunt. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 657. — *V. Cod. pœn. Hisp.* art. 358 et seqq. circa adulter. pœn.

gumentatur Angelicus (1). Excipe nisi duo illi adulteri ex communi consilio adulterium patraverint: vel si posterior sciat adulterium jam factum ab altero; tunc ipse esset causa incertitudinis prolis, ideoque et causa, ne ab illo primo possit exigi compensatio.

Q. 9. *An adulteri vel fornicarii divites, qui prolem ad hospitale detulerint, teneantur expensas eidem compensare?*

R. Universim affirmant Antoine, Billuart, Lessius, Lugo, Salmanticenses, etc.; quia xenodochia solum pro sustentatione pauperum sunt instituta: neque sunt præsumendi eorum fundatores voluisse divites ab expensis eximere. Layman idipsum docet, casu quo hospitale sit pauper; quia non pauper divitem, sed dives pauperem alere debet (2). Verum plures alii cum Dicastillo, Henriquez et Renzio universim negant, teneri divites parentes ex rigore justitiæ reficere hospitalibus expensas pro nutrienda prole, si illis exponant. Hoc porro putamus probabilius (3); nam hospitalia hujusmodi non solum instituta et aperta sunt ad subveniendum pauperibus, uti dicunt contrarii; sed etiam divitibus in infamiæ periculo constitutis, ne videlicet ad infamiam illam vitandam cogantur vel abortum procurare vel prolem interficere. Imo pro ipsis pueris illegitimis et spuriis erecta esse videntur, ad eos nempe liberandos a discrimine mortis æternæ simul et temporalis, quam facile subirent, si adulteri vel fornicarii etiamsi divites, cogerentur eosdem alere de ære proprio.

Cæterum omnes conveniunt in praxi enixe adhortandos esse genitores saltem titulo pœnitentiæ ad aliquid tribuendum nosocomiis, hodie maxime cum illorum necessitates et expensæ adeo percruebuerint.

Q. 10. *An adultera teneatur se prodere ad vitanda damna mariti, et prolis legitimæ, si alio modo ea nequeat compensare?*

R. Vel damnum famæ propriæ multum præponderat damno mariti, atque familiæ, vel non. Si 1, non tenetur adultera crimen prodere; nemo enim tenetur damnum alterius resarcire cum damno proprio longe majori (4). Si 2, utique tenetur, modo tamen certo probare valeat illegitimitatem filii: et sane tunc melior est conditio mariti innocentis et prolis legitimæ. Hinc inferunt matrem teneri se prodere: 1 si sit perditæ famæ, vel conditionis tam vilis, ut non sit ea majoris facienda, quam damnum aliis obventurum: 2 si aliter immineat damnum publicum, v. g. si filius spurius sit perditis moribus imbutus, et succedere debeat Regno; 3 si mater verosimiliter speret filium sibi crediturum, atque bonis cessurum: secus frustra obligaretur.— Cæterum filius spurius non tenetur credere matri asserenti illum esse spu-

(1) 2, 2, q. 62, a. 7.

(2) In hac sententia non satis exploratum est quid hospitali sit tribuendum; id enim pendet a variis rerum et locorum adjunctis, a vita producta aut a morte præmatura pueri: omnibus pensatis dicunt satis esse, si parentes pro rata dubii 200 vel 150 franc. nosocomio solvant: *Gury*. Secundum alios essent refundendi fr. 300. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 656.

(4) Etsi maritus interroget mulierem, an adulterium commiserit, potest ista æquivoce asserere, *se non fregisse matrimonium*, cum adhuc revera subsistat. Et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere: *innocens sum ab hoc crimine*. Æquivocatio sane, ac restrictio non pure mentalis cum causa licent: at hic causa urgens adest ad jurgia, dissentiones, plura alia mala vitanda. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 162. — It. de Virt. Relig. ubi *de juramento*.

rium; tum quia est in possessione legitimitatis, ut natus tempore legitimi matrimonii: hinc non tenetur credere, nisi convincatur de sui illegitimitate; tum quia etiam nemo tenetur credere uni testi licet probatissimo; tum quia ampla via secus aperiretur fraudibus et deceptionibus (1). Ex quibus omnibus concludunt Elbel et Tamburini, raro in praxi matrem teneri ad se manifestandam: *mulieri, quæ ignorante marito,* ait Innocentius III, *de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri; non est pœnitentia deneganda...; sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet injungi* (2).

CAPUT SECUNDUM

DE BONIS FAMÆ ET HONORIS.

Q. *Quid est fama et honor?*

R. Fama (a *fando* dicta) hic sumitur *pro opinione publica de alterius excellentia:* honor autem est *ipsa testificatio alienæ excellentiæ, prout animo excepta est.* Ex quibus patet discrimen famam inter et honorem: *fama* potissimum consistit in opinione interiori de alterius excellentia; *honor* in testificatione externa, quæ fit verbis aut factis. *Fama* fertur de absente: *honor* exhibetur præsenti vel in se vel in alio qui illum repræsentat, sicuti Rex honoratur in suo legato vel statua. *Fama* læditur vel interius per dubitationem, suspicionem, opinionem et judicium temerarium; vel exterius per detractionem: *honor* autem maxime por contumeliam læditur. Oportebit igitur, utrumque in Confessione explicare, quia continet diversam specie malitiam læsio famæ ab ipsa læsione honoris.

An (quæres) *committat diversa peccata qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit, adeo ut debeat explicare in particulari mala de quibus accusavit?*—Negant Lugo, Molina et alii, quia materialiter quidem distinguuntur specie diversæ detractationes et contumeliæ, at non moraliter; cum semper unam famam et honorem lædant. Sed affirmant probabilius Concina et Croix cum Sylvio, quia læduntur diversa jura quæ alteri competunt, quæ quidem diversa sunt in genere morum; per hoc enim quod quis est diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio. Recte tamen excipiunt mulierculas et plebeos, qui simul rixantes eodem impetu diversis contumeliis se dehonorant; nam in communi æstimatione hæc convicia non habeantur uti gravia, et audientes nullam ipsis præstant fidem, putantes illa potius proficisci ex impetu iræ, quam ex animo et rei veritate: et ideo ut plurimum rixantes excusantur a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent (3).

(1) «Tum præcipue (ad rem observat *Stapf*, § 454), quia mariti ipsius atque filiorum legitimorum plerumque longe magis interest, ut res maneat in occulto. Quid enim ex tali confessione timendum non est? Infelix maritus gravissimo mœrore affligitur; salus domestica, et pax naufragatur.» (2) C. *Officiis* de pœnit. et remiss.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, nn. 48 et 49. Quod de detractione, idem dicunt de judicio teme-

An (addes) *qui detrahit alicui in una tantum re, sed coram pluribus, plura committat peccata?*—Disputant : affirmat Croix, quia tot jura is lædit, quot sunt personæ apud quas alter infamatur; sed probabiliter negat Lugo, quia jus ad famam est unicum apud omnes, non autem multiplex : est ideo tantum circumstantia aggravans, et ideo in Confessione sufficit dicere : *detraxi in tali re coram pluribus.*

ARTICULUS I — De læsione et reparatione famæ.

Q. 1. *Quale peccatum est dubitatio, suspicio et opinio temeraria?*

R. Ad 1. Dubitatio temeraria est *suspensio animi circa proximi bonitatem absque fundamento rationabili.* Suspicio temeraria est *assensus inchoatus, quo quis absque fundamento rationabili inclinatur ad malum judicandum de proximo suo.* Opinio temeraria dicit *assensum in illud judicium, sed infirmam de opposito formidinem habentem.* Hæc inter se discrepant, ut patet; sed quia parva est distantia, in moralibus promiscue non raro usurpantur : imo Angelicus eas sub uno suspicionis nomine includit (1).

R. Ad 2 : Dubitatio, suspicio et opinio temeraria *regulariter loquendo* non videntur esse nisi peccata venialia, *præsertim si procedant ex errore intellectus,* quo apprehenduntur tamquam sufficientia quædam indicia, quæ tamen talia non sunt. Et sane *suspicio* in se non est, nisi quædam animi concitatio ad assensum : *dubitatio* est simplex animi suspensio in partem neutram inclinantis : *opinio* tandem est cum formidine oppositi. Ergo manet adhuc in mente aliqua bona proximi existimatio, neque illi proinde gravis infertur injuria, neque in possessione famæ suæ graviter perturbatur ; uno verbo fama læditur tantum, non tollitur : et ita ipse docet S. Thomas (2).—Diximus: 1 *regulariter loquendo;* quia sententia probabilior docet esse mortale, si suspicio, dubitatio vel opinio temeraria fieret de peccatis gravissimis, ut si de Religioso temeraria fieret suspicio, dubitatio vel opinio, quod sit hæreticus : vel de viro communiter uti catholico habito, quod sit judæus, turca vel atheus; tales enim suspiciones, dubitationes et opiniones majorem quodammodo videntur iisdem injuriam inferre, quam si certum haberetur eorum judicium

rario : alii volunt esse explicandam materiam, in qua judicatur, cum bona existimatio circa unam virtutem sit diversa a bona existimatione circa virtutem aliam; sed alii contendunt satis sufficere, si dicatur : *temere judicavi in materia gravi de Titio,* cum bona existimatio de aliquo una sit ejusdemque speciei in genere moris. Utrum autem sit indicanda qualitas personæ per detractionem vel judicium temerarium læsam, adhuc disputant : aliqui negant quia hoc esset nimis onerosum, neque est in usu : aliqui vero affirmant, si agatur de persona arctissimo vinculo conjuncta cum lædente, ut si læsus sit pater ; tunc enim læditur et pietas. Hoc tamen non valeret de conjunctis remotioribus; neque de Confessario, quia extra Confessionem inter pœnitentem et Confessarium tanta relatio non habetur, ut detractio novam addere debeat malitiam mortalem; et sane communiter non attenditur ut gravis talis culpa.

(1) 2, 2, q. 70, a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 962 et seqq.

(2) 2, 2, q. 60, a. 3. — « Interdum hæc animi ad suspiciones propensio vel ex indole hominis, vel ex præteritis illius factis aliquam excusationem admittit : e. g. ab ætate senili, vel dum quis iterato ab hominibus quos fidissimos arbitrabatur, se deceptum vidit. At pessima illorum conditio est, qui ut fieri consuevit, ideo dumtaxat de aliis quidvis mali suspicantur et credunt, quia sibimet nullius virtutis conscii sunt. » *Stapf,* § 399.

de delictis gravibus ordinariis; 2 *præsertim si procedant ex errore intellectus;* nam si temeraria suspicio, opinio et dubitatio talem habent originem, non videntur per se voluntariæ nec pertinaces; ideo aliquam merentur excusationem. Si vero orirentur ex malevolentia, et in iisdem graviter temerariis quis pertinaciter immoraretur, mortale vix effugeret ob injuriæ gravitatem.

Sed (quæres) *an omnia dubia semper sint in meliorem partem positive interpretanda?*—Generatim sufficit dubia de personis explicare negativo modo, nempe ipsas nec bonas nec malas judicando; tum quia non est necessitas judicii; tum quia per se nemo tenetur ad illum assensum, in quo se exponit errandi formidini; tum quia licet judicare pro modo objecti: objectum ergo cum neutrum sit, neutrum erit judicium.—Si tamen non placeat vel non liceat suspendere judicium, tunc vel agitur de damno vitando, vel non.

Si 1, possumus dubia pejorem in partem accipere, non quidem definiendo, ut ait Angelicus (1), sed tantum supponendo, nempe ita nos gerendo quasi illa persona sit revera mala; hoc enim prudentis est habere consilium. Hinc Job licet nihil suspicaretur de filiis suis offerebat tamen holocausta pro iis, *ne forte peccaverint:* neque damnum irrogatur personis, cum sit simplex suppositum. Hinc qui ignotum domi recipit, potest ita se gerere, quasi esset fur. Hinc superior se gerere potest ac si subditi revera delinquant, cum hoc sit ad cautelam.—Si 2, debemus dubia positive interpretari in meliorem partem, nempe positive asserendo proximum non deliquisse; jus enim habet ad famam: *neque in dubio est præsumendum delictum:* neque proximus sine causa a possessione suæ integritatis dejiciendus est: et melius est errare bene, quam male judicando.

Quid (dices) *si dubia sint de rebus?*—Si dubia sint de rebus, v. g. an talis contractus sit licitus, non necessario sunt ea in meliorem partem interpretanda, sed res est suis æstimanda momentis: quia in his solum agitur de eo ut veritas attingatur; nec ideo alicui irrogatur injuria. Unde si audio aliquem propositionem hæreticam proferentem, propositionem hæreticam judicabo, quia est judicium de rebus; sed ipsum qui eam profert, hæreticum esse non ita facile dicam, cum possit ex inadvertentia vel ignorantia id evenire: *etiamsi*, ait S. Bernardus, *perperam actum quid deprehendas, ne sic judices proximum; magis autem excusa: excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum* (2).

Q. 2. *Quid est judicium temerarium et quale peccatum?*

R. Judicium temerarium est *firmus animi consensus, quo quis absque rationabili fundamento judicat malum de proximo suo.* Si sit cum plena advertentia conceptum de gravi proximi malo, communiter loquendo erit mortale; gravem enim proximo injuriam irrogat, graviterque violat jus quod ipse habet, ne absque justa causa tamquam reprobus ab aliis judicetur. Hinc legimus: *nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis remelietur vobis* (3).

(1) 2, 2, q. 60, a. 4. (2) Sermo 40 in Cant.

(3) *Matth.* 7.—Judicium temerarium specie differt a detractione, et ideo hæc seorsim confitenda

Diximus *communiter loquendo;* nam tale judicium erit veniale: 1 si habeat quis magnam probabilitatem, etsi non omnino sufficientem ad certitudinem; certitudo enim moralis et magna probabilitas non adeo distant, ut gravis censeatur injuria tenere uti pene certum, quod est valde probabile: v. g. siquis judicet hilarem juvenem inventum solum cum puella in cubiculo, inhonesta tractasse; 2 si malum quod judicatur, non sit adeo grave; judicium enim informatur a sua materia; 3 si quis advertat quidem se male de proximo judicare; sed minime advertat signa sic judicandi non esse sufficientia, neque ullum de iisdem dubium gerat; 4 si judicium sit tantum de indeterminata vel ignota persona, tunc per se loquendo injuria gravis irrogaretur nemini (1).

Q. 3. *Quid est detractio et quale peccatum?*

R. Detractio est *alienæ famæ injusta violatio et denigratio facta in ejus absentia.* Dicitur 1 *alienæ;* qui enim propriam lædit, ordinarie injustus non est, cum sit illius dominus; *facta in ejus absentia;* quia si fit in præsentia, superadditur contumelia.

Detractio ex genere suo est lethalis; nam superat furtum, quod utique lethale est, fatentibus omnibus; lædit videlicet proximi famam, quæ est majus bonum, quam opes et divitiæ; etenim *fama bona impinguat ossa* (2). Iterum Scriptura: *si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit: abominatio hominum detractor; neque maledici... Regnum Dei possidebunt* (3). Et D. Hieronymus: *non putent religiosi se esse securos dicentes: grandia crimina non facimus, non adulteror, non furtum facio, non homicidium: grande scelus est, quando detrahis fratri tuo* (4). Videlicet unico ictu detractio tres interficit lethaliter ex D. Bernardo, detractum, detrahentem et audientem detractionem. Porro si alicui detrahatur, crimen verum aperiendo, dicitur simplex *detractio:* si aperiendo falsum, dicitur, *calumnia,* quæ est gravior et differt specie a simplici detractione, quia detractioni mendacium supperaddit proximo perniciosum: *os autem quod mentitur, occidit animam* (5).

Attamen sive detractio sive calumnia potest esse tantum venialis, vel ex levitate materiæ, si grave damnum non inferat; vel ex defectu deliberationis: *peccata quæ committuntur in proximum,* ait Angelicus (6), *sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quæ proximo inferunt, quia ex hoc habent rationem culpæ: tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur* (7) *(J).*

sunt; qui enim temere tantum judicat, bonam existimationem per se temperare potest; qui vero detrahit, deberet insuper audientem suadere de fama, quæ fuit radicitus et exterius sublata.

(1) « De esto resulta que tales juicios dificilmente llegan á ser culpa mortal, porque generalmente ó se juzga ser suficiente el fundamento para pensar de esta manera, ó bien estos juicios no son verdaderos juicios sino sospechas, las cuales, aunque temerarias no se reputan culpa mortal, á menos que recaigan sobre crímenes muy enormes, como la herejía, parricidio etc. » S. Alphonsus, *Il Confessore diretto,* cap. XI, n. 1.

(2) Prov. 15. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 966.

(3) Eccli. 10; Prov. 24; I Cor. 6. (4) In Ps. 149. (5) Sap. 1.

(6) 2, 2, q. 73, a. 3.

(7) Non ideo tamen excusaretur a gravi culpa qui sine animo lædendi, sed ex levitate graviter

Q. 4. *Quot modis fieri potest detractio?*

R. Octo modis hisce versibus ab Angelico expressis :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut reticet, minuit laudatve remisse (1).

Primus omnium gravissimus est falsi criminis impositio et dicitur *calumnia*, vel etiam *contumelia* si contingat in præsentia illius, cui falsum crimen imponitur. Secundus est criminis veri *amplificatio*, quæ quoad augmentum calumnia est. Tertius est *revelatio* criminis occulti. Quartus *sinistra interpretatio* boni operis: si quis v. g. dicat, eleemosynam mulieri pauperi fuisse quidem datam a Titio, sed ad pravum seductionis finem. Quintus boni operis *negatio*. Sextus *reticentia* et silentium in iis circumstantiis, in quibus facile intelligi queat proximum nostrum vel non esse laude dignum, vel non tantum sibi mereri (2). Septimus alienæ virtutis *extenuatio*. Octavus *frigida commendatio*, ex qua adstantes intelligent frigide laudantem non bene sentire de illo, quem laudat (3).

An (quæres) *susurratio idem sit ac detractio?* — Susurratio est *verbum seminans inter amicos discordias*. Convenit cum detractione ex parte materiæ, quia utraque malum de proximo dicit; specie differt ex parte finis, quia susurratio insuper dissolutionem amicitiæ intendit. Et ideo est ex genere suo mortalis, specie diversa ac gravior detractione; unde in Confessione est exprimenda, ut notat Angelicus (4). Quot malorum sint causa susurrones in familiis, in communitatibus, in universa societate, haud dici potest. Hinc illud Ecclesiastici: *susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes; verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris* (5).

Q. 5. *An peccet peccato detractionis qui grave crimen revelat; sed uni vel alteri tantum, qui illud sub secreto continebit?*

R. Cum distinctione : vel revelatio fit ad leniendum offensæ dolorem; vel

detraheret, si id deliberate agat. Non enim officit quod detractio directe non intendatur; nam est implicite volita, cum voluntarie dicantur ea, ex quibus illa provenit.

(1) Quatuor primi detrahunt directe, alii indirecte : omnes autem hi modi per se sunt ejusdem speciei : quia omnia respiciunt unum bonum famæ. Attamen novam possunt speciem addere ex accidenti, ut si detrahas alicui in ejus præsentia, esset enim et contumelia; vel si inde prævideas detractum esse amissurum sua bona etc., tunc accipiet aliam speciem injuriæ in bona fortunæ, et ideo in Confessione explicandum est. *Lugo.*

(2) «Un criado por ejemplo, guarda silencio cuando á su presencia se alaba ó vitupera á su amo: con esto da claramente ó entender que ó no merece las alabanzas ó merece los vituperios que se le atribuyen. Sin embargo, por lo que mira á los vituperios, el silencio de un criado, de un amigo ó de cualquiera otra persona, puede en algunos casos atribuirse á temor, prudencia ó deseo de evitar un mal mayor.» *Gousset.*

(3) Huc revocantur (ex *Staph.* § 100), qui vultu vel nutibus calumniantur; ubi aliquis laudatur, malitiose subridet, humeros attrahunt, sermonem brevi interjectione abrumpunt, etc. e. g. *Titius est quidem vir probus, verumtamen...* Imo qui tali interruptione, vel ad alienas laudes subridendo proximum vituperant, plerumque ejus famæ multo magis nocent, quam si certum aliquid vitium ipsius aperte designassent; tunc enim dum tacent aut rident, vagis et quibuslibet suspicionibus porta aperitur.

(4) 2, 2, q. 74, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 72.

(5) Cap. 28; et Prov. 26, v. 20 et 22; et Eccli. 6.

revelatio fit ex levitate et sine causa. — Si 1, communissime docent revelationem delicti factam uni vel alteri tantum non esse peccaminosam; durum enim videtur, ut quis prohibeatur solatium quærere suum dolorem amico manifestando. Neque tunc malum proximi intenditur; imo medium hoc institutum est ab ipsa natura, a qua habemus, ut dolor communicando dimidietur: atque id fieri per amicorum compasionem, docet Angelicus (1). Hinc excusant saltem a mortali famulos, qui referunt injurias sibi a domino illatas, uxores quæ referunt improperia mariti, etc.— Si 2, alii censent esse mortale uni etiam crimen revelare: quisquis enim ægre fert, quod apud virum cordatum dehonoretur. Adde: in omnium sensu judicium temerarium est mortale, licet unus tantum illud concipiat de aliquo. Multi tamen cum Cajetano, Covarruvia, Lessio, Navarro, etc., satis probabiliter negant esse grave; nam fama consistit in opinione multorum: unde non est infamatio, si crimen uni vel alteri viro prudenti reveletur. Huic sententiæ adhæret aperte Angelicus: *ita tamen*, addit, *ut non proveniat inde aliud vel infamia vel vituperium proximo delinquenti*, id est nisi alter alteri sit crimen manifestaturus (quod observatu difficilius est), et modo semper excludatur animus nocendi (2). Nec tenet paritas judicii temerarii, quia in hoc habetur falsi criminis impositio; sed in nostro casu est nuda veri criminis manifestatio.

Sed quid (dices) *si detrahatur quidem coram pluribus, sed reticita persona, dicendo v. g. in tali ac tali loco esse qui male vivunt?* — Grave peccatum non est generatim loquendo hic dicendi modus; in omnibus enim locis ordinarie sunt homines mali: unde per se proprie dicta infamia nulli inuritur. Diximus *generatim loquendo;* nam aliter esset, si inde aliqua infamia alicui redundaret: sic v. g. peccat qui detrahit Ordini religioso, vel nominat Monasterium, in quo quis grave peccatum occultum commiserit; id enim toti Ordini graviter nocet. Excipit Concina, si agatur de aliquo Ordine amplo, neque sit strictioris observantiæ, cum in quolibet amplo loco ferme semper sint aliqui discoli. Hic venit graviter reprehendenda prava illorum consuetudo, quæ hisce temporibus adeo invaluit, ut nempe, si quis de Clero scandalose deliquerit, universus clerus traducatur uti criminosus: hoc injustitiam simul et odium in Religionis ministros plane ostendit (3).

Quid (addes), *si nominetur persona, sed non notentur ejus peculiares defectus, ut si dicas tantum: multa scio de illo, sed patefacere prohibet charitas. scit me illum posse ad tacendum cogere, etc.?* — Id per se videtur mortale: nam sic gravis suspicio ingeritur in audientium animis. Si tamen nominentur defectus, sed in genere dicendo talem esse avarum, iracundum, etc., ex se non videtur mortale; quia ut plurimum audientes id interpretari solent de quadam propensione tantummodo naturali, ac quasi involuntaria. Cæterum ipsa personarum qualitas hic est attendenda: sic erit mortale de optimi nominis Prælato dicere, mendacii esse assuetum; aut de Ecclesiastico, quod dueilum commiserit vel sit amans puellarum. Non est autem grave sæpe id

(1) 1, 2, q. 38, a. 2.

(2) Quodl. 11, a. 13.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 973.

(3) *V. Civiltà Cattolica*, v. VIII, art. I complici del regicida. — Martinet, *La science sociale au point de vue des faits*, l. II, c. 10.

asserere de milite, aut de juvene mediocris famæ; nec dicere de puella, quod sit garrula, superba, impatiens, etc.

Quid autem (repones) *si nominentur quidem defectus, sed illi defectus naturales sint?* — Per se mortale non est illos defectus nominare; cum enim a voluntate non profluant, animam non afficiunt, neque sunt dedecori. Poterit tamen esse mortale, vel ratione magni mœroris, ut si proferantur in faciem, v. g. si dicas de aliquo, ipsum esse spurium; vel ratione præjudicii quod inde evenire potest, ut si quis dicat de viro honorabili fuisse vile mancipium.

Quid demum si nominetur quidem aliquis defectus moralis; sed illa persona jam de alio defectu morali sit infamata? — Si illa duo crimina connexa sint, non erit grave; quia tunc notabiliter infamia non augetur: imo jam subintelligitur, ut si dicas de ebrio rixari cum uxore. Si vero duo illa crimina sint disparata, sub gravi prohibetur de uno crimine infamatum de alio crimine notare; infamis enim in uno genere vitii, non amisit jus famæ quoad alias virtutes. Sic v. g. eum, qui gravi furto est diffamatus, nefas est infamare etiam libidinis; sic fœmina de uno adulterio dumtaxat diffamata, non potest de alio occulto diffamari; quia unum non dicit connexionem ad alterum, neque ex se pravam consuetudinem importat.

Q. 6. *An peccet qui detrahit defunctis?*

R. Detrahere defunctis ultro concedimus, cæteris paribus, non adeo grave esse ac detrahere vivis; cum defuncti non amplius fama indigeant ad recte vivendum. Dicimus tamen adhuc mortale esse ipsis detrahere in re gravi: nam juxta communem hominum æstimationem semper in fama sua vivere censentur. Unde scriptum est: *mortuo non prohibeas gratiam* (1); et proverbium habet: *de mortuis nisi bene.* Hinc historiographi ignominiæ notam memoriæ defunctorum sine sufficienti causa inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando, nec actam pœnitentiam referendo, graviter peccant, atque ad restitutionem tenentur: neque hæredes condonare eam possunt, cum famæ aliorum domini non sint. Idque valet, licet defuncti sint damnati; nam adhuc sunt nostri proximi secundum naturam: ideo neque licet ipsius duplex tormentum desiderare, ut ait Roncaglia.

Q. 7. *An liceat revelare crimen, quod semel publicum est?*

R. 1: Triplici modo crimen publicum dici potest: 1 *publicitatis juris*, cum nempe de eodem constat vel per publicam judicis sententiam, vel per ipsam rei confessionem, vel per legitimam testium depositionem in judicio secutam; 2 *publicitate facti*, cum id publico loco coram multis patratum est, ita ut non amplius possit neque ulla tergiversatione celari, neque ullo excusari juris suffragio; 3 *publicitate famæ*, quando fama criminis pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tot personas ejusdem, ut spectatis omnibus circumstantiis, fieri nequeat quin ad notitiam majoris etiam partis perveniat. Nos porro dicimus, ad hoc, ut crimen dici possit publicum sufficere, quod si communitas constet octo personis, illud sciant quatuor; si centum sciant quindecim; si mille, sciant viginti circiter diversarum familiarum (2).

(1) Eccli. 7.

(2) Notandum tamen est, crimen in una tantum familia vel monasterio notum non posse dici

Publicum autem erit in aliqua vicinia 40 personarum, si sciant 8 ex diversis familiis; item si in oppido 5000 civium, sciant 40 per illud dispersi. Addunt autem crimen dici *famosum*, si illius fama pervagatur per majorem partem oppidi, communitatis, viciniæ vel Paræciæ. Item dicunt infamatum in Regno, qui jam est infamatus in Curia, vel in alio loco illustri, ex quo facile in Regnum fama dimanat.

R. 2: Nullum peccatum est neque contra justitiam neque contra charitatem, si verum alterius crimen reveletur in loco, ubi sit sive juris, sive facti, sive famæ publicitate jam notum: *si palam res est, repetitio injuria non est*, est juris adagium. Imo expedit ad bonum publicum, ut unusquisque cognoscatur qualis publice cognitus est: hoc etiam consuetudo confirmat dum historiæ mandat crimina publica. Item certum omnino videtur non peccare saltem mortaliter, qui verum alterius crimen in uno loco publicum revelat in altero, ubi tale non est, sed quo brevi tempore ejus notitia perventura sit; non enim infamatus aliquam per hoc patitur injuriam saltem gravem, cum sit tantum quædam anticipatio et aliunde fama spoliatus existat: nisi tamen ex ista anticipatione sequantur ei gravia damna, v. g. in suo officio.

Quid (dices) *si alicujus criminis fama non est intra breve tempus in locum alium perventura, poteritne licite in eo propalari?* — Si delictum in uno loco notorium sit notorietate juris, commune est, ubicumque licere illud propalare, idque maxime ex hodiernis moribus: et sane ideo judex sententiam evulgat, ut sit in omnium notitia ad terrorem. — Si vero delicti notitia habeatur aliunde, tunc alii cum Antoine tenent esse mortale contra justitiam crimen illud revelare; quia delinquens eo in loco adhuc suam possidet famam. Alii cum Sylvio dicunt esse mortale tantummodo contra charitatem; quia reus licet amiserit jus ad famam, valde tamen tristatur sciendo crimen suum publicum fieri ubi non erat. Alii communius cum Lugo contendunt non esse gravem culpam neque contra justitiam neque contra charitatem; nam expedit bono publico agnoscere malefactores: quæ ratio nobis videtur probabilior semper ac crimen est tale, quod reum reddat perniciosum, ut est crimen latrocinii, impudicitiæ, homicidii, proditionis et similium. Huic opinioni eo propensius adhæret Lyonnet, *quod in Galliis* (dicere debuerat in Europa et ultra) *omnia jam nunc loca censeantur contigua ob nimium commercii relationis, multitudinem viatorum, nubem publicorum foliorum et forsan coævorum nativam loquacitatem* (1). Ideo magis quia sunt, ut cecinit celebris Gagliuffi:

Sæpe homines canibus similes; nam turba, latrantem
Unum si audierit, cuncta repente latrat.

Concina sic distinguit: si crimen notorium sit notorietate tantum famæ, *cauti omnes sint oportet, quia facile fingitur hæc publica fama.* Si vero noto-

absolute publicum; ac proinde non posse manifestari ne in alio quidem monasterio ejusdem Ordinis, quia est semper privatorum notitia, cum una familia habeatur ut unus homo. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XI, n. 12: *Opus Mor.* l. III, n. 974.

Billuart tamen id judicio prudentis remittit, si nempe attento communitatis numero, hominum garulitate et aliis circumstantiis, judicet vix possibile, ut res secreta maneat.

(1) Ac miram tum viarum ferrearum, tum telegraphi electrici inventionem.

rietate facti, scilicet publice patratum, patefieri potest ubicumque; nam *auctor absolute amisit jus ad famam; qua enim voluntate in publico et coram universo populo crimen commisit, eadem suam prodegit famam: contra vero quisque jus habet ad facti publici notitiam acquirendam:* et id litteris commendatur vel ab ipsis severioris ethices hominibus. Idque valet in casu veræ famæ publicitatis, etsi injuste in primo loco crimen fuerit publicatum; nam semel manifestato crimine sive juste sive injuste, totum fundamentum ablatum est, ut inquit Antoine, quo poterat celari; nam et publicum nunc est et verum. Excipe 1: si notitia venerit ex Confessione; nam lex sigilli sacramentalis omnes sequitur ubique; 2 si scias crimen esse falso impositum; quia innocens, non obstante illa famæ publicitate, habet semper jus intrinsecum in sua innocentia fundatum, ne quis falsum de ipso dicat.

Quid autem (subjunges) *si delictum olim publicum, nunc oblivione, vel bonis moribus sit obliteratum?*—Non est peccaminosum iterum illud patefacere, si fuerit publicum notorietate juris; quia expedit ad terrorem malorum judicis sententiam non ignorari. Idem dicendum de publicis historiis, licet crimen sit notum sola facti notorietate: id enim conducit ad publicum bonum; nam et instruuntur posteri et spe honoris ad præclara incenduntur, et timore infamiæ a turpibus deterrentur: et ita passim fit.—Hisce exceptis casibus, alii dicunt non esse contra justitiam de novo infamare, cum crimen jam est obliteratum, modo tamen simul referatur emendatio; nam quisque ex una parte jus habet criminum publicorum acquirendi notitiam, ex alia per bonam vitam præsentem olim infamatus habet jus, ut censeatur bonus in præsentiarum, non in præterito; *neque enim*, ut ait jus civile, *aboletur turpitudo, quæ postea intermissa est* (1). Verum alii tenent id sine gravi culpa saltem contra charitatem fieri non posse, etsi narretur emendatio; nam id sine summo mœrore infamati non potest evenire. Adde: per oblivionem rem in eo statu reductam esse, quo erat antequam esset publica; at quando delictum non est publicum, nullo modo publicari potest.

Quid (quæres) *de eo, qui manifestat alterius crimen occultum et falsum putans ex errore invincibili illud esse verum et publicum?*—Eo modo, quo incendens sine culpa domum alterius, tenetur ex charitate et ex justitia ignem extinguere, cum advertit et potest sine magno incommodo; sic iste tenetur suum factum retractare: et idem est, si rem magni momenti propalasti, quam parvi esse judicabas: idem est, si ex inadvertentia dicis Petrum esse auctorem talis homicidii, cum sit Paulus (2). Sane qui retinet rem alienam, invito domino, eam tenetur restituere statim ac cognoscit esse alienam; sed in casibus supra quamdiu tuum dictum non retractas, detines famam alterius, quia pravam opinionem ex tuo dicto causatam in aliorum mente relin-

(1) *Dig.* l. XXIII, t. II, l. XLIII,—*V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. XI n. 13.

(2) *Quid si error se teneat ex parte audientium tantum? ut si tu nomines revera Paulum auctorem homicidii; sed auditores intelligant Petrum?* — Juxta omnes teneris ex charitate errorem corrigere; quisque enim cum commode potest, tenetur a proximo suo damnum præcavere. Utrum vero tenearis etiam ex justitia si commode potes, affirmat Molina; quia ex tua actione aliquo modo ortum habet damnum illud. Negant Busembaum, Lessius et Billuart; quia non tua actio, sed error audientium tota est causa damni. Ego tamen, ait Lugo, magis assentior Molinæ; nam ad debitam loquentis diligentiam spectat curare, ne auditores de uno accipiant, quod ipse profert de alio.

quis: ergo teneris illam repellere aperiendo veritatem, quod non est proprie restituere, sed damnum incæptum interrumpere. Adde: justitia non solum te obligat ad non inferendum damnum, sed etiam ne ex tua actione damnum sequatur, vel conservetur aut pergat influere. Unde licet illa tua actio ab initio non fuerit injusta, injusta ea evadit cum id advertis et non provides, cum adhuc subsistit: proindeque tunc de restitutione graviter teneris (1).

Diximus *et potest sine magno incommodo:* ipsa enim æquitas satis innuit, esse minorem obligationem restituendi in eo, qui bona fide alium infamavit, quam in eo qui formaliter contra justitiam id fecit: et ideo licet iste teneatur cum detrimento propriæ famæ et bonorum fortunæ, et aliquando etiam vitæ, famam restituere; ille numquam cum magno incommodo ad id obligatur sive in fama, sive in vita, sive in divitiis. Sane nonne juxta omnes fortius ac majoribus cum expensis obligatur possessor malæ fidei, quam bonæ fidei? primus cum incommodo gravi rem alterius sub gravi tenetur domino reddere, quia est in culpa; secundus vero sub gravi quidem tenetur restituere, cum rem cognoscit esse alienam, sed non ita cum gravi suo incommodo, cum eum culpa primo non tenuerit. Ita communiter Layman, Lessius, Lugo cum Salmanticensibus.

Q. 8. *An aliquando liceat alterius crimen occultum revelare?*

R. Si notitia sit habita ex Confessione sacramentali, in nullo casu licet alterius crimen revelare, quamvis sit levissimum, atque agatur de ipsa morte vitanda; nam semel data contraria suppositione, retraherentur fideles a Sacramento. Si notitia aliunde habita sit, illud revelare fas est *propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis*, ut ait S. Thomas (2). Unde dicimus cum Concina, licere revelare verum et occultum alterius crimen:—1 ut proximus emendetur illud deferendo judici, aut prælato, aut domino, aut parenti, dummodo ex tali revelatione majus eidem damnum minime contingat; et ideo tanto magis licet crimen revelare ad consilium petendum pro delinquentis ipsius emendatione; bonum enim animæ spirituale præferendum est bono temporali famæ, ut habet S. Basilius (3);—2 ut publicum damnum evitetur: quo in casu quisque per se loquendo crimen manifestare tenetur: nam bonum communitatis vincit bonum particularis, ac quælibet pars tenetur ad bonum totius conferre. Hinc detegenda sunt crimina quæ in Religionis aut Reipublicæ ruinam vertunt;—3 ut salvetur vita hominis innocentis, v. g. si innocens accusetur de homicidio, erit revelandus homicida; cum potior sit conditio innocentis. Etiam licet (imo aliquan-

(1 Casus: *Titius sustulit a Cajo ditissimo duas libellas, putans ad illum pertinere; sed postea, libellis in ludo consumptis, cognoscit eas non esse Caji, sed ejus domestici, qui eas domino suo deposito dedit.* — Resolvitur: quando sustulit non peccavit, nisi venialiter, quia non habebat nisi conscientiam furti levis; unde tunc nonnisi sub levi tenebatur libellas restituere. Sed statim ac cognoscit, eas libellas esse domestici Caji, ideoque respectu illus materiam esse gravem, sub gravi tenetur eas restituere; nam licet ab initio ejus mala actio non fuerit ut gravis apprehensa, talis ei nunc evadit, cum veritatem dignoscit, et adhuc possit et debeat providere; non restitutio enim est quasi continuata surreptio. Libellis consumptis, debitum non fuit extinctum, sed debitoris persona obligata remanet. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 993. (2) 2, 2, q. 73, a. 2.

(3) In reg. brev.

do necesse est) alterius occultum crimen revelare ad vitandum grave damnum proprium, vel alienum, etiam in bonis fortunæ; quia nocens non habet jus ad famam suam cum gravi damno innocentis, et ex lege charitatis bonum proprium, vel alterius innocentis bono nocentis est utique præferendum (1).

Hæc omnia tamen tunc tantummodo obtinent, cum damnum non potest aliter evitari, et damnum satis proportionatur amissioni famæ, et dummodo nec amplius nec pluribus crimen manifestetur, quam oporteat ad avertendum damnum quod in se ipso quis pertimescit. Unde sapienter monet Suarez ex Angelico: *charitas obligat ad subveniendum communi bono cum minimo damno privato; ergo si potest illud defendi et hoc vitari, utrumque faciendum est* (2). Quare eo in casu per se liberum non erit Superiori interrogare *(K)*.

Sed licitumne erit (quæres) *revelare alterius crimen occultum simul narrando pœnitentiam peractam?*—Negative: neque enim manifestatio hæc compensatur per subsequentem pœnitentiam; semper enim quædam sinistra opinio in aliis ingeritur. Unde si quando id factum legimus, divina Providentia id factum est ad horrorem vitii injiciendum, ad veritatem factorum conservandam, ad peccatores alliciendos, atque ad divinam misericordiam patefaciendam.

Quid (dices) *siquis ad mortem vel aliud grave damnum vitandum manifestet occultum proximi crimen, cujus notitiam per vim aut fraudem, v. g. litteras aperiendo, adeptus sit?*—Sotus dicit, ipsum non posse uti tali notitia sic extorta, etiamsi alioquin mortem subire deberet; Molina censet tunc tantum eum posse revelare, quando longe majus detrimentum sibi timet: Lessius, Navarrus, Concina dicunt id posse ad quodcumque damnum vitandum, quia licet peccaverit sic notitiam habendo, non peccat ea utendo. Inter tam varias sententias nobis magis arridet sententia De Lugo; hic magnus theologus sic distinguit: si tu jus habes exquirendi alterius peccatum, ut te ab injusto damno eripias, tunc etsi peccaveris per dolum malum secretum expiscando, attamen ea notitia potes uti; quia defectus esset tantum in modo, non in re: hinc si tuus hostis tibi innocenti mortis sententiam velit a judice expetere, illius occultum crimen (cujus notitiam per peccatum habuisti) poteris revelare. Aliter est, si non sit tibi permissum crimen alterius exquirere, tunc si per vim vel fraudem ejus notitiam habuisti, non potes in conscientia illud manifestare; nam actio injusta, qua secretum assecutus es, te obligat ad reparanda omnia damna proximo inde obventura. Et quemadmodum qui

(1) « Al efecto puede avisarse á un amo de que su criado es infiel; á un superior de que un súbdito suyo es indigno de su confianza, y aun muchas veces la caridad obliga á ello. Ni aun es maledicencia dar informes poco favorables, pero ciertos, cuando uno es consultado por personas que tienen interés en saber la verdad porque se trata p. e. de algun matrimonio ó de cualquiera otro negocio importante en que se teme salir engañado. » *Gousset*, n. 1070. — « Hinc (addit *Lyonnet*) a peccato exulant: 1° illi qui superiores, aut patres-familias monent de subditorum, filiorum, aut famulorum vitiis, ut eos reprehendant aut coërceant; 2° qui medici, advocati, confessarii, magistri, aut famuli inscientiam, aut pravitatem detegit iis quorum interest ista cognoscere; 3° qui juvenes admonet de vitiis quorumdam sociorum, ut periculosam eorum societatem fugiant. »

(2) *De charitate*, diss. 8, sect. 6. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 969.

est in extrema necessitate, tenetur restituere quod a proximo abstulit, quando proximum ipsum ob talem præcise subtractionem conjecerit in æqualem necessitatem; ita et tu teneris ad compensandum damnum alteri illatum per revelationem secreti, quia per eam violentam secreti extorsionem conjecisti proximum innocentem in necessitatem patiendi tale damnum.

An (inquires) *sit mortale referre crimina uti audita ab aliis, ut si dicas:* fertur, narrant, audivi de Titio hoc vel illud?—Si referens crimina audita prævidet gravem infamiam ex sua relatione proximo non esse obventuram, quia alii non sunt credituri, non peccat mortaliter hoc ipso, quod damnum grave non inferat; secus peccat ob rationem contrariam. Quod si referens prævideat audientes credituros ex propria malitia, non peccat contra justitiam; quia non esset damni illius causa efficax et directa, sed per accidens. Peccaret tamen contra charitatem, quia tenetur quilibet grave proximi damnum impedire quantum commode potest. Imo et adhuc contra justitiam: 1 si ita referat ipse per se, ut audientes probabiliter et merito sint credituri, v. g. si asserat se audivisse rem a persona fide digna. Tunc nempe aderit peccatum grave etiam contra justitiam; quia dat rationem sufficientem credendi malum; 2 si referat crimen alterius valde enorme, ut hæresim, rebellionem, tametsi dubitanter; quia sola horum criminum suspicio solet valde infamare.

Q. 9. *Quid de iis, qui detractionem audiunt* (1)?

R. Si gravem detractionem audiens ipsi cooperatur, v. g. detractorem excitando, laudando, interrogando, certo peccat contra charitatem et contra justitiam; cum efficiatur vera causa damni, quod proximus patitur, injusta et efficax.—Si vero detractionem audiens illi non cooperatur, tunc distinguendum est: vel secum ipse de illa gaudet, vel minime gaudet.

Si audiens detractationem secum de illa gaudet, peccat mortaliter in materia gravi contra charitatem, et affectu etiam contra justitiam; cum delectetur de gravi damno proximi sui, et de actu injusto. Unde monet Scriptura: *linguam nequam noli audire: detrahentia labia sint procul a te; cum detractoribus non commiscearis* (2). Imo peccaret contra justitiam etiam effective, si delectationem suam exterius manifestaret; cum tunc se habeat, uti laudator detractionis. Excipiunt aliqui casum, quo quis non delectetur de detractione, quatenus est proximi damnum, sed tamquam de auditione rei novæ, seu de curiosa cognitione criminum alienorum. Alii addunt etiam casum, quo delectatio sit de ipsa quoque detractione; sed non ex odio vel gaudio de alterius damno, bene vero ex simplici animi vanitate (si tamen non sit superior): id deducunt ex S. Thoma, qui tunc tantum docet esse grave peccatum, quando *placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur* (3).

Si vero audiens detractionem de illa non gaudet, non peccat: modo 1 tunc eam impediri conetur, si commode potest; se enim tunc haberet modo tantum passivo; 2 modo non sit superior, quia tunc specialis obligatio resistendi ei incumbit.

Sed (quæres) *adestne obligatio gravis detractionem impediendi si commode*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III n. 979.
(2) Eccli. 28; et Prov. 4 et 24. (3) 2, 2, q. 73, a. 4.

potest?—Si detractionem audiens est *superior* utique tenetur illam impedire; cum ratione officii peculiariter adstrictus sit ad occurrendum subditorum damnis. Utrum vero obligetur ex justitia, ita ut in defectu detractoris, ipse teneatur restituere famam læsam, alii affirmant de superiore infamantis, quia superior tenetur ex officio curare, ne subditus alteri noceat; alii affirmant de superiore infamati, quia pariter ex officio tenetur damnum subditi impedire; alii vero recte cum Lugo, Soto aliisque de utroque negant: et 1 de superiore infamantis, cum non teneantur invigilare bono non subditi (licet peccet contra justitiam in ipsum subditum, quatenus eum corrigere debet); 2 de superiore infamati, quia ipsi non incumbit bono temporali subditorum prospicere. Hæc tamen ratio probat illum utique ex justitia teneri, si in temporalibus esset præpositus (1).

Quod vero pertinet ad *personam privatam*, certum est, quod si detractionem audiens eam non impediat, contra justitiam non peccat; quia nulla ei obligatio ex officio incumbit. Imo neque contra charitatem, si vel inutiliter corrigeret juxta illud: *ubi auditus non est, non effundas sermonem* (2); vel si non posset sine gravi incommodo, cum quo non obligat charitas; vel si dubium sit, an delictum jam evaserit publicum; non enim supponitur malus qui crimen patefecit. Tota ergo quæstio est de casu, quo detractio sit certo injusta: an scilicet peccet graviter persona privata, quæ cum commode possit, tamen detractorem non admonet? Censet sapientissimus Lugo corrigere sub gravi æqualem raro, inferiorem rarissime teneri; imo absolute dicunt Salmanticenses cum communi Thomistarum, nonnisi leviter peccare privatum, qui ex verecundia, timore, negligentia detractioni non resistit; id eruunt ex Angelico, qui id libenter admittit, si tamen ultra infamiam aliud proximi damnum non timeatur (3). Hæc communissima sententia rationabiliter sustineri potest, tum quia in hac materia difficillime constat monitionem fore profuturam; tum quia facillime offenduntur detrahentes coram aliis corripi, et periculum est quod potius augeant vel confirment detractionem. Excusantur autem etiam a veniali illi, qui advertendo detractionem vel discedunt vel sermonem industrie divertunt vel faciem tristem ostendunt. Ratio est quia istæ actiones sunt veræ correptiones juxta illud: *dissipat... facies tristis linguam detrahentem* (4).

Q. 10. *An sub gravi facienda sit restitutio famæ?*

R. Sub gravi fama restituenda est, si graviter læsa; si enim gravis est obligatio reparandi damnum grave in divitiis, a fortiori urgebit hæc obligatio, quando agitur de recuperanda fama; nam *melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ* (5). Hinc ad rem Gregorius IX: *si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata... jure super his satisfacere te oportet.* Nec

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XI, n. 17. (2) Eccli. 32. (3) 2, 2, q. 73, a. 4.

(4) *Prov.* 25. — « Expedit raro detrahentem ab initio sermonis abrumpere, quia sæpe nonnisi communia et publica facta asseruntur; et aliunde talis interruptio ad attentionem detrectantibus conciliandam inserviret. » *Lyonnet.*

(5) *Prov.* 22. — Si fama leviter tantum sit læsa, sub levi reparanda est; nam justitia sive in magnis sive in parvis vult æqualitatem. In praxi tamen difficile est obtinere, ut restitutio famæ, si leviter sit læsa, fiat directe per retractationem: unde sufficit si restitutio fiat indirecte, videlicet bene loquendo de persona læsa, etc. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 991.

juvat dicere bono publico expedire, ut delicta detegantur: id aliquando verum est, si directe in damnum vergant communitatis; sed generatim majus malum est ea patefacere; sic enim et pax et tranquillitas turbaretur, frænum tolleretur ad alia crimina vitanda, ac cædes inveherentur sæpe. Imo Confessarius curet, ut hujusmodi restitutio ante absolutionem fiat; quia cæteroquin difficulter postea implebitur, quamvis hæc sit minoris difficultatis, quam restitutio pecuniæ.

Hic tamen advertendum est facile evenire, quod audientes nullam fidem habeant detractori, quia loquitur ex ira vel alia passione non probando delictum; tunc nulla proprie esset læsio.

Q. 11. *Quomodo fieri debet restitutio famæ?*

R. Cum distinctione: vel restitutio famæ facienda est ob revelationem criminis veri, sed occulti; vel ob imputationem criminis falsi:

Si 1, debet infamans, quo magis potest, opinionem de eo ab audientibus conceptam abolere, dicendo v. g. *se male dixisse, vel injuste diffamasse.* Quia tamen hic modus, uti dicunt, vix hodie sufficiens est apud rusticos et simplices, ideo convenientius erit dicere, *se falsum dixisse, errasse, se deceptum vel mentitum fuisse.* Neque hæc verba mendacia sunt, sed vere amphibologica; *nam ipsa peccata,* inquit Angelicus, *falsitates dicuntur in Scripturis secundum Psalmum:* ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium (1)? *Ego soleo hoc consilium dare* ait S. Alphonsus, *ut dicant: ex capite meo hoc erui (vulgo: lo he sacado de mi cabeza) æquivocando nempe; quia omnia verba a mente, pro qua accipitur caput procedunt* (2). At si prudenter judicetur restitutionem sic factam potius fore noxiam, quam utilem, melius erit eam agere indirecte, videlicet offensum pluries serio et data occasione honorando, vel de eo bene loquendo.

Si 2, infamans tenetur crimen illud falsum aperte retractare, adhibito etiam, ubi sit opus, juramento; nam qui intulit damnum, ad totum id tenetur, quod necessarium est ad injuriam reparandam, si adeo difficile non sit, uti non est juramentum. Neque obstat, quod ipse tunc diffametur; potior enim esse debet conditio innocentis. An vero teneatur etiam testes adhibere, si juramento fides non habeatur, videtur negandum, nisi in aliquo casu raro; nam id revera uti valde arduum habetur. Aliunde quid magis agere debet detractor, quam Deum vocare in testem? unde restitutio nimium tunc damnum excederet, ut tenent Dicastillus, Navarrus, Salmanticenses et Trullenchus contra Bonacina et Lugo, qui etiam testes requirunt.

Sufficitne (quæres) *damnum retractare apud auditores immediatos?* Verius non sufficit, ut dicunt Concina, Croix, Lessius, Roncaglia, Salmanticenses, etc.; sed retractatio est facienda etiam apud mediatos, quibus nempe crimen revelatum est ab auditoribus immediatis, si saltem in confuso præviderit detractor, eos crimen esse aliis revelaturos (3), et simul videat eos retractationem negligere. Ratio quia ipse fuit prima et efficax causa damni:

(1) 1 p. q. 17, a. 1. (2) *Homo Ap.* tr. XI, n. 18; et *Opus Mor.* l. III, n 992.

(3) Non ergo isti tenerentur, si silentium fuerint stipulati cum iis, apud quos detrahebant (hæc tamen stipulatio esset inanis, si sciant auditores loquaces esse, qui nihil sibi retinere valent) vel

at secundis causis deficientibus, semper remanet obstricta causa prima.

Q. 12. *An simul cum redintegratione famæ adsit obligatio reparandi cætera damna, si quæ ex detractione secuta sint?*

R. Si ex læsione famæ ortum est alteri damnum fortunarum, ut si læsus privatus est famulatu, officio, pensione, si excidit spe matrimonii divitis, dotem amisit, etc. tunc et fama reparanda est, et damna illa juxta æstimationem prudentum compensanda sunt, si saltem in communi fuerint prævisa, ut ordinarie prævidentur; qui enim aliquam liberam causam posuit, tenetur de illis effectibus. Adde, quod hæc damna compensandi obligatio ad hæredes detractoris transit; cum habeat respectum ad illius bona (1). Nulli autem dubium est, omnia damna esse reparanda, si evenerint ex propalatione delicti falsi.

Quæstio esse potest, si manifestatum sit delictum verum, occultum tamen: negat Sotus, qui vult detractorem tantum teneri ad partem damni, cum damnum non solum proveniat ex manifestatione, sed ex ipso crimine commisso. Sed omnino tenendum cum Croix, Laymano, Lugo, Salmanticensibus aliisque etiam in eo casu integre damnum inde secutum esse reparandum; quia hic et nunc injusta revelatio est causa vera et unica damni, dum sine ipsa illud omnino abfuisset (2).

Q. 13. *Quænam causæ excusant a famæ restitutione?*

R. Quinque causæ excusant a famæ restitutione: 1 impotentia physica vel moralis: physica quidem, ut si nulla omnino ratione possit quis restitutionem peragere; moralis vero, ut si eam peragere nequeat sine damno longe majori, cæteris paribus: hæc nempe physicæ comparatur; at impossibilium nulla obligatio. Qui autem restituere non potest totum, tenebitur saltem ad partem, quam potest; neque enim restitutio consistit in indivisibili; 2 si crimen quod erat antea occultum, alia via evadat publicum; jus enim ad famam jam esset amissum. Item est si auditores mihi crimen alterius enarranti fidem non adhibuerint: tunc nullum fuisset damnum illatum; 3 si fama aliis modis sit recuperata, ut judicis sententia, veritatis evidentia, testimonio prudentum, etc.; nam tunc nullum damnum; 4 si prudenter judicetur res jam oblivione delata; nam longe periculosius est renovare memoriam per retractationem, quam retractationem ipsam omittere (3); 5 si adsit infamati expressa, vel tacita condonatio: imo quandoque sufficit præsumpta, sive interpretativa ejusdem voluntas, si v. g. ita sit bonus et animo affectus, ut si rogaretur, certo condonaret; tunc enim non est invitus, et quilibet est suæ famæ dominus. Intellige tamen per se loquendo: quod caute perpen-

si rationabiliter sperare potuerint, quod silentium essent servaturi; tunc enim ulterior revelatio facta est ipsis invitis, ac præter eorum malitiam.

(1) Non tamen transit ad hæredes obligatio compensandi famam; nam hæc in re præstanda non consistit, sed in actione pure personali quæ cum ipsa persona extinguitur.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 613, 994 et 996.

(3) *Quid* (quæres) *in dubio, utrum oblivio illa existat necne?* — Vel agitur de crimine vero, vel de crimine falso. Si 1, non est facili in memoriam revocandum; cum potius attendatur ad delictum quam ad retractationem. Excipe nisi adsit periculum evidens, ne infamia illa ex alia via in hominum memoriam sit reditura. Si 2, revocanda est infamatio, nisi certo constet de oblivione; cum enim res vera haud sit, nullam proprie dictam infamiam per se importare poterit.

dendum; nam aliquando læsus illicite condonat, si ejus fama videlicet inserviat ad proximi ædificationem; ex charitate enim illam curare tenetur. Aliquando etiam invalide, si quando fama ei necessaria sit ad damnum alterius præcavendum, quod avertere tenetur ex justitia, ut si esset superior; nam jus habent subditi, ne sui infamia ipsorum bonum impediat (1).—Quæ causæ continentur hisce versiculis:

Impos, publicitas, oblivio, cessio, fama
Si reparata fuit, si data nulla fides.

Q. 14. *An liceat compensare famam cum fama?*

R. Certum est: 1 quod si unus velit alteri famam restituere, iste pariter tenetur ad idem erga eumdem, si eam eidem abstulerit: secus non servaretur æqualitas; compensatio autem est remedium quod non obtinet, nisi in defectu; — 2 quod nemo potest famam alteri auferre eo quod ab ipso fuerit infamatus: non enim esset compensatio, sed vindicta; cum fama unius non reparetur per infamiam alterius. Unde patet discrimen quoad famæ et pecuniæ restitutionem; auferendo enim pecuniam a fure, totum aufero quod mihi debitum est, ac meum recupero: non item infamando infamantem famam meam integro; nam fama alterius mea fama non est. Hoc tamen non impedit, quominus alterius testimonium labefactare possim aperiendo delictum verum;—3 quod pariter hoc non licet, si inæqualitas sit maxima quoad illatas injurias; nequit enim tunc justa compensatio intervenire.

Quæstio ergo tota est *de casu, quo duo ferme æqualiter sibi invicem famam læserint, et unus nolit eam restituere.* Alii cum Alasia, Lugo, Navarro, et Sporer negant in hac re dari compensationem; nam tu non restituendo alteri famam, non recuperas famam tuam ab illo violatam. Attamen sententia probabilior et communissima cum Billuart, Bouvier, Continuatore Tournely, Laymano, Lessio, Holzman, Roncaglia, Salmanticensibus, Sanchez, Sylvio et Soto docet posse læsum compensationem facere et restitutionem differre: nam est generale principium: *non cogeris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum* (2). Neque obstat, quod sic non restituatur fama; nam præterquamquod alterius testimonium remanet infirmatum per diffamationem, ideoque aliquo modo potest dici recuperata fama; tota ratio hujus opinionis est illa ratio generalis: *quando jura sunt paria, non est illi servandum jus, qui suum non servat* (3).

(1) «Si se tratase p. e. de una calumnia contra un pastor, un príncipe, un magistrado, la condonacion no dispensaria de la obligacion de hacer cesar el escándalo que resulta de la infamacion.» *Gousset*, n. 1080. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 999 1001.

(3) Tria pro praxi cum Gury: — 1 Si quis inhonoratus est, vindictam sumpsit, v. g. alterum percutiendo, vulnerando... plerumque non requiritur ulterior satisfactio pro fama: quia tunc ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et æstimationem de altero; — 2 a restitutione famæ eximuntur rustici, si inter ipsos facta fuerint æqualia convicia aut improperia, quia statim compensatio datur; — 3 in praxi sedulo advertendum est multoties expedire ut Confessarius omittat monere pœnitentem in bona fide existentem circa satisfactiones: imprimis, si prævideat monitionem non profuturam esse; vel si prudenter putet eum qui dehonoratus fuit, recusaturum esse reparationem, præsertim publicam, ne memoria injuriæ apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc.

ARTICULUS II — De modo quo lædITUR et reparatur honor.

Q. 1. *Quid est contumelia?*

R. Contumelia est *læsio honoris alterius absque justa causa; quæ fit in ipsa ejus præsentia; vel in ejus absentia, sed eo fine, ut alter resciat* (1). Differt a simplici detractione non solum quod illa honorem, hæc famam respiciat; sed etiam quod contumelia fiat aperte instar rapinæ contra præsentem, detractio vero instar furti occulti contra absentem. Contumelia autem multipliciter fit: — 1 omissione, si v. g. cultus superioribus debitus denegetur; — 2 factis, si v. g. superiorum imago conculcetur; — 3 dictis: hoc vero contingit vel objiciendo alicui naturales defectus, et dicitur *convicium;* vel defectus morales, et simpliciter appellatur *contumelia;* vel ejus indigentiam, et habetur *improperium.* Si vero quid jocando ei objiciatur, ut erubescat, dicitur *derisio* vel *irrisio* vel *illusio.* Quæ omnia sub uno contumeliæ nomine accipi solent, et eamdem speciem habent, si excipias derisionem, qui sane modus ab aliis specie differt ex parte motivi; nam ex Angelico alii intendunt honorem deprimere, hic pudorem et verecundiam causare (2).

Contumelia est peccatum ex genere suo mortale, sicut detractio; nam quemadmodum detractio proximum lædit in fama, ita contumelia lædit eumdem in honore, qui est bonum præstantius divitiis quibuscumque: hinc Apostolus contumeliosos a Regno Dei excludit (3). Sed erit aliquando tantum veniale, aliquando nullum peccatum.—1 venialis erit contumelia, tum ex imperfectione actus, tum *si sit leve convicium non multum hominem dehonestans, et proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi,* ut ait S. Thomas (4); — 2 nullum erit peccatum ex eodem Angelico, si convicium aliquod leve proferatur *causa delectationis ac joci, si debitæ circumstantiæ serventur;* id enim pertinet ad eutrapeliam. Idem est, si convicium dicere proficiat ad correctionem: *hoc modo Dominus Discipulos vocavit stultos, et Apostolus Galatas insensatos;* sed raro expedit, quia ex Augustino sæpius subditos ad iram excitat (5). Nota: contumelia erit multo gravior, si fiat in superiorem, cui quidem detraheretur non parum.

Q. 2. *An et quomodo reparandus honor per contumeliam ablatus?*

R. Honor ablatus reparandus est; cum pluris æstimetur divitiis. Et Christus dicit: *qui autem dixerit* (fratri suo) *fatue, reus erit gehennæ* (6). Excipe:

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 334, 966 et 984.
(2) 2, 2, q. 75, a. 1. (3) Rom. 1. (4) 2, 2, q. 72, a. 2.
(5) L. II *de serm. Domini in monte*, c. 19.
(6) Matth. 5. — « Etsi tamen honorem nostrum curare præstet (monet *Stapf*, § 332, cavendum ne sub specie virtutis putidum egoismum sequamur. Item caute in educanda juventute nos versari oportet, ne dum stimulum honoris provocamus, animi juvenilem dominanti ambitioni in prædam cedant.» — Aliud monitum gravissimum pro iis ex nobis, qui hominum æstimationem unium curant, urget § 330: « Etiam in cura admodum delicati esse debemus, ne aut populi aut magistratuum potentiorumque gratiam mediis indignis captemus, qualia forent nimia celeritas in faciendo Sacro, laxitas in Confessionali, turpis adulatio, conversatio justo familiarior, approbatio abu-

1 si recte credi possit illam recusari, ne memoria acceptæ injuriæ renovetur; 2 si adsit periculum, ne renoventur odia in actu illo; 3 si manifesta appareat injuriæ condonatio, ut si offensus sponte ad offensorem accedat, cum eo familiariter loquatur, jocose conversetur, etc.—Porro si honor fuit publice ablatus in præsentia aliorum, honor restitui debet coram illis, qui dehonorationi fuere præsentes; vel saltem per modum, quo satisfactio ad illorum notitiam queat facile pervenire; alioquin non restitueretur integre. Sufficit autem id agere etiam per aliam personam: qui enim per alium facit, per se facere censetur. Si vero ablatus fuit in præsentia tantum contumelia affecti, tunc satisfactio privata sufficit, nam pro modo peccati fit restitutio; sed semper fieri debet. Neque reparatur honor per communia signa postea ab offensore exhibita; quia hoc est pro præsenti honore, non pro damno præterito, quod tamdiu perseverat, quamdiu non reparetur per specialem satisfactionem.

Brevius: ad restitutionem honoris illa satisfactio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad integrandam æstimationem juxta conditionem personæ offensæ: sic v. g. si dehonorator fuit superior, sufficit si honorabiliter dehonoratum salutet, domum invitet et benevolentia excipiat; si enim amplius ageret non satis consuleret suæ dignitati. Unde ajunt raro superiorem teneri veniam petere a subditis, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas* (1).—Si vero dehonorator fuerit æqualis vel inferior, requiritur satisfactio major, v. g. ut locum ei cedat, salutando præveniat et similia peragat, quibus prudenter judicetur satis reddi ablatus honor. Ad veniæ autem petitionem quod attinet, ea non semper est necessaria; nam id unum justitia postulat, ut damnum reparetur ad æqualitatem, non autem quod hoc vel alio modo fiat. Aliquando autem non sufficit, ut si injuria sit gravissima, v. g. si subditus Superiori alapam impingat. Imo tunc veniæ petitionem debebit expostulare modo aliquo extraordinario, uti flexis genibus, ut proportio servetur.

Quid vero (dices) *si offensus jam vindictam sibi sumpserit de contumelia sibimet irrogata?*—Sententia communis tradit offensorem ab omni onere liberari; tum quia offensus per illam vindictam jam censetur sibi per se satisfecisse, tum quia offensor ipse vindictam patienter in se ferendo videtur culpam suam recognoscere, et sic offenso satisfacere (excipe si vindictam inter et offensam discrimen valde notabile existeret). Quod idem Lugo censet probabilissime, si a judice pro honore ablato jam pœna inflicta sit; in hominum enim æstimatione videtur satis honor reparatus (2).

Q. 3. *Quomodo se gerere debet contumelia affectus?*

R. Omnes tenemur contumelias patienter ferre animi præparatione, quatenus abjiciamus omnem vindictæ amorem exemplo Christi ac Sanctorum, nam vindicta Domini est.—Diximus *animi præparatione*, non enim semper

suum, qui alicubi invaluerunt, etc. etc. Quoties hominum favor nonnisi per media indigna acquiri potest, illius nos meminisse decet, quod ait Apostolus: *an quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem; Christi servus non essem* (Gal. 1.). ▸

(1) S. Augustinus, *Epist.* 211; alias 109.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III n. 990.

actu contumeliam silentio ferre tenemur : sic ipse Christus cum suscepit alapam, dixit: *quid me cædis* (1)? Igitur oportebit contumeliam illatam repellere : 1 propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, neque magis insolescat, dicente Scriptura : *responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur* (2) ; 2 propter bonum aliorum, ut si Prælatus eam tolerando redderetur in conspectu subditorum contemptibilis. Unde Gregorius dicit (3): *hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere.* Ita fere Angelicus (4).

Scholium.—*De secreti manifestatione, et libello infamatorio.*

Q. 1. *Quid est, et quotuplex secretum?*

R. Secretum, quod est *notitia rei occultæ*, triplex est: *naturale, commissum* et *promissum*. Naturale est illud, quod ab ipsa natura imponitur : ut si quid sciam, quod manifestare nequeam sine gravi alterius læsione in honore vel bonis. Quod si sciam ex alterius levitate vel casu, dicitur *naturale simplex ;* si de industria, *naturale extortum* (5). Commissum seu rigorosum est, quando quis alteri quidpiam manifestat, eidem committens silentium circa illud. Id autem fieri potest vel expresse, si expressis verbis silentium committatur; vel tacite, si ab ipsa rei manifestatæ natura id deducatur: uti contingit medicis, advocatis, theologis aliisque, ad quos nempe vel pro remedio vel pro consilio fit recursus. Promissum est quando non modo ille, qui rem manifestat, silentium exigit ; sed etiam quando accipiens illam notitiam silentium promittit.

An (quæres) *peccet qui violat secretum sine causa?*—Affirmative, quia aperte violat jus alienum : *qui ambulat fraudulenter* (ait Sapiens), *revelat arcana* (6). Imo per se loquendo id mortale est, cum sit contra bonum proximi ; nam loquendo de secreto naturali, ipsa naturæ lex jubet illud servari sub mortali et ex justitia, quoties ex illius revelatione graviter læditur ille cujus est secretum : quisque enim jus habet, ut secretum suum nemini manifestetur sine causa. Quod magis valet de commisso et promisso: nam in commisso tacite, in promisso expresse promittitur secretum non revelari: et revelans tenetur de damnis, si quæ sequantur ; cum injusta secreti revelatione, eorum fuerit causa vera et efficax.—Diximus *per se loquendo;* a gravi enim peccato excusat parvitas damni in secreto naturali ac commisso, et in promisso excusat intentio promittentis, si nempe tantum sub levi se obligaverit *(L)*.

Q. 2. *Quando manifestari potest secretum?*

R. Casus in quibus sine peccato (saltem gravi) secretum commissum potest manifestari, hoc versiculo continentur:

Res, consensus, inadvertentia, justaque causa.

(1) Joann. 18.
(2) Prov. 26.
(3) Homil. 9 in Ezech.
(4) 2, 2, q. 72, a. 3.
(5) Vid. de extorto supra art. 1. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 970.
(6) *Prov.* 11.

1. Quando res sub secreto commissa vel est parva, neque ex revelatione damnum timetur; tunc enim non videtur posse adeo strictam obligationem inducere: vel aliunde jam cognita est aut publica; tunc enim non detegitur secretum. Imo Azorius, Lugo, Mazzotta et Roncaglia probabiliter tuentur mortale non esse, rem gravem sub secreto commissam revelare sub eodem secreto uni vel alteri probo (modo non detegatur cui specialiter celari voluerit ille, qui secretum commisit); cum adhuc res possit dici secreta (1), in illis rerum adjunctis); 2 quando adest præsumptus consensus; 3 quando manifestatio contingit vel ex inadvertentia, vel ex indeliberatione, vel ex animi persuasione, quod res non sit gravis; 4 cum adest justa causa, si nempe secretum servare verteret in grave damnum commune vel innocentis vel ipsius committentis. Imo tunc etiamsi jurasses servare ex ordine charitatis illud recte revelas: est commune. Et idem probabilius ac communius dicendum si agatur de proprio damno vitando; neque enim præsumitur quis se voluisse cum tanto onere obligare: ita docent Elbel, Layman, Lessius, Lugo, Roncaglia, Sotus, Sporer, etc.

Sed quid (dices) *si quis promiserit, se etiam cum vitæ dispendio secretum esse servaturum?*—Tunc etiam cum gravi suo damno tenetur promittens stare promissis. Imo valde probabile et communius est cum Croix, Molina et aliis teneri ad secretum servandum cum ipso vitæ periculo, uti promisit; quia hoc non esset sibi mortem directe inferre, sed vitam minime tueri: quod licitum est ob justam causam, v. g. ad fidelitatem conservandam, cum id sit bonum virtutis.

Q. 3. *An liceat aperire et legere litteras alienas?*

R. Litteras alienas aperire licet: 1 si sciamus eas in nostrum injustum damnum fuisse conscriptas, vel in nostram injuriam cedere, quam intendimus a nobis propulsare; hoc enim ad jus propriæ defensionis pertinet. Sic v. g. Princeps potest aperire litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum omnium, quæ tempore belli a locis hostium finitimis circumferuntur. Item ministri publici, si id bono publico expedit; 2 si habeatur consensus expressus, aut saltem tacitus illius, a quo vel ad quem litteræ mittuntur, neque id speciali lege prohibeatur: ubi enim consensus adest, nequit esse injuria; 3 si Communitatis vel Instituti regulæ, aut legitima consuetudo id sinunt: sic Superior religiosus litteras aperit subditorum suorum; id enim valde confert, imo necessarium est ad disciplinam sustinendam: quod etiam de Superiore in Collegiis et Seminariis affirmandum ob eamdem rationem (2):

(1) «Hoc tamen non ita facile permittendum est; tanta enim est hominum loquacitas, ut vix secretum in uno sistere possit. Sub secreto unus alteri, secundus tertio, et ita successive res communicari novum non est: sicque occultissima sub secreti larva omnibus nota fiunt. Hinc Chrysostomus (hom. 3 ad pop. Antioch.): *si non vis effari, neque alteri ipse dicas; postquam autem alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis et inutilia admonens et obtestans pro dictorum custodia.*» Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 246.

(2) «Escepto (*Gousset*, n. 1070), cuando se trata de casos de conciencia ó de algun secreto de familia: y basta para prevenir cualquier abuso que el superior sepa que el súbdito escribe realmente á su director, ó á sus padres. Por la misma razon creemos que un padre de familia puede abrir las cartas de un hijo que esté aun bajo la patria potestad y un tutor las de su pupilo.» — Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 70.

4 si id necessarium sit, vel expediens ad avertendam injuriam alteri imminentem, modo non plus legatur, quam quod ad talem finem necesse sit: atque ille, cui imminet damnum, jus habeat litteras aperiendi ad malum illud propulsandum; qui proximo nostro consulere licet contra injustum damnificatorem.

Exceptis hisce casibus, erit mortale contra charitatem et justitiam legere litteras alienas (sive sigillo clausas sive non), si existimetur in iis contineri res gravis momenti; veniale vero, si contra: ideoque semper peccatum est. Sane quilibet ita jus habet ad suum secretum, ut ipse solus sciat, vel communicet cui voluerit. Quod si ille, a quo vel ad quem litteræ mittuntur, prævideatur id pro gravi sibi injuria habiturus, erit adhuc mortale contra charitatem, etiamsi res in litteris illis sic lectis non sint nisi levis momenti, idque ratione gravis tristitiæ inde orituræ. Dicimus *contra charitatem*, quia materia utpote in se levis, non est apta ex natura sua, nisi ad levem injuriam afferendam contra justitiam.

Quid vero de illo (quæres) *qui furtim scripta aliena legit, invito domino*?—Sic legens peccat duplici ex capite: 1 peccato curiositatis, etiamsi faciat animo discendi et sine ulla damni suspicione; cum hic discendi appetitus non sit secundum ordinem; 2 peccato injustitiæ; quia quilibet habet jus secreti suis in scriptis, quæ aliis non vult esse communia. Peccatum autem poterit esse etiam aliquando mortale, si nempe contingat cum notabili proximi damno (quod erit reparandum), vel cum magna et gravi ejusdem pœna et animi conturbatione.

Sed quid (inquies) *si dominus litteras dilaceravit et alter colligat, jungat et legat*?—Iste probabilius peccat; hoc enim ipso, quod dominus illas minutatim dilaceravit, satis ostendit haud velle, ut legantur; ex industria ergo colligere est agere fraudulenter.

Q. 4. *Quid est libellus infamatorius*?

R. Libellus infamatorius seu famosus est *scriptura vel signum ad aliquem publice infamia aspergendum*. Dicitur *scriptura*, sub quo nomine venit quidquid vel manu exaratur vel typis imprimitur: *vel signum*, sub quo nomine veniunt quæcumque emblemata, imagines, figuræ hominem decorantes (vulgo *caricatura, pasquin*): *publice*, ut enim reatus habeatur, scriptura vel signa publice sunt aut affiggenda, aut distribuenda et diffundenda. Varios diffusionis modos habet sequens versus:

Signa, muniscripta, atque emblemata, schedula, imago.

Libelli famosi auctores et complices graviter peccant, si occulta fratris publicent, licet vera; gravissime vero, si falsa, quia tunc detractioni superaddit calumnia. Cæterum etsi vera promulgent, semper gravius peccant quam alii, qui verbis tantum detrahunt; nam scripta ac signa evulgantur facilius et manent diutius: unde tunc ut restitutio sit efficax atque ad æqualitatem, fieri debet per scripta vel publica revocatione. In auctorem et complices libelli famosi animadvertit tum lex civilis mulcta pecuniaria ac carcere; tum lex Canonica, ex qua pœna est excommunicationis latæ sententiæ, si libellus sit contra R. Pontificem aut Cardinalem, aut contra Statum

Ordinum Minorum, vel Prædicatorum; non vero si sit tantum contra Religiosum particularem. Hæc est Papæ reservata. Si vero libellus alios respiciat, excommunicationis pœna non est, nisi ferendæ sententiæ (1).

Q. 5. *Quid de illis sentiendum, qui ad superiores litteras anonymas mittunt* (vulgo *cæcas*), *quibus occulta alicujus subjecti delicta manifestantur?* — Communiter docent, ipsos peccare mortaliter, quia est revelare notabilia occulta fratris: et saltem notabilem suspicionem in superiore excitant: et hoc maxime, cum id ordinarie procedat ex odio ac vindicta. At non esset peccatum, si id fieret ex charitate, solam emendationem quærendo, ac solum celetur nomen scribentis, justa de causa si nempe aliunde pro se malum aliquod timeatur.

Non possunt tamen per se loquendo superiores ex hujusmodi tantummodo litteris procedere ad specialem personæ nominatæ inquisitionem quoad delicta, quæ continent litteræ, etiamsi in illis notificentur testes, qui delictum valeant probare; quia hujusmodi litteræ nullam inducunt infamiam ex jure Canonico (2). Ita Rodriguez, Reginaldus, Lezena, Lessius et alii communiter. — Diximus *per se loquendo;* nam quando non agitur de pœna infligenda, sed de certioranda positiva bonitate personæ, quæ v. g. ad aliquod communitatis officium assumi debet, utique aliqua ratio harum litterarum haberi potest, prudenter scilicet inquirendo, num adsumendus ad illud debitis dotibus sit instructus. Nulla tunc ei irrogatur injuria; nam directa in eum inquisitio est de bonitate, non de crimine: ideo prohiberi nequit, cum pertineat ad publicum bonum, ut tantum digni ad publica ministeria deputentur (3).

CAPUT TERTIUM

DE BONIS FORTUNÆ.

ARTICULUS UNICUS. — De furto.

Q. 1. *Quid est furtum?*

R. Furtum communiter definitur *ablatio occulta et injusta rei alienæ, domino rationabiliter invito.* Dicitur 1 *ablatio*, ut distinguatur a simplici damnificatione, quæ fieri solet absque ablatione rei, uti contingeret in eo qui domum alienam incenderet. Hic tamen intelligitur etiam iniqua retentio (4);

(1) Jus Canonicum, caus. 5, 9, 1, cap. 2 et 3; et cap. 1 habetur: *qui in alterius famam publice scripturam aut verba contumeliosa confixerat, et respectus scripta non reprobaverit, flagelletur* (quot hodie et quoties flagellandi!); *et qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.* — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 995.

(2) *Decret.* Greg. l, V, t. 1 *de accusat.* — Vid. Ferraris, *Bibliot.* etc. V. Litteræ.

(3) Quod maxime currit de ordinandis, siquidem Ecclesia jam de istis specialiter inquirit, dum omnes efflagitat, ut si quid habeant contra ipsos, id in Domino deponant. Sed caute procedendum, ne detur ansa malevolis: et merito a malevolis id fieri creditur, si litteræ mittantur, cum non amplius suppetit inquisitioni tempus.

(4) Ex qua parte non videmus, quomodo a furti macula se valeant purgare *tum* illi qui finito

nam *detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta* (1); 2 *occulta,* ut distinguatur a *rapina*, quæ cum ipsa rei ablatione includit violentiam domino scienti et invito irrogatam; 3 *injusta,* aliquando enim qui alienum accipit, non furatur, imo actum virtutis exercet: esset si uxor auferat a marito pecunias, ne ludis indulgeat; aut vinum, ne ebrietur; aut librum perniciosum, ne pervertatur. Prudenter tamen agendum est hisce in rebus, ne dum unum peccati genus impedire quærimus, aliud gravius excitemus nimium provocantes alterius indignationem; 4 *rei,* quo nomine non corporales tantum res, sed etiam incorporea jura intelliguntur, ut census, credita, etc.; 5 *alienæ,* quia ut patet, non includeret juris alieni violationem, si in re propria committeretur. Nihil autem refert sive res sit aliena absolute et perpetuo, sive sit talis ad tempus tantum; 6 *domino rationabiliter invito:* ratio nempe furti in eo posita est, quod alterius jus violetur per ejusdem rei ablationem; atqui jus hujuscemodi non violatur, quando dominus rationabiliter tenetur in ablationem illam assentiri. Sic v. g. nemo furem diceret qui gladium ab ebrio vel mente capto se ipsum aut alium interfecturo surriperet.

Furtum aliud est simplex, aliud qualificatum. *Simplex* non habet aliam malitiam specie distinctam ab ipsa malitia furti. *Qualificatum* habet malitiam peculiarem sibi adjunctam ex aliqua circumstantia speciali: et aliud est 1 *sacrilegium,* quod est furtum rei sacræ, vel rei profanæ patratum in loco sacro; 2 *peculatus,* quo aufertur pecunia vel res ad Fiscum Principis aut Reipublicæ pertinens; 3 *plagium*, quo surripitur servus alienus vel etiam homo liber: sic dicitur quia de hoc crimine convictus damnabatur ad plagas; 4 *abigeatus*, a verbo abigere, quo abducuntur animalia e grege alieno.

Q. 2. *Quale peccatum est furtum?*

R. Furtum est peccatum ex genere suo mortale, idque probatur tum Scriptura; Apostolus enim scribit: *neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt* (2); tum ratione, quia per furtum violatur justitia, cujus præceptum est, ut *nemo lædatur, et jus suum unicuique servetur;* atqui justitiæ præcepta obligant per se sub gravi. Adde: per furtum maxime perturbatur atque subvertitur pax et tranquillitas Reipublicæ, uti per se patet. Unde S. Thomas ait, quod si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas (3); hinc Catechismus Romanus: *quam grave scelus furtum sit, ipsa naturæ vis et ratio satis ostendit.* Imo ne dum furtum, sed vel ipsum furti desiderium graviter prohibetur decimo Decalogi præcepto (4): contra quod

opere, inanibus subterfugiis de pacta mercede fere semper aliquid subtrahunt operariis, qui non consentiunt, sed consentire debent; *tum* illi, qui modo apud unum, modo apud alterum cauponem divertunt edentes et bibentes, nihil tamen solventes: ac inde gloriantur, cum male fecerint; *tum* illi, qui pensionis solutionem, quam collegiis, seminariis vel aliis contubernariis debent, recusant: vel ne solvant, infinitas prætexunt causas, propria auctoritate rem definientes, nec parsimoniæ student, nec aliquid sibi subtrahunt, ut valeant propriæ obligationi facere satis, quasi agatur de supervacanea illis facta donatione, non de stricto debito justitiæ.

(1) S. Thomas, 2, 2, q. 66, a. 3. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 518.

(2) I Cor. 6. (3) 2, 2, q. 66, a. 6.

(4) Quod sapienter actum est: idque 1 ut nemo de sui justitia sibi blandiatur, dum abstinet se ab omni exteriori peccato, sed interim peccatum tenet in corde; 2 ut significetur, Deum esse cor-

proinde peccant tum mercatores qui rerum penuriam expetunt, ut suas merces carius vendant et sic aliorum miseria ditescant; tum milites qui bellum exoptant, ut impune aliena diripiant; tum medici qui ideo morbos, judices qui ideo lites, advocati qui ideo contentiones concupiscunt, ut ditescant; est enim concupiscere alienum sine justa causa.

Diximus *ex genere suo;* nam furtum peccatum erit veniale vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione actus. Si furtum grave est, gravis erit obligatio restituendi; si furtum est leve, erit levis obligatio; justitia enim exigit, ut omnibus reddatur usque ad ultimum quadrantem, atque ut pro mensura illatæ injuriæ sit reparationis ratio (1).

Q. 3. *Quænam censenda gravis et notabilis materia furti?*

R. Materia furti potest esse gravis et notabilis, absolute et relative: 1 dicitur *absolute* gravis, quando in communi hominum sensu per se censetur sufficere ad constituendum peccatum lethale: tunc autem censetur constituere lethale peccatum, quando res ablata juxta judicium prudentum potest unicuique afferre gravem utilitatem: id autem censetur talem utilitatem afferre, quod ad quotidianam sustentationem viri honesti, seu mediocriter divitis requiritur et sufficit; 2 dicitur *relative* gravis, quando respectu quorundam, v. g. pauperum, quibus res furto aufertur, censetur gravis; respectu vero aliorum v. g. divitum, censetur levis: *in amissione unius gallinæ*, ait Angelicus, *plus* (pauper) *gravatur, quam unus multum dives gravaretur in mille marcis* (2). Patet autem, quod determinatio materiæ absolutæ ad judicandum de peccati gravitate, tunc, tantum debeat habere locum, quando ignoratur status ac conditio personæ damnificatæ; sed in aliis casibus habenda est ratio materiæ relativæ.

Hisce præmissis, dicimus: sat communiter antiquitus assignabantur tres circiter libellæ (vulgo *tres francos*) ad constituendam materiam in se et absolute gravem. Materia autem relative gravis, habita ratione ad diversas sententias sic determinabatur: erat videlicet materia gravis: 1 *pro mendicantibus* summa centesimorum 50; imo etiam 25 in casu raro magnæ paupertatis; 2 *pro fossoribus* atque similibus operariis, communiter loquendo, una tantum libella: pro artificibus vero aliquid amplius; 3 *pro communiter*, sive pro *mediocriter divitibus* duæ libellæ: et minus pro iis, qui ex propriis misere vivunt; 4 *pro absolute divitibus* tres libellæ: idem etiam pro mercatoribus valde opulentis; 5 *pro magnate ditissimo* quinque libellæ, idem putabant pro communitate valde opulenta: saltem pro hac dicebant sufficere quinque libellas cum dimidio; 6 *pro Regibus* decem libellæ (3).

Diximus *antiquitus assignabantur;* hodie enim communiter Auctores non ite severiores sunt; nam pecunia hisce temporibus utpote in humano com-

dium scrutatorem, simulque demonstretur excellentia divinæ legis supra humanas, quæ non possunt interiora dirigere; 3 ut peccatum in sua radice destruat; prava enim cupiditas et peccatum est, et omnium peccatorum fons, cum ex corde exeant omnia delicta atque scelera.

(1) Rustici, præsertim parvuli, mortalia ex errore conscientiæ sæpe reputant furta in se levia, et in Confessione non raro reticent: ideo interrogandi.

(2) Opus de *erud. Princ.* l. VII, c. 8.

(3) Ita Alphonsum nostrum interpretatur Pater Neyraguet in suo *Compendio Theologiæ* ejusdem Sancti. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 527.

mercio abundantior, non ita habetur pretiosa : ideoque Theologi majorem summam requirunt ad mortale furtum constituendum. Porro in hac re (quæ magnopere pendet a prudentum æstimatione) major auctoritas majorem constituit probabilitatem, ut ait Alphonsus noster. — Si igitur agatur de summa absolute gravi, eam determinant ad quinque aut sex circiter libellas (vulgo *francos*). Si vero agatur de materia gravi relative spectata, attentis præcipuis Europæ locis et temporum nostrorum adjunctis, ad eam ex Gury requiri videtur : 1 circiter valor unius franci relate ad pauperes, et non raro minus pro majori necessitate; 2 circiter duo vel tres franci relate ad operarios, qui labore diurno victum sibi comparant; 3 circiter quatuor vel quinque franci relate ad homines mediocriter divites; 4 circiter sex vel septem franci relate ad divites ordinarios; 5 tandem a peccato gravi numquam excusabitur qui novem vel decem francos subripuerit apud ditissimos, etiam Principes (1) *(M)*.

Q. 4. *An et quandonam minuta furta constituunt grave peccatum?*

R. Ad 1 : Certum est etiam per minuta furta mortaliter posse delinqui, si nempe illa ad notabilem quantitatem pervenerint etsi sint facta diversis dominis (modo inter illa non interponatur magnum intervallum). Esto quod tunc domini non sint graviter læsi formaliter; sed sic læsi sunt quasi radicaliter, scilicet in ea re, quæ nisi graviter prohibeatur, magnum sequeretur inconveniens contra bonum publicum et contra indemnitatem etiam singulorum. Si enim liceret unicuique ex industria ditescere ex alieno, fraudando mensuras, falsificando merces, et alia hujusmodi faciendo, quæ esset facies Reipublicæ? quæ securitas? qui mores? Sed notandum est, quod ad constituendam gravem materiam major quantitas requiritur in furtis minutis, quam in aliis; minus enim in istis quam in aliis solent certo domini esse inviti. Hinc si minuta furta fiant eidem personæ diversis vicibus, aut personis diversis eodem tempore, ad materiam gravem requiritur et sufficit (nostra quidem sententia) unum simplex cum dimidio; v. g. si sint materia gravis scuta quatuor, per furta minuta requiruntur sex. Si vero hujusmodi furtula fiant diversis personis et vicibus diversis, putamus requiri duplum, scuta nempe octo; quia tunc gravitas non tam exurgit ex damno illato, quam quod ille ditescat de alieno. — Item in furtis rerum expositarum, ut sunt fructus secus vias et ligna in sylvis, ad gravitatem major requiritur materia. Quod idem ordinarie docent de furto esculentorum ac poculentorum; ac de furtis uxorum et filiorumfamilias.

R. Ad 2 : Minuta furta tripliciter possunt contingere : *vel quando unus multum furatur in globo, sed parum singulis personis :* sic mercator, qui utitur statera dolosa, parum a singulis fraudat, sed multum ab omnibus simul sumptis. *Vel quando plures furantur uni, singuli parum, sed simul sumpti multum :* ut si plures latrones ingrediantur domum alienam, et parum sin-

(1) Prof. Talento hac de re habet : « respectu Regis assignatur summa 40 libellarum ; respectu mediocriter divitum tres libellæ sufficerent ; respectu artificum triginta circiter solidi (libella cum dimidia) ; respectu operariorum una libella ; respectu mendicantium decem prope solidi (dimidia libella). » Hæc regula potest etiam attendi, si placet ; sed furtum excipe respectu Regis, quod nostra sententia, nimis exorbitat.

guli surripientes domum expolient. *Vel quando unus pluries furatur uni, sed parum singulis vicibus*, ut famulus vel filius qui quotidie parum a domino vel patre sustulit ad ludum. Hoc posito:

1. Qui pluribus personis furatur, parum quidem singulis, sed multum in globo, peccat graviter; quia dolose ditescit de re aliena gravi: hinc Scriptura: *non habebis in saculo diversa pondera: statera dolosa abominatio est apud Dominum* (1); — 2 si plerique simul uni furentur pauca, quæ simul collecta damnum grave proximo irrogent, tunc si id agunt communi consensu atque consilio, singuli graviter peccant; quia singuli suo consilio atque consensu cooperantur moraliter in totum damnum, ideoque etiam singuli tenentur in solidum ad restitutionem. Quod si agant independenter unus ab alio, et tunc nemo eorum peccat mortaliter, neque ullam contrahit restituendi obligationem gravem; quia nemo in hoc casu esset causa formaliter injusta gravis damni alieni. Imo probabilissimum est neminem eorum peccare graviter, etiamsi sciant per minuta illa furta grave damnum domino irrogari; semper enim verum est neminem esse causam efficacem totius damni, sed per accidens ab aliis obvenit domino. Ita Habert, Lessius, Salmanticenses, Sanchez, Sotus aliique; — 3 qui uni pluries furatur, sed parum singulis vicibus, si non intendat inferre grave damnum, neque paulatim ditescere, in singulis furtis levibus non peccat graviter, quia tunc nulla est ratio, qua latro possit damnari de mortali; non res furtiva quæ, ut supponitur, modica est; non animus furis qui non habet conscientiam nisi de levi. Excipe casum quo furta levia simul sumpta pervenerint ad notabilem quantitatem, *quin inter illa notabile intervallum intercesserit;* tunc ea simul uniuntur non quidem statim et ex animo, sed ex re accepta, unde fur sub gravi tenetur ad restitutionem, etiamsi illa furtula singulis vicibus consumpserit; tenetur enim eo in casu non quatenus illa retinet, sed quatenus accepit. Diximus *quin inter illa notabile intervallum intercesserit;* ajunt enim Lugo, Layman Roncaglia, Sanchez, Viva, etc., furtula moraliter non coalescere, si inter illa notabile adsit intervallum, v. g. saltem duorum mensium, et absit animus amplius furandi; nam tunc ex hominum acceptione non amplius videntur constituere unum et idem objectum in genere moris (2).

Sed quomodo (quæres) *restituenda erunt quæ per minuta furta ablata sunt?* — Certum est ea sub gravi esse restituenda cum ad notabilem quantitatem pervenerint. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 38 propositio: *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Porro si domini incerti sunt, ea restitutio sub gravi facienda est pauperibus aut locis piis, juxta præsumptam videlicet dominorum voluntatem (3). Si vero domini certi sint, tunc singulis sua portio sub gravi tribuenda est, si portio singulis ablata per se materiam gravem constituat: hoc patet per se.

Quid (addes) *si singuli domini non sint graviter damnificati?* — Tunc etsi

(1) Deut. 25; et Prov. 11.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 530.

(3) Ex *Decr.* Greg. l. V, t. XIX *De usur.* c. 5. — Quæ distributio fieri debet pauperibus loci, ubi læsio facta est, si verosimiliter speretur, quod ita res sit ad suos dominos perventura.

adhuc dominis videatur facienda restitutio juxta regulam generalem, quod nempe res quælibet sive parva sive ingens sit, semper clamet ad dominum, *nihilominus,* ait Alphonsus noster *puto cum aliis doctis, quos super hoc puncto consului, non peccare graviter qui restitueret pauperibus loci;* nam fur in eo casu non intulit damnum grave dominis, sed Reipublicæ; hæc vero merito præsumitur non ita esse graviter invita, si restituatur partibus magis indigentibus. Hinc concludimus, quod licet *communissimum* sit quod tabernarii pro minutis furtis per se loquendo debeant restituere civibus, qui minutas merces emunt; excusarentur tamen a gravi ex dicta ratione, si restituant pauperibus aut Institutis et piis locis: imo etiam a veniali, accedente aliqua rationabili causa, puta si urgeat necessitas pauperum, vel infamia timeatur (1).

Q. 5. *Quid de iis, qui ligna in sylva Communitatis cædunt?*

R. Certum est Communitati cuilibet fas esse ob bonum publicum sub aliqua pœna vetare, ne quis ligna in sylva cædat, dummodo aliunde oppidani possint sibi commode providere. Hac tamen prohibitione data, communiter docent cum Bonacina, Filliucio, Laymano, Lugo, Molina, Salmanticensibus Sanchez et Soto, quod non peccat, saltem graviter, incola in eadem contra prohibitionem illam ligna cædens: neque tenetur ad restitutionem nisi magnam faciat lignorum stragem, sed tenetur tantum ad pœnam post judicis sententiam (1); talis enim prohibitio habetur uti pure pœnalis, sicuti fert communis consuetudo (2). Diximus: nisi *magnam faciat lignorum stragem;* tunc enim excederet in jure suo particulari. Hæc autem ut *magna* dicatur, non est attendenda gravitas materiæ in se, sed damnum quod ipsi infertur Communitati. Hinc videtur non peccare saltem mortaliter qui sibi comparat unam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, vel duas singulis hebdomadibus etiam ad vendendum; quia quod dives accipit ad usum proprium, pauper accipit ad vendendum, ut vivat *(N).*

Q. 6. *Quid sentiendum de furto uxoris?*

R. Uxor furti rea non est subducendo aliqua pro victu, vestitu, cæterisque familiæ necessariis, quæ sæpe mariti non intelligunt, et frustra ab illis peterentur: consuetudo etiam tale jus eidem concedit (3). Sane uxor non est mancipium, sed socia viri; ergo plane expers esse non debet administrationis domesticæ; etiamsi viro ut capiti subjecta sit. Hoc tamen esse debet in ea mensura, quam proprius status concedit, et quam communiter tenere solent ejusdem conditionis timoratæ uxores; nam si uxor, marito rationabiliter invito, vel ejus voluntate non satis prudenter præsumpta, notabilem summam impenderet in eleemosynas, donationes, itinera ex bonis, quæ subjacent administrationi mariti, peccaret graviter; cum præter injuriam, quæ marito

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. x, n. 28; et *Opus Mor.* l. III, n. 595.

(2) Id tenet etiamsi quis ligna cædat de sylva ulterius Communitatis vicinæ, ut Filliucius, Lugo et Molina docent; quia illa communitas videtur esse contenta illius pœnæ, quam a cædentibus exigit: et hoc præsumitur cum læsa silet neque damni per lignorum cæsuram sibimet irrogati compensationem curat. Quod autem dictum est de sylvis quoad scissionem arborum, dicitur etiam de agris ac pratis quoad pascenda animalia. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 529.

(3) Recte monent ne Confessarius in concedendis ejusmodi expensis, quæ viro nesciente fiunt, facilis sit, eo quod uxores propensæ sint ad jura sua plus æquo extendenda.

ipsi irrogaretur, familiæ etiam præjudicium non leve ex nimia illa liberalitate certo impenderet.

Neque dicas tam uxorem quam maritum æque posse administrare, cum jura sint æqualia; respondet enim Angelicus: *quamvis mulier sit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his, quæ ad dispositionem domus pertinent, vir caput est mulieris secundum Apostolum I Corinthiorum* II (1). Verum ut teneatur ad restitutionem uxor, major bonorum quantitas sublata requiritur quam in aliorum furtis; cum maritus non adeo sit invitus.

Quid resolvendum est (quæres) *si uxoris pater, mater vel proles ex alio matrimonio suscepta egeat?*—Ubi maritus nolit ipsis opitulari, poterit id facere uxor etiam ex communibus bonis si propria non habeat; jure enim naturæ tenetur eosdem alere, et maritus debet consentire. Hanc facultatem extendunt etiam ad fratres et sorores Lessius, Lugo, Molina, Sanchez aliique (2): adde jus civile. Neque uxor hæc bona in tali necessitate tributa referre debet, cum venerit in mariti hæreditatem, vel cum dotem suam recuperaverit, si sint parvi momenti; quia tunc habentur ut eleemosynæ communes: si tamen sint alicujus momenti, tenetur ea recompensare filiis secundarum nuptiarum.

Sed quid (dices) *si maritus ipse notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendat, teneturne ad restitutionem?*—Disputatur: prima sententia probabilis affirmat. Ratio est, quia licet maritus habeat administrationem bonorum; uxor tamen habet dominium dimidiæ partis illorum, et proinde jus illud violatur, si ipsa rationabiliter invita, pars illa a marito dissipetur. Secunda sententia etiam probabilis, negat generatim, nisi maritus excedat limites juris ipsi a lege concessi. Ratio est, quia uxor ex lege non habet jus strictum, nisi ad suam partem bonorum, quæ, soluto matrimonio, extabunt; nec tenetur maritus reddere rationem suæ administrationis; unde quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios, non tamen peccat contra justitiam proprie dictam, quæ restitutionis obligationem inducit. Sed uxor præcavere potest bonorum dissipationem per facultatem, quæ ipsi conceditur a lege, separationem bonorum juridice postulando; et interim bona abscondere, ut in utilitatem familiæ servet.

Q. 7. *Quid de furtis filiorumfamilias?*

R. Filiifamilias graviter peccant, si invitis parentibus, ex bonis domesticis sibi surripiant summam notabilem; non enim sunt bonorum illorum domini. Hinc in Scriptura legimus: *qui subtrahit aliquid a patre suo et matre et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est* (3). Unde si cohæredibus noceant notabiliter, tenentur sub gravi ad restitutionem ex bonis castrensibus vel quasi-castrensibus, si quæ habeant, vel quantitatem rei ablatæ conferendo in divisionem hæreditatis post mortem patris, nisi pater ipse expresse vel tacite restitutionem remiserit, et remittere potuerit. Quod si filius sit solus, neque habeat cohæredes, Sanchez eum liberat ab omni onere restitutionis, quia (inquit) pater in hoc casu censetur minus invitus, et aliunde filius est aliquid patris.

(1) 2, 2, q. 32, a. 8. (2) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. x, n. 33; *Opus Mor.* l. III, nn. 539 et 546.
(3) Prov. 28. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 543; *Homo Ap.* tract. x, n. 32

Sed quænam summa (dices) *erit in furtis filii censenda tamquam notabilis?* —Dicunt Lessius, Navarrus et Filliucius, etc., non peccare graviter filium, qui patri diviti furatur duo, aut tria scuta; imo dicit Bannez quod a patre valde opulento non est mortale furtum, nisi ascendat ad 50 scuta; sed hoc rationabiliter respuunt De Lugo et La-Croix, nisi esset filius Principis. Et idem dicit Holzman, qui contra admittit non esse grave surripere decem scuta a patre nimis divite; Sanchez admittit usque ad sex. Si vero pater mitteret filio, qui alibi studeret, centum scuta, dicunt probabiliter Sotus, Navarrus Layman, etc., filium posse impendere quinque eorum in honestas recreationes. Advertit tamen Lessius quod licet filius peccasset graviter furando patri, non est obligatus restitutioni, quando furtum est jam consumptum, et præsumitur pater nolle ad tantum eum obligare (1).

Q. 8. *Quid sentiendum de famulorum furtis?*

R. Si famuli exculenta et poculenta domo exportent in materia gravi, aut divendant, graviter peccant et tenentur ad restitutionem; cum domini graviter et jure sint inviti. Si vero domi consument, facilius excusantur, nisi sint pretii extraordinarii; quia dominus, maxime si non sit ita tenax, in his ut plurimum, esse solet magis invitus circa modum illum occultum, quam circa rerum substantiam; sciunt enim domini id communiter evenire, attenta humana fragilitate, ad modum quo operarios in vineam conducens scit uvas ab iis esse comedendas ad saturitatem; nam quis bovi trituranti os alligabit?

Si famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, peccant mortaliter; nec major quantitas requiritur, quam in aliorum furtis; imo eorum furtum qualificatum est; ac *Codice pœnali* gravius punitur (2), cum domini sint maxime inviti, et famuli ipsorum abutantur confidentia.

Sed quid (quæres) *si famuli non impediant furta in rebus dominorum?*— Tenentur ipsi restituere, si furtum fiat ab extraneis; nam ex officio tenentur rem dominorum tueri; ac ideo valde probabiliter omnes obligantur etiam in solidum. Si vero furtum fiat ab aliis domesticis, adhuc tenentur, si res sit ipsi commissa specialiter, vel se obligaverint, vel teneant præsidentiam totius domus; nam tunc habent determinatum onus. Si secus, licet alii item affirment cum Bouvier generali ratione famulatus; alii tamen negant communius et probabilius cum Lessio, Lugo, Holzman, Salmanticensibus, Vogler, etc.; quia res domini tueri a domesticis ex justitia non obligantur, sed solum ex præcepto generali charitatis; justitia enim respicit extraneos (3).

Q. 9. *Quænam excusant a furto?*

(1) Parentes in hac re delinquentes filios graviter puniant, atque ipsis continuo invigilent; pessima enim ac probrosa furandi consuetudo difficile rumpitur, atque tristissimos exitus habet. Hinc reprehendendi genitores illi, qui aliquid domum deferentibus eorum filiis, leviter acquiescunt ipsorum futilibus rationibus: principiis fortiter obstent, neque sinant, ut vel quid minimum surripiant quocumque prætextu. «Los hurtos (ita liber, *Metodo per la direzione delle anime* etc.) que los hijos de familia cometen contra sus padres, son no solo pecados contra justicia, sino que disponen á gravísimos males: ordinariamente se cometen para dar pábulo á la vanidad, á la intemperancia, al juego, etc. El Párroco inspirará contra tales robos el horror que se merecen y procurará preservar de ellos á los jóvenes. Clamará no menos contra los que cooperan á ello, ó compran á los hijos de familia los objetos robados.»

(2) *Cod. pæn.* art. 439. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 344 et 545.

R. Duo a furto excusant: necessitas atque compensatio.

1. Nomine *necessitatis* a furto excusantis non intelligitur necessitas ordinaria, quam communiter patiuntur pauperes ostiatim viventes; alioquin nihil esset magis commune, quam furtum. Neque gravis, si grave nempe secus damnum timeatur, v. g. gravis infamia, dedecus, aut e proprio statu juste acquisito decidendi periculum; hanc enim facile quisque fingere potest. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 36 propositio: *permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*—Tantum extrema necessitas hic intelligitur, et est quando vita ipsa periclitatur; quod tamen raro evenit: at si quando eveniat, certum est eum, qui tali laborat necessitate, posse per se alienum surripere quantum satis est ad se liberandum ab illo mortis discrimine, quin teneatur petere, ut docent communiter cum D. Thoma. Sane tunc omnia bona sunt communia; jus enim gentium, quo bonorum divisio facta fuit, non potest derogare juri naturali quod cuique competit vivendi in extremis de quibuscumque bonis (1). Et idem dicunt de necessitate proxima extremæ, aut illi æquivalenti; qui enim in ea constitutus est potest sibi mediis quibus valet, providere, cum in moralibus parvi non habeatur æstimatio. Talis esset necessitas illius, qui vel est in probabili mortis periculo, aut amittendi membrum aliquod principale, aut aliquem sensum, puta oculum; vel est in proximo periculo incidendi in perpetuam captivitatem sive pœna triremium, in gravissimam aut perpetuam infamiam ac morbum.—Id autem quod licitum est auferre pro necessitate propria, licet quoque pro necessitate suorum, nempe uxoris, parentum et filiorum. Quidam addunt fratres et sorores, si adhuc sint in tenera ætate, et sibi providere nequeant.

Sed quid (dices) *si dives negligat succurrere pauperi in extrema necessitate, tenebiturne de damnis, si quæ pauperi obvenerint?*—Si dives pauperem impedit vi, ne bona sua accipiat, de restitutione tenetur; nam cum eo in casu habeat jus pauper rebus illis utendi, habet etiam jus, ne impediatur ab illis. Si vero tantum negligit dare, probabilius non tenetur de damnis: nam obligatio sua est tantum charitatis; sicut enim quando omnia bona erant communia, quisque quod vellet, poterat accipere, nemo tamen ex justitia tenebatur dare: ita et in casu nostro, ubi iterum bona communia evadunt. Ex quo deducitur, quod etsi pauper in veriori sententia etiam rem magni momenti possit auferre, quin petat, si ea absolute indigeat; dives tamen eam non tenetur tradere, cum tantum ex charitate teneatur, quæ per se loquendo non obligat cum gravi incommodo (2).

2: *Compensatio* impropria, quæ definitur: *acceptio rei alienæ sibi debitæ inscio debitore* (3), licita est sub debitis conditionibus; sic enim redditur unicuique suum. Conditiones sunt: 1 ut debitum sit ex justitia; si enim esset

(1) *Quæ sunt juris humani non possunt derogare juri naturali, vel juri divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina Providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati. Et ideo per rerum divisionem et appropriationem ex jure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus.* Angelicus 2, 2, q.66.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 31; et l. III, nn. 520 et 701.

(3) Quoad compensationem propriam vid. dicta de *Restitut. in genere*, c. 5.

ex charitate vel gratitudine, non esset rigurosum debitum, nec in rigore compensandum ; 2 ut nequeat recuperari neque via juris neque alio modo sine notabili damno et molestia, aut sine gravi offensione aut inimicitia ; secus bono publico expedit, ut nemo sibi jus dicat. Hoc tamen omittere est tantum veniale ; quia defectus non esset nisi in modo; 3 ut sit liquidum, nempe clarum, certum et sine exceptione ; alioquin semper melior est conditio possidentis; 4 ut compensatio fiat in re debitoris; secus esset cum damno tertii : uti contingeret, si fieret in re deposita vel commodata; 5 ut debitor quantum fieri potest moneatur de debiti sui extinctione, ne vivat in conscientia erronea.

Attamen cum hæc res sit plena periculi et hallucinationis, bonum erit, si numquam fiat sine consilio Directoris vel Confessarii, cui innotescant singulæ circumstantiæ, personarum præsertim et rerum (1).

An (quæres) *possit famulis permitti, ut sibi occulte compensent in bonis domini, si non satis sibi tribui prætendant?*—R. Negative generatim loquendo ; hoc semel admisso, furta passim inducerentur. Unde Innocentius XI hanc sub n. 37 damnavit propositionem : *famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Quare non facile famuli audiantur, qui fere semper solent conqueri ac propriam miseriam exaggerare.—Diximus *generatim loquendo ;* nam Salmanticenses circa hanc Pontificis condemnationem explicando docent: 1 quod famulus nihil quidem possit sibi occulte compensare, si absque necessitate libere convenerit cum domino de stipendio minori; tunc dominus illi dicere potest: *nonne ex denario convenisti mecum?* possit tamen aliquid, si ex necessitate, id est si ad levandam miseriam convenerit de salario notabiliter minori, quam justum sit; non enim Pontifex intendit obligare contra justitiam (2); 2 quod famulus, si ex sui electione operas augeat, nihil possit sibi compensare : tunc censetur operam suam condonare ad domini benevolentiam conciliandam. Si vero operas augeat ex domini voluntate expressa vel tacita, compensatio erit concedenda ; quia *dignus est operarius mercede sua* (3).

(1) « Verum etiamsi (notat ad rem toties relatus *Stapf,* § 449), omnes hæ conditiones adsint, leges tamen civiles tali compensationi parum favent, utpoteque ordo juris negligitur, atque discussio causæ ad privatum exactoris judicium defertur. Unde etiam in Confessionali, ubi hujus generis casus exponuntur, nos cautissimos esse oportet, ita ut eam vix umquam consulere et raro permittere expediat. At vero compensationi jam factæ, siquidem nullæ ex necessariis conditionibus desiderentur, eatenus connivere licet, ut pœnitens ad restitutionem haud obstringatur. »

(2) Hinc si famulus necessitate coactus convenit pro parvo pretio, poterit sibi compensare usque ad pretium infimum. Quod tamen ita accipiendum est, tum quod dominus alios famulos pro eodem parvo pretio juste non invenerit, tum quod famulus se ipsum ultro non obtulerit pro pretio illo eumque dominus non susceperit ex pietate, et ex bona quadam animi indulgentia : unde in hac re caute procedendum est.

(3) *Sed* (dices) *cujusnam erit judicium circa justitiam vel injustitiam stipendii in comparationem laboris famulatui respondentis?* — Salmanticenses tenent posse ipsum etiam famulum ex se judicare, ideoque ex propria conscientia suam sibi operam compensare. Hoc nobis videtur satis probabile, si tamen agatur de famulo, qui sit vir prudens, timoratus, vere aptus ad recte judicandum, et certus omnino de justitia compensationis, remoto quolibet hallucinationis periculo. Quod tamen quam rarissime eveniat, nemo est qui non videat. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 522 et seqq.

MONITUM *pro Confessariis circa furta:* Inquirant Confessarii a fure: 1 quantitatem; 2 intentionem plus furandi, si habita fuerit, et quantum; 3 damnum extrinsecum, seu lucrum cessans et damnum emergens; 4 renovamen intentionis furandi, aut retinendi alienum; 5 ex Billuart an a paupere, vel divite furatus sit; sed non præsumant animarum Directores individuales casus certo resolvere, hoc est mortale, hoc veniale, nisi id constet aperte; sed plerumque expedit cum S. Augustino suam ignorantiam fateri. Et dum ea de re a pœnitentibus interrogantur, prudenter responsionem absolutam declinent, illisque omnium peccatorum etiam venialium horrorem incutiant (3).

(3) *Examen Raisonné.*, vol. 1.

APPENDIX

De justitiæ filiabus ac cæteris virtutibus cardinalibus.

CAPUT PRIMUM

DE PRÆCIPUIS JUSTITIÆ FILIABUS (1).

ARTICULUS I — De pietate, observantia, obedientia et veracitate.

Q. 1. *Quid pietatis, et observantiæ nomine?*

R. Ad 1 : *Pietas* late idem sonat ac *vitæ bonitas et morum integritas*, ita ut ille *pius* dicatur, qui probitate et innocentia præstat: est etiam Spiritus Sancti donum, quo prompte movemur ad Dei cultum. Si vero pietas stricte accipiatur, ex D. Thoma est *virtus moralis, qua bono animo afficimur in parentes, atque in patriam nostram:* in parentes, a quibus gignimur et gubernamur; in patriam, in qua nati sumus et educati. Ad parentes reducuntur *consanguinei, qui referuntur ad principia nostri esse* (2): ad patriam referuntur concives propter eorum cum ipsa conjunctionem.

R. Ad 2: Observantia est *virtus moralis, qua personis dignitate præstantibus debiti honoris signa et reverentiæ argumenta deferimus.* Sane non eos solos debemus in societate colere et revereri, qui nobis præsunt ex officio; sed etiam illos, qui ratione quacumque præeminent sive ætate, sive sapientia et doctrina, sive honoris et muneris gradu, etc. *Est debitum morale*, inquit Angelicus, *quod ex quadam honestate debetur: et hoc modo debemus cultum et honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiamsi non simus eis subjecti* (3).

Graviora præcepta pietatis et observantiæ sunt: — 1 ut debitus cultus et honor parentibus, patriæ, superioribus et singulis in dignitate constitutis, vel clara aliqua prærogativa fulgentibus, exhibeatur verbis et factis; — 2 ut molestiæ, quas nobis vel difficiles consuetudine vel ingenio nimis interdum fastidiosi afferunt, æquo animo ferantur, neque ideo debita ipsis officia prætermittantur: *fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius: et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua* (4); — 3 ut illa ipsa officia cum quodam jucunditatis sensu et animo lubenti persolvantur; quod quidem meritum operis auget.

Q. 2. *Quid est obedientia?*

R. Obedientia est *virtus moralis, quæ reddit promptam hominis voluntatem ad exequendam voluntatem alterius, scilicet præcipientis:* ita Angelicus (5).

(1) *V.* Orsini, *I fiori del Cielo.*

(2) S. Thomas, 2, 2, q. 101 et 103. — *V.* Roberti, *Dell' amor della patria.* — Porioni, *Difesa della patria.* — Stapf, § 500. — Châteaubriand, *Genio* etc. l. V, c. 14. — Taparelli, *Saggio teorico* ecc, nn. 945 etc. (3) L. c. q. 102. (4) Eccli. 3. (5) 2, 2, q. 104.

Speciale ergo obedientiæ objectum est præceptum superioris tam si expressum sit, id est verbis voluntatem ejus clare manifestantibus; quam si sit tacitum, id est signis ad illam voluntatem indicandam. Hoc tamen intellige, modo divinæ voluntati non adversetur; nam secus obtemperandum potius est Deo, dicente D. Petro: *obedire oportet Deo magis quam hominibus* (1); quando enim a superiori principio certe movemur, inferius suam amittit vim.

In se et ratione sui objecti una est obedientia; sed ratione superioritatis, a qua procedit præceptum, quadruplex distingui potest: civilis, ecclesiastica, domestica et sacramentalis. *Civilis* in eo consistit, quod populi Principi et Magistratibus subjiciantur, legesque servent ad commune civium bonum promulgatas; ex quo oritur tam ipsius Reipublicæ quies, quam etiam subditorum salus; *Ecclesiastica* per quam fideles in rebus ad Religionem pertinentibus obtemperant Sacerdotibus atque Prælatis; ex qua et doctrinæ puritas et fidei unitas conservatur. *Domestica* qua uxores maritis, filii parentibus, servi dominis, discipuli præceptoribus parent: ex qua pendet omne familiarum bonum et pax. *Sacramentalis*, per quam fideles in Sacramento Pœnitentiæ subjacent et obediunt proprio Confessario: et sic consulitur conscientiarum tranquillitati. — Obedientia civilis, ecclesiastica atque domestica dicitur necessaria, quatenus in arbitrio nostro non est eligere Principem, Episcopum et parentes, quibus obtemperemus. Sed obedientia sacramentalis dicitur voluntaria, non quatenus sit in nostro arbitrio eam præstare vel negare; sed quatenus generatim pendet a nobis electio Confessarii (2).

Obedientia venit profecto sub præcepto gravissimo: ac—1 Civilis in Scripturis enim legimus (3): *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: admone illos Principibus et Potestatibus subditos esse;* — 2 Ecclesiastica: de hac Christus ait: *qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (4); — 3 Domestica; Apostolus clamat uxoribus: *subditæ estote viris sicut oportet in Domino;* filiis: *filii obedite parentibus per omnia;* servis: *servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum;* singulis: *obedite præpositis vestris* (5); — 4 Sacramentalis; quia in iis, quæ respiciunt animæ directionem in Sacramento Pœnitentiæ, Confessarius est solus legitimus superior; a Christo enim ei facultas facta est his verbis: *quæcumque solveris super terram, soluta erunt et in cœlo, et quæcumque retinueris, retenta sunt* (6).

Maxima autem est obedientiæ præstantia, eamque Christus toto vitæ suæ curriculo in se ipso expressit *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:* imo *melior est obedientia, quam victima* (7); ac merito, *quia per vic-*

(1) Act. 5. (2) *V.* Sales, *Filotea*, c. 11.

(3) Rom. 13; et Tit. 3.—Excipe, nisi civilis lex pugnet cum lege Dei vel Ecclesiæ; nam si pugnet, ex eadem Scriptura (Act. 5) oportet magis obedire Deo, quam hominibus: atque ideo animo excelso et invicto injustis laicæ potestatis legibus obsistendum est.

(4) Luc. 10; et Matth. 18. (5) Coloss. 3; et Hebr. 13.

(6) *V.* Liguori, *Sermoni compendiati*, t. 1, serm. 25, ubi duo: 1 *quanto sia sicuro di salvarsi chi ubbidisce al Confessore;* 2 *in quanto pericolo sia chi non obbedisce.* (7) Philipp. 2; et I Reg. 15.

timas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur, ut ait D. Gregorius. Et S. Augustinus vocat obedientiam virtutem, *quæ in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum* (1).

Tres sunt obedientiæ regulæ seu gradus, ut vocant:

1. *Animi alacritas:* quæ in eo consistit, quod obediens præceptum, licet videatur humile, molestum, intempestivum, impleat expedite, exacte et animo volenti: *cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus* (2). Nec sane est vere obediens qui præceptum complet fastidiose, querulus, susurrans: *si moleste cæperis sustinere*, ait D. Bernardus, *si dijudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est virtus obedientiæ; sed velamentum malitiæ.* Iterum: *fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem* (3).

2. *Animi simplicitas*, quam sic indicat Apostolus: *obedite in simplicitate cordis vestri* (4). In eo autem posita est, quod quisque superioris præceptum impleat cum certitudine sic implendi voluntatem Dei, quin ultro inquirat: *imperfecti cordis et infirmæ prorsus voluntatis indicium est* (ait S. Bernardus) *statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem, aut nolle libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit* (5). Contra tam insignem obedientiæ prærogativam peccant ut plurimum adolescentes, qui licet nondum satis domitas habeant cupiditates, neque satis judicii maturitate et rerum experientia prædíti sint; eminere tamen volunt supra seniores, eorumque et dicta et facta vituperare, atque aspernari mandata (6).

3. *Animi hilaritas: tertius gradus*, ait D. Bernardus, *obedientiæ est hilariter obedire: non ex tristitia, inquit Apostolus, non ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus... Serenitas in vultu; dulcedo in sermone multum colorat obedientiam obsequentis....; quis enim locus obedientiæ, ubi tristitiæ cernitur amaritudo* (7).

Quid (dices) *de illa obedientia, quam cæcam appellant?* — Hæc obedientia in eo consistit, quod subditus mandata Superioris sui, in quo Deum ipsum sibi exhibet, quoties conjuncta non sint cum peccato manifesto, prompte exequatur sine ulla sive intrinseca sive extrinseca discussione, totum se ipsi quasi Deo tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem subjiciens: et ideo *cæcam* appellant. Ejus exemplum habemus in Abraham Patriarcha, quando Deus eidem præcepit, ut suum sibi filium Isaac immolaret. Item in S. Josepho Sponso Beatissimæ Virginis Mariæ, quando ad vocem Angeli *consurgens accepit puerum et matrem ejus, et secessit in Ægyptum.* Unde si quem delicatulum hoc nomen offendat, ipse poterit nomen mutare, non tamen

(1) *De Civ. Dei*, l. XIV, c. 12.

(2) Ephes. 6.

(3) Serm. 3 in circum.; et de obed. serm.

(4) II Cor. 1.

(5) De præcept. et dispensat.

(6) Ex quo illud oritur, quod educatores sæpius dolenter animadvertunt, ut nempe juvenes quidam plurium annorum spatio in disciplinam traditi, nihil utique prætermittant eorum quæ jubentur; numquam tamen obedientiæ habitum sibi comparent, et vix e disciplina et schola egressi pessimam animorum affectionem ostendant, vera Reipublicæ pestis, dedecus communitatum et familiarum ruina.

(7) Serm. *de obed.* — *V.* Bourdaloue, *Pensieri* h. tit. — Rodriguez, *Esercizio*, ecc.

rem illo nomine significatam. Nonne et ipsi milites hac obedientia adstringuntur? et tamen nemo hoc obsequium irrationabile vocat. Sane quid Respublica, si omnes subditi jus haberent inquirendi de justitia, honestate ac congruentia legis? Est ergo cæca obedientia rationabilis ac logica: ac nedum improbetur, ut aliqui immerito faciunt, imo laudibus efferenda, utpote quæ efficit, ut homo vere totum *abneget semetipsum* Deo suo. Hinc scimus ipsam valde in deliciis fuisse sanctis Ordinum Religiosorum Fundatoribus, qui obedientiam cæcam suis in constitutionibus ab Ecclesia solemniter approbatis summopere commendarunt. Utinam ergo fieret communior et universalis! sed quia deficit amor, ideo et obedientia deficit *(O)*.

Obedientiæ opponitur contumacia, quæ *inobedientia* nuncupatur, et est *voluntas agendi contra præceptum superioris*. Cum ex philosophorum adagio *eadem contrariorum sint consequentia*, patet tot mala ex hoc vitio oriri, quot ex obedientia enascuntur bona. Hac videlicet peste evertuntur familiæ, perturbantur communitates, labefactatur Respublica, nutriuntur cupiditates, et omnia foventur vitia ad perniciem tam animæ quam corporis. Illud etiam malum est tristissimum, quod qui abjicit obedientiam, cum voluntatem suam propriam sequatur tamquam unicam rerum agendarum normam, reddit se Deo execrabilem, dicente ipso Deo: *sicut gentes quas delevit Dominus... ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis* (1). Sed contumacia eo magis præ cæteris nocet adolescentibus, quippe qui per hoc vitium sibi præcludunt viam ad suscipiendam disciplinam et sapientiam: sicque incidunt in illud: *disciplinam qui abjicit, infelix est* (2).

Q. 3. *Quid sentiendum de veracitate?*

R. Veracitas est virtus, *quæ id sibi propositum habet, ut in significandis nostris cogitationibus res enuntiemus cujusmodi sunt, vel cujusmodi esse putamus*. Ex quo patet discrimen veracitatem inter et veritatem: nam veritas tota sumitur ex conformitate judicii cum ipsa re judicata; veracitas autem spectat potissimum conformitatem locutionis cum mente ipsiusmet hominis loquentis: prima tota est subjectiva; altera objectiva. Verax idcirco esse potest etiam qui falsum dicit, si nempe putet se verum enuntiare: sicut et mendax esset, si verum pronuntiaret putans se dicere falsum. In veracitate naturalis honestas inest, uti naturalis turpitudo est in mendacio: *verba sunt instituta*, ait Augustinus, *non per quæ se homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat; verbis igitur uti ad fallaciam peccatum est* (3). Adde: ad mutuam inter homines societatem veracitas prorsus est necessaria; societas enim consistere nequit, nisi homines sibi invicem credant. Quare Apostolus: *deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque proximo suo* (4). Hæc etiam nos similes Deo reddit: *nam principium verborum tuorum veritas* (5).

Veracitati opponitur mendacium, quod definitur: *locutio* vel *significatio contra mentem* (6). Pertinet ad ejus naturam, ut qui mendacium profert,

(1) Deut. 1. (2) Sap. 3. — *V.* Liguori, *La Monaca santa.* — Scaramelli, *Direttorio ascetico.*
(3) *Ench.* c. 22. (4) Ep. 4. (5) Ps. 118. Et Stapf, § 369.
(6) De mendacio prolato in Confessione erit in Tract. *de pœnitentia;* de locutionibus vero æquivocis, jam actum est in Tract. *de Virt. Religionis*, ubi de juramento.

aliud clausum in pectore teneat, et aliud exterius verbo vel signis exprimat. Sed non requiritur etiam animus fallendi; *mentiri* enim dictum est quasi ex verbo *contra mentem ire*. Diximus *locutio* vel *significatio*, ut indicemus mendacium confici tam ore, nempe verbis, scriptis et nutibus; quam facto, quod *simulationem* appellant. Sic mentitur facto qui, cum mortali odio interius exardescat contra aliquem, eum tamen exterius verbis amicitiæ adhuc prosequitur. Ad simulationem, seu ad mendacium facti pertinent *jactantia*, *hypocrisis* atque *adulatio*, etc.—Omnibus nota est mendacii divisio in *jocosum*, quod patratur ob nostram vel aliorum voluptatem; *in officiosum* quod patratur ob nostram vel aliorum utilitatem; atque in *perniciosum*, quod nempe patratur in injustam alterius damnificationem.

Q. 4. *An omne mendacium sit peccatum?*

R. Docuerunt ex Græcis nonnulli, uti Origenes, Cassianus, Theodoretus, esse licitum mendacium ob urgentem necessitatem. Sed hic maxime veniunt Priscillianistæ, penes quos celebre erat hoc effatum ad suam occultandam hæresim: *jura, perjura, secretum prodere noli*. Contra quos omnes dicimus, mendacium in omni casu esse peccatum. Probatur:—1 Scripturis: *verbum mendax justus detestabitur: omne mendacium ex veritate non est: mendacium fugies: perdes omnes qui loquuntur mendacium* (1); atqui omne illud quod justus debet fugere, detestari, quod non est ex veritate etc., peccatum est: cum ex natura sua adversetur Deo, qui est summa veritas;—2 Patribus: clamat D. Ambrosius: *os justi mendacium nescire* (2). Et S. Thomas: *non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet* (3). Quare merito Alexander III aperte docuit mendacium quodcumque prohiberi etiam ad vitam alterius salvandam (4);—3 naturali ratione; si enim homo in casu aliquo mentiri licite posset, Deus diceretur mendacium illud approbare; imo in tali casu Deus ipse posset mentiri; atqui hæc duo repugnant: veritas enim est essentialiter perfectio naturæ divinæ. Adde inordinationem manifestam in mendacio quocumque; istud enim pervertit naturalem institutionem et finem locutionis, quæ non in finem alium creaturis intelligentibus concessa est, nisi ut possint sensus suos sibi invicem communicare.

Mendacium si neque proximum neque Deum graviter lædat, neque grave scandalum pariat, veniale est, uti de mendacio jocoso et officioso tradit D. Augustinus (5): in hoc enim adest tantum inordinatio levis; cum ea non opponatur charitati. Mendacium vero perniciosum, quod graviter lædat proximum aut Deum, vel grave scandalum pariat, erit mortale ob rationem contrariam. Et de hoc intelligitur illud (6): *sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem quod mentitur, occidit animam.*

Q. 5. *An aliquando licita sit simulatio?*

R. Simulatio formalis, nempe cum quis intendit per factum externum

(1) Eccl. 7; et Epist. Joann 1, c. 2; et Exod. 23; et Ps. 5.
(2) L. II in c. 1 Luc. (3) 2, 2, q. 110, a. 3.
(4) *Decr.* Greg. l. V, t. XIX *De usur.* c. 4. (5) In Ps. 5.
(6) Sap. 1.—Quod de mendacio dictum est, ad simulationem quoque, jactantiam et similia extendi debet, quippe quæ sunt mendacia facti.

aliud significare, quam quod in animo habet, illicita est; quia est verum mendacium facti (1).—At simulatio materialis, scilicet cum quis aliquid agit, non intendens deceptionem alterius, sed aliquem suum finem, licita est cum causa, semper ac ex circumstantiis alii possint conjicere ad alium finem id agi. Sic Josue licite fugit non intendens significare metum, sed ut hostes longe abducerentur ab urbe *Hai*, et reliqui milites irruerent in urbem (2). Ita Christus *finxit se longius ire* (3), non intendens ut Discipuli hoc crederent, sed volens significare, se revera iturum longius, nisi ab eis invitaretur.

ARTICULUS II—De gratitudine, benevolentia, amicitia, liberalitate, affabilitate, urbanitate et comitate.

Q. 1. *Quid dicendum de gratitudine et benevolentia?*

R. Ad 1: Gratitudo seu gratia est virtus, *quæ tum beneficiorum quibus affecti sumus, memoriam retinet, tum iisdem remunerandi voluntatem habet.* Sane post Deum, parentes, patriam et superiores nostros natura illis peculiariter animo adstrictos esse nos docet, qui nos beneficiis suis exornaverunt: *si ab aliquo benefactore aliqua peculiaria beneficia percipimus*, ait Angelicus, *illi per hæc peculiariter obligamur ex debito honestatis... ideo justitiæ adjungitur gratitudo* (4). Hanc virtutem commendabat Paulus inquiens: *grati estote* (5). Duplex gratitudinis præceptum: 1 ut cum possumus, paria et etiam majora beneficia referamus; 2 ut cum referre non possumus, saltem gratias agere et constanter habere satagamus (6). Gratitudini opponitur *ingratus animus* et *egoismus*, cujus est vel acceptum beneficium dissimulare, vel non æstimare satis, vel vituperare, vel habere, quod pejus est, pro maleficio. *Hoc tu cave tamquam maximum crimen*, inquit Seneca (7).

R. Ad 2: Benevolentia, ut nomen indicat, *est illa animi affectio, qua aliis bonum volumus et optamus.* Ad eam nos impellit tam natura, quæ homines considerat quasi communis ejusdem civitatis incolas, et ejusdem corporis membra; quam Religio, cujus illud est præceptum gravissimum: *diliges proximum tuum sicut te ipsum* (8).

Q. 2. *Quid est amicitia, et quotuplex?*

R. Ad 1: Amicitia dici potest *mutuus, manifestus et gratuitus amor inter aliquas personas, quæ sibi invicem bene volunt, et se mutuo bonis cumulare desiderant* (9). Quibus patet:—1 discrimen esse maximum inter amorem proprie dictum et amicitiam; ille enim esse potest etiam non mutuus, imo etiam

(1) S. Thomas, 2, 2, q. 111, a. 1. (2) Jos. c. 8.

(3) Luc. 24. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 171.

(4) 2, 2, q. 106. (5) II ad Tess. 6.

(6) Scilicet *habemus gratias*, cum habemus voluntatem remunerandi; *agimus* vero *gratias*, cum verbis et aliis significationibus externis, quo animo in benefactorem nostrum affecti simus, libenter et aperte pandimus. (7) L. IV *de Benef.* (8) Matth. 22.

(9) Ex vulgari usu etiam illos *amicos* dicimus, quorum generatim favorem et promptitudinem experimur; item quibuscum familiariter aliquando conversati sumus, et hoc maxime evenit collegialiter viventibus. Hic tamen stricte nomen sumimus: quo sensu Tullius, *multi modii salis simul edendi sunt, ut amicitiæ munus expletum sit.* De amicitia egregie Stapf in sua *Theologia* passim, ac præsertim §§ 469 et seqq.

non notus personæ, quæ amatur ; et ideo fit ut in amicitia semper sit amor, sed non semper in amore amicitia;—2 ad amicitiam requiri mutuam honestorum bonorum communicationem, sine qua amicitia esse non potest: imo corruptela potius dicenda foret, quam vera amicitia (1);—3 mutuum illum amorem gratuitum esse debere; qui enim privatam utilitatem respiceret, mercenarius esset, non amicus: *non debemus amare,* ait Augustinus, *quomodo audimus gulosum:* amo turdos: *quæris, quare amat? ut occidat et consumat... amicitia est quædam benevolentia, ut aliquid præstemus eis, quos amamus* (2).

R. Ad 2: Cum amicitia oriatur præsertim ex bonorum communicatione, tot erunt assignandæ amicitiæ species, quod sunt species bonorum, quæ inter amicos communicantur. Idcirco amicitiæ divisio erit in veram et falsam, in corporalem et spiritualem, in sensibilem et sensualem, prout bona quæ communicantur, vera vel falsa sunt, temporalia vel spiritualia, sensibilia vel sensualia. Porro solum amicitiæ veræ, quæ nempe fundator in communicatione bonorum (quæ talia vere sint, non apparenter), convenit *illudamicitiæ sanctum ac venerabile nomen.*—Quo autem bona perfectiora sunt, eo perfectior erit amicitia: sic si bona, quæ inter amicos communicantur, sunt scientiæ et artes, laudabilis erit talis amicitia, quia in bono fundatur. Si invicem communicentur virtutes, v. g. fortitudinis et temperantiæ, erit sane laudabilior, quia fundatur in meliori. At si communicentur pietas, religio, charitas in Deum et proximum, eximia tunc erit amicitia, et omnium præstantissima; cum Deum habeat pro suo principio et fine, ideoque fundetur in optimo. De hac Salesius: *Esta amistad será escelente porque viene de Dios; escelente porque se dirige á Dios; escelente porque su vínculo es Dios; escelente, en fin, porque durará para siempre en Dios.*

An (quæres) *liceat amicitias contrahere, et contractas fovere?*—Vel agitur de amicitia falsa, aut sensuali, aut sensibili: vel agitur de amicitia vera, spirituali et sancta:

1. *Amicitias sensuales* nec contrahere licet nec fovere; cum fundentur super peccato: et dicente S. Ambrosio, *non potest homo homini esse amicus, qui Deo fuerit inimicus.* Amicitiæ sensuales reprobantur ab omnibus utpote peccaminosæ, inhonestæ et Deo ingratæ. Vulgo *enamoramientos* appellantur, de quibus audiatur Salesius: *Yo grito con todas mis fuerzas á todo el que veo preso en las redes del enamoramiento: cortad, romped, acabad de una vez: no debeis no, deteneros á descoser, digámoslo así, estas necias amistades sino que debeis arrancarlas: no debeis soltar y aflojar pôco á poco estos vínculos, sino romperlos de un golpe y cortarlos de raiz* (3).

2. *Amicitiæ sensibiles*, quæ fundantur in bonis corporis sensibilibus: v. g. pulchritudine, benevolentia, tractu, voce etc., licet non sint aperte inhonestæ, sunt tamen valde imperfectæ et periculosæ, maxime si contingant inter personas diversi sexus: ideo reprobandæ a Moralista et rejiciendæ (4).

(1) *V.* Liguori, *Sermoni;* Serm. *del fuggire i mali compagni.* — Sales, *Filotea*, c. 17, 19 et 20.
(2) Tr. VIII in Joann. — Rosignoli, *L' elezione dell' amico.*
(3) Sales, *Filot.* c. 18 et 22.
(4) *V.* Scaramelli, *Direttorio ascet.* tr. II, c. 9. — Pinamonti, *Il Direttorio* cap. XVI.

A sensibilitate ad sensualitatem parva distantia: imo experientia teste, una ad aliam marte suo ducit *(P)*.

3. Amicitias *sanctas, spirituales, ad virtutem directas*, non solum laudamus; sed etiam personis, quæ in sæculo vivunt et bonum animæ diligunt, necessarias pronuntiamus. En verba Salesii: *En cuanto á las personas, que viviendo entre los mundanos, siguen el verdadero camino de la virtud, es preciso que se unan con otras por medio de una santa y sagrada amistad, á fin de que con esto se animen, ayuden y esciten mutuamente al bien.* Nonne inter se junguntur, hac ætate, filii tenebrarum ad malum? cur non idem suadendum filiis lucis ad bonum (1)? Hinc Scriptura: *frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: amico fideli nulla comparatio* (2).

Q. 3. *Quid de liberalitate?*

R. Liberalitas est *virtus, quæ nos docet ordinem ad rectæ rationis tramites servandum in largiendis pecuniis et rebus omnibus, quæ solent pecunia æstimari.* Oritur ex ea charitate, qua totum genus humanum secum una debet conciliari; hujus enim conciliationis ratio nulla aptior, quam quæ mutuis liberalitatis officiis continetur. Differt a misericordia, quæ tribuit indigentibus, hæc omnibus: a magnificentia, quæ respicit sumptus egregios, hæc mediocres.—Liberalitatis conditiones præcipuæ sunt: 1 ut quod datur, honestatis et benevolentiæ causa detur: nam qui dat aut majoris lucri reportandi causa aut turpi consilio, a liberalitate longissime abest; 2 ut largitiones ad facultates nostras accommodemus; prodigus enim non liberalis est, qui adeo largitur, ut ipse redigatur ad egestatem (3); 3 ut quisque caveat quibus dandum, quantum et quo tempore: omnia enim secundum ordinem fieri debent; 4 ut libenter et hilariter elargiamur; nam ut ait Poëta: *cum properat gratia, grata nimis.*

Q. 4. *Quid de affabilitate?*

R. Affabilitas est *virtus, qua quis in convictu et in omni vitæ consuetudine facilem se aliis exhibere, et iisdem, ut decet, obsequi studet.* Vir affabilis medius est inter ineptum assentatorem ac hominem nimis austerum. *Affabilitas,* inquit Angelicus, *est quoddam debitum honestatis, ut scilicet homo alteri faciat quod decet eum facere;* et postea: *homo tenetur ex naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat* (4). Hanc virtutem Hieronymus Nepotiano suo enixe commendans sic eam descripsit: *virtus est lenis, blanda, tranquilla et omnium bonorum apta consortio; invitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata* (5).—Sunt autem affabilitatis officia:

(1) *V.* Castelvetere, p. 2, c. 7. — Frassinetti, *Riflessioni agli Ecclesiastici.*

(2) *Eccli.* 6; et *Prov.* 18. — In hisce divinis libris plura invenies de amicitia vera.

(3) *V.* Eccli. 12 et 42.

(4) 2, 2, q. 124, a. 2.

(5) Affabilitas mire in Christo elucebat, in cujus labiis ita diffusa erat gratia, *ut omnes mirarentur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius* (Luc. 4); et Apostolus obsecrat Corinthios *per mansuetudinem Christi* (II ad Cor. 10). Ubi non attingimus quæstionem, an Jesus fuerit aspectu decorus, ut censent Hieronymus, Nicephorus, Bernardus, Laurentius Justiniani, etc.; vel an vultu inglorius, ut docent Origenes, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Tertullianus, Augustinus, etc., vel potius quid medii, nempe neque deformis neque pulcher, sed forma ordinaria, ut pluribus maxime ex modernis placet. — *V. Bibbia* di Vence, dissert. vol. v: sopra la bellezza di Gesù Cristo.

1 omnes benigne audire, eosque libenter atque hilari vultu alloqui; 2 interroganti humaniter respondere, etsi importunus aliquando videri possit; 3 obvios salutare et salutationibus respondere, ea honoris et benevolentiæ significatione, quam vel locorum consuetudo vel amicitiæ ratio vel dignitas vel urbanitas exigit; 4 vocem, verba, gestum et vultum ita componere, ut quidquid incidit in oculos eorum, quibuscum conversamur, præseferat suavitatem: et sit argumentum charitatis vere christianæ, ita ut dicere possimus cum Apostolo: *per omnia omnibus placeo* (1).

Duo opponuntur affabilitati, assentatio et asperitas. *Assentatio* est propria illorum, qui omnia ad alterius voluntatem sive vera sive falsa, sive bona sive mala, et loquuntur et faciunt et laudant, quod viro ingenuo et christiano indignum est, et parit etiam vilissimam blanditoris existimationem. *Asperitas* est in iis, qui habitum habent perversum nihil umquam dicendi ad cujuscumque voluptatem, improbandi semper aliena facta et dicta, omnia ægre ferendi, semper contendendi, singulis in re quacumque contradicendi. Hoc in quibusdam superbissimis hominibus cernere est, ac sæpe adolescentibus, qui omnium sunt derisores, detractores, susurrones, a quorum defectu Timotheum caute removebat Apostolus: *stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites.* Et ad Colossenses: *sermo vester semper in gratia sale sit conditus* (2).

Q. 5. *Quid de comitate et urbanitate?*

R. Ad 1. Comitas est *virtus, quæ servat decorem in jocis.* Patet discrimen affabilitatem inter et comitatem: prima tenet modum in suavitate sermonis; altera in conversationibus et in ludis. Adversatur comitati *scurrilitas* et *rusticitas:* est scurrilitas insulsa quædam et molesta dicacitas sæpe etiam odiosa, qua ordo et modus omnis in jocis ludisque pervertitur. Rusticitas vero est vitium, quo nec festivitate jocorum nec conversationis jucunditate quis delinitur, ita ut nec facetum quid umquam dicat, nec qui dicunt, ferre possit. Quod sane reprehendendum; nam adversatur homini ad societatem nato (3).

R. Ad 2: Licet affabilitas et comitas ad urbanitatem quodammodo referantur; tamen differunt, quod hæc latius pateat, atque omnes ferme hominis actiones et mores respiciat, ut boni sint ac decori (4). Toto ergo cœlo errant qui urbanitatem collocant in corporis forma et vestium elegantia; nam est in animo bene constituto, et exculto Religionis præceptis et exercitatione virtutum, sine quibus hominum mores numquam neque vere boni, neque vere decori esse poterunt (5). Colere urbanitatem ad illos specialiter pertinet,

(1) I Cor. 10. (2) Ep. 2, c. 2; ad Coloss. 5. (3) S. Thomas, 2, 2, q. 168, a. 4.

(4) *V.* Jahn, *Archeologia Biblica*, c. 11 de moribus conversationis.

(5) Persuasum omnibus præsertim adolescentibus esse debet, animum habere suavibus moribus limatum et expolitum, non tam utile esse, quam necessarium, non iis dumtaxat qui vitam agunt in aula, atque in nobilium virorum frequentia, sed iis etiam singulis, qui nolint in desertissima solitudine ætatem consumere; nam urbanitatis frequens est usus, imo familiaris atque quotidianus. — Ipsa linguæ castigatio urbanitatem fovet; vernaculorum vero verborum licentia petulans morum licentiam inducit: hoc maxime videant juvenes collegialiter viventes. *V.* Mutti, *Sull' importanza di ben conoscere la lingua, in cui si favella, o si scrive* (Mem. Moden. Contin. vol. XVII). — *Dell' arte della parola.* Milano 1827.

qui ad divinum christiani Sacerdotii ministerium proludunt et rerum sacrarum habent procurationem. Isti scilicet vias omnes inire debent, quibus amabilem cuicumque reddant Religionem atque virtutem, simulque populorum existimationem et benevolentiam sibi concilient, ut eos facilius ad pie vivendum alliciant (1).

CAPUT SECUNDUM

DE CÆTERIS VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

ARTICULUS UNICUS—De prudentia, fortitudine et temperantia.

Q. 1. *Quid est prudentia?*

R. Ab Aristotele definitur prudentia: *animi habitus vera cum ratione actiones dirigens in iis, quæ sunt homini bona vel mala* (2). Dicitur :—1 *vera cum ratione*, ut a prudentia excludatur temeritas et præcipitatio;—2 *actiones dirigens*, ut secernantur ab habitibus mere theoreticis ; nam potest quis esse doctissimus, et eruditus artibus et disciplinis omnibus, quæ in mundo sunt, quin tamen item sit prudens ;—3 *in iis quæ sunt homini bona vel mala*, ut indicetur prudentiæ objectum in cavendo a malo, et inquirendo bono consistere. Eximia sane ac necessaria virtus ! neque enim opera nostra laudari possunt, nisi fiat electio eorum, quæ conveniunt ad fidem. Hæc ex Angelico *adjuvat omnes virtutes et operatur in omnibus* (3). Et ab Augustino vocatur *rerum agendarum et fugiendarum scientia.*

Tres prudentiæ species : *monastica* sive privata, *œconomica* sive domestica, *politica* sive civilis. Dirigit prima hominem in actionibus, quæ eum directe et solum afficiunt, ut nihil inconsiderate operetur. Altera eumdem moderatur in actibus, qui respiciunt domum et familiam. Tertia regit actiones, quæ pertinent ad Rempublicam (4). Quo magis optandum in adolescentibus studium prudentiæ monasticæ et œconomicæ, eo magis a politica arcendi sunt; nam juvenilis ætas non bene politicis rebus peragendis accomodata est (5).

(1) *V.* Della Casa, *Galateo.*— Gatti, *Doveri di civiltà.* — *Il giovine malcreato.* Torino, Marietti.— *Corrispondance d' un ancien Directeur de Séminaire avec un jeune Prêtre sur la politesse, et la manière de se conduire dans le monde* etc. Lion 1843. — Valde præ cæteris omnibus Ecclesiasticis, præsertim Parochis commendamus Pizzoli, *Degli offici di gentilezza convenienti agli Ecclesiastici ne' loro vari rapporti.* Trento, 1845. — Item Baricco, *Ammonimenti a' giovani Clerici, ovvero Trattato di educazione per gli Alunni del Santuario specialmente in fatto di urbanità.* Torino, 1847. — Tandem Ceretti, *Il Galateo del seminarista.* Novara tip. Miglio 1850.

(2) Non loquimur de terrena prudentia, quæ suum finem constituit in carne vel divitiis; hæc *stultitia est apud Deum :* imo *animalis, diabolica* (I ad Cor. 3; Jac. 13). Huc revocatur modernus ille moderantismus, qui sub fucato prudentiæ nomine, a nonnullis prædicatur; at in ruinam Religionis ac societatis inductus est. — *V.* Della Margarita, *Avvedimenti politici*, cap. 7 et 20.

(3) 1, 2, q. 58. — *V.* Scaramelli, *Direttorio asc.* tr. III, a. 1.

(4) Bossuet, *La politica tratta dalla S. Scrittura.* — Scotti, *Teoremi* etc.

(5) Hinc tradit historia apud Cretenses fuisse legem, ut siquis adhuc juvenis accederet ad regendam Rempublicam, numquam auderet in disceptationem vocare, essentne æquæ leges an

Prudentiæ munera, quæ dicuntur *partes prudentiæ potentiales;* tria sunt: nempe bene consultare, bene judicare et bene præcipere; nam actionis humanæ probitas, in qua situm est prudentiæ objectum, importat accommodatam mediorum ordinationem ad finem consequendum. Hæc autem tribus perficitur: 1 recta eorum inquisitione, et super iisdem consultatione; ideoque prudentia comites habet rationem, considerationem, meditationem, diligentiam, ingenium, solertiam et sagacitatem;—2 recto judicio de eorum aptitudine atque natura, ad quod concurrunt æquitas, docilitas, animi candor, memoria præteritorum, intelligentia præsentium et prævidentia futurorum; — 3 præcepto, quo mens vult, ut ea perficiantur, quæ judicata sunt: hucque pertinent dexteritas, circumspectio, cautio et industria. Ex quo patet quam difficilis, sed pretiosa virtus prudentia sit; neque mirum idcirco esse debet, si multi inveniantur vere docti et vere scientiis maxime exculti, pauci autem vere prudentes.

Dotes, quas prudentia præseferre debet, ut finem suum consequatur, seu partes prudentiæ integrantes, sunt ex Angelico: 1 *memoria* seu recordatio præteritorum, præterita enim nos docent: 2 *intelligentia* seu diligens rerum agendarum consideratio ac cognitio, ne dicamus malum bonum et bonum malum: 3 *docilitas* sive animi promptitudo ad aliena capessenda consilia; nemo enim sufficit sibi: 4 *solertia* seu animi sagacitas ad media, quæ ad finem nostrum spectant, illico dignoscenda, ne accidentia nos animo dejiciant: 5 *ratio* sive recta ratiocinatio, ut recte quid ex antecedenter cognitis sit agendum, dignoscatur: 6 *prævidentia* seu futurorum consideratio, ne sine sumptibus inaniter ædificare proponamus: 7 *circumspectio* seu attentio ad omnes circumstantias; non enim omnia omni tempore conveniunt: 8 *cautio*, ut sciamus omnia prævidendo impedimenta amovere; cum ea sæpe contingant.

Vitia alia directe, et aperte prudentiæ contraria sunt; alia quamdam prudentiæ speciem præseferunt, sed ementitam ac fucatam. Illa eam lædunt per defectum, ista per excessum. — Vitia primi generis sunt potissimum: 1 *præcipitatio* seu *temeritas*, cum quis non ex rectæ rationis præscripto, sed ex affectus sui impetu deliberat et opus aggreditur: 2 *inconstantia*, cum quis leves ob causas a recta sententia recedit, ut aliam arripiat; 3 *inconsideratio*, cum quis sine debita attentione de mediis ad finem accommodatis judicium suum emittit: 4 *negligentia*, cum quis debitam in rebus deliberandis et peragendis solicitudinem non adhibet. Quæ omnia hoc versu includuntur:

Præceps, inconstans, inconsideratus inersque.

Vitia secundi generis sunt: 1 *prudentia carnis*; qua quis finem ultimum collocat in rebus creatis: 2 *caliditas*, quæ in illis cernitur, quorum celere

iniquæ? senex vero siquid excogitasset, principibus aut æqualibus quidem referret, juvenum tamen audiente nemine. Quapropter stomachum movent profecto scituli quidam ætate nostra adolescentes, qui manibus vix a ferula scholastica subductis, de rebus politicis quasi ex cathedra non loqui, sed effutire et blaterare audiuntur sesquipedales sententias efferentes. — *V.* Scotti, *Teoremi di politica cristiana.*

est et aptum ingenium in excogitandis mediis ad finem consequendum idoneis, sed ab honestate et recto rationis præscripto alienis et abhorrentibus: 3 *dolus* et *fraus*, quæ caliditatis pravitatem ad effectum perducit: 4 *nimia solicitudo* præcipue de rebus futuris, quæ sine ulla utilitatis specie animum angit. Hæc autem hoc alio versiculo continentur:

Fraus et caliditas, carnis prudentia, cura.

Quæ porro omnia vel ex eo mala esse constat, quia adversantur prudentiæ, quæ omnes humanas actiones ac rectum tramitem moderatur.

Q. 2. *Quid est fortitudo?*

R. Fortitudo recte potest definiri: *virtus perficiens hominem, ut in ordine rationis humanæ et legis divinæ consistat ea repellendo, quæ ordinem eumdem pervertere valeant.* Cum enim pleraque in humana vita occurrant, quæ hominem solent deterrere a recto tum rationis tum legis tramite tenendo, aut ne diu in ipso permaneat, si eum jam sit assecutus; aliquo certe præsidio nobis est opus, quo adversus impetus hujuscemodi firmemur. Hoc porro præstat fortitudo: quæ ideo omnibus necessaria est; nam *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit; Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (1). Est autem maxime necessaria militibus ad strenue pugnandum; magistratibus ut valeant irrumpere iniquitates; ministris altaris ut confortati in Domino et in potentia virtutis ejus evellant et destruant, non timentes eos qui animam perdere non possunt.

Est duplex fortitudinis munus. Unum in malis et in laboribus perferendis situm, quod sic explicat Angelicus: *oportet quod fortitudo animi dicatur, quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxima mala.* Huc respiciebat illud Christi: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (2). — Alterum munus consistit in ipsis periculis adeundis: sic fortis in nomine Dei sui David Gigantem aggressus est. Ex Angelico huic fortitudini consociatur quædam iræ species, non quasi domina, sed quasi ancilla: *iram moderatam assumit fortis ad suum actum, non autem iram immoderatam* (3).

A virtute fortitudinis aliæ oriuntur in homine christiano virtutes morales præclarissimæ, tamquam ejusdem filiæ seu *partes integrantes*, ut vocant Philosophi. Quod sic explicatur; cum fortitudo maximopere tendat ad superandas difficultates, quæ in bene agendo nobis adversantur, varias pro earum varietate quasi sui ipsius species in se continet, quas ejus filias nuncupamus. — Videlicet oriturne difficultas in agendo ab ipsa operis natura et magnitudine? eidem opponitur *magnanimitas*, illa nempe virtus, quæ ad quælibet magna et heroica inclinat. Oriturne ab ingenti pecuniarum quantitate, quæ ad operis perfectionem, v. g. ad templi constructionem requiritur? eidem opponitur *munificentia*, illa virtus, quæ ad magna opera externa externis ac magnis sumptibus perficienda inclinat. Oritur a timore et anxietate interna circa operis eventum? eidem opponitur *pax cordis et securitas animi*, illa virtus quæ nos ducit ad maxima quæque operanda gaudentes,

(1) II Tim. 2; Matth. 11. (2) Matth. 10. (3) 2, 2, q. 123, a. 10.

gloriantes, in nullo deficientes. Oritur a multitudine et qualitate malorum, quæ in operis executione sunt perferenda? eidem opponitur *patientia*, illa virtus quæ facit, ut omnia adversa æquo ac forti animo toleremus (1). Oritur a temporis diuturnitate? opponitur *longanimitas*, virtus illa, quæ nos firmat in expectatione: ab operis ipsius continuatione? opponitur *perseverantia*, virtus illa, quæ nos ad persistendum in molesto ac arduo opere inclinat: a cordis humani instabilitate? opponitur *constantia*, quæ virtus est roborans ac firmans volubilitatem nostram. Sic de cæteris dicendum.

Sed (quæres) *quot sunt fortitudinis gradus?* — Quinque: 1 animum vincere, iracundiam cohibere et voluptates contemnere. Quæ sic describit S. Ambrosius: *jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione* (2); 2 vitam propriam periculo exponere ob bonum spirituale et corporale proximi juxta illud: *majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (3); 3 Martyrium appetere corde magno, et animo volenti, exemplo S. Ignatii Martyris, qui cum ad bestias esset damnatus: *utinam* (ad Romanos scribebat) *fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ!... si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram, ut devorer;* 4 mala gravissima, et ipsam etiam mortem, si repente et ex improviso contingat, fortiter et patienter tolerare; 5 (et hic est gradus heroicus) mala illa, et mortem pati etiam cum sincero animi gaudio, exemplo Apostolorum, de quibus scriptum est: *ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (4).

Fortitudini adversantur: 1 *timiditas*, quæ est fuga malorum, quibus pro loco ac tempore quis se objicere debet; 2 *intimiditas*, quæ est defectus timoris justi; 3 *audacia*, quæ est inconsiderata periculorum susceptio. Quoad primam peccat qui eos unice timet, qui occidunt corpus: quoad secundam qui eum non timet, qui animam mittere potest in gehennam: quoad tertiam vero peccat qui temere periculum quærit.

Q. 3. *Quid est temperantia, et quæ ejus partes?*

R. Ad 1: Temperantia stricte sumpta definitur: *virtus moralis, quæ secundum rectam rationem et legem divinam moderatur appetitum, et usum earum rerum, quæ sensuum delectationes pariunt, uti gustus, odoratus et tactus.* Hoc sensu est specialis virtus, quia habet specialem materiam, nempe quatenus refrænat appetitum ab iis, quæ maxime alliciunt. Si autem temperantia sumatur pro quacumque temperie, tunc ipsa erit virtus generalis (5).

R. Ad 2: Partes integrales temperantiæ sunt (6): 1 *verecundia* seu timor

(1) « Præsertim nos Sacerdotes (monet *Stapf*, § 267), patientia insigni armatos esse oportet, tum ut etiam ex hac parte simus exemplum gregis, tum ut in exequendo munere non tumultuarie sed prudenter et in spiritu lenitatis agamus: qui patiens est multa gubernatur prudentia; *qui impatiens est exaltat stultitiam suam* (Prov. 11). » — *V.* Scaramelli. *Direttorio ascetico* etc. — Rodriguez, *Esercizio di perfezione.* — Liguori, Opuscolo, *Uniformità alla volontà di Dio* etc.

(2) *De Off.* l. I, c. 36. (3) Joann. 15. (4) Act. 5.

(5) *V.* S. Thomas, 2, 2, q. 141, a. 2.

(6) Partes cujuslibet cardinalis virtutis sunt triplicis generis. Aliæ *integrales;* sunt quædam

turpitudinis, qui custos est modestiæ; 2 *honestas* seu amor decoris. Partes subjectivæ sunt: 1 *abstinentia*, quæ consistit in cibo moderando; 2 *sobrietas*, quæ sita est in moderando potu (1); 3 *castitas*, quæ ipsam delectationem veneream temperat; 4 *pudicitia* quæ ab omni aspectu et tactu inhonesto abhorrere nos docet: sive potius versatur circa exteriora signa ad venerem incitantia, quæ cohibet. Tandem partes potentiales sunt: 1 *clementia*, illa nempe virtus, quæ ex animi lenitate pœnas moderatur, prout tamen justitia patitur; 2 *mansuetudo*, quæ quidem iram moderatur secundum rectam rationem; 3 *continentia*, virtus illa generalis, qua resistimus quibuscumque pravis motibus in quacumque vitiosa materia. Item est *modestia*, *humilitas*, *studiositas*, *eutrapelia*, *ornatus* atque *simplicitas:* quæ virtutes haud sunt contemnendæ, licet parvæ videantur; ipsæ enim nos comitantur ubique, atque per eas ad majora devenimus, siquidem in omni re a minimo incipiendum est (2).

§ I — *De modestia, humilitate, studiositate, eutrapelia, ornatu et simplicitate.*

Q. 1. *Quid est modestia et ubinam collocanda?*

R. Ad 1: Modestia est *virtus, quæ exteriores hominis actiones et corporis ornatum ita moderatur, ut nullius offendat aspectum.* Verum modestiæ fundamentum in humilitate situm est, sive in illo animi sensu, quem sic expressit Apostolus: *quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (3)? Hinc a quibusdam definitur etiam: *humilitas ad praxim reducta* seu *humilitas practica:* sed vera humilitas, si quis enim actus suos exterius ad verecundiam componeret absque vero interiori virtutis motivo, jure merito diceretur in eo non modestia adesse, sed vana, mendax et superba modestiæ ostentatio, id est *hypocrisis.* Quapropter legitur in Scripturis: *finis modestiæ timor Domini* (4). Habet modestia insigne quoddam ac mirificum decus præsertim in adolescentibus, quibus et præclaram penes Superiores existimationem et stabilem penes condiscipulos auctoritatem, et incredibilem amorem in omni hominum cœtu conciliat. Ratio est quia in bene composito corporis et motuum externorum habitu cernitur ordinate compositus animus. Quare Apostolus hanc virtutem alte commendans inquiebat: *modestia vestra nota sit omnibus hominibus* (5).

conditiones requisitæ ad actum ipsum virtutis bene et integre exercendum. Aliæ *subjectivæ*: sunt species diversæ virtutis, quæ variæ sunt pro varietate objecti, quod respicit virtus illa. Aliæ *potentiales*; sunt virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus observat circa principalem aliquam materiam, eumdem observant in quibusdam aliis minus principalibus et minus difficilibus.

(1) *V.* Lessius *De valetudine tuenda.* — Castelvetere, *Direttorio* ecc. p. 4, c. 23. — Temperantiæ laudes passim apud Physicos celebrantur: vid. *Essai sur la Théologie Morale considérée dans ses rapports avec la physiologie et la medecine* par Debreyne; — Laur. Martini, *Elementa medicinæ forensis* etc. — Sella, *Lezioni popolari di igiene rurale e privata.* Biella, 1842 etc. Hic innuenda celebris *Societas temperantiæ* quæ anno 1838 opera Patris Mathew instituta est in Hibernia. Miri sunt illius effectus ad homines in temperantia continendos. — *V.* Bergier, *Dizionario.* Ed Med. ad Append. V. Temperanza. — It. passim *L' Amico Cattolico* etc.

(2) *V.* Pinamonti, *Il Direttore* ecc. — Tassoni, *La Religione dimostrata*, t. III, p. 1, c. 5. — Roberti, *Trattatello sulle virtù piccole.* — Fr. Pertusati, *Trattatello sopra le piccole sofferenze.*

(3) 1 Cor. 4. (4) Prov. 22. (5) Phil. 4.

R. Ad 2: In quatuor præsertim modestia est collocanda: in oculis, in verbis, in risu et in incessu: — 1 in oculis juxta illud D. Gregorii M.: *deprimendi sunt oculi quasi raptores ad culpam* (1); 2 in verbis, quod sic exponit Ambrosius: *ne modum prætergrediaris loquendi; ne quid indecorum sermo resonet tuus; speculum enim mentis plerumque in verbis refulget: ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior* (2); 3 in risu, quod monet S. Basilius inquiens: *illud etiam non mediocriter cavendum est ab iis, qui colendæ pietati student, ne in risum præter modum effusi sint* (3); 4 in incessu, quod sic idem Basilius explicat: *incessus esto nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec rursus vehemens, insolenterque incitatus, ne consternatos impetus animi significet.* Modestia Ecclesiasticis est maxime necessaria, quos Apostolus vult *ornatos et modestos* (4). Nil ergo mirum, si D. Ambrosius duos repulit Clericos, qui externum præseferebant petulans, inconditum atque inordinatum nimis; judicium probavit eventus (5).

Q. 2. *Quid de humilitate dicendum est?*

R. Humilitas est *virtus firmans voluntatem, ne inordinate extollatur,* seu ne succumbat amori inordinato propriæ excellentiæ. Hæc ab amore veritatis procedit; qui enim ad se animum convertit, illico intelligit se merum nihilum, et omnia a Deo gratis accepisse.—Tres sunt humilitatis gradus: 1 est subdere se majori et non se præferre æquali, qui est sufficiens; 2 se subdere æquali et non præferre inferiori, qui est abundans; 3 subesse minori, in quo est perfectio (6). Ubi notandam: absque præjudicio humilitatis possumus dona quæ accepimus, præferre donis, quæ aliis collata apparent, si id manifestum est; cum, dicente sancto Augustino, *in parte veritatis, non in parte falsitatis magis humilitas collocetur* (7). Potest quis nihilominus absque falsitate, non judicio absoluto, sed quasi suspensivo, ut dicit Estius, pronuntiare se omnibus viliorem; vel secundum defectus occultos quos in se recognoscit, et dona Dei quæ in aliis latent, aut quæ eis conferenda sunt; vel etiam quatenus si aliis datæ fuissent gratiæ quæ datæ sunt nobis, melius Deo respondissent; vel etiam hoc sensu, quod omnia peccata quæ ab aliis admissa videmus, debeamus reputare nobis a Deo remitti, qui custodivit nos, ne ea committeremus; *nullum enim est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit rector a quo factus est homo,* ait idem Augustinus (8). Præterea cum humilitas consistat in affectu voluntatis, potius quam in judicio mentis, unusquisque potest se subjicere non solum Deo, sed omni humanæ creaturæ propter Deum, nempe ex dispositione cordis.

Q. 3. *Quid de studiositate?*

R. Studiositas est *virtus quæ affectum seu studium discendi, et cognoscendi ad rectos rationis tramites moderatur ac temperat;* omnia enim secundum rectitudinem fieri debent. Duo sunt præcipua munera: —1 est cupiditatem

(1) In L. *Moral.* (2) *De Officiis*, l. IV, c. 48.
(3) *De reg.* (4) 1 Tim. 3.
(5) L. I *de Offic.* c. 18. — *V. Correspondance d' un ancien Directeur de séminaire avec un jeune Prêtre* etc. Lyon 1843. — Sevoy, *Doveri* ecc. Istr. *Modestia.*
(6) V. Pinamonti, *Il Direttore* ecc. c. 20. —Sales, *La Filotea*, n. 3. — Stapf, §§ 258 et seqq.
(7) De *nat. et grat.* c. 31. (8) Hom. 10 inter 50, cap. 9.

sciendi, quæ sæpe in generosis adolescentibus vehementior esse solet, intra limites coërcere, ne se aut immoderatius efferat, aut in vana et noxia effundat;—2 est torporem ingenii excutere et animum ad necessaria vel utilia perdiscenda inflammare. Primo huic muneri adversatur nimia nec satis recta sciendi cupiditas seu *inanis curiositas:* alteri adversatur inertia laboris et pigritia, quæ a rerum pulcherrimarum studio mentem avocat, ac ingenium turpi otio non tantum languescere, sed etiam hebescere ferme cogit, et dicitur *negligentia.*

Quid (quæres) *de nimia sciendi cupiditate et negligentia?*

R. Ad 1 : Ad nimiam sciendi cupiditatem quod attinet, ea vitiosa evadere potest : 1 ex quacumque animi pravitate eidem adjuncta, veluti ex pravo fine. Hoc iis contingit, qui studio nihil aliud, quam propriæ superbiæ pabulum quærunt ; 2 cum quis ita liberalis cujuscumque artis vel scientiæ vel lectionis peculiaris suavitate deliniri se patiatur, ut ab iis studiis removeatur, quæ ejusdem statui, conditioni et officio sola conveniunt: uti v. g. esset adolescens ille, qui scholæ suæ libris posthabitis, totum se poneret in legendis comœdiis et fabulosis scriptorum quorumdam narrationibus scientiæ maxime exitiosis ; 3 cum quis ad eas res studium adhibet, quæ proprii ingenii vires superant, ex quo contingit, ut facile in perniciosos errores labatur, monente Ecclesiastico : *altiora te ne quæsieris* (1).

R. Ad 2 : Quod attinet ad socordiam et negligentiam, quæ discendi laborem refugit ; adolescentes sciant : 1 gravi se culpa inquinare, si a parentibus ad studia missi ætatem studiis aptissimam in ludis nugisque, vel quod pejus esset, in morum depravatione terrant; 2 sine vitio esse non posse ipsam temporis jacturam ; cum tempus, dicente Seneca, sit thesaurus, *cujus unius araritia honesta est;* 3 futurum profecto sese, ut esse aliquando pœniteat negligentes, sed irreparabiliter (2).

Q. 4. *Quid de eutrapelia, ornatu et simplicitate?*

R. Eutrapelia est virtus omnium jucundissima, quippe *quæ tota in amœnitate versatur, temperans videlicet jocos et ludos secundum rectam rationem* (3) : animum enim cum aliqua jucunditate, et liberali joci festivitate relaxare debemus aliquando, ut ad majora vitæ officia promptior fiat atque paratior. Sed cum facile omnino sit in jocis et festivitatibus recte rationi violare præcepta, requiritur idcirco virtus aliqua, quæ modum iis valeat accomodare.

Ornatus atque simplicitas est *virtus quæ externum corporis cultum ad de-*

(1) Cap. 3. — Et præsertim illa curiositatis species carpenda venit, qua quis facta aliena malesane observat, et quidquid acciderit, temere interpretatur : *tu quis es qui judicas alienum servum?* Rom. 14. — *V.* Stapf, §§ 326 et 534.

(2) Mirum in modum ad inflammandos adolescentum animos in scientiarum studia loquitur S. Pagina (Eccl. 6.) *fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos inveniens sapientiam : quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius.* Quam sententiam expendens D. Hieronymus sic Nepotianum suum hortabatur : *senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior et veterum studiorum dulcissimos fructus metit.*

(3) Sic dicta est a græco *eu* bene, et *trepô* se vertere, ex facili nempe quadam et eleganti sermonis copia et flexibilitate. — *V.* Stapf, § 313. — Regulæ servandæ vid. ubi *de ludo.*

coris et honestatis regulas moderatur ac regit. Videmus nempe sæpe illud in humanæ vitæ consuetudine vitium, quo aliqui vestitus obsoletiore, corpore inculto et horrido, aspectu fœdo, barbaræ potius et belluinæ naturæ formam præseferunt, quam mores civili societati idoneos. Alii ex adverso ita nitidi et compti conspiciuntur, ut dignitati naturæ obliti turpem animi mollitiem luxu fœmineo diffluentem insani amasiunculi expromant. Ornatus porro et simplicitas vitia hæc extinguit, et medium inter utrumque sapienter docet. —Quia tamen hac in re facilius per excessum, quam per defectum in adolescentibus præsertim peccatur, tria idcirco iisdem ornatus et simplicitatis præcepta tradit S. Thomas: 1 ne cultum nitidiorem affectent, quam ferat status et dignitatis conditio; 2 ne exquisitas et effœminatas in cultu delicias sectentur; 3 ne temporis nimium ac diligentiæ in id conferant, quod ad corporis ornatum cultumque pertinet: *quisiera que las personas devotas fuesen las mas corteses y las menos ambiciosas*, ait Salesius (1).

§ 2—*De castitate conjugali, viduali et virginali.*

Castitas triplex est: *conjugalis*, *vidualis* et *virginalis* (2).—Prima abstinet a voluptatibus carnis illicitis, et utitur moderate licitis in matrimonio. Hæc est de præcepto a conjugibus servanda: *omnis autem fornicator aut immundus... non habet hæreditatem in Regno Christi et Dei*, ait Apostolus (3).—Secunda post solutum matrimonium abstinet imposterum ab omnibus venereis et hæc est de consilio ex eodem Apostolo (4); nam adhuc liberum est novum inire matrimonium.—Tertia ab omnibus tam licitis quam illicitis venereis delectationibus perpetuo abstinet; carnisque integritatem semper servat. Qui peccarunt mente contra castitatem, virginitatem per pœnitentiam recuperant; non tamen qui carnis integritatem voluntarie amiserunt, quæ de facto non amplius recuperatur, etiam remisso peccato, quoad laureolam virginibus in cœlo præparatam (5).

Q. *Quomodo definitur virginitas et quid de ea?*

R. Virginitas recte definitur: *firma voluntas perpetuo abstinendi ab omnibus venereis voluptatibus.* Dicitur *firma voluntas*, ut indicemus nos hic non definire virginitatem materialem, quæ consistit in quadam carnis integritate; sed moralem, quæ in animo sita est in ejus proposito. Ex quo patet differentia virginitatis a castitate; nam ista esse potest etiam in conjugatis et pœnitentibus; non autem illa. Et ideo propositum servandæ integritatis usque ad tempus nuptiarum non est virtus virginitatis, sed castitatis.

Virginitatem esse rem valde bonam in se, licitam et laudabilem tenent omnes Catholici adversus Lutherum. Et merito: nam nihil sub consilio ca-

(1) Sales, *Filotea*, p. 3, c. 25. — *V.* Castelvetere. *Direttorio* ecc. c. 4, p. 11.

(2) Plura de *castitate* Stapf, §§ 299, et seqq.

(3) Eph. 5.

(4) II Cor. 7.—*V.* Sales, *Filotea*, c. 40; avvisi per le vedove.

(5) S. Thomas, 2, 2, q. 132. — « Atque hinc sequitur, quod quæ virgo manet, citra miraculum possit esse et mater; si nimirum omnino invita constuprata concipiat et pariat. Aliter esset, si virginitas sumatur non pro speciali virtute morali, ut hic; sed simpliciter pro integritate carnis, seu membrorum generationi inservientium. » *Tournely.*

dere potest in Scripturis, quod non sit in se bonum, licitum et laudabile: atqui virginitas in Scripturis sub consilio cadit: *de virginibus præceptum Domini non habeo*, inquit Apostolus (1); *consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis.* Et postea: *solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.* Iterum: *dico non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant.* Idipsum probatur exemplo Christi, B. M. Virginis multorumque Sanctorum, qui virginitatem secuti sunt. Vel ipsas barbaras gentes consequentes habemus; virginitas enim semper in honore habita fuit apud Indos, Peruvianos, Mexicanos, etc. (2). Adde: nonne bonum est, licitum et laudabile, ut propter bonum animæ rejiciantur delectationes corporis? hoc intendit virginitas (3). Hinc Nazianzenus carmine II sic eam extollit:

Salve Virginitas divino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, et spiritibus sociata supernis?

An (quæres) *sit virginitas melior quam matrimonium?*—Elvidius ac Jovinianus contra quos scripsit S. Hieronymus, docebant statum virginitatis nullimode dici posse meliorem statu matrimonii: Protestantes moderni huic doctrinæ subscripserunt. At facilime refutantur vix consulendo Paulum, qui controversiam expresse sic definivit: *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit;... beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam* (4). Hinc Tridentinum: *si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit* (5). Ratio suffragatur: matrimonium ex se convenit homini secundum partem inferiorem, qua similis est brutis; virginitas autem convenit ei secundum partem superiorem, qua similis est Angelis. Illud, ut ita dicam, in terris conversatur, et de terra pascitur; ista in cœlis habet sedem, et tota quæ sursum sunt, sapit. Unde D. Bernardus: *nuptiæ terram replent, virginitas Paradisum.*

Hæc tamen accipienda *de ipso statu virginitatis pro Deo electo:* 1 *de ipso statu virginitatis*, quo sensu statui matrimonii præstat; nam licet matrimonium in actu gratiam producat, si tamen consideretur in suo statu permanente, certe virginitate est inferius ex dictis; 2 *pro Deo electo;* certum est enim statum hunc non præcellere, si eligatur malo fine; quia tunc non esset bonum virtutis.

(1) I Cor. 7.

(2) *V.* Scotti, *Teoremi* ecc. par. 2, t. VIII, § 3, etc. — *Amico Cattolico*, vol. XI, pag. 41.

(3) *V.* J. Chrysostomus, *De virginitate.* — D. Ambrosius, l. III, *de virginit.*

(4) I Cor. 7.

(5) Sess. 24, c. 10. — *V.* Liguori, *Selva di materie predicabili.* Discorso *alle zitelle.* — *La forza di un libretto.* Genova. — Del Celibato: *Dei diversi stati che le donzelle possono abbracciare, e principalmente del celibato, dei motivi di appigliarvisi e del modo di vivervi santamente anche in mezzo alla società.* — It. Tract. *De ordine,* de cælibatu. — Candela, *Del bene della santa Verginità,* Discorsi. XIV.

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 893.

(*) *Jus in Hispania vigens diversos casus exponit:* «Los maestros de primera educacion y los artesanos que reciben en su casa discípulos pensionistas, aprendices ú otras personas para enseñarlas alguna ciencia ó arte, son responsables de los hechos de estos.» *L.* 5, § 3, *ff. de his qui ef. vel dej.*

«El que resultase perjudicado por las cosas que hubiesen caido de alguna habitacion debe ser completamente indemnizado del daño sufrido.» *L.* 1, *ff. de his qui ef. Ley* 25, *tit.* 15, *Part.* 7.ª

«El propietario ó inquilino de una habitacion que tuviese arrendado algun cuarto de la misma, ó que haya admitido huéspedes, es responsable tambien de los hechos de estos. Si apareciese el causante podrá al perjudicado dirigirse contra él mismo ó contra el que tiene toda la habitacion, pero este tendrá accion contra el primero, en caso de ser reconvenido.» *L.* 25, *tit.* 15, *Part.* 7.ª

«Los daños que á consecuencia de su naturaleza ocasionasen los animales por omision de sus propietarios, deben ser indemnizados por estos. Así contraerá dicha responsabilidad el dueño del ganado que apacentase en terreno en que no tiene derecho para verificarlo.» *L. ult. Cod. ad leg. aquil. L.* 39, § 1, *ff. cad. Ley* 24, *tit.* 15, *Part.* 7.ª

«Todo gefe de familia es responsable de los daños ocasionados por lo arrojado ó derramado desde la casa que habite á la calle ú otro lugar en que pueda causar daño. Si son varias las familias las que ocupan la habitacion y no pudíese saberse el autor, todos los gefes de aquellas serán responsables solidariamente por el hecho.» *L.* 1, *ff. de injur. L.* 5, § 1, *L.* 9, § *ult. L.* 10. *L.* 41 *ff. ad leg. aquil. L.* 6, *tit.* 15. *Part.* 7.ª (*).

Quf tamen omnes culpa theologica rei supponi debent, ut ante sententiam teneantur in conscientia ad restitutionem: secus casus censendi sunt pure fortuiti. Unde ajebat Augustinus (Ep. 47; alias 154) *neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jacendo, aliquem occidat; aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis?*

(B) Pag. 895.

1. Ante omnia ex omnibus mobilibus solvi debent impensæ: 1 judiciales; 2 funerales; 3 medicinales pro ultimo morbo (quæ debentur medico, chirurgo, ac pharmacopolæ simul); non tamen ultra annum; 4 impensa necessa-

riæ pro viduæ luctu et sustentatione ad primos decem menses; 5 stipendia domesticorum ad annum; 6 debita pro cibis et indumentis a sex mensibus inita, si ea venditores *minutatim* vendant; si secus vendant, inita ab anno.

2. Privilegium habent in determinata mobilia: 1 locator domus et prædii rustici pro pretio locationis in fructus anni currentis, et in valorem omnium mobilium, quibus domus instructa est, vel prædium; 2 creditor in rem mobilem sibi oppignoratam; 3 qui rem servavit vel meliorem fecit, adhuc retineat, pro factis expensis; 4 venditor pro pretio rei mobilis præcedenti anno venditæ, si adhuc sit penes debitorem: imo si adhuc res in suo primo statu existat, et venditor nullam emptori concesserit moram ad solvendum, tunc intra quindecim dies res vendita vindicari potest; 5 caupones in res viatorum apud se depositas pro eorum impensis; 6 vectores quoad res transvectas; 7 creditores publici functionarii, qui commissa sibi negotia male administrat, quoad res in cautionem datas; 8 collegia, communitates in pecuniam ab eorum administratoribus in cautelam tributam: item qui ea de causa authentico actu pecuniam ipsam tradiderunt.

3. In bona immobilia privilegium habent: 1 architecti, cæmentarii et alii operarii in ædificia et alia opera pro mercede; 2 venditor pro solutione pretii rei immobilis venditæ; 3 cohæredes in bona successionis pro solutione portionum, quæ ab aliis hæredibus refundi debent; 4 qui pecuniam mutuam dederunt, ut per eam satisfieret iis, de quibus in numeris præcedentibus, si id tamen authentice probari possit; 5 tertius possessor in rem servatam vel meliorem effectam, quoad expensas utiles.

4. Privilegia super mobilia et immobilia sunt quæ habentur constituta in omnia mobilia notata sub n. 1.° Hæc tamen privilegia non obtinent in immobilibus, nisi in defectu mobilium: et quando id obtinet, expensæ judiciales ac funerales et ultimi morbi præferuntur omnibus specialibus privilegiis super immobilibus. Cætera postponuntur.

Duo adhuc hac de re notanda sunt: 1 ut privilegia vim suam obtineant, necesse est ut intra tres menses, quemadmodum hypothecæ legales, inscribantur (si ea excipiantur, quæ sunt fisci quoad tributa fundiaria et indirecta, vel quæ respiciunt mobilia specialia, aut omnia mobilia); 2 etiam fiscus gaudet privilegiis: et quidem omnium primus quoad tributa fundiaria et indirecta, necnon quoad debita functionarii publici, qui cautionem tribuerit. Quoad tributum vero personale et mobiliare privilegio gaudet, sed solutis expensis judicialibus, funeralibus et ultimæ infirmitatis. Tandem quoad expensas in materia criminali et correctionali, fiscus non gaudet privilegio, nisi post ea, quæ vel omnia vel determinata mobilia respiciunt (*art.* 2202 etc.).

(C) Pag. 903.

Duo maxime observanda: 1 de impotentia; 2 de creditoris damno. Impotentia moralis vel contingit ob jam existentem necessitatem, vel ob eam quæ exurgeret ex restitutione. Ubi observandum necessitatem aliam esse *communem*, et est status personæ, quæ difficulter et nonnisi cum magno la-

bore vivit, vivit tamen; aliam esse *gravem*, et est status personæ, quæ ita ægre vivit, ut incurrat periculum in gravem incidendi morbum aut jacturam, nisi auxilium eidem præbeatur; aliam esse *extremam*, et est status personæ, quæ adeo indiget, ut sine prompto subsidio periculum incurrat amittendæ vitæ. — Necessitas *communis* hic certa attendenda non est, alioquin de restitutione actum esset; cum ea sit ordinaria. Quod vero pertinet ad necessitatem *gravem* atque *extremam*, æquitas postulat quidem, ut earum habeatur ratio: sed cum hac generali advertentia, quod in pari causa melior esse debeat conditio innocentis, ac proprietarii rei. Insuper notandum semper est a confessariis, quod non raro ista impotentia fingitur: «A un hombre de la plebe que se acusa de haber robado, le dirás que restituya: responde que no puede. No seas fácil en creerle: averigua esta impotencia; pregúntale cuanto gana cada dia, cuanto gasta en su necesario sustento y de la familia: si juega ó va á la taberna, y observa tambien el contesto de su confesion, y tal vez se dará á conocer que él consume en pecado aquella ganancia que bastaria para pagar las deudas y escederia á la restitucion. Con la misma proporcion procúrese examinar el negociante, el noble, el ministro público, etc.» Ita *Istruz, pe'novelli Confessori*, par. I, n. 254.

2. «A mas de la impotencia ó necesidad en que se encuentra el deudor, hay otra causa que suspende la obligacion de restituir, esta se deduce de parte del acreedor; y es el temor muy fundado, que el dueño de la cosa no abuse de ella en daño propio ó ajeno: la certeza moral de que solo se servirá de ella para cometer algun gran desórden ó para dañar notablemente al prójimo: *quando res restituenda*, dice S. Tomas (2, 2, q. 62, a. 5), *apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est vel alteri, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur: omnia enim quæ possidentur sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet rem alienam sibi appropriare, sed vel rem servare ut congruo tempore restituat, vel etiam aliis tradere tutius conservandam.* Por este principio no es permitido restituir en el caso de que se trata, á escepcion de cuando no se puede diferir la restitucion sin gravísimos inconvenientes. Por esto, no se debe restituir una espada á la persona que quiere servirse de ella para matar á su enemigo: pero ¿se pecaria contra justicia, restituyéndola sin verse precisado? segun la mayor parte de los Doctores se pecaria contra justicia: tal es el parecer de S. Alfonso de Ligorio (l. III, n. 697). Con todo, la opinion contraria nos parece suficientemente probable, ya sea porque el que retiene una espada que no le pertenece, hace una cosa buena por naturaleza, restituyéndola á su dueño, ya sea porque no está obligado por deber ó justicia, á impedir el delito, que este quiere cometer etc.» *Gousset.*

(D) Pag. 915.

Quoad pœnam mortis hæc scite Diarium, *L'Armonia*, n. 51: Hablando en general, se nos hace sospechosa la filantropía de aquellos, que estudian y proponen reformas sobre esta materia. La esperiencia nos enseña, que cuantos intentaron atenuar semejantes castigos, fueron los que los usaron con

mayor estension y crueldad. Pongamos por ejemplo la guillotina. Fué un pensamiento de filantropía el que ideó su invencion; y el mismo pensamiento la hizo sustituir á los otros métodos de matanza. ¡No obstante cuantos inocentes perecieron de aquella manera! *muy bien* decia Fouquier, *las cabezas caen como piedras: mas destreza la decada futura: se necesitan al menos* 450. Billaud esclamaba: *el tribunal revolucionario cree una gran cosa cuando hace caer setenta ú ochenta cabezas: un numero siempre igual no espanta: es preciso redoblar.* Y Vadier: *conviene poner un muro de cabezas entre el pueblo y nosotros. Las hornadas de la guillotina* fueron tan abundantes, que tuvo que hacerse un canal para dar salida á la sangre! Nosotros creemos que algunos años antes del terror, Vadier, Villaud y Fouquier hubieran todos perorado y votado por la abolicion de la pena de muerte. Y con todo, llegados al poder, usaron de ella con tanta amplitud que Collot tuvo que manifestar el temor de que no se *desmoralizase el suplicio.*

«Examinemos nuestros tiempos. Todos los gobiernos salidos de las barricadas empiezan por abolir la pena de muerte. Se diria que destruyen lo que mas temen. Felipe De-Beni en un librito titulado Pio IX mostró en esto gran orgullo. *Los republicanos*, escribió él, *han perdonado siempre: no sienten en el alma una gota de sangre: el dia de la fuerza y de la venganza abolieron la pena de muerte.* Pues bien: ¿y en qué paró esta abolicion? Ya no se mató ni siquiera á uno con el dogal, y se asesinaron ciento con el puñal. No se ahorcó á alguno tras un proceso, despues de una sentencia; pero se degolló por venganza particular y por capricho. No fué ya la justicia la que mató, sino la mano del sicario y del asesino.

«Por lo que mira á la pena de muerte en sí, nosotros creemos una verdadera utopia soñar su abolicion. Aparte de poquísimas y recientes escepciones, todos los jurisperitos, las leyes y las costumbres de todas las gentes y de todos los siglos han demostrado ser de dolorosa necesidad. Quien hizo nacer este derecho de la misma naturaleza de las sociedades como Puffendorf; quien lo dedujo con Lock y Filangieri del derecho individual transmitido en el príncipe gobernante; quien con Romagnosi lo identificó con el derecho de defensa pública. Pero variando en el principio, todos convinieron en admitir el derecho y la necesidad de usarlo á su tiempo.» *V. Civ. Cattolica*, vol. x: mitezze dei tribunali ecc. — *Serie di biografie contemporanee*, vol II. V. Mazzini. Torino 1853.

(E) Pag 920.

Genuina historia parum instructi graviter hic calumniantur religiosa bella, quæ sæculis XI et XII contra Turchas indicta sunt (vulgo *Cruzadas*): at propositum sanctum erat: ea enim instituta fuerunt tum ad recuperandam Terram Sanctam ab impiis Turcharum manibus, tum ad liberandos fideles ab immani eorum tyrannide, tum ad illorum compescendam audaciam, quidpe qui totam minabantur Europam. Utique hominum malitia in pluribus fraudata fuerunt, sed abusus alicujus rei non probat rem in se ipsa vitiosam; RR. autem Pontifices continuo reclamabant contra perversas ho-

minum voluntates. Cæterum qui indolem illorum temporum bene perspectam habet, memorata bella non parum utilitatis ipsi mundo attulisse, ultro fatebitur: «Se concede que perecieron dos millones de hombres, pero estos oprimian á veinte millones de esclavos: pasaron al Asia sumas inmensas, pero se aprendió el secreto de hacer entrar en Europa otras mas considerables, mediante el comercio: el clero, los monjes se enriquecieron, pero recuperando los campos que les habian sido quitados, y que hubieran permanecido incultos: la nobleza decayó, pero perdió el hábito de la insubordinacion y de la vexacion. Si el poder de los papas se hizo grande por algun tiempo, quedó reprimido el de los mahometanos demasiado terrible, é impedido de ennegrecer á la Europa entera. Bien pesadas todas estas consideraciones se verá de que lado cae la balanza.» Ita Bergier, *Dizionario* ecc. Mil. 1846. V. Crociata. — *V.* Ferreri, *La Cattedra di S. Pietro*. Torino 1846, pag. 277. — Salzano, *Corso di storia ecclesiast.* lib. XIII.— Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, cap. 43: item *Della tregua*, cap 32. —*Civ. Catt.* ser. 2ª, vol. III: Il protettorato russo.—Taparelli, *Saggio teoretico* ecc. n. 1308, ecc.

«Quæstio est: *an si cives nostri damnum ingens tempore belli passi sunt, his restitutio quædam a Republica debeatur?* — Vasquius in controversiis illustribus negat ea ratione, quod jus belli id permittat. *Sed hoc recte absurdum*, dicit Grotius: *jus enim belli excusat non quæ civibus fiunt, sed quæ hosti nocent. Ergo omnino reliqui cives debent refundere damnum, quod ex concivibus unus vel alter extra ordinem passus est;* ex eadem ratione, ob quam contributio fieri solet ex *lege Rhodia* de jactu, si unius merces in mare projectæ sint, ut aliorum res salventur.» Heineccius, *Prælect. Acad. in Hugonis Grotti libros de jure belli et pacis*, l. III, cap. 20, §§ 7 e 8.

(F) Pag. 921.

«Multo sæpius hæc erga se ipsum sævities (nempe suicidium) ex animo depravato oritur, præsertim ubi ex vitiorum frequentatione sensus Religionis extinctus jacet vel fides ipsa evanuit.... Præ reliquis turpes amores, ambitio, avaritia et immoderati lusus homines in barathrum horrendum adeo præcipitare solent. Absit ut hanc sævitiem fortitudinem animi dicamus; nam fortitudo homine cordato digna ea tantum est, quæ inter omnes temporum acerbitates fortunæque vicissitudines invicta perstat..... Qui ad eas declinandas semet enecant, nonnisi sensui acerbiori cedunt, et hoc ipso mentis suæ imbecillitatem tentantur. Rectissime Poëta inquit: *rebus in angustis facile est contemnere vitam. Fortiter ille facit qui miser esse potest:*» Stapf. Absit etiam, ut de facili suicidas excusemus, quasi nempe intercepto usu rationis phrenetico furore agantur: «Juzgo que la perturbacion súbita y momentánea de la razon es la consecuencia ó el efecto de una desgraciada inclinacion que no ha sido suficientemente combatida, ó de no haber procurado evitar las ocasiones propias para mantenerla ó hacer que se desarrollase mas. Esas circunstancias ó esas causas son las que producen el delirio súbito ó parcial, que deben determinar el grado de culpabilidad de la accion del mono-

maníaco, porque la voluntad moral está subordinada á la libertad moral, como esta lo está á la integridad de la razon.» Ita ait doct. Debreyne, in libro *Essai sur la Théologie Morale considérée, dans ses rapports avec la physiologie et la médecine. Ouvrage spécialement destinée au Clergé.* Bruselles 1844.

Idem auctor in Opere, *Pensieri di un Cattolico credente*, plura et egregia contra suicidium, ubi sceleris gravitatem aperit, causas quærit, remedia profert. Ad nos quod attinet satis erit hæc referre. «Está notablemente observado, que el suicidio es mas frecuente en aquellos pueblos, donde el catolicismo va desapareciendo, ó que generalmente es desconocido en aquellos paises en donde la religion católica es seguida y practicada exactamente. El suicidio fué desconocido en España mientras aquellos pueblos se mantuvieron sinceramente adictos á la Religion Católica, y sobre todo mientras la practicaron exactamente. Ved ahí lo que ha sido de la Inglaterra el pais clásico del suicidio, despues que fué abolido el catolicismo! En los estados de Italia, Austria y otros paises católicos de la Alemania, el suicidio es rarísimo: y si hoy dia se ha hecho mas frecuente, ha sido á proporcion que el espíritu de impiedad y de filosofismo ha dilatado su sombra pestífera y ha hecho fermentar la levadura de la corrupcion y de la inmoralidad, atizando á la vez el fuego de las revoluciones y de las contínuas guerras. ¿Quiénes son aquellos que se dan la muerte á sí mismos? ¿Es el miserable que va de puerta en puerta pordioseando un pedazo de pan, que le basta para su subsistencia? No, es el opulento que le niega las migajas que caen de su mesa. ¿Es un cristiano sepultado en una vil cama, víctima de los sufrimientos de una cruel enfermedad? No, es un voluptuoso que sale de una orgía. ¿Es un hombre debilitado por los trabajos, que riega con sus sudores una pequeña porcion de terreno, que alimenta á sus hijos? No, es un rico perezoso, que no ha mucho he visto salir bostezando de una numerosa y alegre asamblea, y que fastidiado en estremo de su ociosidad, para distraerse se ahorcó. Amigo, no hay que dejarse burlar, el rico y el poderoso incrédulo no se avienen con la verdad, créeme: y aun cuando á fuerza de averiguaciones llegaste á indicarme alguno que te parecia tenerla cerrada en el puño, te diré: aguarda. Hé aquí que sobreviene la muerte, y con ella las contorsiones de la rabia, los terrores de lo venidero, y los gritos de desesperacion. La muerte del cristiano es la tarde de un dia hermoso: la muerte del impío es la esplosion del rayo en noche tempestuosa.» *Moniteur des Villes et des Campagnes*, an. 1836.

Audiatur tandem vel ipse Rousseau apud cl. Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. 2, lez. 30: «Tú quieres cesar de vivir, pero yo querria saber si tú has empezado. Y qué ¿fuiste colocado sobre la tierra para no hacer nada? ¿el cielo no te destina juntamente con la vida una carga que desempeñar? Si tú has cumplido la jornada antes de anochecer, descansa en lo restante del dia: esto te es permitido, pero veamos tus obras. ¿Qué respuesta tienes preparada para el Juez supremo que te pedirá cuenta del tiempo? ¡desgraciado! preséntame un justo, que se glorie de haber vivido bastante: que yo aprenda de él como convenga haber llevado la vida para tener derecho de

abandonarla. Tú cuentas los males de la humanidad y dices: *la vida es un mal.* Pero observa, busca en el órden de las cosas y mira si encuentras un bien, que no esté mezclado con un mal. ¿Puede por esto decirse, que no hay bien alguno en el mundo, y quieres confundir lo que es mal por naturaleza, con lo que no sufre el mal sino accidentalmente? La vida pasiva del hombre es nada, y solo mira un cuerpo del cual bien pronto quedará libre; pero la vida activa y moral que debe influir sobre su sér, consiste en el ejercicio de su voluntad. La vida es un mal para el malvado que prospera, y un bien para el hombre honesto desgraciado, pues no es ya una modificacion pasajera, sino su relacion con su objeto es lo que la hace buena ó mala.

«Tú estás fastidiado de vivir y dices: *la vida es un mal.* Tarde ó temprano te hallarás en placeres y entonces dirás: *la vida es un bien.* Tú dirás mejor, sin discurrir todavía mejor, si bien nada se habrá cambiado excepto tú mismo. Cambia desde hoy, y pues todo el mal deriva de la mala disposicion de tu alma, corrige tus desordenadas afecciones, y no pegues fuego á tu casa por no tomarte la molestia de metodizarla. El suicidio es una muerte furtiva é ignominiosa. Es un hurto hecho al género humano. Antes de abandonarlo, vuélvele lo que él ha hecho por ti. *Pero yo no tengo importancia alguna, yo soy inútil al mundo.* Filósofo de un dia, ¿ignoras tú que no podrias dar un paso en el globo sin encontrar algun deber que cumplir, y que cada hombre es útil á la humanidad solo porque existe? ¡Jóven insensato! si tú conservas en el fondo de tu corazon el mas pequeño sentimiento de virtud, ven, para que yo te enseñe á amar la vida. Cada vez que fueres tentado de deshacerte de ella, dí contigo mismo: *todavía quiero hacer una buena accion antes de morir:* ve luego á buscar algun menesteroso que socorrer, algun infeliz que consolar, algun oprimido que defender. Si esta consideracion te entretiene hoy, lo mismo hará mañana, pasado mañana y toda la vida.»— It. vid. *La Civiltà Catt.* ser. 3ª, vol. II. pag. 625.

(G) Pag. 992.

«In casibus singularibus plurimum interest, attendere cujus ætatis, physicæ complexionis, indolis, status et conditionis persona illa sit, cui tale quid concedatur: *aliter est judicandum de fine. aliter autem de his quæ sunt ad finem: illud enim quod quæritur tamquam finis, absque mensura quærendum est; in his autem quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem. Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio Dei est sicuti finis; jejunia autem, vigiliæ et alia exercitia corporalia non quæruntur tamquam finis, sed adhibentur tamquam necessaria ad finem, et ideo hujusmodi adhibenda sunt cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia dometur, et natura non extinguatur* (S. Thomas. *Quodl.* 5, a. 2). Et hæc quidem de *via ordinaria* obtinet; ast Deus Ecclesiam suam omni tempore animabus singulariter dilectis exornavit, quas proinde per viam non omnibus usitatam, sed per summos et vere stupendos pœnitentiæ rigores deduxit, tum ut easdem ad extraordinaria spiritus sui charismata disponeret, tum ut mundo mollescenti et vecordi exempla præberet, quibus

salubriter confunderetur: quorum valetudo, quo minus sibi parcerent, eo robustior... Procul a nobis sint criminationes et cavilli, quibus recentiores aliqui præsertim protestantes illos onerare non erubescunt.... Defleamus potius ignaviam ætatis nostræ, quæ quidem tanta est, ut Ecclesiæ florescentis specimina pro deliramentis habeat. Quid impii ejusmodi irrisores facturi essent, si Deus talia quæ a Sanctis ultro perpetrata legimus, ab ipsis severa lege expeteret, ab ipsis, inquam, qui etiamsi mortificatione ac pœnitentia præ cæteris indigeant, ipsam tamen ejusdem umbram perhorrescunt?...

«In hac materia plures nosmetipsos abnegandi occasiones dantur, quæ nobis invitis occurrunt, v. g. dum ob singulares labores consuetam refectionis horam differre cogimur, dum cibaria minus grata, insipida vel manu fors parciori apponuntur, etc. Quod si ergo in ejusmodi casibus naturæ indignantis motus compescere, nosque rerum circumstantiis prompte accommodare studeamus, hæc nostri abnegatio præ omni inedia divinum novis beneplacitum conciliabit. Præclare S. Franciscus Salesius (maxime pro collegialiter viventibus): *summopere reverenda duco verba illa Redemptoris ad discipulos:* manducate quæ apponuntur vobis. *Ni fallor, majoris virtutis est indiscriminatim comedere quæ et quo ordine apponantur, sive sapiant dissipiantve palato, quam proprio motu semper deteriora sibi eligere; licet enim hæc posterior agendi ratio videatur austerior, prior tamen plus continet resignationis; per illam quippe homo non gustui tantum, sed suo quoque arbitrio renuntiat. Accedit, quod hoc mortificationis genus ab omni nota vanitatis immune, prorsus innocuum, et vitæ sociali perquam conveniens est* (Phil. p. III, c. 23).» Ita *Stapf* perbelle more suo §§ 547 et seq.

Ad rem item Salesius (*Lett.* 54) quoad infirmitates ac corporis morbos: «No hay peligro alguno en desear el remedio, antes bien conviene procurarlo diligentemente: puesto que Dios, que te ha dado el mal, es tambien el autor de los remedios: conviene pues aplicarlos; pero con tal resignacion, que si su divina Majestad quiere que el mal no se deje vencer, te conformes á su querer; y si quiere que el remedio venza, bendecirás su beneplácito.»

(*H*) *Pag.* 923.

«Medio ævo (ait *Stapf*, § 391), ejusmodi pugnæ sæpe adhiberi, imo etiam auctoritate publica demandari consueverant, ut quis notam criminis sibi vel etiam aliis objecti tali modo amoliretur. Præfidenter nimirum et temere sperabant, Deum provisurum, ut pars innocens etiam victrix existat. Ab hac Dei tentatione ætas subsequens equidem resipuit, ita tamen, ut in ejusdem locum vesania non minor successerit, opinio scilicet, ad partes et vix non ad officia honesti viri spectare, ut vel injurias sibi illatas ejusmodi certamine ulciscatur, vel ut hoc modo animum prorsus intrepidum ostendat.»

De duello ad rem Gaume, *Catechismo di perseveranza*, part. 2ª: «El Concilio de Trento califica de infames á los duelistas, de modo que estos quedan irregulares, ni pueden recibir Ordenes sin dispensa. Por cierto estos son infames porque son viles y malos ciudadanos. *Viles:* encurvan su orgullosa frente bajo el yugo de un prejuicio bárbaro que no osan arros-

trar. *Viles:* no sienten aquel coraje que ennoblece realmente al hombre, el coraje de perdonar. *Viles:* se muestran esclavos de las pasiones mas viles, el orgullo, el rencor, la crueldad. *Ciudadanos malos:* para satisfacer una venganza personal aventuran un bien que no les pertenece: esto es la vida, la cual pertenece á la sociedad, á la esposa, á los hijos. *Malos ciudadanos:* pisotean imprudentemente la ley primaria de toda sociedad, que veda al individuo hacerse justicia por sí mismo. *Malos ciudadanos:* pisotean toda moral para no reconocer sino el derecho brutal del mas diestro, poniendo por máxima, que el honor está en la punta de una espada, ó en la bala de una pistola.

«¿No obra, pues, con plena justicia la Iglesia cuando declara infames á aquellos que se hacen reos de semejante delito? ¿y la razon, al aplaudir este decreto, no dice por ventura, sí, infames? ¿La impiedad misma por ventura no ha elevado la voz para difamar este bárbaro prejuicio? Guardaos bien, dice Rousseau, de confundir el sagrado nombre del honor con aquel feroz prejuicio que pone toda virtud en la punta de una espada y solo sirve para producir bravos malvados. Pero ademas ¿en qué consiste este horrible prejuicio? En la opinion mas estravagante y mas bárbara que haya tenido lugar en la mente humana, esto es, que todos los deberes de la sociedad están representados por la bravura; que un hombre cesa de ser embustero, bribon, calumniador, y es civil, humano y delicado cuando sabe batirse bien: que la mentira se cambia en verdad: el hurto es una posesion legítima: la perfidia honesta, la infidelidad laudable, tan pronto como se sostiene esto espada en mano: que una afrenta siempre se repara bien con un golpe de espada, y que jamás se tiene culpa con un hombre porque se mata.—Hay, convengo en ello, otra especie de duelo, en que se junta el donaire á la crueldad, y en que no se mata sino por acaso, y es el duelo á primera sangre. A primera sangre! Gran Dios! ¿y qué quieres hacer de la tal sangre, bestia feroz? ¿quieres tú con ella apagar tu sed?

«¿Se dirá tal vez, que un duelo prueba que se tiene valor, y que esto basta para borrar la deshonra y el vituperio de cualquier vicio? Pregunto: ¿qué honor puede sugerir tal decision y qué razon puede justificarla? Con este principio, si se os acusase de haber dado la muerte á un hombre, pasaríamos á matar otro para probar que no es verdad. Así, así: virtud y vicio, honor é infamia, verdad y mentira, todo puede recibir vida del éxito de un combate: una sala de armas es el asiento de la justicia: no hay derecho sino en la fuerza: no hay razon sino en el homicidio: toda la reparacion que se debe al injuriado es el matarle, y toda ofensa igualmente se lava bien con la sangre del ofensor que con la del ofendido. Si los lobos supiesen raciocinar, ¿tendrian otras máximas? Dejad que se batan todos estos individuos (todos los malos sugetos): nada es menos honroso que aquel honor por el cual meten tanto ruido, esto es una moda insensata, una falsa imitacion de virtud, que se adorna con los mas enormes delitos. El honor de un hombre, que piensa noblemente, no está en poder de otro; está en el mismo, no en la opinion del pueblo: el honor no se defiende ni con la espada ni con el escudo, sino con una vida incorrupta é irreprensible.»

(I) Pag. 925.

Hac de re duo maxime notanda: unum de fœtus animatione; alterum de causis abortus studiosissime amovendis.

Quoad 1, præstat audire medicum Debreyne: «Cangiamila dice haber visto un embrion que solo tenia diez y seis dias y que daba muestras muy sensibles de vida. Cita una multitud de ejemplos. Muchos autores no admiten la animacion sino cuando los principales miembros del feto están ya formados. Zacchias cree que tiene lugar desde el mismo momento de la concepcion. S. Basilio no queria que se hiciese la distincion de feto animado é inanimado, porque estaba persuadido de que el alma es creada en el mismo instante de la concepcion. S. Gregorio de Nicea añade que el buen sentido no puede admitir que una cosa inanimada tenga fuerza para moverse y crecer: *Enim vero, posteriorem esse originem animarum, ipsasque recentiores esse corporum compositione, nemo sana mente præditus in animum induxerit; cum manifestum et perspicuum sit quod nihil exanime habeat in se vim se movendi pariter atque crescendi.* Esto es, no obstante, lo que se observa en la criatura desde los primeros tiempos de la preñez: es preciso pues que tenga vida. S. Cesareo era de la misma opinion. Florentini dice que es probable que el embrion esté animado inmediatamente despues de la concepcion. Enseña en consecuencia que se debe bajo pena de pecado mortal, bautizar al gérmen ó el embrion aun cuando no sea mayor que un grano de cebada, y que no dé señal alguna de vida; con tal que no esté corrompido ó evidentemente muerto; y la razon que para esto da es, el creer que el embrion está animado, es decir unido ya á un alma racional. Teólogos célebres y médicos hábiles recibieron este escrito con manifiesta aprobacion. Las facultades de teología de Paris, de Viena y de Praga aprobaron esta opinion: la de Paris dijo que la doctrina de Florentini es segura, *indubitata doctrina;* que es muy útil para impedir los abortos que las mujeres sin religion se procuran sin escrúpulo, bajo el pretesto de que el gérmen no está todavía animado. Esta doctrina recibió igualmente los elogios del Rector de la universidad de Salamanca, de muchos obispos y de las facultades de medicina de Viena y de Praga. Se sostuvieron tambien entonces en esta última unas conclusiones públicas en la cual se leyó este proposicion: *En el mismo instante de la concepcion el gérmen tiene una alma racional.* (Cangiamila).

«El célebre Cangiamila, autor de la *Grande Embriologia sagrada,* enseña igualmente que es probable que el gérmen del feto es animado inmediatamente despues de la concepcion. Yo abrazo la opinion de S. Basilio y de Zacchias, es decir, que creo que la animacion se verifica en el momento preciso de la concepcion, y hé aquí mis razones: si cesa la vida del hombre en el instante mismo que el alma se separa del cuerpo, es creible que empiece en el mismo instante que el alma se une al cuerpo, sea cual fuere la pequeñez ó la forma rudimentaria. Pues, desde que el óvulo está fecundado, lo que tiene lugar en el mismo momento del acto de la generacion consumado, crece; y no crece sino porque vive, y no vive sino porque está animado; luego el gér-

men ó el huevo humano queda animado en el mismo instante de la concepcion. A mas de que, estando la vida material bajo la inmediata dependencia de la facultad sensitiva del alma, y no pudiendo esta facultad sensitiva del alma estar separada de su facultad inteligente, se deduce que el alma racional está unida al embrion desde el instante mismo de la concepcion.

« En fin, ¿no es sabido que el alma permanece unida al cuerpo hasta el último suspiro del hombre agonizante, aun entonces que casi todos los órganos están ya heridos de parálisis y de muerte? Ese soplo ligero, ese débil resto de vida material que va á extinguirse dentro algunos minutos, ¿es acaso una vitalidad muy superior á la del embrion fecundado? Esta á lo menos es una vida formatriz, plástica y creciente. Y no se pasme nuestra razon del estado informe y exiguo que al parecer tiene la débil porcion de materia animada. No veis órganos en el gérmen amorfo del huevo de una gallina; armad vuestro ojo con un microscopio, y observaréis desde luego todos los lineamientos de la organizacion. Lo repito, no se asombre nuestra débil razon de la pequeñez material. Dios es siempre grande é infinito así en las cosas pequeñas como en las grandes, ó por mejor decir, en el órden material no hay á los ojos de Dios nada grande ni pequeño: estas cualidades relativas de grandor y pequeñez son creacion de la debilidad del entendimiento humano, necesaria aquí abajo para ponernos en revelacion con el mundo material, y para juzgar y valuar el órden y la armonía.»

Quoad 2, in re nempe quæ tanti momenti est, in qua agitur de vita hominum temporali et æterna ab omni solicitudine enitendum, ut mulieres caveant et a causis quæ directe abortum causant, et ab iis quæ illum per indirectum inducere possunt. Iterum *Debreyne:* « Como es conveniente que los curas y confesores conozcan las principales causas de los abortos, á fin de poder dar los consejos necesarios á las mujeres en cinta, segun se lo permitan la ocasion y la prudencia, voy á hacer una breve relacion de ellas. El aborto puede sobrevenir indistintamente en todas las épocas de la preñez: cuando es espontáneo sucede frecuentemente en los dos ó tres meses del preñado.

«*Causas predisponentes.*—Las principales son: una muy grande sensibilidad nerviosa, un esceso de plétora ó de debilidad y de extenuacion, el habitar en lugares pantanosos, frios, húmedos ó que desprenden exhalaciones fétidas, el vivir en las inmediaciones de tenerías, de muladares y generalmente de todos los focos de emanaciones infectas y mal sanas; los olores muy fuertes, los cosméticos muy odoríferos; los vestidos muy apretados, palillos demasiado recios ó el uso de corsés con ballenas, que causan una constriccion en el pecho y en el vientre...

«*Causas determinantes.* La impresion viva y súbita de un aire frio, sobre todo si se pasa repentinamente del calor al frio; la inmersion del cuerpo ó de los miembros en agua muy fria; la caida y los golpes sobre el vientre, las lavativas irritantes, los purgantes violentos, los preparados de aloes, los vómitos causados sobre todo por el emético (tártaro estibiado); los estornudos violentos y reiterados, los remedios llamados emenagogos ó propios pa-

ra promover el flujo ménstruo, las sangrías, sobre todo las de pié, las sanguijuelas aplicadas en las partes inferiores, una marcha larga y apresurada, las sacudidas y conmociones causadas por saltos, la equitacion ó un carruaje mal suspendido, el baile y sobre todo el vals, que es el mas acalorado y el peor bajo todos conceptos, los trabajos duros y penosos, los esfuerzos, el movimiento de brazos necesario para sacar agua, levantar un fardo pesado, ó alcanzar alguna cosa de un puesto elevado.... En fin, hay tambien algunas causas morales capaces de determinar el aborto, como una súbita esplosion de cólera ó de furor; otras veces gritos violentos, voces estrepitosas, una alegría escesiva, risas inmoderadas, la cólera, la brutalidad, los malos procedimientos de un marido, etc. etc.

Cuidam piæ mulieri uterum gerenti scribebat S. Franciscus Salesius: «Yo bendigo á Dios que quiere aumentar el número de sus siervos con el aumento de vuestra prole; los árboles producen frutos para los hombres, pero las mujeres paren hijos para Dios, y por esto la fecundidad es una de sus bendiciones. Aprovechaos de dos modos de este embarazo: 1.° ofreciendo con frecuencia á Dios en el decurso del dia, el fruto de vuestro vientre, como solia hacer la madre de S. Agustin, estando en cinta de él, en los dolores, en el tedio, en las aflicciones que suelen acompañar este estado; 2.° bendecid y dad gracias al Señor por los sufrimientos que esperimentais para producirle un siervo ó una sierva, que con la ayuda de la gracia, le alabará eternamente con vos. Conservaos con gran cuidado, no os molesteis ni os esforceis en hacer cualquiera especie de ejercicio, sino con suavidad; si os cansais de estar arrodillada, sentaos; si no podeis tener atencion para hacer oracion media hora, hacedla un cuarto ó medio solamente, etc.» *Lettere*, lib. III, lett. 1 e 48.

(J) Pag. 944.

«Circa hanc materiam (ait *Stapf*, § 403) ingens plurimorum licentia reperitur. Prout in discernendis propriis vitiis plerumque cæci, ita ad detegendos carpendosque nœvos aliorum valde perspicaces sumus. Unde in quotidiana hominum conversatione vix alia sermocinatio auditur, quam de aliorum vita et moribus. Imo ut S. Hieronymus jam de suo tempore lamentatur: *tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant...* Multo deterior conditio illorum est, qui etiam in reliquis conscientiam curant, tum vero aliena errata sagaciter venari, quidquid detegunt quasi lætabundi suis in conventibus exponere, imo et exaggerare consueverunt.» Nostrum esse debet et verbo et exemplo fideles removere a vitio tam communi, gravissima ejus consectaria aperiendo. — *V.* Careno, *Istruzioni pratiche;* Istruzione XXVII, etc.

Hac ergo ætate, in qua nullus fere est detractioni finis, et ipsa probatissimorum fama libellis ac dicteriis quotidie laceratur, id unum restat, ut in Domino confortemur qui beatos appellat qui persecutionem patiuntur, propter justitiam tamen. Ad rem item Salesius cuidam mulieri in angustiis scri-

bebat: «La mayor parte de nuestros males tienen mas de imaginario que de real. ¿Pensais que el mundo hace gran caso de estos pasquines? Puede ser que alguno les preste oido, que alguno conciba alguna sospecha; pero tened entendido que si sois buena, si vuestra alma está resignada á la voluntad de Dios, esta clase de insultos desaparecerán como el humo, tanto mas presto cuanto mas violento sea el viento que los empuja. La calumnia nunca desaparece mas pronto que cuando se la desprecia manifestando con nuestra firmeza que no podemos ser presos por ella; porque la calumnia que no tiene padre ni madre que quiera aceptarla, manifiesta en sí misma que es ilegítima. Quiero, hermana carísima, referiros una sentencia con que S. Gregorio el grande consolaba á un obispo afligido: *¡ah!* decia el Santo, *si vuestro corazon estuviese en el cielo, los vientos de la tierra no podrian conmoverlo en manera alguna: al que ha renunciado al mundo, nada del mundo puede afectarle.* Poneos pues, á los piés de un Crucifijo; considerad cuantas injurias recibió y suplicadle por la dulzura con que las recibió, que os dé fuerzas para suportar la parte que como sierva suya os ha tocado..... Felices los injuriados y calumniados, porque ellos serán honrados por Dios!» *Lett.* 35.

(K) Pag. 951.

Non abs re est hæc animadversio *Stapf*, §385: «quantum illi peccent, qui alios, instigante odio, vel ut præpositis adulentur, deferunt, per se patet. Ast homines etiam optimæ indolis denuntiationem justam cum impia delatione sæpe confundunt, et obinde quoscumque abusus dissimulant, etc.» Lhomond in Opere, *Metodo per confessare i fanciulli*, etc., hunc sibi proponit casum: «¿Cuándo podrá un Confesor de colegio mandar ó aconsejar á un penitente, que descubra al superior un libertino que vive en él?

«*Respuesta.* Para obligarle á esto se requieren cuatro circunstancias: 1.° que el mal esté muy probado: 2.° que sea contagioso y dañe tambien á los demás, que no lo cometen: 3.° que el medio que se quiere emplear para informar al superior, no viole el secreto de la santa Confesion, ni pueda hacerla odiosa: 4.° que no haya grave peligro para el delator. Por esto si faltan pruebas manifiestas, si el mal no puede estenderse mas, si se temiese apartar á los otros de la Confesion, si no se tiene seguridad de la prudencia del superior, y pudiese originarse estrépito, no debe procederse á la delacion. En general, se quiere mucha reserva en mandarla ó aconsejarla, á fin de que para remediar un mal no se cause otro de peor. Convendria que no se pudiese argüir que el superior fué informado en ocasion de Confesion: por lo que dado caso que este libertino fuese un doméstico, ó un maestro, ó un estudiante mayor, los cuales abusasen, el uno de su autoridad, el otro de su fuerza, me determinaria á insinuar la declaracion despues de haber inculcado al penitente: *Hé aquí lo que dirás y nada mas;* y despues de haberle prohibido severamente hablar sobre el asunto con otro fuera del superior. Conviene, en cuanto sea posible, que el mismo penitente, y no el confesor haga al superior esta declaracion; así se topa con menos escollos. Con todo, como es difícil determinar á un jóven que haga tal declaracion, cuando en

el caso de un peligro urgente, el confesor se encargue de ello, previo permiso del penitente, conviene que tenga este permiso en escrito, á fin de que cuando el jóven se retractase, el confesor tenga la prueba en la mano. Terminaré esponiendo un espediente que tuvo feliz éxito. Un confesor empeñó al penitente á que le escribiese el hecho firmado de su puño, prometiéndole no enseñar el escrito, sino copiarlo él mismo de propio puño sin firma, y llevar la copia no firmada al superior. El secreto de la confesion estaba asegurado, y el jóven no peligraba. Pero en semejantes circunstancias téngase por regla principal el pedir parecer antes de mandar ó aconsejar alguna cosa.»

(L) Pag. 959.

1. Audiatur quoad secretum ep. Parisis, *Preguntas de conciencia etc.:* «El secreto es propiedad individual en su significacion mas rigurosa, y si versa sobre la vida privada, es muy estimado sobre otro bien, pues la infamia es mas terrible que la pobreza. El que descubre el secreto de otro y lo revela al público, sin su consentimiento, comete una formal injusticia delante de Dios, injusticia tanto mayor, cuanto mas violenta es la infamia que de ello resulta: por lo que debe el periodista respetar cuidadosamente los secretos de la vida privada, aun cuando se trate de una persona pública. Empero esto debe entenderse de aquellos actos privados, que no tienen inmediata y necesaria relacion con las funciones sociales y sometidàs por derecho constitucional á pública censura. Así, por ejemplo, quizás te será lícito revelar al público ciertos defectos de la conducta privada, que tenga un profesor de la juventud, cuando seria inútil y torpe, si se tratase de un empleado de hacienda. Ten presente no obstante, que si la medida es estrema, solo puede justificarla el interés comun y la falta de todo otro medio para conseguirlo: y que en todo caso la aplicacion de tan cruel remedio debe hacerse con todo miramiento y circunspeccion.»

2. Quoad secretum *confidentiæ* notàt speciatim Gousset: «Están dispensados de testificar... los Obispos, los Párrocos y Vicarios por lo que mira á las confidencias y revelaciones que se les han hecho en el ejercicio de la jurisdiccion eclesiástica del ministerio pastoral, aun fuera del tribunal de la penitencia. De otra suerte un Obispo, un pastor no podria ya ejercer eficazmente toda la autoridad paterna que tiene sobre sus inferiores en el órden moral y espiritual.» — *V. Supplica Apologetica a S. A. l'Arciduca Vicerè del Regno Lombardo Veneto a favore del Sacerd. I. G. nella causa di secreto ministeriale, introdotta innanzi i tribunali* Svizzera 1832. — *L'Armonia* ecc. Giornale; Torino, anno 1856, n. 102.

3. Hic redarguenda est illorum agendi ratio, qui omnem amicitiæ sanctitatem parvipendentes, semel ac amicitia cum aliquo soluta est, litteras proferunt, quas sibi mittebat amicus. Qui talia agit, est ex ipso Tullio (Philipp. II, cap. 4), *homo et humanitatis expers et vitæ communis ignarus; quis enim umquam qui paulum modo bonorum consuetudinem nosset, litteras ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit palamque*

recitavit? Quid est aliud tollere a vita vitæ societatem, tollere amicorum colloquia absentium? Quam multa joca solent esse in epistolis, quæ prolata si sint, inepta videantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda? sit hoc inhumanitatis tuæ: stultitiam incredibilem videte.

(M) Pag. 965.

Audiatur card. Gousset: «Los antiguos en gran número enseñan que el valor de doce reales es materia grave en sí misma, cualquiera que sea la persona, rica ó pobre, á la cual se hace el hurto. Pero hoy dia, atendida la baja del valor del dinero, se requiriria por cierto un valor numérico mayor, esto es, de veinte ó veinte y cuatro reales; y nosotros opinamos que generalmente debe mirarse como mortal el hurto de esta cantidad, ó de un objeto de valor equivalente. Añadirémos que tambien debe mirarse como mortal un hurto cuantas veces su dueño resulta razonable y gravemente perjudicado, si no por motivo del precio de la cosa robada, á lo menos por motivo del daño extrínseco que le resulta; porque una materia leve puede hacerse grave por las circunstancias del hurto, como, por ejemplo, si se hurtase á un artifice un instrumento de poco valor, sin el cual no pudiendo trabajar, experimentase un daño considerable. En este caso, estaria obligado no solo á restituirle el instrumento, si que tambien á resarcirle las pérdidas sufridas, si hubiesen sido previstas.»

Præstat ut hic diversarum monetarum, quæ magis hodie sunt in usu, valorem indicemus, eas æstimando et comparando ad libellas novas pædemontanas, sive ad francos (vulgo *francos*). Quædam quidem hodierna æstimatio, etsi non possit institui ad ultimum minutum, cum in dies variare soleat, sat tamen erit ad valorem dignoscendum diversarum pecuniarum. L'*Argenteo*, il *Regale*, il *Giulio*, il *Carlino*, equivalgono a circa 40 cent.; il *Crocione* o la *Corona imperiale* a fr. 5. 56; i *Colonnati* di Spagna a 5. 28; il *Ducato* delle Due Sicilie a 4. 24; *Ducato d'oro* a 9. 50; *Dollaro* (Stati-Uniti) a 5. 54; *Fiorino d'oro di Camera* è il ducato di Camera, ossia d'oro; *Fiorino* di Francoforte a 2. 12, dei Paesi-Bassi 2. 14, d'Austria a 2. 60; *Lira* toscana a cent. 54, Austriac. cent. 86, *Sterlina* fr. 25. 21, di *Savoja* cioè lira vecchia di Piemonte fr. 1. 19, *Imperiale* ossia milanese cent. 75; *Marc-banco*, (Ambargo) a 1. 88; *Piastra* (Turchia) 5. 34; *Rublo* (Russia) fr. 4; *Reis* (Portugallo) 7. 7; *Ruspone* (Toscana) 35. 59; *Risdaller* di Baviera, a 2. 24, di Danimarca a 5.4. 96, di Svezia 5.75; *Soldo d'argento* a fr. 1; *Scudo* d'argento fr. 5, Romano 38; *Schilling* (Inghilterra) 116; *Tallero* di Prussia a 3. 71, di Sassonia 3. 90; *Zecchino* di Roma 11. 61, di Firenze 11. 79, di Venezia 11. 82; *Grana* a cent. 5; *Grazia*, a cent. 18. (*Ghinea*, *v.* Sterlina, da cui poco differisce).»

(N) Pag. 967.

Si essent sylvæ privatorum, dicimus, eos qui ligna cædunt, teneri ad restitutionem; quia domini absolutum dominium habent super suis sylvis. Et idem recte dicunt de sylvis Communitatis, si privati emerunt vel conduxe-

runt omnia ligna illius; quia tunc Communitas totum suum jus transtulit illis. Quod de sylvis, valet de pascuis.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 529; *Homo Ap.* tr. x, nn. 23 et 25.

Audiatur hic Pavone, *Spicilegio* ecc. § 44: «¿Pero qué dirémos de los pobres? Este caso, segun espresa Collet, *gravis est momenti, et quotidie contingit, magnamque parit difficultatem patribus*, y tambien á los Confesores. Veamos pues antes lo que dicen los teólogos, y luego resolverémos la regla que debe observarse en la práctica.

«El célebre Collet es de parecer, que solo entonces es lícito á los pobres recoger de los bosques de los particulares leña seca ó verde, pero únicamente aptas para el fuego, cuando hay una legítima costumbre: *non licere, nisi contraria eaque vigeat consuetudo.* Añade, que entonces esta costumbre es legítima, cuando se funda en el consentimiento espreso ó tácito de los dueños; y que se supone este consentimiento, *primero* cuando ven recoger la leña y callan; *segundo* cuando no podrian impedirlo sin manifestar una gran dureza de corazon *sine immani quadam duritie.* Concluye, que de estos principios Sambovio y Pontas deducen, *homini in ea necessitate constituto, ut alioquin hyemem sine igne, et calidis alimentis transigere debeat, licitum esse minuta quæ humi jacent, ligna, vipreta genistraque colligere, incesum scilicet foci proprii, ut loquitur Sylvius. Ratio est quia vel domini tunc inviti non sunt, vel irrationabiliter sunt inviti.* Hé aquí las palabras del citado Silvio: *An vero pauperes in sylva dominorum possint capere ligna in usum foci proprii necessaria, ambigitur. De aridis satis certum est, quod sic; de viridibus autem non facile consenserim, nisi vera necessitas urgeat, cui vix possit aliter subveniri.* Son palabras de Pontas segun ha referido Collet. Azorio señala por regla general, que, *si quis inopia, vel necessitate pressus, ligna cædat suæ vitæ vel inopiæ necessaria, non peccat;* y añade que ni siquiera pecan los guardas de dichos bosques en no revelar al dueño, que los pobres recogen la referida leña.

«Cualquiera ve que están acordes los teólogos en juzgar por lícito á los pobres el proveerse de leña, y lo están tambien en señalar por razon, no su estrema ó casi estrema necesidad, sino la falta que les hace la leña, que ellos no se hallan en estado de poder comprar. En la necesidad estrema ó casi estrema es lícito tomar toda especie de leña; pero los autores citados quieren, que únicamente sea lícito tomar leña seca, ó verde de poco tiempo. Es verdad, que Azorio dice *necessaria vitæ*, palabras que indican la necesidad estrema; pero luego añade, *vel inopiæ necessaria*, lo que indica una menor necesidad. El mismo sentido tienen las palabras de Silvio pero ¿cómo fuera de la estrema ó casi estrema necesidad se dirá ser lícito el tomar lo ageno? la razon solo Collet la espresa, esto es la legítima costumbre, por lo que conviene comprenderla bien, y al momento los Confesores sabrán la justa y práctica regla que deberán seuir.

«Reflexiónese pues, que por una parte seria una gran crueldad negar la leña al que de ningun modo puede procurársela, y por otra la leña seca que hay por tierra, ó en los árboles, y la verde de poco tiempo, no son cosas de gran valor, y el dueño estaria obligado á darlas de limosna al que las necesita. De esto, pues, nace la costumbre, que los pobres por sí y sin pedirla to-

men la tal leña que necesitan para el uso de su hogar: costumbre legítima, y que escusa de pecado, porque es tan antigua, cuanto lo son los pobres; porque es tan racional é irremediable de otro modo su mencionada necesidad; porque finalmente los dueños ó lo han consentido tacitamente ó repugnado irracionalmente. Por lo tanto pueden los Confesores, y deben permitir á los pobres referidos el recoger la mencionada leña, manifestándoles, que es lícito, para que no pequen por conciencia errónea. Al mismo tiempo deben advertirles que no corten árboles frutales, ni los destinados para formar vigas, tablas, etc.; que no tomen las estacas colocadas para puntales de las vigas, que no rompan las malezas que cercan los territorios y que no causen otros daños semejantes.»

(O) Pag. 976.

Ad rem Lacordaire, *Conferenze*, Conf. XXXV: «¿Pero qué es autoridad? La autoridad es una superioridad, que engendra la obediencia y la veneracion.

«La primera cosa es la obediencia, es decir la sumision espontánea de una voluntad á otra voluntad. «Capitan, poneos allí con vuestra compañía y déjaos matar.—Sí, mi general.» Hé aquí, señores, la obediencia, y vosotros lo comprendeis, una obediencia de hombre libre, donde el que manda y el que obedece son igualmente grandes. El uno ha creido sencillo pedir una vida para la palma, el otro ha creido sencillo darla. El uno no ha concebido el sacrificio sino porque era capaz de hacerlo: el otro no ha sido capaz de él sino porque le ha concebido. Ha habido accion y reaccion en aquellas dos almas. Cuando los famosos Espartanos de las termópilas se preparaban en su corazon á morir por la salud de la Grecia, grabaron en una roca esta inscripcion: *Caminante, ve á decir á Esparta que hemos muerto aquí por obedecer sus santas leyes.* Hé aquí tambien la obediencia y no una obediencia llevada mas allá de lo necesario, propia solamente de algunos héroes, sino una obediencia, tal cual la necesita la sociedad para vivir, tal cual la tenia Esparta en sus bellos dias. Esparta entera habia hablado en las termópilas á los vivos como á los muertos, y no habia en la República una alma que no hubiese respondido al alma de los trescientos.

«Cuando falta la sumision espontánea de la voluntad á otra voluntad, y aun á veces una sumision entusiasta, es imposible la unidad, el órden y tambien la potestad. Porque ¿cómo quereis que tantas voluntades separadas no formen mas que una, sino existe una voluntad soberana, que las reuna en sí? ¿Cómo tendréis el órden sino concurren todas las voluntades por medio de la obediencia á mantener las relaciones establecidas por las leyes amenazadas sin cesar por todos los intereses descontentos? ¿Y cómo habrá potestad sino está pronto á tomar cada ciudadano á la primera órden el lugar á que es llamado?

«La veneracion es otro elemento de autoridad, tan necesaria como la obediencia. Porque la veneracion no es mas que un respeto mezclado de amor, y nosotros no obedecemos largo tiempo á quien no nos inspira amor ni respeto. La voluntad tiene ya dificultad en someterse, aun cuando ame y respe-

te sinceramente; y si este doble sentimiento llega á faltarle, no obedece ya tarde ó temprano.»

(P) Pag. 980.

«Amorem sensibilem profani honestum seu *platonicum* dicunt; sed absit ut affectioni illi mere animali vel nomen amoris donemus! exinde enim corda mollescere, phantasia vero et pruritus animales vehementer accendi solent, adeo ut serius aut citius nonnisi turpissimi lapsus timendi sint... Quapropter quis non summopere doleat, imo et indignetur, quod poësis, publica spectacula, sublimioresque artes animalem affectum unius sexus ad alterum ubique ceu dignissimum amorem et tamquam summam vitæ beatitudinem exhibeant? Quid mirum, si juventus ad hoc vitium jam alias proclivis tanto impetu ad voluptates anhelet, quæ auribus, conspectui et phantasiæ tam fallaciter, et tamquam omnis felicitatis culmen obtraduntur?

Animarum pastor incautam juventutem omni quo possit modo, ab hujusmodi familiari consortio dehortari et abstrahere conabitur; præsertim ubi nulla vel ambigua et remota honesti matrimonii spes effulget... Periculum istud ipsi quoque Sacerdoti præsertim juniori sollicite cavendum est, ne scilicet intuitu singularis innocentiæ, pietatis, etc. erga personas alterius sexus molliculum affectum admittat. Sensus, iste, inquit Oberrauch, ultra omnem opinionem astutus est, et periculosus admodum, utpote qui nedum ex re turpi, sed etiam ex ratione honesta non raro acrior evadit.» *Stapf*, §§ 302 et 310.

De amicitia falsa ad rem Orsini, *I fiori del Cielo*, cap. 9: «¿Porqué Roboam, aquel jóven insensato, quo perdió hasta el escudo de su padre, vió el propio Reino disminuido de diez numerosas tribus? Porque amigos imprudentes le dictaron una repuesta altiva que sublevó á todo Israel. Pero ¿porqué buscar pruebas en la historia antigua, cuando las tenemos en abundancia en nuestra crónica moderna? ¿quién arranca á un hombre débil una firma imprudente, que en un dia le quita un patrimonio formado en diez años? ¿quién arrastra al juego un hijo de familia, y á la taberna un pobre artesano? ¿quién se introduce como una serpiente en una familia de confianza para llevar en ella el deshonor? ¿Quién es este; pregunto? un amigo. Un verdadero amigo es una cosa tan rara, que ya es mucho, dice el pensador Montaigne, si la fortuna forma uno solo en tres siglos. Esto es verdad; pero á falta de oro hay un pobre metal colorado, al cual se señala un valor convencional, y que forma la moneda corriente de nuestras relaciones sociales. Esta amistad de contrabando suple la cualidad con la cantidad; esta se multiplica de retoño como los pólipos; se pega como una enfermedad; se te pondrá á uno y otro lado, y á menudo te hará caminar por un mal camino instigándote con sus importunidades.»—*V.* etiam celebr. Silvio Pellico, *Dei doveri degli uomini*, cap. XIII.—It Beyerlinck, *Magnum Theatrum vitæ humanæ*. V. Amicitia.—Blanchard, *La scuola dei costumi*.—Calino, *Considerazioni; Lezioni*, ecc.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX TOMI PRIMI.

Pag.

Epistola Pii Papæ ix ad Auctorem. 5
Auctoris allocutio ad Pium Papam ix. 7
Auctoris præloquium. 9
Monitum Editoris. 12
Quæstio prolegomena, ac totius Operis partitio. 13
Monita duo. 15, 16

TRACTATUS PRIMUS.

DE ACTIBUS HUMANIS ET CONSCIENTIA.

DISPUT. I. De actibus humanis. 17
CAP. I. De voluntate, ejusque actibus et impedimentis. 19
Art. 1. De violentia et metu. 25
Art. 2. De ignorantia, et concupiscentia. 28
CAP. II. De libertate. 32
Art. 1. De liberi arbitrii essentia et existentia. 33
Art. 2. De libertatis subjecto, objecto, impedimento. 37
CAP. III. De moralitate ejusque fontibus. 38
Art. 1. De morali actionis objecto et fine. 40
Art. 2. De circumstantiis. 44
DISPUT. II. De conscientia. 49
CAP. I. De conscientiæ natura et obligatione. ib.
CAP. II. De conscientiæ divisione. 51
Art. 1. De conscientia vera, falsa atque perplexa. ib.
Art. 2. De conscientia scrupulosa et laxa. 55
Art. 3. De conscientia certa et dubia. 60
Art. 4. De conscientia probabili et improbabili. 65
§ 1. De opinione probabili considerata in se ipsa et in sua probabilitate propria. 66
§ 2. De opinione probabili considerata respective et comparate ad opinionem contrariam. 70
APPENDIX. Animadversiones circa S. Alphonsum. 85
Conclusio. 87
A. Auctores, qui in dubio stant (plus vel minus) pro sententia favente legi. 89
B. Auctores, qui in dubio stant (plus vel minus) pro libertate. 90
Adnotationes ad Tractatum primum. 91

TRACTATUS SECUNDUS.

DE LEGIBUS.

DISPUT. I. De legibus generatim. 105
CAP. I. De legis natura generatim et ejus divisione. ib.
CAP. II. De lege æterna, naturali atque divina positiva. 108
CAP. III. De legis humanæ natura et auctore. 118
Art. 1. De auctore legis Ecclesiasticæ. 120
Scholium. De temporali Romani Pontificis potestate. 128
Art. 2. De auctore legis civilis. 130
CAP. IV. De legis humanæ materia atque subjecto. 132
CAP. V. De legis humanæ vi et obligatione. 140
Art. 1. De vi et obligatione legis pœnalis et mixtæ. 144
Art. 2. De vi et obligatione legis irritantis. 147
CAP. VI. De conditionibus ad legis vim. 149
Art. 1. De materiæ capacitate, superioris intentione et legis justitia. ib.
Art. 2. De legis promulgatione. 151
CAP. VII. De legis observantia et executione. 155
CAP. VIII. De legis interpretatione et mutatione. 162
Art. 1. De legis dispensatione, derogatione, abrogatione et cessatione. 165
Art. 2. De privilegio et consuetudine. 174
DISPUT. II. De Præceptis Ecclesiæ. 181
CAP. I. De primo Ecclesiæ præcepto, seu Missæ auditione. ib.
CAP. II. De secundo Ecclesiæ præcepto, seu jejunio ecclesiastico. 189
Art. 1. De abstinentia a carnibus et lacticiniis. 190
Art. 2. De unica refectione, et quando sumenda. 193
§ *unicus.* De collatiuncula vespertina. 197
Art. 3. De causis a jejunii præcepto excusantibus. 199
CAP. III. De ultimo præcepto, seu de decimis. 205
Scholium. De primitiis et oblationibus. 207
Adnotationes ad Tractatum secundum. 208

TRACTATUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS.

DISPUTATIO PRÆAMBULA. 233
DISPUT. I. De obligationibus in societate religiosa. 234
CAP. I. De obligationibus Laicorum. ib.
CAP. II. De obligationibus Clericorum. 235
Art. 1. De obligationibus Clericorum communibus. 236
§ 1. De iis quæ Clericis generatim ac communiter præscripta sunt. ib.
§ 2. De iis quæ Clericis generaliter et communiter prohibentur. 243
Art. 2. De obligationibus Clericorum in ordine Hierarchico. 250
§ 1. De Episcopis ac de Vicariis ge-

neralibus. 250
§ 2. De obligationibus Canonicorum. 255
§ 3. De Vicariis Foraneis et Parochis. 256
N. 1. De Parochi moribus et residentia. 258
N. 2. De Parochi studio relate ad Parochialem Ecclesiam, ac functiones sacras. 265
N. 3. De Parochi cura relate ad populum. 268
Scholium. De Parochorum Coadjutoribus, de Vice-Parochis, Œconomis Parochialibus, et Capellanis militum. 278
§ 4. De Presbyteris simplicibus ac cæteris Clericis. 280
CAP. III. De obligationibus Religiosorum. 286
Art. 1. De natura, origine et præstantia status Religiosi. ib.
Art. 2. De vocatione et novitiatu. 289
Art. 3. De professione religiosa, ejusque effectibus. 294
§ 1. Votum paupertatis. 297
§ 2. Votum castitatis ac clausura. 299
§ 3. Votum obedientiæ. 300
Scholium. De Religiosis ejectis et fugitivis. 301
DISPUT. II. De obligationibus in societate civili. 302
CAP. I. De obligationibus publicis. ib.
Art. 1. De obligationibus Principum et Subditorum. ib.
Art. 2. De personis ad Forum spectantibus. 304
§ 1. De obligationibus Accusatoris et Rei. ib.
§ 2. De obligationibus Judicum et testium. 306
§ 3. De Advocatis, Procuratoribus, Referentibus, Secretariis ac Notariis. 313
Art. 3. De Medicis et Pharmacopolis. 316
CAP. II. De obligationibus privatis. 319
Art. 1. De obligationibus in societate paterna. ib.
§ 1. De obligationibus parentum et filiorum. 319
§ 2. De obligationibus Tutorum, et Minorum, Magistrorum et Discipulorum. 326
Art. 2. De obligationibus in societate conjugali et herili. 329
Scholium. De obligationibus Superiorum et Inferiorum generatim erga se invicem. 332
Adnotationes ad Tractatum tertium. 333

TRACTATUS QUARTUS.

DE VITIIS, ATQUE PECCATIS, AC DE CENSURIS.

DISPUT. I. De vitiis atque peccatis in genere. 377
CAP. I. De peccato originali. 379
Art. 1. De peccati originalis existentia. 379
Art. 2. De peccati originalis subjecto, natura et effectibus. 384
CAP. II. De peccato personali. 388
Art. 1. De peccato actuali ratione causæ occasionalis. 389
Corollarium. De tentationibus. 392
Art. 2. De distinctione specifica peccatorum, et eorum differenti gravitate. 394
§ 1. De peccato mortali. 397
§ 2. De peccato veniali. 402
Art. 3. De distinctione numerica peccatorum. 403
Art. 4. De peccato ratione modi quo patratur. 405
Corollarium. De peccati actualis effectibus. 413
DISPUT. II. De peccatis in specie, seu de vitiis capitalibus. 416
CAP. I. De superbia et avaritia. ib.
CAP. II. De luxuria. 420
Art. 1. De luxuriæ definitione, natura et divisione. 421
§ 1. De luxuria perfecta et naturali. 422
§ 2. De luxuria perfecta non naturali, seu contra naturam. 431
§ 3. De luxuria imperfecta. 437
Art. 2. De luxuriæ filiabus et remediis. 444
CAP. III. De gula. 446
CAP. IV. De ira, invidia et acedia. 452
DISPUT. III. De censuris. 456
CAP. I. De censuræ nomine, natura, divisione ac conditionibus. ib.
CAP. II. De iis qui censuras inferre possunt. 459
CAP. III. De censuræ subjecto et materia. 463
CAP. IV. De solemnitatibus in censura ferenda, et causis excusantibus. 466
CAP. V. De censuræ cessatione, seu de modis quibus censura deletur. 468
CAP. VI. De singulis censuræ speciebus. 473
Art. 1. De excommunicatione. ib.
§ 1. De excommunicatione majori in genere. ib.
N. 1. Privatio activa et passiva Sacramentorum. 475
N. 2. Privatio suffragiorum, precum, et divinorum officiorum. 477
N. 3. Privatio communionis forensis atque civilis, item jurisdictionis et sepulturæ ecclesiasticæ. 479
N. 4. Inhabilitas quoad beneficia, officia et rescripta. 480
§ 2. De excommunicatione majori in particulari. 482
N. 1. Excommunicationes nemini reservatæ. ib.
N. 2. Excommunicationes Episcopo reservatæ. 483

N. 3. Excommunicationes Pontifici reservatæ. 483
Corollarium. De Clericorum percussione. 484
Scholium. De Monitoriis. 488
§ 3. De excommunicatione minori. ib.
Art. 2. De suspensione. 491
§ 1. De suspensioni in genere. ib.
§ 2. De suspensionibus in particulari. 495
Art. 3. De interdicto. 496
§ 1. De interdicto in genere. ib.
§ 2. De nonnullis interdictis latæ sententiæ. 499
Scholium. Censuræ et aliæ pœnæ ex Synodo Novariensi. ib.
Adnotationes ad Tractatum quartum. 501

TRACTATUS QUINTUS.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

DISPUTATIO PRÆAMBULA. De virtutibus. ac de Religionis natura et actibus. 525
DISPUT. I. De actibus Religionis internis. 529
CAP. I. De devotione. ib.
CAP. II. De oratione. 532
Art. 1. De meditatione et contemplatione. 538
Art. 2. De oratione vocali. 543
§ 1. De oratione Dominica et Jaculatoria. 544
§ 2. De Horis Canonicis. 545
N. 1. De Horarum definitione, numero, origine et obligatione. ib.
N. 2. De tempore, loco, ordine, forma in recitatione. 551
N. 3. De modo recitandi Horas Canonicas. 555
N. 4. De causis a recitatione excusantibus. 561
DISPUT. II. De actibus Religionis externis. 564
CAP. I. De voto. ib.
Art. 1. De voti definitione, honestate et divisione. ib.
Art. 2. De conditionibus ad votum requisitis. 566
Art. 3. De voti obligatione. 570
Scholium. De votorum interpretatione. 576
Art. 4. De voti extinctione. 577
CAP. II. De juramento. 584
Art. 1. De definitione, divisione, honestate et necessitate. ib.
Art. 2. De conditionibus ad juramentum requisitis. 588
Art. 3. De juramenti obligatione, extinctione et interpretatione. 593
Scholium. De adjuratione. 596
CAP. III. De sanctificatione festorum. ib.
Art. 1. De natura et vi hujus præcepti. ib.
Art. 2. De operibus quæ diebus festis vetantur. 602
§ *unicus.* De causis ob quas opera servilia permittuntur. 605
DISPUT. III. De vitiis quæ virtuti Religionis adversantur. 608
CAP. I. De superstitione. ib.
Art. 1. De idololatria et divinatione. 609
Art. 2. De vana observantia. 614
Corollarium. De Magnetismo, uti vocant *animali*, seu Mesmerismo. 617
CAP. II. De irreligiositate. 620
Art. 1. De tentatione Dei. ib.
Art. 2. De blasphemia. 622
Art. 3. De sacrilegio. 626
Art. 4. De simonia. 629
§ 1. De simoniæ natura et divisione. ib.
§ 2. De pœnis quibus simonia punitur. 637
§ 3. De causis a simoniæ labe excusantibus. 641
Adnotationes ad Tractatum quintum. 645

TRACTATUS SEXTUS.

DE VIRTUTE JUSTITIÆ.

QUÆSTIO PRÆAMBULA. 670
DISPUT. I. De jure. 671
CAP. I. De juris nomine, definitione et divisione. ib.
CAP. II. De diversis juris privati speciebus. 673
Art. 1. De servitute. ib.
Art. 2. De usu et usufructu. 675
§ 1. De juribus et oneribus usuarii et fructuarii. 677
Art. 3. De habitatione. 680
Art. 4. De possessione. ib.
DISPUT. II. De dominio. 682
CAP. I. De dominii definitione, origine et divisione. ib.
Art. 1. De dominii definitione et origine. ib.
Scholium. Communismus. 683
Corollarium. Radicalismus, Socialismus et Fourierismus seu Systema Phalansterianum. 689
Art. 2. De dominii divisione. 690
CAP. II. De dominii objecto. 691
CAP. III. De dominii subjecto. 694
ART 1. De dominio infidelium et peccatorum, parvulorum et amentium. ib.
Art. 2. De dominio Ecclesiæ et Ecclesiasticorum. 695
Art. 3. De dominio filiorum-familias. 702
§ *unicus.* De patria potestate. 704
Art. 4. De dominio uxorum. 705
CAP. IV. De modo multiplici acquirendi rerum dominii. 707
CAP. V. De modis acquirendi rerum dominii juris gentium originarii. 708
Art. 1. De occupatione. ib.
§ 1. De venatione et piscatione. ib.
§ 2. De inventione. 710

Art. 2. De accessione. 714
§ 1. De accessione quoad rem quæ una ab altera producitur. ib.
§ 2. De accessione quoad rem quæ una alteri adjungitur. 715
CAP. VI. De modis acquirendi rerum dominii juris gentium derivativis. 718
Art. *unicus*. De traditione. ib.
CAP. VII. De modis acquirendi dominii juris civilis universali, id est de hæreditate. 719
Art. 1. De hæreditate testamentaria. 720
§ 1. De testamenti forma extrinseca. ib.
§ 2. De testamenti forma intrinseca. 723
§ 3. De persona testatoris. 725
§ 4. De persona hæredis. 731
Corollarium I. De legatis et codicillis. 737
§ 1. De legatis. ib.
§ 2. De codicillis. 741
Corollarium II. De substitutionibus. 742
Corollarium III. De Executore testamentario. 743
Scholium. De causis quæ testamentum infirmant. 745
Art. 2. De hæreditate legitima sive ab intestato. 746
§ 1. De hæreditate intestata regulari. 748
§ 2. De hæreditate intestata irregulari. 750
Corollarium. De hæreditate jacente. 751
CAP. VIII. De modis acquirendi rerum dominii juris civilis particularibus. ib.
DISSERTATIO I. De præscriptione. ib.
DISSERTATIO II. De contractibus. 757
CAP. I. De contractibus in genere. 760
Art. 1. Personæ quæ contrahunt. ib.
Art. 2. Res quæ in contractum deducuntur. 761
Art. 3. Consensus contrahentium. 762
Art. 4. Effectus e contractu prosiliens. 765
Scholium. De conventionum interpretatione. 770
CAP. II. De contractibus in specie. ib.
Art. 1. De emptione et venditione. 771
§ 1. De consensu. ib.
§ 2. De merce. 772
§ 3. De pretio. 778
§ 4. De quibusdam venditionis speciebus. 782
Scholium. De permutatione. ib.
§ 5. De venditionis rescissione. 787
Art. 2. De locatione et conductione. 788
Art. 3. De censu, emphyteusi, vitalitio, pignore, hypotheca. 791
Art. 4. De cambio et transactione. 796
Art. 5. De contractu societatis. 798
Art. 6. De mutuo et usura. 801
§ *unicus*. Tituli, vi quorum licet aliquid supra sortem exigere. 808
Art. 7. De donatione. 816
Corollarium I. De dote propter nuptias. 823
Corollarium II. De promissione. 825
Art. 8. De deposito, sequestro fidejussione, commodato, precario, et mandato. 826
Art. 9. De sponsione, ludo et assecuratione. 830
Adnotationes ad Tractatum sextum. 835

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE RESTITUTIONE.

DISPUT. I. De restitutione in genere. 861
CAP. 1. De subjecto restitutionis. 864
Art. 1. De eo qui ad restitutionem tenetur. ib.
§ 1. De eo, qui culpabiliter damnum infert immediate. 872
Scholium. De fraudatoribus tributorum ac gabellarum. 878
§ 2. De eo, qui culpabiliter damnum infert mediate. 882
N. 1. De mandante seu jubente. 886
N. 2. De consulente. 887
N. 3. De consentiente. 889
N. 4. De palpone, receptatore et participante. 891
N. 5. De muto, non obstante et non manifestante. 892
Art. 2. De eo cui restitutio facienda est, de restitutionis ordine et circumstantis. 894
CAP. II. De causis a restitutionis obligatione excusantibus. 902
DISPUT. II. De restitutione in specie. 908
CAP. I. De bonis animæ et corporis. ib.
Art. 1. De homicidio et mutilatione membrorum. 909
§ 1. De bello. 917
§ 2. De suicidio, duello et abortu. 920
§ 3. De vitæ, pudicitiæ, honoris, et bonorum aggressione. 928
Art. 2. De stupro et adulterio. 933
CAP. II. De bonis famæ et honoris. 941
Art. 1. De læsione et reparatione famæ. 942
Art. 2. De modo quo læditur et reparatur honor. 957
Scholium. De secreti manifestatione, et libello infamatorio. 959
CAP. III. De bonis fortunæ. 962
Art. *unicus*. De furto. ib.
APPENDIX. De justitiæ filiabus ac cæteris virtutibus cardinalibus. 973
CAP. I. De præcipuis justitiæ filiabus. ib.
Art. 1. De pietate, observantia, obedientia et veracitate. ib.
Art. 2. De gratitudine, benevolentia, amicitia, liberalitate, affabilitate, urbanitate et comitate. 978
CAP. II. De cæteris virtutibus cardinalibus. 982
Art. *unicus*. De prudentia, fortitudine et temperantia. ib.
§ 1. De modestia, humilitate, studiositate, eutrapelia, ornatu et simplicitate. 986
§ 2. De castitate conjugali, viduali et virginali. 989
Adnotationes ad Tractatum septimum. 991

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

239.02
SC92
5061
SCAVINI, P.
AUTHOR
Theologia Moralis Universalis ad
TITLE Mentem S. Alphonsus.
Vol. I
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
FEB 23
[redacted]
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709
5061